
ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS II
CONGREGATIONES GENERALES LXXXIII-LXXXIX



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIV

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI
VATICANI SECUNDI

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI
VATICANI SECUNDI

Vol. I: Periodus prima

- Pars I: *Sessio publica I. Congregationes generales I-IX*
- Pars II: *Congregationes generales X-XVIII*
- Pars III: *Congregationes generales XIX-XXX*
- Pars IV: *Congregationes generales XXXI-XXXVI*

Vol. II: Periodus secunda

- Pars I: *Sessio publica II. Congregationes generales XXXVII-XXXIX*
- Pars II: *Congregationes generales XL-XLIX*
- Pars III: *Congregationes generales L-LVIII*
- Pars IV: *Congregationes generales LIX-LXIV*
- Pars V: *Congregationes generales LXV-LXXIII*
- Pars VI: *Congregationes generales LXXIV-LXXIX. Sessio publica III*

Vol. III: Periodus tertia

- Pars I: *Sessio publica IV. Congregationes generales LXXX-LXXXII*
- Pars II: *Congregationes generales LXXXIII-LXXXIX*


Vol. IV: Periodus quarta

CURA ET STUDIO
ARCHIVI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS II
CONGREGATIONES GENERALES LXXXIII-LXXXIX



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIV

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS LXXXIII
18 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS LXXXIII

18 septembris 1964

Exc.mus PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius Generalis Ss. Concilii*:

Moderatur 83 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.

Attendite, Patres venerabiles! In hac congregatione, distribuentur Patribus pictacia vehicularia, nempe « francobolli, stamps, timbres, sellos, Briefmarken », emissa occasione itineris SS. Domini Nostri in Palaestinam.

Item distribuetur folium quo memoria recolitur Patribus secretariatum administrativum renovasse assecurationem contra calamitates vel damna. Itaque rogantur Patres ut, si quam calamitatem vel damnum patiantur — quod Deus averruncet! — notum statim faciant secretariatui administrativo. Ceterum, videbitis omnia in folio quod distribuetur.

In hac congregatione, distribuetur statim etiam relatio super schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* de quo schemate hodie incipiet disceptatio post relationem factam ab exc.mo D. Petro Veuillot, arch. tit. Constantiensi in Thracia et coad. Parisiensi. In hac relatione, vos, Patres, invenietis in pag. 8 aliquem textum novum qui est additus textui quem iam cognoscitis, et est textus qui proponitur adiiciendus; sed huius textus redactio dabitur etiam folio separato feria secunda proximae hebdomadae. Vos videre potestis hunc textum novum, non in schemate distributo, sed in relatione mox distribuenda, pag. 8, et litteris crassioribus. Proponitur nempe disputationi et disceptationi.

Durante hac congregatione, pariter, suffragationi subicietur integrum cap. II *de Ecclesia,* de quo suffragationes partiales heri factae sunt, tempore opportuno statuendo ab em.mo card. moderatore.

Et nunc lego nomina imprimis eorum Patrum qui verbo uti adhuc

petierunt circa schema *de Ecclesia,* nempe de cap. VIII, et loquuntur nomine 70 Patrum. Hi sunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis; deinde exc.mus D. Laureanus Castan, ep. Seguntinus in Hispania.

Hi loquuntur nomine 70 Patrum, itaque loquuntur ad normam novi *Ordinis,* nempe *additamentorum ad Ordinem Concilii.*

Postea fiet relatio circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* et incipiet disceptatio circa hoc schema. Petierunt sermonem facere em.mi ac rev.mi DD. cardd. Paulus Richaud, arch. Burdigalensis in Gallia; Michaël Browne; exc.mi DD. Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco; Antonius Pildáin, ep. Canariensis in Hispania; Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia; Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis; Iacobus Corboy, ep. Monzensis in Rhodesia Septemtrionali; Maximilianus Držečnik, ep. Mariborensis in Iugoslavia; Brian Foley, ep. Lancastrensis in Anglia; Ioannes Guyot, ep. Constantiensis in Gallia; Fridericus Kaiser, prael. Caraveliensis in Peruvia; Robertus Lucey, arch. S. Antonii in Stat. Foed. Americae Sept.; Ioannes McEleney, ep. Kingstonensis in Iamaica; Ioannes Nuer, ep. tit. Phatanensis in Aegypto; Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia; Nicolaus Margiotta, arch. Brundusinus in Italia; Agnellus Rossi, arch. Rivi Nigri in Brasilia.

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia,* cap. VIII)

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

Ad schema Marianum, ut exspectabatur, multae variae et inter se differentes opiniones in aula prolatae sunt.

Schema ipsum, ut mihi videtur, nihil continet quod sit contra veritatem catholicam vel contra iura fratrum nostrorum seiunctorum. Sed non omnia desideria implet quae comportatae sunt sive a dextris, sive a sinistris. Sed schema quaerit viam mediam, qua omnes progredi possint. In hoc sensu est compromissum.

Atqui, ut in hac aula decretum validum gigni possit, requiritur ab-

solute maioritas duarum tertiarum, quam maioritatem adipisci, credo, non poterimus nisi compromisso facto.

Oro itaque vos, Fratres, humiliter, ut simus omnes parati aliquid sacrificare de ideis nostris, etsi iustis, et ut, emendatis quibusdam citationibus Sacrae Scripturae et sublatis quibusdam defectibus, de quibus fuit sermo in hac aula, assentiamur schemati, ut mihi videtur, optimo, inter possibilia, et exarato cum multo labore et sudore commissionum competentium et peritorum.

Ut utar verbis S. apostoli Pauli in Epistola huius hebdomadae: ut simus omnes unanimes, unum corpus, una fides, unus Deus et Pater omnium, ut et hoc decretum fiat in gloriam Dei et eius, quem misit in mundum, et in honorem B.mae Virginis Mariae, quam omnes, Patres, Observatores, Auditores tenerrime amamus. Dixi.

Textus scripto traditus:

Ad schema marianum, sicuti exspectabatur, opiniones variae et valde inter se differentes in hac aula prolatae sunt.

Schema ipsum, ut mihi videtur, nihil continet contra veritatem catholicam nec contra iura fratrum seiunctorum. Sed non implet omnia desideria quae, sive a dextris, sive a sinistris venerunt. Immo quaerit viam mediam, qua omnes progredi possint. Et in hoc sensu est compromissum.

Atqui, ut in hac aula decretum validum gigni possit, absolute requiritur maioritas duarum tertiarum, quam maioritatem, ut puto, adipisci non poterimus sine compromisso.

Quare humiliter rogo, fratres, ut omnes sint parati aliquid sacrificare de suis ideis etsi iustis, et, ut emendatis quibusdam citationibus ex Sacra Scriptura et sublatis quibusdam defectibus, de quibus fuit sermo in aula, assentiamur huic schemati optimo, ut credo, inter possibilia, exarato cum multo labore et sudore commissionum competentium et peritorum.

Ut verbis utar apostoli Pauli in Epistola huius hebdomadae, omnes simus unanimes, unum corpus, una fides, unus Deus et Pater omnium, ut et hoc decretum fiat in gloriam Dei et eius, quem misit, et in honorem Deiparae Virginis Mariae, quam omnes, Patres, Observatores, Auditores tenerrime amamus.

Animadversiones additae:

1. Pag. 5, linn. 21-28. Deest nexus logicus inter diversas sententias hic allatas. Nova redactio totius incisi a linn. 21-32 necessaria videtur.

2. Pag. 9, linn. 12-14. Verba « et sicut... diffunditur » omittantur, quia parallelismus inter ordinem creationis et ordinem gratiae non satis clare tam paucis verbis explicari potest et ambiguitatibus ansam praebet.

3. Pag. 10, linn. 39 s. - pag. 11, linn. 1-3. Verba « Quae Virgo... animari oportet » omittantur, quia falsum conceptum apostolatus innuunt; apostolatus enim non ex *materno* affectu, sed ex continuatione missionis Filii, quae a *Patre* procedit, intelligendus est.

2

Em.mus P. D. BERNARDUS card. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Fratres,

Rogatus a 124 Patribus ex diversis nationibus, ex Africa, ex America Latina, e Gallia, Germania, Neerlandia, etc., quorum numerus facile augeri potuisset, si tempus adfuisset, veniam petii ut post clausam disceptationem loqui liceat de cap. VIII de B. Maria Virgine.

Quaedam confusio videtur se manifestasse circa finem et circa intentionem huius cap. VIII constitutionis *de Ecclesia.*

Hoc caput non vult loqui *de devotione* Ecclesiae erga B. Mariam Virginem, sed *fidem* Ecclesiae de B. Maria Virgine exponere vult. Non vult hoc caput opiniones et sententias theologorum vel fidelium exponere quae opiniones forsitan a sat magno numero theologorum et fidelium agnoscuntur, dum ab aliis non accipiuntur. Sed vult hoc caput exponere id cui ab omnibus Ecclesiae catholicae fidelibus adhaereri debet. Non agitur in hoc capite de eo quod *in* Ecclesia opinantur, sed de eo quod *per* Ecclesiam docetur et doceri debet. Nos enim i. e. episcopi omnes Ecclesiae e toto terrarum orbe congregati in Concilium, adiuvante Spiritu Sancto, supremam in Ecclesia auctoritatem constituunt in rebus fidei et morum. Concilii non est descriptionem dare opinionum quae in Ecclesia inveniuntur. Concilii est econtra statuere quod *ab Ecclesia* [1] doceri et nuntiari debet.

Ideoque in hac materia difficulter loqui possumus de minimalismo aut de maximalismo. Si de devotione loqueremur quae maior aut minor esse potest, aut de variis opinionibus theologorum et fidelium, tunc revera distinctionem facere possemus inter maximalistas et minimalistas. Nunc autem de fide Ecclesiae loquentes et de eo quod ab Ecclesia doceri debet, solummodo de vera fide Ecclesiae tractamus, quae non maior aut minor esse potest sed vera tantum.

Sed fortasse dicet quis Concilium nostrum habere finem pastoralem, ideoque Concilii esse devotionem Ecclesiae erga B. M. V. promovere et augere.

Etiamsi hanc enuntiationem accipimus, oblivisci nequimus fundamentum theologicum quod Concilium in hac constitutione huic devotioni mariali Ecclesiae subiicit, revera valorem habere pastoralem, sed praeprimis valorem doctrinalem, repraesentantem Ecclesiae fidem et in posterum ut tale a theologis tractabitur.

Ideo Concilium magna cum prudentia et cautela procedere debet. Non idem videtur valor alicuius documenti Pontificii et valor alicuius constitutionis conciliaris.

In hac luce exponere liceat quaedam de titulo Mediatricis qui B. Mariae Virgini tribuitur.

Certo certius Mater Domini Divinae Providentiae Consilio in gratiae oeconomia functionem — ut ita dicam — specialem, munus personale habuit et habet. Hoc Matris Domini munus et officium in n. 53 nostrae constitutionis perpulchre, accurate et fuse enuntiatur et describitur.

De hoc munere et de hoc officio nullum est dubium et nulla est inter nos disputatio.

Sed distingui bene debet inter titulum Mediatricis et rem doctrinam, quae per hoc titulum exprimitur.

Et nos omnes scimus titulum Mediatricis esse paulo aptum ad doctrinam istam clare exprimendam et multis indigere explicationibus ut ab omnibus recte intelligatur.

Si de Matre Domini loquimur ut Mediatrice, hoc idem verbum in sensu quodam adhibetur qui est essentialiter diversus ab illo quo utimur quando nostram fidem in unum et unicum Mediatorem Iesum Christum profitemur.

Immo in hoc ultimo sensu Mater Domini Mediatrix esse nequit, quia Christus Dominus Filius Dei et Filius hominis Mediator esse potuit et fuit ratione unionis hypostaticae, quod fundamentum in Ipso solo existit. Ideoque cum Sacra Scriptura Ecclesia catholica unum et unicum tantum Mediatorem agnoscit.

Si de Matre Domini ut Mediatrice loquimur, titulus ille in sensu totaliter diverso adhibetur, ita ut ad rectam intelligentiam multis indigeat explicationibus ideoque sat gravem causat confusionem, non tantum inter acatholicos sed etiam inter ipsos catholicos.

Cum gaudio laudamus quod constitutio nostra in n. 53, pag. 203, valde sobrie et magna cum cautela hunc titulum non adhibet sed nominat.

Sed si nostrum Concilium revera vult esse pastorale, quaerere liceat an talis titulus causans tantas difficultates servari debeat in nostro textu quia — etsi quasi obiter et cum admonitione valde utili nominatur — per solam praesentiam in documento conciliari certam accipiet auctoritatem; et ex altera parte doctrina ipsa, quae per titulum recte intellectum exprimitur, in nostra constitutione clare enuntiatur ita ut doctrina Ecclesiae ex huius tituli omissione nullum patietur detrimentum.

Consulant sibi Patres an honor B. Mariae Virginis qui nobis om-

nibus ardenter cordi est, revera augeatur per titulum qui inter catholicos confusionem causat et qui inter fratres nostros seiunctos facile male intelligitur ita ut separatio potius continuatur et forsitan augetur quam unio ab omnibus nobis desiderata admovetur.

Forsitan labor erit vere difficilis, immo fere impossibilis, ut textus constitutionis nostrae qui in commissione de doctrina maxima cura est confectus, sub hoc respectu modificetur. Sed conscientia nostra nos movit ut et haec vox in hac aula audiretur, in honorem Dei, in honorem Domini nostri Iesu Christi et in honorem B. Mariae Virginis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] per Ecclesiam.

[*Subscripserunt etiam*] P. A. Nierman, ep. Groningensis; P. Moors, ep. Ruremondensis; Al. Jansen, ep. Roterodamensis; W. M. Bekkers, ep. Buscoducensis; J. v. Dodewaard, ep. Harlemensis; Th. Hendriksen, ep. tit. Eumenensis; J. Bluyssen, ep. tit. Aetensis; G. Devet, ep. Bredanus; Hermann Schäufele, arch. Friburgensis; Hermannus Volk, ep. Moguntinus; Ios. Schröffer, ep. Eystettensis; Leo Pietsch, ep. tit. Naronensis; Ioseph Köstner, ep. Gurcensis; Franciscus Zak, ep. S. Hippolyti; Ioseph Schoiswohl, ep. Grecensis-Seccoviensis; Ioseph M. Reuss, ep. tit. Sinopensis, aux. Moguntinus; Carolus Gnädinger, ep. aux. Friburgensis; Carolus Jurgens, arch. Cuschensis; Alcides Mendóza Castro, ep. Abancaiensis; Aloisius Rodriguez Pardo, ep. S. Crucis de Sierra; Ignatius Arbulú Poneda, ep. Huanucensis; E. M. O'Brien, arch. Camberrensis et Gulburnensis; Hugh Boyle, ep. Joannesburgensis; F. X. Thomas, ep. Geraldtonensis; L. J. Goody, ep. Bumburiensis; Arthur Fox, ep. tit. Rhinocoruritanus; Andreas Pailler, arch. coad. Rothomagensis; Roger Michon, év. Chartres; Lucien Lebrun, év. Autun; Petrus Rougé, ep. Nemausensis; Jean Hermil, ep. aux. Augustodunensis; René Boudon, ep. Mendensis; André Pioger, év. Sées; Antoine M. Cazaux, év. Luçon; L. Volker, sup. gen. P.A.; Jean de Cambourg, aux. Bourges; Paul Chevalier, év. Le Mans; Henry Jenny, év. aux. Cambrai; Jacques Guilhem, év. Laval; Roger Johan, év. Agen; Louis Ferrand, arch. Turonensis; Ioannes Tochey, ep. Maitlandensis; Mauritius Pourchet, ep. S. Flori; Isidorus Marcus Emanuel, ep. Spirensis; Bernhard Schräder, ep. aux. Osnabrugensis; Adolfus G. Schmitt, ep. Bulauaiensis; Otho Spülbeck, ep. Misnensis; Gerhard Schaffran, ep. tit. Semneaensis; Ioseph Gargitter, ep. Bauzanensis-Brixiensis; Helmut Hermann Wittler, ep. Osnabrugensis; Ioseph Ferche, aux. Coloniensis; Ioseph Stangl, ep. Herbopolitanus (Würzburg); Eduardus Schick, ep. tit. Araditanus, aux. Fuldensis; Alfons Kempf, ep. tit. Limirensis, aux. Würzburg; Hugo Aufderbeck, ep. tit. Arcadiensis, aux. Fuldensis; Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis; Henricus Tenhumberg, aux. Monasteriensis; Iulius Angerhausen, aux. Essendiensis; Jean Zoa, arch. Yaundé; Baud, év. Berberati; Dalmais, arch. Fort Lamy; Albert Ndongmo, év. Nkongsamba; Raymond de Lamoureyre, év. Mouila; Thomas Mongo, év. Douala; François Cléret de Langavant, ep. tit. Mactaritanus; Paul Etoga, év. Mbalmayo; L. van Heijgen, év. Doumé; Henri Veniat, év. Port Archambault; Victor Sartre, arch. tit. Beroe; Samuel Gaumain, év. Moundou; Amand Hubert, vic. ap. Heliopolis; Paul Nousseir, arch. Hermopolis; Youhanna Kabès, év. tit. Cleopatris; Jean Wolff, arch. Diego Suarez; Theophilus Mbemba, arch. Brazzaville; Alb. Tsiahoana,

ep. tit. Abtugni, aux. Diego Suarez; Alfred Pichler, ep. Banjaluka; Pierre Célestin Nkou, ep. Sangmelima; Pierre Boillon, év. Verdun; Claude Flusin, év. St. Claude; Paul Ioseph Schmitt, év. Metz; Leo Arthur Elchinger, coad. Strasbourg; Paulus Schulte, Indianapolitanus; Thomas Drury, ep. Angelianus; Marion Francis Forst, ep. Dodgopolitanus; William O'Connor, ep. Campifontis in Illinois; Laurence Gleen, Crookstonensis; Ernest Primeau, Manchester; Jaroslav Gabro, St. Nicholas; J. Bernard, arch. tit. Are; E. Verhille, év. Port-Rousset; J. Fauret, év. Pointe Noire; G. Cucherousset, arch. Bangui; J. Vincent, Bayonne; Jean Julien Weber, arch. ep. Strasbourg; S. Desmazières, aux. Bordeaux; Georges Béjot, aux. Reims; Em. Socquet, arch. tit. Selimbria; Pierre Leclerc, arch. ep. Ségou; Pierre Veuillot, arch. coad. Parisiensis; G. Jacquot, év. Gap; M. Vial, év. Nevers; André de la Brousse, év. Dijon; André Rousset, aux. Versailles; Alph. Fresnel, év. Fort Dauphin; C. Chilouet, év. Farafangana; Charles de Provenchères, arch. Aix; René Stourm, arch. Sens; G. Leuliet, év. Amiens; J. Guyot, év. Coutances; Maurice Rousseau, év. tit. Anoafa; Georges Louis, év. Périgueux; René Kérautret, coad. Angoulême; François Poirier, arch. Port-au-Prince; P. Tobar Gonzales; Léonard Fey; Maurice Rigaud, év. Pamiers; G. de Milleville, arch. tit. Gabala; Alfred Marie, év. Cayenne; J. Ménager, év. Meaux.

3

EXC.MUS P. D. LAUREANUS CASTÀN

Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

Em.mi ac exc.mi Patres,

Nomine proprio et aliorum plusquam 80 Patrum qui huic voto subscripsere, vehementer doleo quod de postrema hac redactione cap. VIII const. *de Ecclesia* ablatus omnino sit titulus ille quo B. Virgo in praecedenti decorabatur, nempe « Mater Ecclesiae ». Quamobrem instanter, instantius, instantissime peto ut hic titulus restituatur.

Hanc nacti occasionem sensum huius tituli determinare et theologicam rationem nondum ab aliis propositam exponere opportunum duco.

In n. 6 cap. I huius const. *de Ecclesia,* pag. 11, inter imagines quibus Ecclesia in Scriptura significatur, adest illa vi cuius vocatur « domus Dei in qua nempe habitat eius familia ».

Iam vero, si Ecclesia Dei familia est, valde convenit ut sit familia matre non orbata, sed a Deo, provido amore, matre optima ditata. Haec autem mater est Maria Virgo, quae est velut mater familias Ecclesiae. Hic est ergo sensus huius tituli quem pro B.ma Virgine vindicamus: quod mater familias est in domo hominum, hoc S. Maria est in domo Dei quae est Ecclesia, nec magis nec minus.

Ad munus autem matris familias tria haec pertinent: 1. quod sit Sponsa Sponsi; 2. quod sit mater filiorum familias; 3. quod sit sedula

curatrix eorum qui etsi non filii aliquo tamen modo ad familiam pertinent.

Nunc igitur tres hae conditiones perfecte in Maria adimplentur relate ad Ecclesiam, quod ex ipso textu schematis probare intendo.

1. Mariam esse sponsam Spiritus Sancti, qui est velut anima Ecclesiae, ab omnibus catholicis admittitur et in eodem hoc capite innuitur cum dicitur eam esse « sacrarium Spiritus Sancti » (pag. 197). Etenim sicut Evangelista Lucas ait, castissima metaphora, « Spiritus Sanctus supervenit in Mariam et virtus Altissimi obumbravit eam », ut intemerata Virgo simul conciperet Filium Caput et filios membra. Adimpletur ergo prima conditio.

2. Altera conditio pariter adimpletur in Maria, cum sit mater omnium filiorum in Ecclesia. Ipsa est enim:

a) Mater Christi qui est caput conditorque Ecclesiae, et est eius mater sensu omnino proprio, etiam physiologico.

b) Est pariter mater supernaturalis omnium christianorum, quia mater fuit Christi capitis, qui a membris suis separari omnino nequit. Secus dicendum esset Mariam fuisse matrem monstri, scil. capitis sine membris. Et est eorum mater praecise quatenus Capiti adhaerent unum corpus Ecclesiam scil. efformando. Aliunde, praesens redactio huius capituli hanc ipsam doctrinam admittit, quando in n. 53, pag. 200, per textum S. Epiphanii, comparatione instituta cum Heva, Mariam « matrem omnium viventium » appellat. Etiam in n. 54, pag. 202, dicitur « Mater hominum praedestinata ». Similiter in n. 54, pag. 203, christianos dicit Christi fratres « ad quos gignendos et educandos materno amore cooperatur » Maria. Adimpletur ergo etiam secunda conditio.

3. Ultima etiam conditio adimpletur in Maria, cum sit sedula curatrix eorum qui aliquo modo ad familiam pertinent, nempe illorum hominum qui fide adhuc non sunt illuminati. Hoc asseritur etiam praesenti redactione cap. huius VIII, nam in n. 56, pag. 206, affirmatur Mariam « quae primitiis Ecclesiae precibus suis adstitit, nunc quoque in omnium Sanctorum Communione apud Filium suum intercedere, donec cunctae familiae populorum, sive christiano nomine decorentur, sive Salvatorem adhuc ignorent, cum pace et concordia in unum populum... congregentur ».

Si ergo tres hae conditiones adamussim implentur in Maria, teste ipso textu huius capituli, cur ipsa Ecclesiae Mater non appellatur?

Exponi quidem possent rationes theologicae aliae profundiores, quae tamen forsan non tam evidentes essent et quibusdam difficultatibus ansam praeberent. E contra si titulo Matris Ecclesiae, quem pro Maria vindicamus, sensus nuper expositus datur, nempe Mater fami-

lias in domo Dei quae est Ecclesia, difficultates quae contra hunc titulum moventur, quas heri in hac aula conciliari magno cum cordis animaeque dolore audivimus, quae quidem indignae sunt viri qui theologus vocari velit, plane ruunt; nam non sunt verae difficultates sed potius scurrilitates quae ad rem non pertinent, ut verbis apostoli utar.

In hac notione, simul salvatur immanentia Mariae in Ecclesia, quia mater familias plenissime ad familiam pertinet, et simul eius transcendentia, quia mater familias ad familiam pertinet, sed non ut filii, sed modo omnino altiori.

Similiter, hac supposita notione, dici nequit Mariam esse matrem sui ipsius, quia ad notionem matris familias pertinet non esse matrem sui ipsius sed aliorum, nempe in casu nostro, filiorum Ecclesiae.

Simili modo evanescit, ut fumus, ridicula illa difficultas iuxta quam Maria si Ecclesiae Mater dicatur: « avia esset christianorum ». Mater familias non est avia filiorum quamvis hi etiam dicantur filii familias: sunt filii matris simul et filii matris familiae. Si adversariorum argumentum valeret, etiam nos episcopi non Patres sed avi paroecianorum nostrorum essemus; etenim in capite III nostri schematis, iubemur episcopi ut sacerdotes ut filios nostros consideremus (pag. 73) et paulo infra presbyteri iubentur ut tamquam patres curam agant eorum quos spiritualiter baptismo et doctrina genuerunt. Ergo presbyteri sunt patres, nos vero avi paroecianorum! Hic arguendi modus nihil aliud probat quam levitatem arguentis.

Ex hoc conceptu pariter evanescunt difficultates quae proponi possent ex eo quod Mariae tribueretur aliqua potestas supra hierarchiam. Mater familias etenim non habet, dum vivit caput familiae, iurisdictionem supra illud. Munus matris familias in hac re est temperare et mollire sua lenitate auctoritatem capitis. Hoc est munus Mariae in Ecclesia. Non habet auctoritatem iuridicam in Ecclesia, quae auctoritas est penes caput invisibile, Christum, aut penes caput visibile, Papam et hierarchiam. Ad eam pertinet, Filii Iudicis iram iustam mitigare, et hierarchiam visibilem protegere ac defendere, ac, ut schema nostrum in n. 54 ait, « materna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus et contra peccatum luctantibus curare ».

Denique quod Maria sit Mater Ecclesiae, non secumfert ut sit mater omnium rerum quae in Ecclesia sunt, sicut mater familias non est mater omnium qui in domo sunt. Ideo sacra hierarchia non est directe orta a Maria, sed a Iesu. Erga hanc, igitur, quatenus est differens a personis quae hanc sacram hierarchiam constituunt, Maria non est stricte genetrix, sed utique sedula ac benefica curatrix.

His dictis, audite me, Patres conciliares! Si omnes christifideles sunt filii supernaturales Mariae, sine dubio, multo magis hoc titulo decoramur episcopi, qui non sine Mariae intercessione, ad hanc sacram dignitatem sumus evecti. De nobis ergo episcopis, Maria verba illa Isaiae dicere potest: « Filios enutrivi et exaltavi ». Utinam, propter reiectum titulum a nobis episcopis in Concilio hoc, Maria Mater nostra nunquam dicere valeat verba quae in textu supracitato sequuntur: « ... Ipsi vero spreverunt me »!

Haec postrema verba, nullo modo poterunt applicari Pontifici Nostro Paulo, qui in hac amplissima Basilica Mariam hoc titulo appellavit. Faxit Deus nos omnes sequi exemplum Beatissimi Patris Pauli in laudem et gloriam B.mae Matris Mariae! Dixi.

Textus scripto traditus:

Patres conciliares infrascripti, vehementer dolemus quod de postrema hac redactione cap. VIII const. *de Ecclesia* ablatus omnino sit titulus ille quo Maria in praecedenti decorabatur, nempe: « Mater Ecclesiae ».

Ideo enixe petimus ut hic titulus restituatur. Hanc nacti occasionem sensum minimum huius tituli iudicare et simul rationem aliquam theologicam pro praefato titulo ex ipso capite exponere opportunum ducimus.

In n. 6 capitis primi, inter imagines quibus Ecclesia in Scriptura significatur, adest imago illa « domus Dei in qua nempe habitet eius *familia* ».

Iam vero, si Ecclesia Dei familia est, valde convenit ut sit familia matre non orbata, sed a Deo, provido amore, matre optima ditata. Haec autem mater est Maria Virgo, quae est velut mater familias Ecclesiae.

Ad munus autem matris familias haec pertinent: *a*) quod sit sponsa sponsi; *b*) quod sit mater filiorum familias; *c*) quod sit sedula curatrix eorum qui etsi non filii aliquo modo ad familiam pertinent.

Iam vero, *a*) Mariam esse sponsam Spiritus Sancti, qui est velut anima Ecclesiae, ab omnibus admittitur et in eodem hoc capite innuitur, cum dicitur eam esse « sacrarium Spiritus Sancti ». Etenim sicut Evangelium ait castissima metaphora, « Spiritus Sanctus supervenit in Maria et virtus Altissimi obumbravit eam » (*Lc.* 1, 35) ut Maria simul conciperet et Filium Caput, et filios membra.

b) Mariam esse Matrem filiorum in Ecclesia nemo est qui ignoret. Ipsa est enim:

1. Imprimis Mater Christi, qui est caput et fundator Ecclesiae, et est eius mater sensu omnino proprio, et physiologico, et hoc est de fide divina et catholica.

2. Est etiam mater supernaturalis omnium christianorum, quia mater fuit Christi capitis, qui a membris separari omnino nequit. Secus dicendum esset Mariam fuisse matrem monstri, scilicet, capitis sine membris. Aliunde, caput nostrum hoc ipsum admittit quando in n. 53, pag. 200, per textum Sancti Epiphanii, « comparatione cum Heva instituta », Mariam « matrem omnium viventium » appellat. Etiam in n. 54, pag. 202, dicitur « Mater hominum praedestinata ». Tan-

dem in n. 54, pag. 202, christianos dicit fratres minores Christi « ad quos gignendos et educandos materno amore cooperatur » Maria.

c) Est etiam, tertio loco, sedula curatrix eorum qui aliquo modo ad familiam pertinent, nempe illorum hominum qui fide adhuc non sunt illuminati. Hoc asseritur etiam capite nostro, in n. 56, pag. 206, nam in eo affirmatur Mariam « quae primitiis Ecclesiae precibus suis adstitit, nunc quoque in omnium sanctorum communione, apud filium suum intercedere, donec cunctae familiae populorum, sive christiano nomine decorentur sive Salvatorem adhuc ignorent, cum pace et concordia in unum populum Dei congregentur ».

Hae sunt rationes quae requiruntur et sufficiunt ut Maria Ecclesiae Mater dici possit.

Exponi quidem possent rationes theologicae et sensus profundiores, quae tamen forsan non tam evidentes essent, nec ab omnibus admitterentur et aliis difficultatibus non carerent.

Etenim, hoc sensu concesso, difficultates quae ab aliquibus contra hunc titulum moventur, quas heri in aula conciliari magno cum cordis animaeque dolore audivimus, quae quidem indignae sunt viri qui vere theologus vocari velit, plane ruunt.

Cum hac notione, simul salvantur et immanentia Mariae in Ecclesia, quia mater familias ad familiam sine dubio pertinet, et simul eius transcendentia, quia mater familias ad familiam pertinet, sed non ut filia, sed modo altiori.

Similiter, in hac notione, dici nequit Mariam esse sui ipsius Matrem, quia ad notionem matris familias pertinet praecise non esse matrem sui ipsius, sed aliorum, nempe filiorum Ecclesiae.

Inde evanescit illa alia difficultas, quod Maria esset « avia christianorum »: mater familias, etenim, non tantum hoc secumfert, sed omnino excludit.

Mater familias, pariter, non habet, dum vivit familiae caput, iurisdictionem seu auctoritatem in familia quae est penes eum qui caput est familiae: attamen maxime sua lenitate mollit et temperat auctoritatem capitis. Hoc idem dicendum de Maria: non habet auctoritatem in Ecclesia quae est penes caput invisibile, Christum, aut penes caput visibile, Papam et Hierarchiam: nihilominus, ipsa, utpote mater, Filii Iudicis iram iustam mitigat, et Hierarchiam visibilem protegit et defendit et « materna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus et contra peccatum luctantibus curat » (n. 54, pag. 202-203).

Quod autem Maria sit Mater Ecclesiae, non secumfert ut sit mater omnium rerum quae in Ecclesia sunt: sicut mater familias non esse mater omnium quae in domo sunt. Sic, sacra hierarchia, non est orta directe a Maria, sed a Iesu. Erga hanc, igitur, quatenus est differens a personis qui hanc sacram constituunt hierarchiam, Maria non est directe mater seu genitrix, sed tantum sedula et benefica curatrix.

Inde patet, doctrinam hanc de maternitate Mariae erga Ecclesiam, revera in constitutione *de Ecclesia* iam contineri. Si ergo doctrina haec adest, cur titulus hic negatur?

Si omnes christifideles sunt filii supernaturales Mariae, sine dubio, multo magis hoc titulo decoramur episcopi, qui non sine Mariae intercessione, ad hanc sacram dignitatem sumus evecti. De nobis episcopis, proinde, Maria dicere potest: « Filios enutrivi et exaltavi ». Utinam, propter reiectum hunc titulum a nobis

episcopis in Concilio hoc Vaticano II, Mater nostra Maria numquam dicere valeat, quod in textu supracitato sequitur... « Ipsi vero spreverunt me ».

[*Subscripserunt etiam*] Gregorius Modrego, arch. Barcinonensis; Secundus Garcia de Sierra y Mendez, arch. Burgensis; Ludovicus Alonso Muñoyerro, arch. tit. Sionensis; Casimirus Morcillo González, arch. Matritensis-Complutensis; Ioseph Garcia y Goldaraz, arch. Vallisoletanus; Angelus Temiño Saiz, ep. Auriensis; Ioseph Lecuona, ep. tit. Vagadensis; Felix Romero Menjibar, ep. Giennensis; Anastasius Granados Garcia, aux. Toletanus; Innocentius Rodriguez Diez, ep. Conchensis; Ioannes Petrus Zarranz y Pueyo, ep. Placentinus in Hispania; Eduardus Martinez Gonzáles, ep. Zamorensis; Antonius Pildáin y Zapiáin, ep. Canariensis; Santes Moro Briz, ep. Abulensis; Daniel Llorente y Federico, ep. Segobiensis; Aurelius del Pino Gómez, ep. Illerdensis; Ioseph Souto Vizoso, ep. Palentinus; Emmanuel Moll y Salord, ep. Dertosensis; Raymundus Iglesias Navarri, ep. Urgellensis; Saturninus Rubio y Montièl, ep. Oxomensis-Sorianus; Maximinus Romero Lema, ep. tit. Hortensis; Demetrius Mansilla Reoyo, ep. Civitatensis; Alfonsus Ródenas Garcia, ep. Almeriensis; Raphael Alvarez Lara, ep. Guadicensis; Hyacinthus Argaya Goicoechea, ep. Mindonensis; Iacobus Flores; Vincentius Enrique y Tarancón, arch. Ovetensis; Raimundus Masnou Boixeda, ep. Vicensis; Antonius Añoveros Ataún, ep. Gadicensis et Septensis; Arturus Tabero Araoz, ep. Albasitensis; Ioseph Bascuñana Llopez, ep. Celsonensis; Franciscus Peralta y Ballabriga, ep. Victoriensis; Narcissus Jubany, ep. Gerundensis; Emmanuel Fernandez-Conde, ep. Cordubensis; Abilius del Campo y de la Bárcena, ep. Calaguritanus et Calceatensis; Marcellus Gonzalez Martin, ep. Asturicensis; Antonius Ona de Echave, ep. Lucensis in Hispania; Franciscus ep.; Angelus Hidalgo Ibañez, ep. Jacensis; Paulus Barrachina Estevan, ep. Oriolensis-Lucentinus; Ioseph Paulus Gúrpide Beope, ep. Flaviobrigensis; Laurentius Bereciartua Balerdi, ep. S. Sebastiani; Symphorianus Lucas, vic. ap. Pilcomayo; Leonello Berti, vic. ap. Luang Prabang; Maturinus Blanchet, ep. Aosta; Ioannes L. Coudert, vic. ap. Whitehorse; Gerardus Mongeau, prael. n. Cotabato; Paulus Dumouchel, vic. ap. Keewatin; Lionel Scheffer, vic. ap. Labrador; Ignatius Phakoe, ep. Leribensis; Emmanuel Mabathoana, arch. Maseruensis; Thomas Cooray, arch. Colombensis; Albert Sanschagrin, adm. ap. Amosensis; Leo Deschâtelets, sup. gen. OMI; Ioseph Bonhomme, ep. tit. Tulane; Ivo Plumey, ep. Garuensis; Armandus Clabaut, ep. tit. Troadensis; J. D. Des Rosiers, ep. Qachasnekensis; Felix Erviti, praef. ap. de Sahara Hispanico et Ifni; E. Loosdregt, vic. ap. Vientiane; Eugenius Beitia Aldazábal, ep. Santanderiensis; Matthias Solá, ep. tit. Colophonensis; Petrus Cantero Cuadrado, arch. Zaragoza; Juan B. Velasco, ep. Amoy; Dorotheus Fernández y Fernández, coad. Pacensis; Peregrinus de la Fuente, prael. n. Batanes; Ianuarius Artazcor Lizarraga, adm. ap. El Petèn; Gregorius Espiga e Infante, vic. ap. Palawan; F. X. Ochoa, ep. tit. Remesianensis; Luis Yañes Ruiz Tagle, ep. S. Mariae Angelorum; Eloy Tato, ep. tit. Cardicio; Ioannes Hervás, prael. Ciudad Real; Emmanuel Llopis Ivorra, ep. Cauriensis-Castrorum Caeciliorum; Aemilius Benavent Escuin, ep. tit. Cercinitanus, aux. Malacitanus.

Animadversiones additae:

Novimus plane, Patres rev.mi, operosum vestrum laborem magnamque sollicitudinem in tot capitibus adparandis. Ne igitur vestrum pondus aggravemus sine necessitate, unum a vobis petimus, non magnum, non difficile, sed facile ac votis multorum Patrum conciliarium consentaneum.

Loquimur, Patres clarissimi, de titulo quo B. Maria Virgo in praecedenti schemate decorabatur, scil. Ecclesiae Matre.

Pro nobis, quidem, melius esset ut in ipsa cap. VIII schematis *de Ecclesia* inscriptione, titulus ille directe adscriberetur, ut antea erat. Attamen, si dissensus inde oriri timeatur, pro bono pacis, satis nobis fiet si in aliquo loco, v. g. in fine paragraphi cui titulus « De Maria ut ancilla Domini Redemptoris », affirmetur factum quod nemo negare valet, nempe, Mariam a multis sanctis, theologis ac Summis Pontificibus Ecclesiae Matrem appellatam fuisse.

Hoc fieri posset addendo sequentia vel similia verba post lin. 13, pag. 203: « Qua de causa non modo multi sancti ac theologi, verum etiam plures Romani Pontifices eam Ecclesiae Matrem appellare non dubitarunt ».

In solutione proposita Concilium praefatam doctrinam ut propriam non docet, sed dumtaxat factum nudum agnoscit quod quidem negari nequit, uti constat ex documentis quae in fasciculo adnexo, pagg. 5-12 allegantur. Aliunde in tuto ponitur auctoritas Summi Pontificis qui publice et sollemniter hac de re in aula conciliari loquutus est.

Si schematis textus de praedicto B. M. Virginis titulo omnino silet, maiores difficultates in approbando capitulo praevideri possunt, et quod magis dolendum est, forsan inter fideles scandalum aut devotionis diminutio oriri possunt, dum videant a suis pastoribus pro seipsis titulus « Patris » vindicari (cf. schema *de Ecclesia,* pag. 73, lin. 35, et schema *de pastorali episcoporum munere,* pag. 17, lin. 12) ac titulus Matris erga Ecclesiam Deiparae Virgini negari.

Moderator: Fiet nunc votatio de cap. II schematis *de Ecclesia* in universo. Loquetur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Suffragationi Patrum subicitur integrum cap. II schematis *de Ecclesia,* quod inscribitur « de populo Dei », pag. 29. Ita incipit: « In omni quidem tempore et in ogni gente Deo acceptus est quicumque timet eum et operatur iustitiam. Placuit tamen Deo homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in populum constituere, qui in veritate Ipsum agnosceret Ipsique sancte serviret... », et reliqua, usque ad pag. 39, his verbis: « ... Ita autem simul orat et laborat Ecclesia, ut in Populum Dei, Corpus Domini et Templum Spiritus Sancti totius mundi transeat plenitudo, et in Christo, omnium Capite, reddatur universorum Creatori ac Patri omnis honor et gloria ».

Respondeatis igitur tribus formulis: *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Qui autem suffragatus est cum *placet iuxta modum,* tenetur modos praebere, iuxta iam dicta praecedentibus in congregationibus. Gratias.

Moderator: Transeamus nunc ad disceptationem de schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Introductionem dabit nunc em.mus D. Paulus Marella, praeses competentis commissionis, et ad microphonium accedat exc.mus D. Veuillot, prout relator.

DISCEPTATIO

1. – SCHEMA DECRETI

DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA *

[5] 1.[a] [*Prooemium*]. Christus Dominus, Filius Dei vivi, qui venit ut salvum faceret populum suum a peccatis [1] utque omnes homines sanctificarentur, sicut Ipse missus est a Patre, ita et misit Apostolos suos,[2] quos ideo sanctificavit, tradens eis Spiritum Sanctum, ut et ipsi glorificarent Patrem super terram et animas salvas facerent, « in aedificationem Corporis Christi » [3] quod est Ecclesia.

2. In hac Christi Ecclesia, Romanus Pontifex, successor Petri, cui oves et agnos suos pascendos Christus concredidit, suprema, plena et universali in curam animarum, ex divina institutione, gaudet potestate. Qui ideo, cum ad bonum commune Ecclesiae universae et ad bonum singularum Ecclesiarum procurandum missus sit, super omnes Ecclesias ordinariae potestatis obtinet principatum.

Episcopi autem et ipsi, positi a Spiritu Sancto, in Apostolorum locum succedunt ut animarum pastores,[4] atque, una cum Summo Pontifice

---

* In fasciculi initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Aprilis, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis »

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

[a] Ita indicantur loci schematum « De cura animarum » et « De Episcopis ac de dioecesium regimine » eorumque Appendicum, quae Patribus tradita sunt ante secundam Sessionem Concilii, in quibus quaestiones in schemate propositae fusius et plenius pertractantur.

Cf. schema « De cura animarum », nn. 1-6, p. 5.

et sub Eiusdem auctoritate, ad Christi opus perenne reddendum missi [5]
sunt.[5] Christus enim Apostolis eorumque successoribus dedit mandatum atque potestatem ut docerent omnes gentes, hominesque sanctificarent in veritate atque pascerent. Episcopi itaque, per Spiritum Sanctum qui datus est eis, veri et authentici effecti sunt fidei Magistri, Pontifices ac Pastores.

3. Hoc suum episcopale munus, quod per consecrationem episcopalem susceperunt, Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis exercent omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Dei Ecclesiam.

Illud quoque exercent singuli quoad assignatas sibi dominici gregis
partes, unusquisque Ecclesiae peculiaris sibi commissae curam gerens [6]
aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes.

Quare Sacrosancta Synodus, attentis condicionibus hominum consociationis, quae, nostra hac aetate, ad novum fertur rerum ordinem, pressius determinare intendens pastorale Episcoporum munus, haec quae sequuntur statuit.

Caput I

DE EPISCOPIS QUOAD UNIVERSAM ECCLESIAM [7]

I – Partes quas habent Episcopi quoad universam Ecclesiam

4. [*Potestatis Collegii Episcoporum exercitium*]. Supremam ac plenam potestatem, qua Episcopi coniuncti, corpus seu Collegium episcopale constituentes una cum Capite suo Romano Pontifice, in Ecclesiam pollent, collegialiter exercent in Concilio Oecumenico, in quo convocante aut saltem confirmante Summo Pontifice congregantur. Quare Episcopi, vi consecrationis et si in communione sunt cum Collegii Capite et Membris, partem habent in ipso Concilio.

Eandem potestatem collegialem exercent Episcopi etiam per orbem dispersi, quotiescumque Summus Pontifex, causas magni momenti tractaturus, eorum iudicium vel suffragium exquirat, aut saltem eorumdem unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur.

5. [*Coetus seu Consilium Centrale*]. Cum universale Summi Pontificis munus maiores in dies auxilii et praesidii vires exposcat, Sacrosancti

[7] Concilii Patres magnopere exoptant ut aliqui Episcopi diversarum orbis regionum, Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestent adiutricem operam, modis tamen et rationibus opportune statuendis, etiam, si eidem Summo Pontifici placuerit, in Coetum seu Consilium quoddam convenientes, quo simul significari possit omnium Episcoporum universae Ecclesiae sollicitudini participatio.[6]

6.[a] [*Episcopi sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes*]. Episcopi, qua legitimi Apostolorum successores et Collegii Episcopalis Membra, cum aliis Episcopis coniunctos semper se sciant atque omnium Ecclesiarum sollicitos sese exhibeant, cum ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsores sint.[7] Praesertim solliciti sint de illis orbis terrarum regionibus in
[8] quibus verbum Dei nuntiatum nondum est aut in quibus, praecipue ob parvum sacerdotum numerum, christifideles in periculo versantur a vitae christianae mandatis discedendi, immo et ipsam fidem amittendi.

Quare omnibus viribus satagant ut opus propagationis fidei atque cetera apostolatus opera a fidelibus alacriter sustineantur et promoveantur. Insuper curare studeant ut apti praeparentur sacrorum ministri necnon auxiliares tum religiosi tum laici pro missionibus atque regionibus cleri penuria laborantibus. Curent etiam ut, quantum possibile sit, aliqui ex suis sacerdotibus praedictas missiones vel dioeceses adeant, ibidem sacrum ministerium in perpetuum aut saltem ad praefinitum tempus peracturi.

Prae oculis habeant praeterea Episcopi in usu bonorum ecclesiasticorum rationem quoque esse habendam necessitatum non tantum suae dioecesis sed et aliarum peculiarium Ecclesiarum, quippe quae unius Ecclesiae Christi sint partes. Attendant denique ad calamitates pro viribus sublevandas quibus aliae dioeceses vel regiones laborant.

7.[b] [*Operosa caritas erga Episcopos vexatos*]. Maxime illos Sacrorum Antistites, qui propter nomen Christi calumniis et angustiis vexantur, in carceribus detinentur, vel suo ministerio prohibentur, fraterno amplectantur animo eosque germana actuosa cura prosequantur, ut eorum dolores precatione et opera Confratrum leniantur et mulceantur.

---

[a] Cf. schema « De cura animarum », n. 11, p. 10; Appendix prima, n. 6, pp. 40-41 et Appendix secunda, nn. 42-48, pp. 58-60.

[b] Cf. schema « De cura animarum », n. 11, p. 10.

II – Episcopi et Apostolica Sedes [8]

8.[c] [*Episcoporum in propria dioecesi potestas*]. Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quam exercitium eorum muneris pastoralis expostulat, firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi.

Insuper singulis Episcopis facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi, quoties id ad bonum spirituale fidelium conferre iudicent, dummodo agatur de re in qua Sedes Apostolica dispensare solet, nec specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel alii Auctoritati facta fuerit.

9.[d] [*Romanae Curiae Dicasteria*]. In exercenda sua in universam Ecclesiam suprema, plena et immediata potestate, Romanus Pontifex utitur Romanae Curiae Dicasteriis, quae proinde nomine et auctoritate illius munus suum explent in bonum Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum. [9]

Exoptant autem Sacrosancti Concilii Patres ut haec Dicasteria, quae Romano Pontifici atque Ecclesiae Pastoribus eximio semper fuerunt auxilio, novae ordinationi, necessitatibus temporum magis aptatae, subiiciantur, praesertim quod spectat eorundem numerum, nomen, competentiam propriamque procedendi rationem, atque inter se laborum coordinationem.

10.[e] [*Membra et Officiales Dicasteriorum*]. Praeterea cum eadem Dicasteria ad universalis Ecclesiae bonum sint constituta, optatur ut eorum Membra, Officiales et Consultores, quantum fieri potest, ex diversis Ecclesiae regionibus assumantur ita ut catholicae Ecclesiae officia seu organa centralia indolem vere universalem prae se ferant.

In votis quoque est ut inter Dicasteriorum Membra cooptentur etiam aliqui Episcopi praesertim dioecesani, qui mentem, optata ac necessitates omnium Ecclesiarum Summo Pontifici plenius referre valeant.

---

[c] Cf. schema « De Episcopis », n. 3, p. 6.

[d] Cf. schema « De Episcopis », nn. 4-5, p. 7; Appendix altera, nn. 1-5, pp. 37-38.

[e] Cf. schema « De Episcopis », nn. 4-5, p. 7; Appendix altera, nn. 1-5, pp. 37-38.

[9] Denique perutile esse censent Concilii Patres si eadem Dicasteria laicos, virtute et experientia praestantes, magis audiant, ita ut et ipsi in rebus Ecclesiae partes sibi congruentes habeant.

Caput II

[10] DE EPISCOPIS QUOAD ECCLESIAS PECULIARES SEU DIOECESES

I – Episcopi Dioecesani

11.[a] [*Dioecesis notio et Episcoporum munus in dioecesi*]. Dioecesis est pars quaedam dominici gregis quae Episcopo concreditur, cum adiutorio sui presbyterii pascenda eum in finem ut supernaturaliter ipsa vivat, crescat atque fructificet, imaginem referens Unius Sanctae Catholicae et Apostolicae Christi Ecclesiae.

Singuli Episcopi, quibus dioecesis in curam peculiarem commissa est, sub auctoritate Summi Pontificis, tamquam proprii, ordinarii et immediati earum pastores, oves suas in nomine Domini pascunt, munus docendi, sanctificandi et regendi in eas exercentes.

In hoc autem apostolicum munus ita intendant ut non solum ovibus quae iam Principem Pastorum sequuntur provideant, sed etiam eas Christo lucrifacere satagant quae aut non sunt ex ovili Christi aut a via Illius aberraverunt. Quibus enim omnibus succurrere debent, vi sui muneris, nullis parcentes laboribus donec « in omni bonitate et iustitia et veritate » tandem omnes ambulent.[8]

12.[b] [*Episcoporum munus docendi*]. In exercendo suo munere docendi Christi Evangelium, quod praecipuum est eorum officium,[9] hominibus proponant imprimis finem supernaturalem quem, in universa vitae ratione, persequi debent, nempe glorificationem Dei atque eo ipso salutem suam aeternam; instrumenta item quae divinitus data sunt ad felicitatem aeternam consequendam.

Ostendant insuper res ipsas terrestres et humanas institutiones, secundum Dei Creatoris consilium, ad hominum profectum plurimum conferre.

Indigitent ideo quanti, iuxta doctrinam Ecclesiae socialem, aesti-

[a] Cf. schema « De cura animarum », nn. 7-10, p. 7 sq.

[b] Cf. schema « De cura animarum », n. 8, p. 7; Appendix prima nn. 1-3, pp. 37-38; Appendix secunda, nn. 5-15, pp. 46-48.

manda sit persona humana, cum sua libertate et ipsa corporis vita; fa- [10]
milia prolisque procreatio et educatio; civile consortium cum suis le- [11]
gibus et professionibus; labor et otia, artes et technica inventa; paupertas et opum affluentia; rationes denique exponant quibus solvendae sunt de bonorum materialium possessione, incremento ac recta distributione, de pace et bello, de fraterna omnium populorum conversatione gravissimae quaestiones.[10]

13.[c] [*Doctrinae christianae proponendae rationes*]. Doctrinam christianam proponere advigilent ratione temporum necessitatibus aptata, quae scilicet respondeat difficultatibus et quaestionibus quibus maxime homines premuntur et anguntur. In eadem tradenda, maternam Ecclesiae sollicitudinem comprobent erga omnes homines, sive fideles sive non fideles, et peculiari cura prosequantur pauperes et tenuiores, quos evangelizare misit eos Dominus.

Varia media ad doctrinam christianam annuntiandam adhibere satagant in hodierno tempore quae praesto sunt, videlicet imprimis praedicationem atque catecheticam institutionem, quae quidem semper principem tenent locum, sed et propositionem doctrinae in scholis, in academiis, conferentiis et coadunationibus omnis generis, necnon eiusdem diffusionem prelo variisque instrumentis communicationis socialis, quibus ad Christi Evangelium nuntiandum uti omnino oportet.[11]

14.[d] [*Catechetica Institutio*]. Advigilent ut catechetica institutio, quae eo tendit ut in hominibus fides, per doctrinam illustrata, viva fiat atque explicita et operosa, tum pueris et adolescentibus, tum iuvenibus, tum etiam adultis sedula cura tradatur, servatis apto ordine atque methodo convenienti materiae de qua agitur, sed et indoli, facultatibus et aetati auditorum; ut eadem institutio innitatur sacra Scriptura, Traditione, Liturgia vitaque Ecclesiae.

Curent praeterea ut catechetae ad munus suum rite praeparentur, ita ut Ecclesiae doctrinam plane cognoscant, necnon et leges psychologicas et disciplinas paedagogicas theoretice et practice addiscant.

15.[e] [*Episcoporum munus sanctificandi*]. In exercendo suo munere Pontificis meminerint Episcopi se plenitudinem perfectionemque

---

[c] Cf. ut supra n. 12 (Episcoporum munus docendi).

[d] Cf. schema « De cura animarum », nn. 53-59, pp. 34-36; Appendix septima, nn. 1-39, pp. 113-122.

[e] Cf. schema « De cura animarum », n. 9, pp. 8-9; Appendix secunda, nn. 16-23, pp. 49-51.

[12] sacerdotii possidere, quam presbyteri, tamquam veri sacerdotes Novi Testamenti, et diaconi ac ministri varia quidem ratione participant; se itaque praecipuos Sacramentorum esse dispensatores, sicuti et totius vitae liturgicae in dioecesi moderatores, promotores et custodes.

Iugiter adnitantur ut christifideles, paschale mysterium intimius cognoscendo ac vivendo per Eucharistiam, unum arctissimum efficiant Corpus, in unitate caritatis Christi.[12]

Qua perfectores, Episcopi clericorum suorum, religiosorum et laicorum sanctitatem, secundum suam cuiusque peculiarem vocationem, promovere studeant, memores quidem se teneri ad exemplum sanctitatis praebendum, in caritate, humilitate et vitae simplicitate. Ita Ecclesias sibi concreditas sanctificent ut in eisdem Ecclesiae universalis sensus plene effulgeat. Idcirco vocationes non tantum sacerdotales, sed et missionarias ac religiosas quam maxime foveant.

16.[f] [*Episcoporum munus regendi ac pascendi*]. In exercendo suo munere patris ac pastoris, sint Episcopi in medio suorum sicut qui ministrant,[13] boni pastores qui cognoscunt suas oves quosque et ipsae cognoscunt, veri patres qui spiritu dilectionis et sollicitudinis erga omnes praestant.

Fidelium necessitates cognoscere tenentur ut eorum bono pro sua cuiusque condicione apte consulere queant.

Praecipue sacerdotes suos paterna semper caritate amplectantur, solliciti eorum conditionum spiritualium, intellectualium et materialium, ut hi sancte pieque vivere atque ministerium suum fideliter ac fructuose adimplere valeant. Quare institutiones foveant et peculiares conventus instaurent, in quibus sacerdotes aliquoties congregentur tum ad longiora peragenda exercitia spiritualia in vitae suae renovationem tum ad altiorem acquirendam cognitionem ecclesiasticarum disciplinarum, praesertim sacrae Scripturae et theologiae, socialium maioris momenti quaestionum, necnon novarum actionis pastoralis rationum.

Operosa misericordia prosequantur sacerdotes qui in periculo quoquo modo versantur aut in quibusdam defecerunt.

17.[g] [*Peculiares apostolatus formae*]. Sedulo urgeatur officium quo tenentur fideles ad varia opera laicorum apostolatus et actionis catho-
[13] licae participanda vel iuvanda. Associationes quoque promoveantur vel

---

[f] Cf. schema «De cura animarum», n. 10, pp. 9-10; Appendix prima, nn. 4-5-11, pp. 39, 41; Appendix secunda, nn. 24-41, pp. 51-58.

[g] Cf. schema « De cura animarum », nn. 47-52, pp. 30-33; Appendix sexta, nn. 1-46, pp. 99-110.

foveantur quae finem supernaturalem directe aut indirecte prosequuntur, ad perfectiorem scilicet vitam provehendam, aut ad doctrinam christianam vel incrementum cultus publici promovendum, aut ad fines sociales persequendos, aut ad pietatis vel caritatis opera exercenda. [13]

Variae apostolatus formae recte accommodentur necessitatibus fidelium, attentis condicionibus non solum spiritualibus et moralibus, sed etiam socialibus, demographicis et oeconomicis. Pariter in universa dioecesi vel in eiusdem peculiaribus regionibus habeatur omnium operum apostolatus coordinatio atque intima coniunctio, ita ut unitas dioecesis clarius eluceat.

18. * [*Quorumdam fidelium coetuum singularis sollicitudo*]. Peculiaris sollicitudo habeatur fidelium, qui ob vitae condicionem communi ordinaria parochorum cura pastorali non satis frui valent aut eadem penitus carent, uti sunt quamplurimi migrantes, maritimi sicut et aëronavigantes, nomades aliique id genus.[14]

Aptae methodi pastorales promoveantur ad vitam spiritualem fovendam eorum qui animi relaxationis causa ad tempus alias regiones petunt.[15]

19. [h] [*Episcoporum a munere renuntiatio*]. Cum igitur pastorale Episcoporum munus tanti sit momenti tantaeque gravitatis, Episcopi dioecesani aliique in iure ipsis aequiparati, si, ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, implendo suo officio minus apti evaserint, enixe rogantur ut, vel sua ipsi sponte vel a competenti Auctoritate invitati, renuntiationem ab officio exhibeant. Competens autem Auctoritas, si illam acceptaverit, et de congruenti renuntiantium sustentatione et de peculiaribus iuribus iisdem recognoscendis providebit.

II – Diocesium Circumscriptio

20. [i] [*Necessitas recognoscendi dioecesium circumscriptiones*]. Ad proprium dioecesis finem consequendum, oportet ut Ecclesiae natura in populo Dei ad ipsam dioecesim pertinente perspicue manifestetur; ut Episcopi munera sua pastoralia in iisdem efficaciter explere valeant; ut denique populi Dei saluti quam perfectissime fieri potest ministretur.

Id autem postulat sive congruentem finium territorialium dioecesium circumscriptionem, sive clericorum opumque distributionem ra-

---

* *Cf. pag. 63-64.*

[h] Cf. schema « De Episcopis », n. 16, p. 11.

[i] Cf. schema « De Episcopis », nn. 26-32, pp. 20-21.

[14] tioni consentaneam atque apostolatus exigentiis accommodatam. Quae omnia non solum clericorum et christifidelium, quorum directe interest, verum etiam et totius catholicae Ecclesiae in bonum cedunt.

Itaque, ad dioecesium circumscriptiones quod attinet, mandat Sacrosancta Synodus ut, quatenus animarum bonum id exigat, quamprimum ad congruam recognitionem prudenter deveniatur, eas dividendo vel dismembrando vel uniendo, aut ipsarum fines mutando vel episcopalium sedium aptiorem locum determinando, aut denique, praesertim si de dioecesibus agatur quae ex maioribus urbibus constant, eas nova interna ordinatione disponendo.

21.[j] [*Regulae servandae*]. Haec circumscriptionum recognitio fiat singulis in casibus, omnibus adiunctis accurate perpensis, iuxta generaliora criteria quae sequuntur.

1) In circumscriptione dioecesana definienda servetur, pro posse, varietas illa compositionis ipsius populi Dei quae, sive clerum sive diversos fidelium coetus quod spectat, multum iuvare potest ad pastoralem curam efficacius exercendam.

Ob idque, uniuscuiusque dioecesis territorium nonnisi continuum pateat, attentis, quantum fieri potest, peculiaribus personarum locorumve adiunctis, v. g. demographicis, socialibus, psychologicis, oeconomicis, geographicis, historicis. Quod autem maximum est, in tuto ponatur dioecesis unitas organica atque, ad personas officia institutiones quod attinet, structura et connexio, ad instar corporis apte viventis munereque suo rite fungentis.

2) Amplitudo territorii dioecesani eiusve incolarum numerus talis sit generatim ut ipse Episcopus, licet ab aliis adiutus, congrue possit visitationes pastorales peragere, omnia apostolatus opera in dioecesi rite moderari atque coordinare, sacerdotes suos necnon et laicos operam in dioecesanis inceptis impendentes bene cognoscere.

3) Quo denique aptius salutis ministerium in dioecesi exerceri possit, pro regula habeatur ut unicuique dioecesi clerici, numero et idoneitate saltem sufficientes, praesto sint pro rite pascendo populo Dei, atque iam adsint, aut saltem prudenter praevideantur aliunde non defuturae, opes ad personas et institutiones sustentandas, quae pro recto dioecesis regimine necessariae usu comprobantur.

Hunc quoque in finem, ubi sint fideles diversi ritus, eorum spiritualibus necessitatibus Episcopus dioecesanus provideat sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem ritus, sive per *Vicarium Episcopalem*[16] aptis fa-

---

[j] Cf. schema « De Episcopis », nn. 26-32, pp. 20-21, praesertim n. 31, p. 21.

cultatibus instructum et, si casus ferat, etiam charactere episcopali or- [15] natum, sive per seipsum diversorum rituum Ordinarii munere fungentem. Quod si haec omnia, ob rationes peculiares, iudicio Apostolicae Sedis, fieri non possint, Hierarchia propria pro diversitate rituum constituatur.

Item, in similibus circumstantiis, diversi sermonis fidelibus provideatur sive per sacerdotes aut paroecias eiusdem sermonis, sive per Vicarium Episcopalem sermonem bene callentem et etiam, si casus ferat, charactere episcopali ornatum, sive denique alia opportuniore ratione.

22.[k] [*Conferentiae Episcopalis votum exquirendum*]. Ad dioecesium immutationes aut innovationes ad normam n. 21 inducendas, salva disciplina Ecclesiarum Orientalium, competentes Conferentiae Episcopales his negotiis pro suo quaeque territorio — ope etiam adhibita peculiaris Commissionis Episcoporum, si id necessarium videatur — sedula cura studeant et, auditis Episcopis quorum interest, Apostolicae Sedi sua vota proponant.

III – Episcopi Dioecesani in munere pastorali Cooperatores

1) *Episcopi Coadiutores et Auxiliares.*

23.[l] [*Normae de constituendis Auxiliaribus et Coadiutoribus*]. In regendis dioecesibus, pastorali Episcoporum muneri ita provideatur, ut bonum dominici gregis semper sit suprema ratio. Quod bonum ut debite procuretur, haud raro Episcopi Auxiliares constituendi sunt, eo quod Episcopus dioecesanus, vel ob nimiam dioecesis amplitudinem aut nimium incolarum numerum, vel ob peculiaria apostolatus adiuncta aut alias diversae naturae causas, nequit per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum exigit bonum, adimplere. Imo et aliquando peculiaris necessitas postulat ut in personale Episcopi dioecesani adiutorium constituatur Episcopus Coadiutor. Qui Episcopi Coadiutores et Auxiliares ita congruentibus facultatibus instruendi sunt, ut, salva semper unitate dioecesani regiminis necnon Episcopi dioecesani auctoritate, eorum actio efficacior reddatur et dignitas, Episcoporum propria, magis in tuto ponatur.

Iamvero Episcopi Coadiutores et Auxiliares, eo quod in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sunt, ita munus suum exerceant, ut in omnibus negotiis unanima consensione cum ipso procedant. [16]

---

[k] Cf. schema « De Episcopis », nn. 26-32, pp. 20-21, praesertim n. 32, p. 21.
[l] Cf. schema « De Episcopis », nn. 6-15, pp. 9-11.

[16] Praeterea obsequium et reverentiam semper exhibeant Episcopo dioecesano, qui et ipse Episcopos Coadiutores vel Auxiliares fraterne diligat atque existimatione prosequatur.

24.[m] [*Episcoporum Auxiliarium et Coadiutorum facultates*]. Bono animarum id exigente, ne renuat Episcopus dioecesanus a competenti Auctoritate unum pluresve Auxiliares expostulare, qui nempe sine iure successionis pro dioecesi constituuntur.

Quodsi in Litteris nominationis provisum non fuerit, Episcopus dioecesanus Auxiliarem vel Auxiliares suos saltem constituat *Vicarios Episcopales,* ab ipso dumtaxat dependentes, quibus scilicet, vi officii, in determinata dioecesis parte vel in determinato negotiorum genere, illa competit potestas, quam ius commune Vicario Generali tribuit.

Nisi aliud a competenti Auctoritate statutum fuerit, cum Episcopi dioecesani munere non exspirant potestates et facultates quibus Episcopi Auxiliares a iure instructi sunt. Optandum quoque est ut, sede vacante, munus dioecesim regendi, nisi aliud graves rationes suadeant, committatur Episcopo Auxiliari vel, ubi plures sunt, uni ex Auxiliaribus.

Episcopus Coadiutor, qui nempe cum iure successionis nominatur, ab Episcopo dioecesano Vicarius Generalis semper constituatur. Eidem autem pleniores facultates in casibus particularibus a competenti Auctoritate concedi poterunt.

Ut quam maxime praesenti ac futuro dioecesis bono faveatur, Episcopus Coadiutus et Coadiutor in rebus maioris momenti mutuo se consulere ne omittant.

2) *Curia atque Consilia Dioecesana.*

25. [*Curiae Dioecesanae ordinatio et Consilii pastoralis institutio*]. Inter praecipuos Episcopi cooperatores in regimine dioecesis, illi presbyteri enumerantur qui eius senatum consiliumve constituunt, ut sunt capitulum cathedrale, consultorum coetus vel alia consilia, secundum diversorum locorum circumstantias vel indolem.[17]

Sacerdotes et laici, qui ad Curiam dioecesanam pertinent, sciant se pastorali Episcopi ministerio adiutricem operam praestare.

[n] Curia dioecesana ita ordinetur ut aptum instrumentum Episcopo
[17] fiat, non tantum ad dioecesim administrandam, sed etiam ad opera apostolatus exercenda.

---

[m] Cf. schema « De Episcopis », l. c., praesertim nn. 12, 15 et 8, pp. 10, 11, 9; « De cura animarum », Appendix prima, n. 5 § 2, p. 40.

[n] Cf. schema « De cura animarum », Appendix secunda, nn. 37 et 38, p. 57.

Valde optandum est ut in unaquaque dioecesi peculiare instituatur [17] *Consilium pastorale,* cui Episcopus dioecesanus ipse praesit et in quo clerici, religiosi et laici, specialiter delecti, partes habeant. Huius Consilii erit ea quae ad pastoralia opera spectant investigare, perpendere atque de eis practicas expromere conclusiones.

3) *Clerus dioecesanus.*

26. [*Sacerdotes dioecesani*]. In animarum cura procuranda primas partes habent sacerdotes dioecesani, qui, providi cooperatores ordinis episcopalis effecti et Ecclesiae peculiari incardinati vel addicti, eiusdem servitio plene sese devovent, unum constituunt presbyterium atque unam familiam, cuius pater est Episcopus.

Hinc sacerdotum dioecesanorum necessitudines cum Episcopo vinculis potissimum supernaturalis caritatis inniti debent, ita quidem ut eorum voluntatis consociatio cum Episcopi voluntate pastoralem eorumdem actionem reddat uberiorem.

Qua de causa omnes sacerdotes dioecesani uniti inter se sint ideoque boni spiritualis universae dioecesis sollicitos se praebeant; insuper, memores bona quae occasione officii sacri sibi comparant ad fines Ecclesiae destinari, attenti sint ad necessitates materiales quoque dioecesis, ad quas sublevandas, iuxta ordinationem Episcopi, pro posse opes conferant.

27. [*Sacerdotes operibus supraparoecialibus addicti*]. Inter proximiores Episcopi cooperatores habentur illi sacerdotes, quibus apostolatus opera indolis supraparoecialis ab ipso committuntur, sive quoad determinatum dioecesis territorium, sive quoad speciales fidelium coetus, sive quoad peculiare actionis genus.

28.[o] [*Parochorum munera*]. Praecipua autem ratione Episcopi cooperatores sunt parochi, quibus, tamquam pastoribus propriis, animarum cura committitur in determinata dioecesis parte sub illius auctoritate. In hac autem cura gerenda parochi, cum suis adiutoribus ita munus docendi, sanctificandi et regendi adimpleant, ut fideles atque communitates paroeciales, tum dioecesis tum totius Ecclesiae universalis membra revera se sentiant. Parochi praeterea meminerint omnes in territorio suae paroeciae degentes, sive christianos sive non, semper sibi commendatos [18] esse in Domino.

[p] In exsequendo munere magisterii, parochorum est: verbum Dei

[o] Cf. schema « De cura animarum », nn. 13-17, pp. 12-13; Appendix tertia, nn. 1-29, pp. 63-76.

[p] Cf. l. c., n. 15, p. 12; Appendix tertia, nn. 9-14, pp. 67-69, et Appendix quarta, nn. 13-18, pp. 80-82.

[18] praedicare omnibus christifidelibus, ut hi in fide, spe et caritate radicati, in Christo crescant et communitas christiana illud testimonium caritatis reddat, quod Dominus commendavit; [18] itemque catechetica instructione fideles ad plenam christianae doctrinae cognitionem ducere, unicuique aetati accommodatam.

[q] In perficiendo opere sanctificationis, curent parochi ut celebratio Eucharistici Sacrificii centrum sit et culmen totius vitae communitatis christianae; itemque adlaborent ut fideles spirituali pabulo pascantur per piam et devotam Sacramentorum receptionem atque per consciam et actuosam in Liturgia participationem.

[r] In officio pastoris adimplendo, parochi cum omnium ovium sint ministri, vitae christianae incrementum foveant tum in singulis fidelibus, tum in familiis, tum in associationibus praesertim apostolatui addictis, tum in universa communitate paroeciali. Domos igitur et scholas visitent; pauperes et infirmos speciali caritate prosequantur; peculiarem curam de opificibus habeant atque solliciti semper sint ut fideles operibus apostolatus auxilium praestent.

29. [s] [*Parochorum nominatio, amotio et renuntiatio*]. Cum muneris paroecialis tota ratio sit bonum animarum, quo facilius et aptius Episcopus ad provisionem paroeciarum procedere valeat, supprimantur quaelibet iura praesentationis, nominationis vel reservationis,[19] salvo iure Religiosorum.

Eadem suprema ratio prae oculis habenda est quoties de parochorum stabilitate in officio agatur, aut de eorum amotione aut translatione.[20]

Parochi autem, qui ob ingravescentem aetatem, ab officio rite et fructuose adimplendo impediuntur, enixe rogantur ut sua ipsi sponte officii renuntiationem faciant. Episcopus renuntiantibus congruam sustentationem provideat.

[19] 30. [t] [*Paroeciarum erectio et innovationes*]. Eadem denique salus animarum causa sit, qua determinentur aut recognoscantur paroeciarum erectiones aut suppressiones, aliaeve huiusmodi innovationes, quas quidem Episcopus, propria auctoritate peragere poterit.

---

[q] Cf. l. c., n. 15, p. 12; Appendix tertia, n. 5, p. 65; Appendix quarta, nn. 6-12, pp. 78-80.

[r] Cf. l. c., n. 15, p. 12; Appendix quarta, nn. 20-35, pp. 82-87.

[s] Cf. schema « De cura animarum », n. 16, p. 13; Appendix tertia, nn. 15-29, pp. 69-75.

[t] Cf. schema « De Episcopis », nn. 33-37, pp. 24, 25; schema « De cura animarum », Appendix secunda, nn. 27-28, pp. 52-53.

4) *Religiosi.* [19]

31.[u] [*Religiosi et apostolatus opera*]. Omnibus Religiosis, quibus in iis quae sequuntur sodales accensentur ceterorum Institutorum consilia evangelica profitentes, iuxta propriam cuiusque vocationem, officium incumbit impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum totius mystici Corporis Christi et in bonum Ecclesiarum peculiarium.

Hos vero fines promovere tenentur imprimis oratione, expiationis operibus et propriae vitae exemplo, ad quorum ampliorem aestimationem et generosius studium Sacrosancta haec Synodus eos magnopere hortatur. At, salva indole Religionum quae ex instituto vitam contemplativam profitentur, ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant.

32.[v] [*Religiosi cooperatores Episcopi in apostolatu*]. Religiosi sacerdotes, qui in presbyteratus officium consecrantur ut sint et ipsi providi cooperatores ordinis episcopalis, hodie adhuc maiori auxilio Episcopis esse valent, pro ingravescente animarum necessitate. Ideo vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere dicendi sunt, quatenus in cura animarum atque apostolatus operibus exercendis partem habent sub sacrorum Praesulum auctoritate.

Etiam alii sodales, sive viri sint sive mulieres, qui et ipsi peculiari ratione ad familiam dioecesanam pertinent, magnum auxilium sacrae Hierarchiae afferunt, atque in dies, auctis apostolatus necessitatibus, magis magisque afferre possunt ac debent.

33. [*Principia de apostolatu Religiosorum in dioecesibus*]. Ad hoc autem ut apostolatus opera in singulis dioecesibus concorditer semper exerceantur atque unitas dioecesanae disciplinae sarta tecta servetur, [20] haec principia fundamentalia statuuntur:

[w] 1) Episcopos, utpote Apostolorum successores, Religiosi omnes filiali semper obsequio ac reverentia prosequantur. Praeterea quoties ad apostolatus opera vocantur ita munia sua exercere tenentur ut Episcopis auxiliatores adsint et subsint.[21] Quin immo Religiosi magno honori sibi ducant Episcoporum postulationibus votisque prompte ac fideliter obsequi ut ampliores partes in salutis humanae ministerium suscipiant,

---

[u] Cf. schema « De cura animarum », nn. 19-46, pp. 14-23; Appendix quinta, nn. 1-14, pp. 91-98.

[v] Cf. schema « De cura animarum », n. 19, p. 14.

[w] Cf. schema « De cura animarum », n. 20, p. 15; Appendix quinta, nn. 3-4, p. 92; nn. 7-8, pp. 93-95.

[20] salva Instituti indole et secundum constitutiones, quae, si necesse sit, ad hunc finem congrue accommodentur.[22]

Praesertim, attenta urgenti animarum necessitate atque cleri penuria, Instituta religiosa, quae vitae mere contemplativae non addicuntur, ab Episcopis advocari possunt ut in variis ministeriis pastoralibus operam adiutricem impendant; quam operam ut praestent, in paroeciis quoque suscipiendis etiam ad tempus, Superiores pro viribus faveant.

[x] 2) Religiosi autem, in externum apostolatum immissi, spiritu religionis propriae imbuti semper sint oportet, atque fideles permanere debent regulari observantiae et subiectioni erga proprios Superiores; quam obligationem ipsi Episcopi urgere ne omittant.

[y] 3) Exemptio, qua Religiosi ad Summum Pontificem vel ad aliam ecclesiasticam Auctoritatem advocantur et ab Episcoporum iurisdictione subducuntur, ordinem Institutorum internum potissimum respicit, quo melius in iisdem omnia sint inter se apta et connexa atque incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur; [23] quin immo, ut de illis Summus Pontifex disponere possit pro inceptis in bonum Ecclesiae universae.

Haec autem exemptio non impedit quominus Religiosi in singulis dioecesibus Episcoporum iurisdictioni subsint, prout horum pastorale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt.[24]

[z] 4) Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariis locorum subduntur in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, ad varia apostolatus opera necnon ad status cle-
[21] ricalis decorem spectant. Pariter tenentur servare ea omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint.

* 5) Inter varia Instituta religiosa atque inter eadem et clerum dioecesanum, ordinata foveatur cooperatio. Arcta insuper habeatur omnium operum et actionum apostolicarum coordinatio, quae maxime pendet a supernaturali animorum et mentium habitu, in caritate radicato et fundato. Hanc autem coordinationem curare Apostolicae Sedi compe-

---

[x] Cf. schema « De cura animarum », n. 21, p. 15.

[y] Cf. schema « De cura animarum », n. 22, p. 16.

[z] Cf. schema « De cura animarum », nn. 23, 26-27, pp. 17-18; Appendix quinta, n. 1, p. 91.

* Cf. schema « De cura animarum », nn. 38-42, pp. 21-22.

tit pro universa Ecclesia; sacris vero Pastoribus in sua cuiusque dioecesi; Patriarchalibus demum Synodis et Episcoporum Conferentiis in proprio territorio. [21]

Episcopi vel Episcoporum Conferentiae et Superiores religiosi, pro operibus apostolatus quae a Religiosis exercentur, ne procedant nisi praeviis consiliis mutuo inter se collatis.

** 6) Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes inter Episcopos et Religiosos, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur, Episcopi et Superiores religiosi conveniant ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in territorio pertinent.

Caput III

DE EPISCOPIS IN COMMUNE PLURIUM ECCLESIARUM BONUM COOPERANTIBUS [22]

I – Synodi, Concilia et praesertim Episcoporum Conferentiae

34.[a] [*Synodi et Concilia particularia*]. Inde a prioribus Ecclesiae saeculis Episcopi, peculiaribus quidem Ecclesiis praepositi, communione fraternae caritatis atque studio permoti universalis missionis Apostolis traditae, vires ac voluntates suas consociaverunt ad bonum tum commune tum singularum Ecclesiarum provehendum. Hac ratione sive Synodi, sive Concilia provincialia, sive demum Concilia plenaria constituta fuerunt in quibus Episcopi aequalem pro variis Ecclesiis statuerunt rationem servandam tum in fidei veritatibus docendis tum in disciplina ecclesiastica ordinanda.

Exoptat haec Sancta Oecumenica Synodus ut veneranda Synodorum et Conciliorum instituta novo vigeant robore, quo aptius et efficacius fidei incremento disciplinaeque conservationi in variis Ecclesiis, pro temporum adiunctis, provideatur.

35.[b] [*Conferentiarum Episcoporum notio*]. Hodiernis potissimum temporibus Episcopi haud raro munus suum apte ac fructuose adimplere non valent nisi cum aliis Episcopis arctiorem in dies suam concordem atque coniunctiorem operam efficiant.[25] Cum autem Episcoporum Conferentiae — pluribus in nationibus iam constitutae — praeclara edi-

** Cf. schema « De cura animarum », n. 45, p. 23.
[a] Cf. schema « De Episcopis », nn. 17-24, pp. 14-16.
[b] Cf. schema « De Episcopis », nn. 17-18, p. 14.

[22] derint uberioris apostolatus argumenta, Sacrosancta haec Synodus summopere expedire censet, ut ubique terrarum eiusdem nationis seu regionis Episcopi in unum coetum confluant, ut statis temporibus simul convenientes, communicatis prudentiae et experientiae luminibus, collatisque consiliis sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio.

[23] 36. [*Conferentiarum structura, competentia et cooperatio*]. Propterea de Episcoporum Conferentiis haec quae sequuntur statuit:

[c] 1) Est Episcoporum Conferentia veluti coetus in quo sacrorum Antistites cuiusdam nationis vel territorii munus suum coniunctim exercent ad maius bonum, quod hominibus praebet Ecclesia, provehendum, praesertim per apostolatus formas et rationes, occurrentibus aetatis adiunctis apte compositas.

[d] 2) Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus, Vicariis Generalibus exceptis, Coadiutores, Auxiliares aliique Episcopi titulares peculiari munere in universa natione fungentes ad Episcoporum Conferentiam pertinent.

Ordinariis locorum necnon Coadiutoribus competit suffragium deliberativum.

Auxiliaribus aliisque Episcopis, quibus ius est Conferentiae interesse, suffragium deliberativum aut consultivum decernent statuta Conferentiae.

[e] 3) Quaelibet Conferentia Episcoporum sua conficiat statuta, ab Apostolica Sede recognoscenda, in quibus — praeter alia media — officia provideantur quae fini consequendo efficacius consulant, e. g. Consilium permanens Episcoporum, Commissiones Episcopales, Secretariatus Generalis.

[f] 4) Decisiones Conferentiarum Episcoporum, dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum quibus ius est Conferentiae interesse cum voto deliberativo prolatae necnon ab Apostolica Sede recognitae sint, vim habeant iuridice obligandi in casibus dumtaxat in quibus aut ius commune id praescripserit aut peculiare Apostolicae Sedis mandatum, motu proprio aut ad petitionem ipsarum Conferentiarum datum, id statuerit.

---

[c] Cf. schema « De Episcopis », n. 18, p. 14.
[d] Cf. schema « De Episcopis », n. 19, p. 15.
[e] Cf. schema « De Episcopis », n. 20, p. 15.
[f] Cf. schema « De Episcopis », nn. 22-24, p. 16.

[g] 5) Ubi peculiaria adiuncta id postulent, Episcopi plurium nationum, Apostolica Sede approbante, unam poterunt Conferentiam constituere. [23]

Foveantur insuper relationes inter Conferentias Episcopales diversarum nationum ad maius bonum promovendum ac tuendum.[26]

6) Enixe commendatur ut Praesules Orientalium Ecclesiarum, in disciplina propriae Ecclesiae in Synodis promovenda et ad opera in [24] bonum religionis efficacius fovenda, rationem etiam habeant boni communis totius territorii, ubi plures Ecclesiae diversorum rituum exstant, consiliis in Conferentiis interritualibus collatis, iuxta normas a competenti Auctoritate statuendas.

II – Provinciarum Ecclesiasticarum circumscriptio et regionum ecclesiasticarum erectio.

37.[h] [*Principium de recognoscendis circumscriptionibus*]. Animarum bonum non dioecesium tantum sed provinciarum quoque ecclesiasticarum aptam expostulat circumscriptionem, immo et regionum ecclesiasticarum suadet erectionem, ita ut apostolatus necessitatibus iuxta socialia et localia adiuncta melius provideatur, atque faciliores fructuosioresque reddantur Episcoporum relationes sive inter se sive cum Metropolitis et cum ceteris eiusdem nationis Episcopis, necnon et Episcoporum cum civilibus Auctoritatibus.

38.[i] [*Normae servandae*]. Itaque, ad memoratos fines consequendos, Sacrosancta Synodus haec statuenda decernit:

1) Provinciarum ecclesiasticarum circumscriptiones opportune recognoscantur.

2) Pro regula habeatur ut omnes dioeceses, aliaeque territoriales circumscriptiones quae iure dioecesibus aequiparantur, alicui provinciae ecclesiasticae adscribantur. Proinde dioeceses quae nunc Apostolicae Sedi immediate sunt subiectae quaeque nulli alii uniantur, aut in novam provinciam ecclesiasticam, si id fieri possit, sunt simul componendae aut illi provinciae aggregandae, quae vicinior seu opportunior sit, et iuri metropolitico Archiepiscopi sunt subiciendae ad normam iuris communis.

3) Ubi utilitas id suadet, provinciae ecclesiasticae in regiones ecclesiasticas componantur, quarum ordinatio iure est statuenda.

---

[g] Cf. schema « De Episcopis », n. 25, p. 17.
[h] Cf. schema « De Episcopis », nn. 26-32, pp. 20-21.
[i] Cf. schema « De Episcopis », n. 27, p. 20.

[24] 39.[j] [*Conferentiarum Episcopalium votum exquirendum*]. De huiusmodi provinciarum circumscriptione aut regionum erectione studium committitur competentibus Episcoporum Conferentiis, iuxta normas iam de dioecesium circumscriptione in art. 21 et 22 statutas.

[25] III – EPISCOPI MUNERE INTERDIOECESANO FUNGENTES

40. [*Peculiarium officiorum constitutio et cooperatio cum Episcopis*]. Cum necessitates pastorales magis magisque requirant ut quaedam pastoralia munia concorditer seu communiter regantur et promoveantur, expedit omnino ut in servitium omnium vel plurium dioecesium alicuius determinatae regionis aut nationis nonnulla constituantur officia, quae etiam Episcopis committi possunt.

Commendat autem Sancta Synodus ut inter Praelatos seu Episcopos, his muneribus perfungentes, et Episcopos dioecesanos atque Conferentias Episcopales fraterna semper vigeat communio et animorum in sollicitudine pastorali conspiratio, cuius rationes etiam iure communi definiantur oportet.

41. [*Vicariatus Castrenses*]. Cum spirituali militum curae, ob peculiares eorumdem vitae condiciones, eximia debeatur sollicitudo, in unaquaque natione erigatur, pro posse, Vicariatus Castrensis, cuius Ordinarius necnon cappellani in concordi cum Episcopis dioecesanis cooperatione huic difficili operi impense se devoveant.[27]

Quare Episcopi dioecesani Ordinario Castrensi concedant numero sufficienti sacerdotes huic gravi muneri aptos simulque faveant inceptis ad bonum spirituale militum provehendum.[28]

42. [*Mandatum generale*]. Mandat Sacrosancta Synodus, ut in recognoscendo Codice Iuris Canonici aptae definiantur leges, ad normam principiorum quae in hoc Decreto statuuntur, perpensis etiam animadversionibus quae vel a Commissionibus vel a Patribus Conciliaribus prolatae sunt.

Mandat insuper Sancta Synodus ut Directoria generalia de cura animarum conficiantur in usum tum Episcoporum tum parochorum, ut certae ipsis praebeantur rationes ad proprium munus pastorale facilius aptiusque obeundum.

Conficiantur etiam tum speciale Directorium de cura pastorali peculiarium fidelium coetuum pro diversis singularum nationum vel regionum

[j] Cf. schema « De Episcopis », n. 32, p. 21.

adiunctis, tum Directorium de catechetica populi christiani institutione, [25] in quo agatur de fundamentalibus eiusdem institutionis principiis et ordinatione deque elaboratione librorum ad rem pertinentium. In iis vero Directoriis conficiendis ratio item habeatur animadversionum quae sive a Commissionibus sive a Patribus Conciliaribus exhibitae sunt.[29]

NOTAE [26]

[1] Cf. *Mt.* 1, 21.

[2] Cf. *Io.* 20, 21.

[3] *Eph.* 4, 12.

[4] Cf. CONC. VAT. I, Sessio IV, Const. dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3, DENZ. 1828: « Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui *positi a Spiritu Sancto* (cf. *Act.* 20, 28) in Apostolorum locum succedunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: " Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur " ».

[5] Cf. CONC. VAT. I, Sessio IV, Const. dogm. *de Ecclesia Christi,* Prooem., DENZ. 1821: « *Pastor* aeternus *et episcopus animarum nostrarum* (*1 Pt.* 2, 25), ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, *rogavit Patrem non pro* Apostolis *tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt* (*Io.* 17, 20 sq.). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, *misit, sicut ipse missus erat a Patre* (*Io* 20, 21): ita in Ecclesia sua pastores et doctores *usque ad consummationem saeculi* (*Mt.* 28, 20) esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum PETRUM ceteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret ».

[6] Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Em.mos Patres Cardinales, Exc.mos Praesules, Rev.mos Praelatos ceterosque Romanae Curiae Officiales, d. 21 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 799: « È norma sacra dei Dicasteri della Curia Romana interrogare i Vescovi e valersi del loro giudizio nella trattazione degli affari. Fra i Consultori delle sacre Congregazioni si annoverano non pochi Vescovi, provenienti da varie regioni. E Noi diremo di più; quando il Concilio Ecumenico mostrasse desiderio di vedere associato in un certo modo e per certe questioni, in conformità alla dottrina della Chiesa e alla legge canonica qualche rappresentante dell'Episcopato, particolarmente fra i Presuli che dirigono una diocesi, al Capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico, non sarà sicuramente la Curia Romana a farvi opposizione, ché anzi essa sentirà accresciuto l'onore

[26] e l'onere del suo sublime e indispensabile servizio, ch'è, a parte il debito procedere dei Tribunali ecclesiastici, sia nella Curia Romana, che nelle Diocesi, come bene sappiamo, specificamente amministrativo, consultivo ed esecutivo ».

Cf. PAULUS VI, *Allocutio* ad Concilii Patres, d. 29 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 849-850: « Inter varias diversasque quaestiones, de quibus in Concilio pertractabitur, primas habet quae ad vos attinet, utpote Episcopos Ecclesiae Dei. Haud dubitamus asseverare Nos magna spe ac sincera fiducia huiusmodi discepta-
[27] tionem exspectare. Enimvero, salvis declarationibus dogmaticis Oecumenici Concilii Vaticani Primi ad Romanum Pontificem attinentibus, altius investiganda erit doctrina de Episcopatu, de eius muneribus deque eius cum Petro necessitudinibus. Exinde rationes Nobis exponentur, quibus, ad doctrinam et usum vitae quod spectat, in apostolico munere Nostro obeundo utamur. Hoc namque universale munus, quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis, quam quidem scitis, poterit tamen auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles Fratres in Episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam ».

[7] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 237 s.: « Quodsi unusquisque Episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsor fit, secundum illa verba quae Christus ad Apostolos fecit: " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos " (*Io.* 20, 21). Haec quae " omnes gentes... usque ad consummationem saeculi " (*Mt.* 28, 19-20) amplectitur missio, cum Apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; immo in Episcopis communionem cum Iesu Christi Vicario habentibus, adhuc perseverat ».

Cf. etiam: BENEDICTUS XV, Epist. Ap. *Maximum Illud,* 30 nov. 1919: *A.S.S.,* 11 (1919), p. 440; PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: *A.A.S.,* 18 (1926), p. 68.

[8] Cf. *Eph.* 5, 9.

[9] Cf. CONC. TRID., Sess. V, decr. *de reform.,* c. 2, MANSI 33, 30; Sess. XXIV, decr. *de reform.,* c. 4, MANSI 33, 159.

[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963, passim: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 257-304.

[11] Hic prae oculis habeantur ea praesertim quae proposita fuerunt in praecedenti schemate Decreti « De cura animarum », p. 47, n. 9: *Evangelizationis programma generale organicum et missionarium*; et n. 11: *Directorium de evangelizatione.*

[12] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 251 sqq.

[13] Cf. *Lc.* 22, 26-27.

[14] Nomine « migrantium » ii praesertim veniunt qui ob victum quaeritandi necessitatem variasque alias rationes vitae vel occupationis vel ob tristes suarum nationum condiciones vexationesque religionis causa obortas patrium locum, sive ad tempus sive in perpetuum, relinquunt.

Nomine « maritimorum » veniunt ii omnes qui nauticam vel piscatoriam artem exercentes sive gubernandi sive inserviendi causa in navibus vitam iugiter ducere coguntur ac proinde nonnisi raro et difficilius communi parochi cura frui valent, vel portubus addicuntur maritima itinera adparaturi.

Nomine « aëronavigantium » ii veniunt qui aërea itinera et commeatus aggrediuntur iique omnes, sive viri sive mulieres, qui in velivolis et in aërodromis operam praestant seu laborem. [27]

Nomine « nomadum » ii veniunt qui varias orbis terrarum regiones continuo circumire solent, vel propter artem circensibus ludis exercendam vel propter insitam naturam et congenitam animi proclivitatem.

[15] Hic ii veniunt potissimum qui vulgo *touristes* vocantur, homines nempe qui, sive singuli sive turmatim, per annum, animi relaxationis vel rusticationis vel [28] sanitatis curandae causa, suas domos ad tempus derelinquere solent, externas civitates aut montes aut marium lacuumque oras petituri.

[16] Cf. nota 17.

[17] In hoc articulo sermo fieri etiam deberet de Vicario Generali et de Vicario Episcopali. Textus igitur proponitur sequens, qui, si placuerit, in articulo 25, post primum comma erit inserendus:

Eminens in Curia dioecesana est officium Vicarii Generalis, atque officium Vicarii Episcopalis, quod Sancta haec Synodus instituit. Quoties rectum dioecesis regimen id requirat, constitui possunt ab Episcopo unus aut plures Vicarii Episcopales, qui nempe ipso iure, in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus, ea gaudent potestate, quae Vicario Generali in universa dioecesi et quoad omnia negotia omnesque fideles competit. Libere ab Episcopo dioecesano designantur et obligationibus tenentur quibus ligatur Vicarius Generalis. Expirat eorum iurisdictio iisdem modis, quibus cessat iurisdictio Vicarii Generalis, in specie per Sedis Episcopalis vacationem, nisi tamen Episcopi Auxiliaris munere fungantur, ad normam n. 24.

[18] Cf. *Io.* 13, 35.

[19] Per liberam enim collationem officii paroecialis melius fieri potest ut ad singulas paroecias regendas ii semper deputentur qui scientia, pietate, zelo apostolico ceterisque dotibus et qualitatibus sint magis idonei.

[20] In paroecia, cui administrandae praeficiuntur qua proprii eiusdem rectores, parochi stabiles esse debent; attamen, cum officium paroeciale praecipue et essentialiter consistat in munere pastorali exercendae curae animarum, Episcopus, ubi necessitas vel magna utilitas boni animarum illud exposcat, parochos legitime transferre vel amovere potest, salva utique naturali et canonica aequitate, sed servando modum procedendi qui nec longas moras patiatur nec multiplices sollemnitates requirat. Eodem modo, expedit omnino ut Episcopus sine magna difficultate officio exsolvere valeat parochos qui, ratione provectae aetatis, iam nequeunt curam animarum rite ac fructuose promovere.

[21] Cf. Pius XII, *Allocutio,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 28: « Haud dubie ad iuris divini praescriptum sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita munia exercere debet sua, ut Episcopo auxiliator adsit et subsit ».

[22] Constitutiones dicuntur accommodandae, non necessario cum mutatione finis specialis Instituti, quasi deberet de vita contemplativa transire ad activam vel ad diversa opera non sibi propria. Fine quidem cum indole propria Instituti servato, constitutiones exigentiis hodierni apostolatus et debitae Ordinario loci subordinationi, prout necessarium, melius aptentur, ut sodalium activitas efficacior sit et congruentius ordinata procedat.

[23] Cf. Leo XIII, Const. Ap. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881: *Acta Leonis XIII,* vol. II (1882), p. 234.

[28] [24] Cf. PIUS XII, *Allocutio,* 8 dec. 1950: l. c.: « Sed et Religiosorum Ordinum exemptio neque principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae obsistit neque ullo modo repugnat legi, qua sacerdos Episcopo parere debet. Etenim ad normam iuris canonici religiosi exempti Episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt ».

[25] Sunt enim nonnulla negotia quae communem omnium Episcoporum agendi rationem expostulant, praesertim si totam attingant nationem; talia sunt v. g. ne-
[29] gotia de re scholari, administrativa, de morali usu iurium civilium et his similia.

Praeterea aliquando declarationes publicae nomine omnium Episcoporum faciendae sunt, quarum aliae maximi momenti esse possunt, uti declarationes quae publicam opinionem valde commovere valeant fideliumve admirationem gignere, aut quae nimium a recepta communi agendi vel sentiendi ratione discrepent, aut quae cum declarationibus de eadem materia a finitimis Episcoporum Conferentiis forte latis pugnent, et his similia.

[26] Relationes inter Conferentias Episcopales diversarum Nationum opportunis et congruentibus mediis haberi poterunt per earumdem Conferentiarum Secretariatus et inter alia haec praesertim spectare poterunt:

a) communicare praecipuas agendi rationes praesertim in re et actione pastorali;

b) transmittere scripta vel folia, quae decisiones Conferentiae referant vel acta seu documenta, quae ab Episcopis communi consilio edantur;

c) significare varia apostolatus incepta, a Conferentia Episcopali proposita vel commendata quaeque utilia esse possint in casibus similibus;

d) proponere graviores quaestiones, quae hodiernis temporibus et in particularibus adiunctis maximi momenti esse videantur;

e) indicare pericula vel errores in propria Natione serpentia, quae in alios etiam populos irrepere possint, ita ut apta et opportuna media adhibeantur ad illa praecavenda vel auferenda vel coarctanda, et his similia.

[27] Cf. S. C. CONSISTORIALIS: *Instructio de Vicariis Castrensibus*: 23 apr. 1951: *A.A.S.,* 43, (1951), pp. 562-565; *Formula servanda in relatione de statu Vicariatus Castrensis conficienda,* 20 oct. 1956: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 150-163; Decretum: *De Sacrorum Liminum Visitatione a Vicariis Castrensibus peragenda*: 28 febr. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 272-74; Decretum: *Facultas audiendi confessiones militum Cappellanis extenditur*: 27 nov. 1960: *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 49-50.

S. C. DE RELIGIOSIS: *Instructio de Cappellanis militum religiosis*: 2 febr. 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), pp. 93-97.

[28] Cf. S. C. CONSISTORIALIS: *Epistula* ad Em.mos PP. DD. Cardinales atque Exc.mos PP. DD. Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ordinarios Hispanicae Ditionis, 21 iun. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 566: « Ideoque meminerint Episcopi animarum Pastores, tunc pastoralis ministerii opus impleri, si Vicario Castrensi libenter praesentare ac concedere velint nonnullos sibi subiectos sacerdotes, aptis quidem virtutibus exornatos, quibus Ille rite exercere valeat spiritualem militum curam, quos inter unicuique Praesuli nonnullas oves de concredito sibi grege annumerare fas erit ».

[29] In his autem Directoriis conficiendis in primis prae oculis haberi debent Directoria iam apparata a Commissione de Episcopis ac de dioecesium regimine et a Commissione de disciplina Cleri et populi christiani, quae referebantur in Appendicibus praecedentis schematis Decreti « De cura animarum ».

APPENDIX

RELATIO

CIRCA RATIONEM QUA SCHEMA ELABORATUM EST

PARS PRIOR

De schemate in genere.

1) Novum hoc schema Decreti « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » ex praecipuis articulis coalescit, de quibus agebatur in duobus prioribus schematibus Decretorum « De Episcopis ac de dioecesium regimine » et « De cura animarum », idemque diligenter elaboratum est normis prae oculis habitis, quae a Commissione de laboribus Concilii coordinandis praefinitae sunt. Haec enim in litteris d. 29 novembris 1963 Commissioni de Episcopis et de dioecesium regimine ita mandavit: « ridurre la materia dei propri schemi, in conformità delle finalità preminentemente pastorali del presente Concilio, rinviando alla prossima riforma del Codice di Diritto Canonico gli argomenti a carattere prevalentemente giuridico », ac deinde litteris d. 23 ianuarii 1964 sic statuit: « Nello schema " de Episcopis ac de dioecesium regimine " siano incluse le norme più rilevanti e gli indirizzi fondamentali dello schema " de cura animarum ", che viene perciò eliminato come tale dall'elenco degli schemi ».

Ceterum iam in Aula Conciliari plures Patres votum expresserant ut eiusmodi praefatorum schematum unio fieret propter nexum materiae.

2) In novo schemate conficiendo et novus titulus, et novus ordo materiae, et nova textus redactio curanda erat, ut singulae quaestiones apte inter se coordinarentur, congrua quoque ratione habita animadversionum, quas verbis aut scripto Patres fecerunt, praesertim super schema Decreti « De Episcopis ac de dioecesium regimine », quod in Aula in Secunda Sessione examinatum et disceptatum est. Attamen, plene servari non potuerunt normae de reformandis aliis schematibus praefinitae (e. g. de Sacra Liturgia et de Ecclesia), quia ex duobus schematibus unum conficiendum erat.

3) Praesens schema « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » tribus capitibus constat, quibus generale prooemium praeponitur. In prooemio breviter enuntiatur materia in schemate pertractanda et connexio ostenditur eiusdem schematis cum schemate Constitutionis « de Ecclesia ». Ut hoc fieret plures Patres in Aula petierunt, et Sodales Commissionis de Episcopis et de dioecesium regimine suffragiorum maioritate faciendum statuerunt, utpote quod valde utile vel necessarium videbatur. Elementa autem huiusmodi prooemii praecipue desumpta sunt ex prooemio generali et ex prooemio capitis primi schematis Decreti « De cura animarum ».

4) Episcoporum officii varii adspectus distingui debent, videlicet munus

quod uniti exercent quoad universam Ecclesiam, munus quod in propria dioecesi eorum quisque implet, atque tandem munus quod aliqui coniunctim in quibusdam simul dioecesibus alicuius regionis aut nationis exercent.

Quapropter, ut synthetice integrum Episcoporum munus pastorale consideretur, quod hucusque in nullo umquam Concilio factum est, per tria capita de Episcoporum munere tractatur. In capite primo de Episcoporum ministerio quoad universam Ecclesiam agitur, quia iidem sunt Membra Collegii Episcopalis, et quidem iuxta ea quae exponuntur in doctrina de collegialitate ac sacramentalitate Ordinis Episcopalis, a Conciliari Commissione « De doctrina fidei et morum » elaborata. In capite II de Episcoporum munere in propria dioecesi tractatur. In capite III de munere quod aliqui coniuncti quoad plures simul dioeceses eiusdem regionis exercent quaestio est.

5) Caput primum, quod inscribitur « De Episcopis quoad universam Ecclesiam », in duos articulos dividitur, in quorum priore considerantur partes quas habent Episcopi pro tota Ecclesia sive quatenus omnes una cum Romano Pontifice supremam ac plenam potestatem exercent, sive quatenus aliqui — si Summo Pontifici placuerit — in quoddam Consilium Centrale conveniunt, sive quatenus singuli cum aliis Collegii Membris cooperantur in sollicitudine omnium Ecclesiarum.

In altero autem articulo principia generalia determinantur de potestate Episcoporum eorumque habitudine ad Romanum Pontificem, de eorum relationibus cum Dicasteriis Curiae Romanae deque nova huius ordinatione.

6) In capite secundo agitur de Episcopo in sua dioecesi. Tres articulos complectitur, in quorum primo — ex priore schemate « De cura animarum » deprompto — quaenam sit vera dioecesis natura exponitur et quomodo Episcopus dioecesanus triplex munus docendi, sanctificandi, regendi exercere debeat. Ibidem peculiaris mentio fit de catechetica institutione, de qua fuse sermo erat in capite quinto schematis « De cura animarum », confecto a Commissione Conciliari « De disciplina Cleri et populi christiani ». In ultimo numero eiusdem articuli primi quaestio exponitur de Episcoporum renuntiatione quando officio suo pastorali rite implendo minus apti evaserint.

In articulo secundo ex ipsa dioecesis definitione elementa necessaria ad eiusdem finem consequendum in lucem ponuntur et exinde criteria generaliora statuuntur pro dioecesium circumscriptionibus recognoscendis.

In articulo tertio agitur de cooperatoribus Episcopi dioecesani. In primis Episcoporum Coadiutorum et Auxiliarium munus, potestas atque necessitudines cum Episcopo dioecesano pressius determinantur. Deinde definiuntur partes quas, inspectis fine dioecesis atque necessitatibus curae animarum. habent Curia et Consilia dioecesana, clerus dioecesanus, praesertim parochi, atque tandem Religiosi, quatenus operibus apostolatus in dioecesi addicuntur.

7) Caput tertium inscribitur: « De Episcopis in commune plurium Ecclesiarum bonum cooperantibus ». In tres articulos dividitur, in quorum primo, maioris utique momenti, agitur de Synodis et de Conciliis particularibus, atque praecipue de Episcoporum Conferentiis.

De his tamen Conferentiis, iuxta plurium Patrum animadversiones, fundamentalia tantummodo principia traduntur.

In articulo secundo ea exponuntur quae attinent ad provincias et regiones ecclesiasticas, quo plurium dioecesium consensioni et cooperationi melius prospici possit.

In articulo tertio mentio fit, ad quamplurium Patrum mentem, de multis illis Episcopis titularibus qui munere aliquo funguntur in commune plurium dioecesium bonum, et in specie agitur de Vicariatibus Castrensibus.

8) Annotare denique iuvat quod Commissio de Episcopis et dioecesium regimine novum hoc schema inscribendum censuit: « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia », quia eiusmodi titulus plane respondere videtur nedum materiae, de qua in schemate pertractatur, sed etiam peculiari Concilii Vaticani II indoli pastorali.

PARS ALTERA

De singulis schematis capitibus.

Circa *Caput I*: « De Episcopis quoad universam Ecclesiam », haec animadvertenda sunt:

In *Art. I,* qui inscribitur: « Partes quas habent Episcopi quoad universam Ecclesiam », in n. 4 breviter agitur de exercitio potestatis Collegii Episcoporum, cuius textus approbatus fuit, sub conditione ut deinceps concordari deberet cum textu schematis Constitutionis *De Ecclesia,* a Commissione Conciliari de doctrina fidei et morum recogniti.

In n. 5 proponitur, invitante ipso Romano Pontifice, institutio Coetus seu Consilii Centralis, iuxta vota a pluribus Concilii Patribus exhibita.

In n. 6 et in n. 7 fit sermo de relationibus singulorum Episcoporum cum aliis Collegii Membris. Quae ibidem exponuntur desumpta sunt, quoad substantiam, ex schemate Decreti « De cura animarum ». Ea determinantur quae mutuam Episcoporum necessitudinem respiciunt et eorumdem obligationem ut alter alteri auxilietur in materialibus vel spiritualibus necessitatibus quas quisque experiatur. Quod quidem subsidium praesertim ferri debet quod attinet ad territoria Missionum, ad regiones penuria sacerdotum laborantes, ad Episcopos qui persecutionem propter fidem christianam patiuntur. Explicite quoque mutuum adiutorium urgetur non tantummodo in operibus ministerii pastoralis praestandum, sed etiam ad inopiam et indigentiam bonorum temporalium sublevandam, qua variae regiones vel dioeceses haud raro premuntur.

Art. II: *Episcopi et Apostolica Sedes.*

1) In textu elaborando huius articuli, congrua ratio habita est nedum textus prioris schematis Decreti « De Episcopis ac de dioecesium regimine », cuius accurata disceptatio in Aula Conciliari habita est, verum etiam animadversionum quae de praefato schemate a Patribus sive verbis sive scripto

factae sunt. Plura siquidem Patres animadverterunt potissimum quod attinet ad titulum Decreti, ad usum quorumdam verborum, ad iura Episcopi in regimine dioecesis, ad Curiae Romanae Dicasteria.

2) Nonnulli Patres exoptarunt ut verbis « Sancta Sedes » et « Sacrae Congregationes (Curiae Romanae) » substituerentur verba « Apostolica Sedes » et « Dicasteria (Curiae Romanae) »; hinc potius quam: « De rationibus inter Episcopos et Sacrae Romanae Curiae Congregationes », titulus articuli inscribitur: « Episcopi et Apostolica Sedes », prouti etiam quidam Patres in votis habuerunt.

3) In priore schemate sermo erat de « facultatibus », quae Episcopis sint recognoscendae, quod pluribus Patribus minus placebat. In novo textu proinde principium generale simpliciter statuitur, quod scilicet Episcopis, Apostolorum successoribus et suae cuiusque dioecesis immediatis et ordinariis pastoribus, per se omnis potestas competit, quam pastoralis muneris exercitium exigit. Hoc, sane, plurium Patrum votis plane respondet ac fundamentum constituit propositionum seu conclusionum, quae de iuribus Episcoporum in hoc articulo statuuntur, iisdemque plurium Patrum votis congrue satisfit, saltem implicite et indirecte, circa relationes inter Episcopos et Dicasteria Curiae Romanae.

In commemoranda autem Summi Pontificis potestate sibi vel alii Auctoritati reservandi causas quasdam gravioris momenti, Commissioni de Episcopis et dioecesium regimine opportunum visum est ut omitterentur haec quae sequuntur prioris schematis verba: « propter bonum commune » vel « ad fidei et disciplinae unitatem servandam », quibus causa seu finis reservationis exprimitur.

4) In prioris schematis disceptatione Patres Conciliares quamplura peculiaria animadverterunt; praesertim vero haec proposuerunt:

a) Dicasteria Romana munus suum nomine et auctoritate Summi Pontificis expleant in servitium et bonum totius Ecclesiae;

b) Dicasteria Romana munus habeant iudiciarium et administrativum, consultivum et exsecutivum; de eorum autem potestate legislativa diversae prolatae sunt sententiae;

c) Nova fiat Dicasteriorum Curiae Romanae ordinatio, hodiernis temporibus magis accommodata, quod attinet praesertim ad eorumdem nomen, numerum, competentiam, modum procedendi, laborum coordinationem;

d) Dicasteria Romana in sua constitutione notam maioris universalitatis prae se ferant, quatenus plures inter eorum Membra et Officiales connumerentur ex diversis orbis catholici regionibus selecti;

e) Dicasteriis Romanis plures diversarum nationum Episcopi adscribantur;

f) Episcoporum titularium numerus in Curia Romana minuatur et laicorum opera in ea magis adhibeatur;

g) Suprema Congregatio S. Officii apte recognoscatur eique nomen sit Congregatio de fide et moribus;

h) In schemate agatur quoque de Legatis Summi Pontificis et de eorumdem relationibus cum Episcopis.

At vero, praefatorum votorum Patrum in novo textu huius articuli nn. 9 et 10 congrua ratio habetur, et plerumque quidem explicite, quandoque autem solummodo implicite. Expresse haec vota promuntur: Dicasteria Curiae Romanae novam aptiorem habeant ordinationem; in Dicasteriis Curiae Romanae Membra, Officiales, Consultores adsint ex diversis regionibus Ecclesiae selecti; inter Membra Dicasteriorum Curiae Romanae quidam Episcopi residentiales connumerentur; in Curia Romana saepius, pro opportunitate, laici audiantur qui sint experientia et virtute praestantes. Annotare iuvat quod, de Episcopis in Curiam Romanam cooptandis, consulto omissa sunt haec prioris schematis verba: « aut a Summo Pontifice electi aut, si ipsi placuerit, a Conferentiis Episcopalibus designati »; ista enim designatio aliquibus Patribus non placet, ceterum per verba in textu nunc adhibita nullus excluditur modus qui ad eorum designationem rite faciendam aptus comprobetur.

Nihil autem in novo textu explicite dicitur de Congregatione S. Officii, de Legatis Summi Pontificis, de minuendo numero Episcoporum titularium in Curia Romana, quia proprium non est Concilii Oecumenici de quaestionibus particularibus agere; insuper vero, in voto proposito de nova ordinatione Curiae Romanae instituenda, implicite ea etiam continentur, quae a nonnullis Patribus optantur quoad praefatas quaestiones.

Super *Caput* II: « De Episcopis quoad Ecclesias peculiares seu Dioeceses » haec dicenda videntur.

In *art. I*: *Episcopi Dioecesani,* determinantur notio dioecesis (n. 11) et Episcopi munus in sua dioecesi (nn. 12-18).

a) In primis annotare iuvat nunc « dioecesanos » in schemate Decreti proprie nominari Episcopos, qui hucusque « residentiales » appellabantur; sic enim melius uno eodemque verbo designantur sive Episcopi qui in territorio definito legitime munere suo pastorali funguntur, sive Episcopi personales, qui propriam sedem revera non habent.

b) Dioecesis notio, quae in n. 11 datur, ita exprimitur ut aeque intelligi possit de parte dominici gregis, quae peculiari curae uniuscuiusque Episcopi assignatur vel ratione determinati territorii in quo eadem exercenda est, vel ratione determinati coetus personarum, qui a fidelibus constituitur pro quibus Episcopus pastorale munus exercere debet.

c) In nn. 12-18 ea exponuntur quae ad triplex pastorale Episcoporum munus docendi, sanctificandi, regendi ac pascendi pertinent. Principia quae proponuntur plerumque excerpta sunt e schemate Decreti « De cura animarum » et breviore forma sunt redacta; quaedam immutationes factae sunt, stylum potius spectantes quam substantiam.

In n. 15 sermo accuratior factus est sub respectu theologico de plenitudine sacerdotii in Episcopo ac de eiusdem ad reliquos participatione seu communione.

d) In n. 19 salebrosa quaestio agitatur de Episcoporum a munere cessatione, quae in priore schemate Decreti « De Episcopis ac de dioecesium regimine » in n. 16 commendabatur sive ob permanentem valetudinis defectum sive ob ingravescentem aetatem sive ob aliam gravem causam.

De hac re quamplurima a Patribus dicta sunt in Aula Conciliari vel fuerunt in scriptis proposita. Eorum longe maior pars in suis animadversionibus votum promit ut in schemate Decreti principium enuntietur de Episcoporum a munere cessatione, sed nonnulli tenent quod renuntiatio libera et ultronea esse debeat, alii autem magis expedire tenent ut *emeriti* declarentur. Commissio de Episcopis et dioecesium regimine in n. 19 schematis statuendum proponit ut enixe rogentur Episcopi, qui implendo suo officio minus apti evaserint, ut sua sponte vel a competenti Auctoritate invitati renuntiationem exhibeant.

Praeter ingravescentem aetatem, nulla alia gravis causa ad renuntiationem faciendam expresse commemoratur; in singulis casibus enim de re opportune iudicare potest Auctoritas competens, quae Episcopos invitare posse dicitur ut renuntiationem exhibeant: sic facilior et suavior reddita est interventio Apostolicae Sedis.

Secundum mentem plurium Patrum, nihil dicitur de honoribus et privilegiis recognoscendis Episcopis, qui officio renuntient; aequum autem et iustum visum est ut expresse dicatur quaenam iura illis sint recognoscenda.

In *art. II* fit sermo *de Dioecesium circumscriptione.*

a) Normae ac praescripta quae in primo schemate Decreti in capite quarto simul exponebantur, quod « De Dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione » inscribebatur, in praesenti schemate, nonnullis factis mutationibus, in capite secundo vel in capite tertio referuntur. Materiae enim contextu considerato, aptius videtur ut alterutrius praefatae quaestionis pertractatio iis in locis Decreti fiat, ubi aut de Episcopis in Ecclesiis peculiaribus seu dioecesibus agitur, aut de Episcopis in commune plurium Ecclesiarum bonum cooperantibus. Postquam enim de muneribus Episcopi actum est, logice videtur agendum de loco seu populo, in quo illa munera sunt exercenda; ultimo vero loco de personis seu mediis quibus Episcopus adiuvatur. Accedit etiam ratio quod nonnulla quae de Episcopis Coadiutoribus et Auxiliaribus postea proponuntur, relationem habent ad dioecesium circumscriptionem, de qua proinde primum agendum esse visum est Patribus Commissionis.

b) Animadversionibus etiam diligenter perpensis, quae in Aula Conciliari plures Patres proposuerunt, textus nn. 26-32 schematis Decreti « De Episcopis ac de dioecesium regimine » haud parum mutatus est, ratione praecipue habita huiusmodi trium elementorum, quae optima generaliora criteria praebere visa sunt ad aptas et opportunas dioecesium circumscriptiones definiendas: 1) *populus* Dei, cuius ratione dioecesis structurae varietas atque organica unitas attenditur quoad personas, quoad instituta, quoad territorium; 2) *Episcopus,* cuius vires congruentem expostulant sive territorii dioecesani amplitudinem sive huius incolarum numerum; 3) *ministerium salutis* imper-

tiendum, ad quod clericorum necnon mediorum materialium sufficiens copia requiritur, secundum diversas populi pascendi exigentias.

c) Praefata huiusmodi criteria accurate exponuntur in n. 21, ubi sub 3° peculiares etiam casus peropportune considerantur diversitatis rituum et diversitatis sermonum, quae haud raro in fidelibus adest in determinato aliquo territorio degentibus.

Quae autem ibidem statuuntur quod attinet ad rituum diversitatem, eadem expresse approbaverunt duo Patres et unus Peritus Ecclesiarum Orientalium, qui Commissioni de Episcopis adscribuntur.

d) Mandatur igitur in n. 20 ut, prudenter quidem sed quamprimum dioecesium circumscriptiones iuxta regulas praedictas recognoscantur, dioeceses uniendo vel dividendo vel dismembrando vel quolibet alio modo mutando prout necessitas exigat aut utilitas suadeat.

e) In n. 22 denique statuitur ut ad negotium circumscriptionis dioecesium rite expediendum vota sua Apostolicae Sedi competentes Episcoporum Conferentiae proponant, et expresse additur: « salva disciplina Ecclesiarum Orientalium », quia in illis ad rem peculiaria iura Synodis Patriarchalibus competunt.

In *art. III* agitur *de Episcopi dioecesani in munere pastorali Cooperatoribus.*

1) *De Episcopis Coadiutoribus et Auxiliaribus,* de quibus in nn. 6-15 prioris schematis, normae et praescripta nunc exponuntur in nn. 23 et 24, sed maior brevitas novi textus non impedivit quominus principaliora servarentur, quae in illo habebantur; insuper autem congrua ratio habita est animadversionum, quae a Patribus Conciliaribus propositae sunt.

In n. 23 clare indicatur Episcopos Auxiliares constituendos esse ob causas obiectivas maioris boni totius dioecesis, Episcopos Coadiutores autem potissimum constituendos esse ut ipsi Episcopo dioecesano personaliter adsint.

Multis Patribus id expostulantibus, expresse annotatur quod semper cavendum est ne Auxiliarium vel Coadiutorum constitutio detrimentum afferat unitati regiminis dioecesani et Episcopi dioecesani auctoritati; itemque expresse annotatur quod plena consensio semper esse debet inter Episcopum dioecesanum et Episcopos sive Auxiliares sive Coadiutores.

De Episcopis Auxiliaribus in particulari plures Patres petierunt ut amplioribus facultatibus iidem potiantur et, sede plena, sint Vicarii Generales aut Vicarii Episcopales, sede vero vacante Vicarii Capitulares ipso iure fiant aut Administratores Apostolici constituantur.

Proponitur in n. 24 novi textus ut Episcopi Auxiliares numquam constituantur cum iure successionis, quod e contra semper faciendum dicitur de Episcopis Coadiutoribus.

Dicitur praeterea Auxiliares constituendos esse « bono animarum id exigente », « pro dioecesi »; hinc iam censeri non poterit quod in libero arbitrio Episcopi dioecesani sit petitio ut Auxiliaris constituatur. Episcopi Auxiliares,

si in litteris nominationis nihil de eorum facultatibus determinetur, neque Vicarii Generales ab Episcopo dioecesano constituantur, saltem « Vicarii Episcopales in determinata dioecesis parte vel in determinato negotiorum genere » institui debent, prout in priori schemate de Episcopis dicebatur (p. 12, n. 4). Hoc iam in nonnullis dioecesibus servatur, v. g. in Gallia et in Hispania, ubi constituti sunt « Episcopi Auxiliares residentes ». Additur autem quod iidem praediti esse debent potestate « quam ius commune Vicario Generali tribuit », ut clare appareat eos in suo territorio vel in suo negotiorum genere inferiores non esse Vicariis Generalibus. Statuitur praeterea ut *sede vacante* Auxiliares potestate adhuc fruantur, quae eis iure conceditur, ne veluti capite diminuti videantur nec bonum commune dioecesis detrimentum patiatur.

Desiderium autem plurium Patrum, ut Episcopi Auxiliares fiant Vicarii Capitulares, satisfaciendum non esse censuit Commissio de Episcopis, ne ius Capituli Cathedralis auferatur.

Ceterum, etiam si in Vicarios Capitulares non eligerentur, eorumdem dignitati sufficienter consulitur quia facultates Vicariorum Episcopalium non amittunt.

De Episcopis Coadiutoribus alia et alia multa Patres in Aula Conciliari dixerunt, nec defuerunt qui vellent ut haec figura iuridica penitus supprimeretur. In 24 novi schematis proponitur ut Coadiutor semper Vicarius Generalis ab Episcopo dioecesano constituatur, quin ei facultas adimatur sibi quidquam reservandi, sic enim et unitati regiminis dioecesani et auctoritati Episcopi dioecesani melius consulitur.

2) *De Curia et de Consiliis Dioecesanis,* de quibus nihil in schemate « de Episcopis ac de dioecesium regimine » dicebatur, in n. 25 quaedam notiones generales exponuntur ut nonnullorum Patrum desiderio satisfiat. Expresse notatur quod Curia Dioecesana characterem pastoralem habere debet; de Consilio autem Pastorali multa apte explicantur in schemate « de cura animarum », p. 57, nn. 37 et 38.

3) *De Clero Dioecesano* agitur in nn. 26-30 novi huius schematis. Commissio censet expresse annotandum esse quod clerus servitio dioecesis addictus perfectam fovere concordiam cum Episcopo et necessitatibus etiam oeconomicis dioecesis subvenire debet. Peculiari modo opera indolis supraparoecialis commendantur, quae nostris diebus maxime sunt necessaria pro ministerio pastorali. Peropportune ea omnia referuntur, aptius determinata, quae in priori schemate « de cura animarum » exponebantur de parochorum munere docendi, sanctificandi atque regendi; de ratione boni animarum exclusive habenda in parochorum nominatione et quod attinet ad eorum stabilitatem vel amotionem ab officio.

4) *De Religiosis* in nn. 31-33 generalia principia referuntur de iis quae pertinent ad opera apostolatus ab ipsis exercenda.

Prae oculis Commissio textum habuit, qui a Subcommissione Mixta de Episcopis et de Religiosis amplissime elaboratus fuerat et in capite III sche-

matis Decreti « De cura animarum », nn. 19-46 propositus fuerat; itemque mature animadversiones perpendit, quae ad rem in scriptis a Patribus propositae sunt.

Antequam novus textus definitive redigeretur praefata Subcommissio Mixta ipsum examinavit, et Commissio Plenaria opportune eius animadversiones consideravit. Animadvertere iuvat quod nunc clare ostenditur sartam tectam semper servandam esse dioecesanam disciplinam, sub Episcopi auctoritate, in his quae attinent ad muneris pastoralis exercitium; sed etiam expresse declaratur quod Religiosi vere tales se praebere debent ut fructuose in sacro ministerio allaborent. Item, expresse commemoratur quod Religiosorum exemptio a iurisdictione Ordinarii loci minime impedit quominus huic legitime illi subsint in his quae ad cultum divinum et ad opera apostolatus pertinent.

De *Capite III,* cui titulus est « De Episcopis in commune plurium Ecclesiarum bonum cooperantibus », haec dicenda videntur.

In *art. I,* qui inscribitur: « Synodi, Concilia et praesertim Episcoporum Conferentiae », agitur de Synodis et de Conciliis particularibus, itemque de pluribus speciebus Conferentiarum Episcoporum. Expresse autem mentio fit de Episcopis alicuius determinatae « nationis » et « de Conferentiis nationalibus », eo quod huiusmodi verba adhibentur in Litteris Apostolicis « Sacram Liturgiam », a Paulo PP. VI Motu Proprio datis die 25 ianuarii 1964.

1) Quamplures Patres in suis animadversionibus se exoptare dixerunt ut fundamentum doctrinale Conferentiarum Episcoporum exponeretur; de rationibus autem theologicis aliae et aliae prolatae sunt sententiae. Quidam enim tenent Conferentias celebrari ob potestatem collectivam Episcoporum; alii ob eorum missionem universalem; alii ob plenitudinem muneris episcopalis; alii ob communionem caritatis et veritatis, in Eucharistiam repraesentatam; alii ob koinoniam Ecclesiarum localium. Sed Commissio Conciliaris melius esse censuit ut tantummodo fundamentum historicum et pastorale hic exponeretur, innuens necessitati hodiernis temporibus agendi in communione veritatis et caritatis, quia ceterae rationes sive in schemate theologico sive in hoc passim adumbrantur.

2) Ad plurium Patrum petitionem, ut in Concilio Vaticano II aliquid de Synodis et de Conciliis particularibus diceretur, in n. 34 huius novi schematis eorum celebratio probatur et valde commendatur, habita quoque ratione schematis Decreti « De Ecclesiis Orientalibus », ante Sessionem Secundam Concilii apparati (n. 18). Attamen nihil definite decernitur; proprie enim in Codice Iuris Canonici recognoscendo peculiaria praescripta ad rem statuenda erunt.

3) In articulo accurate agitur de Conferentiis Episcoporum, quin tamen singula particularia expresse determinentur.

In notione quae de natura et fine Conferentiarum Episcoporum exhibetur, dicitur quod in iisdem Episcopi munus suum coniunctim exercent ut « ad communem Ecclesiarum bonum virium conspiratio fiat » (n. 35), seu « ad maius bonum, quod hominibus praebet Ecclesia, provehendum » (n. 36,

1°), eiusmodi verbis siquidem sive bonum spirituale sive etiam bonum materiale hominum comprehenditur, cum catholicorum tum acatholicorum.

In n. 36, 2, exponitur quinam Conferentiis Episcoporum interesse possint vel debeant, et quonam suffragio — deliberativo aut consultivo — gaudeant. Patres multa diversimode dixerunt tam de Membris Conferentiarum, quam de eorum iure suffragii ferendi.

a) Quod attinet ad Membra Conferentiarum: quidam proposuerunt ut Conferentiarum Membra de iure haberentur Ordinarii locorum — exceptis Vicariis Generalibus —, et Coadiutores, et Auxiliares, et Vicarii Capitulares itemque Vicarii Generales si sint Episcopi; — quidam autem dixerunt ut praeterea essent de iure Membra Conferentiarum etiam singuli Episcopi titulares in territorio degentes; — quidam vero expostularunt ut Episcopi titulares in territorio degentes essent de iure Membra Conferentiarum si peculiari aliquo munere fungerentur, cuiusmodi sunt v. g. Vicarius Castrensis, Rectores Universitatum Catholicarum, Adsistens Nationalis Actionis Catholicae; — unus vel alter denique censuit ut ius interessendi Conferentiae Episcoporum tribueretur quoque alicui peculiari delegato seu deputato a Conferentia Superiorum Maiorum religiosorum, quorum domus canonice erectae sitae essent in territorio.

b) Quod attinet ad suffragium ferendum ab his qui Conferentiae Episcoporum legitime intersunt: Patres nonnulli dixerunt omnes Episcopos gaudere iure ferendi suffragium deliberativum ratione characteris episcopalis, cuius titulo Conferentiae intersunt; — alii autem Patres dixerunt ius suffragii deliberativi tribuendum esse solummodo Episcopis residentialibus aliisque qui potestate iurisdictionis pollent, cuius ratione Episcopi inter Membra Conferentiae computantur; — quidam denique statuendum dixit ut in Conferentiis singulae dioeceses uno dumtaxat suffragio fruerentur.

Quoad Membra Conferentiae, perpensis animadversionibus Patrum et prae oculis habitis Litteris Apostolicis « Sacram Liturgiam », Commissio Conciliaris novum textum proponere censuit, in quo inter Membra Conferentiae recensentur omnes Episcopi qui ministerio animarum quoquo modo incumbant. Ut autem in rebus statuendis praeminens potestas servetur Episcopis, quibus vel actu vel futuro iure cura dioecesis collata est, iis tributum est ius suffragii deliberativi.

De suffragio autem deliberativo vel consultivo Episcopis Auxiliaribus vel aliis Episcopis titularibus tribuendo, Statuta singula Conferentiarum cavebunt.

4) De Conferentiarum statutis in huius novi schematis n. 36, 3° simpliciter edicitur uniuscuiusque Conferentiae propria statuta condenda esse, quae semper Sedis Apostolicae recognitione indigent. Ibidem praeterea quaedam opportuna Conferentiarum Consilia seu Officia solummodo exempli gratia demonstrative commemorantur.

5) In Aula a Patribus amplissime disceptata est quaestio utrum decisiones Conferentiarum vim iuridicam habere debeant, necne. Tres autem sen-

tentiae ab aliis aliisve affirmatae sunt, quidam namque vellent ut Conferentiarum decisiones vera et propria vi iuridica obligandi praeditae esse valeant, quidam vero optarent ut praefatae decisiones una tantummodo vi morali obligandi gaudeant, quidam denique censerent quod eiusmodi decisionibus nulla vera vis obligandi sit agnoscenda vel tribuenda.

Patres, praeterea, qui vim iuridicam decisionum Conferentiarum defendunt, non omnes inter se consentiunt in determinando quaenam revera sint decisiones quibus ea vis competere debeat et quot suffragiis sint ineundae.

Quibus omnibus mature perpensis, Commissio de Episcopis et dioecesium regimine ea confirmanda esse statuit quae in priore schemate iam proponebantur, hac praecipue de causa, quia videlicet in approbata et promulgata Constitutione huiusce Concilii Vaticani II « de Sacra Liturgia » decernitur Conferentias Nationales vi iuridica pro tota natione pollere quoad certas res liturgicas.

Sic igitur, omnibus fere Commissionis Patribus consentientibus in n. 36, 4° statuendum proponitur ut Conferentiae decisiones solummodo vim iuridicam obligandi habeant, si ad res attinent de quibus aut ius commune expresse id praecipiat ac decernat, aut de quibus expressum exstet Apostolicae Sedis mandatum, sive motu proprio statutum sive ad petitionem eiusdem Conferentiae. Dicitur autem quod in casu decisiones iniri debent « per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum quibus ius est Conferentiae interesse », quia in propriis Statutis Conferentiae maior suffragiorum numerus quandoque exigi potest, et insuper ad hoc ut non contingat minorem Episcoporum partem imponere iuridicas obligationes parti maiori Episcoporum.

6) De Conferentiis Internationalibus diversae a Patribus sententiae in Aula expositae sunt.

In schemate, n. 36, 5° de iisdem pauca brevissime dicuntur, cum de novis Institutis agatur, quae bonum commune fraterne promovere possunt.

7) Quoad n. 36, 6° Commissio Conciliaris propositionem desumpsit e schemate Decreti « De Ecclesiis Orientalibus », paulisper illam immutando, ad commendandam cooperationem et coordinationem Ecclesiarum particularium diversorum rituum in determinato territorio exstantium, quando praesertim agitur de bono communi in toto territorio tutando vel provehendo.

In *art. II* agitur « de provinciarum ecclesiasticarum circumscriptione atque de regionum ecclesiasticarum erectione ».

Praeprimis in n. 37 explicatur quaenam sit earum opportunitas et utilitas ad pastorale munus melius explendum; deinde vero in n. 38, 1° et 3° generali modo decernitur ut praefatae provisiones adhibeantur quo faciliores ac fructuosiores relationes inter Episcopos foveantur, itemque relationes Episcoporum cum civilibus Auctoritatibus aptius componantur; ac demum in eodem n. 38, 2° statuitur ut « pro regula habeatur » principium de uniendis in nova provincia ecclesiastica vel de aggregandis provinciae ecclesiasticae iam exstanti, si fieri possit, dioecesibus, quae Apostolicae Sedi hucusque immediate subduntur.

In n. 27 § 3 schematis Decreti « De Episcopis ac de dioecesium regimine » norma modo generali et absoluto proponebatur de abrogando instituto iuridico immediatae subiectionis dioecesium Apostolicae Sedi; nunc autem hac de re mitior norma proponitur, quia nonnulli Patres animadverterunt nonnumquam contingere posse ut ad bonum animarum melius promovendum eiusmodi immediata dioecesium subiectio Apostolicae Sedi sit conservanda.

In n. 39 studium de provinciarum circumscriptione apte determinanda et de regionibus opportune erigendis Episcoporum competentibus Conferentiis committitur, ad normam superius praefinitam in nn. 21 et 22 quoad congruentem dioecesium circumscriptionem faciendam.

In *art. III*: « *Episcopi munere interdioecesano fungentes* » Commissionis Patribus opportunum visum est in n. 40 quodammodo commemorare illorum Episcoporum munus, qui quamvis nec Auxiliares nec Coadiutores Episcoporum sint, pro pluribus tamen Ecclesiis ministerium peculiare magni momenti exercent. Id vero fecerunt ob duplicem finem: nempe, primo, ut eorumdem cum Episcopis dioecesanis collaborationem mutuamque animorum in sollicitudine pastorali conspirationem commendarent et, secundo, ut necessitatem exprimerent eorumdem Episcoporum munus rationesque cum Episcopis dioecesanis iure communi definiendi.

Peculiari modo in n. 41 de Vicariatibus Castrensibus fit sermo, quorum erectio in unaquaque natione commendatur quo aptius consulatur spirituali militum curae, pro qua sacerdotes vere idonei providendi sunt.

Conclusio

Ad textum novi huius schematis elaborandum Commissionis Patres in quinque Subcommissiones distributi sunt, ut singula eius capita separatim accuratius appararentur, quae deinde ab omnibus Patribus coniunctim disceptarentur, emendarentur, approbarentur. Ab uniuscuiusque Subcommissionis Relatore et proprio Secretario, inter Peritos Conciliares selecto, textus confectus est habita etiam ratione animadversionum, quas Concilii Patres sive verbis in Aula sive in scripto proposuerunt de schemate Decreti « De Episcopis et de Dioecesium regimine », nec non de schemate Decreti « De cura animarum » quod attinet ad ea, de quibus agitur in novo schemate Decreti « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ».

Praefatus huiusmodi textus communicatus est cum omnibus Commissionis Patribus et cum pluribus Peritis Conciliaribus, ut de eodem suas quisque animadversiones proponeret, postea a Patribus accurate perpendendas cum respectivae Subcommissionis, tum totius Commissionis. Sic igitur diebus 3-5 martii nuper elapsi singulae Subcommissiones proprium textum recognoverunt, qui denique subsequentibus diebus 6-12 in coetu plenario Commissionis diligenter examinatus et perpolitus est. Quamobrem omnes et singuli articuli seu numeri integri schematis suffragiorum unanimitate, aut certe longe maiore suffragiorum parte approbati sunt.

2 – INDEX

PARTIUM SCHEMATIS DECRETI
DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA
QUAE IN CONCILIO DISCUTIENDAE PROPONUNTUR

Hoc folium Patribus distributum est in congregatione generali LXXXII, die 17 septembris 1964.

In hoc indice indicantur partes schematis Decreti, quae depromptae sunt ex schemate Decreti De cura animarum *vel ex novo a Commissione de Episcopis et dioecesium regimine confectae sunt, ad mentem Patrum.*

3 – Em.mus P. D. PAULUS card. MARELLA
Commissionis praeses

INTRODUCTIO

Eminentissimi Praesides et Moderatores
Venerabiles Patres
Dilectissimi Observatores et Auditores

Antequam Excellentissimus Relator, a Commissione Conciliari designatus, suam faciat relationem, liceat mihi, ad modum introductionis, quaedam referre de causis recognitionis novi schematis necnon de impenso studio ac labore a nostra Commissione peracto ad schema redigendum.

I. Ex praescripto Commissionis de laboribus Concilii coordinandis, quod ceterum omnino respondebat voto a pluribus Patribus in hac Aula expresso quando in Secunda Sessione de schemate Decreti « De Episcopis ac de dioeceseon regimine » disceptatum est, in uno eodemque Decreto principaliora etiam statuta alius Decreti « De cura animarum » referri debuerunt. Hinc novus titulus schemati datus est, videlicet « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ».

II. Ut autem tota materia pertractanda opportune determinaretur et apte disponeretur, universi Exc.mi Sodales Commissionis Conciliaris in quinque Subcommissiones distributi sunt, quae sedula opera, adiuvantibus Peritis, novum schema apparaverunt, attente perpensis animadversionibus, votis et emendationibus, quae a Patribus vel in Aula Conciliari vel in scriptis proposita fuerant quaeque octo voluminibus diligenter collecta sunt.

Textus novi schematis per partes a subcommissionibus praestitutus, accurate in peculiari coetu Relatorum et Secretariorum quinque Subcommissionum mense ianuario disceptatus et perpolitus est ac deinceps in Coetu plenario mense martio huius anni accuratissime recognitus est et nonnullis factis innovationibus a Membris Commissionis adprobatus est.

Schema deinde iudicio Patrum Commissionis de laboribus Concilii coordinandis exhibitum est qui votum suum favorabile dederunt atque cito remittendum esse universis Concilii Patribus statuerunt.

III. At Commissio Conciliaris, superioribus diebus in Coetum Plenarium conveniens, novas propositiones schemati addendas esse censuit, de quibus loquetur nunc Relator designatus.

Patet proinde quanta cum diligentia atque patientia, quantoque studio et amore adlaboraverint universi Sodales Commissionis nostrae, Membra et Periti, ad hoc schema Decreti apparandum et expoliendum, eisque plurimas gratias ex corde agimus, spe freti quod Vos quoque, Venerabiles Patres, eorum opus laude dignum habere possitis et, opportunis utique vel necessariis factis emendationibus, huiusmodi schema Decreti probandum esse statuatis.

Venerabiles Patres,

IV. Antequam iudicium vestrum feratis, considerate, quaeso, notitias, quae in Appendice fasciculi referuntur de studiis ac laboribus a Commissione de Episcopis et dioecesium regimine, superioribus annis, diligenter peractis pro exarando schemate Decreti « De cura animarum ».

In praecedenti schemate « De cura animarum », quod elapso anno Vobis omnibus transmissum fuit, multa proponebantur de re pastorali argumenta normaeque iuridicae et consilia practica proferebantur tum in Decreto proprie dicto tum in Appendicibus eidem adnexis.

Nunc autem in praesenti schemati Decreti « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » innumerae quaestiones vel nullo modo indicantur vel solummodo innuuntur: schema enim summa tantum principia continet atque proponit.

Iamvero tantus labor inanis in Domino non fuit, sed profecto magni pretii magnaeque utilitatis erit.

Siquidem permulta examinata et excussa de re pastorali argumenta, tot elaborata a Patribus et Peritis studia ac vota, tam magna producta animadversionum et documentorum copia, quae fere universum apostolatus campum comprehendere videntur, non solum constituunt praeclarum testimonium pastoralis sollicitudinis Ecclesiae Pastorum, sed etiam, quin immo praecipue, uberrimum praebent fontem investigationis ac studii amplissimamque efficiunt consiliorum et normarum collectionem pro recognoscendo Codice Iuris Canonici et pro conficiendis Directoriis illis pastoralibus, quae a multis Sacris Praesulibus exoptantur.

Quapropter in numero quadragesimo secundo schematis nostri mandatum generale proponitur, ita ut de omnibus laboribus peractis necnon de animadversionibus a Concilii Patribus prolatis debita habeatur ratio in novis legibus ferendis et in documentis pastoralibus apparandis.

4 – EXC.MUS P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. Parisiensis

RELATIO

Venerabiles Patres,

Iam antea, in secunda nempe huius Concilii sessione, a vobis disceptatum est schema « De Episcopis ac de dioecesium regimine », cuius schema hodie vobis propositum est forma emendata, immo et penitus reformata.

Em.mus ac Rev.mus Cardinalis Praeses Commissionis vobis exposuit quibus rationibus ducta et qua methodo utens Commissio adlaboravit in reformato hoc schemate extruendo et componendo.

Modo huius schematis, cuius singuli articuli suffragiorum longe maiore parte vel etiam unanimitate approbati sunt, vobis exponam primo notas proprias atque divisionem, ut deinde, in altera parte, quae nova in eodem admissa sunt breviter illustrem.

I

1. *Notae propriae* novi schematis imprimis exponuntur.

a) Primo apparet *propositum plura contrahendi in unum.*

Amplam materiam nobis iam praebebant duo priora schemata, quibus accedebant non paucae considerationes ex Appendicibus desumptae, quippe quas aliqui Patres tanti momenti aestimaverint ut in ipsum schematis textum inducerentur.

Quae vero particularia nobis visa sunt praetermisimus, illud praecipue intendentes ut munerum quibus in Ecclesia funguntur Episcopi principia altiora traderemus et figuram Episcopi sua ipsius officia in Ecclesia navantis componeremus. Maximi quidem momenti est ut synthetice integrum Episcoporum pastorale munus consideretur, quod hucusque a nullo umquam Concilio factum est quodque ut complementum doctrinae in Concilio Vaticano I definitae omnino requiri apparet.

Novus inde ordo materiae et nova textus redactio curanda erant, ut singulae quaestiones apte inter se coordinarentur et schema ad aliquam unitatem redigeretur.

b) Praeterea, ut Episcopi figura extruatur, *necesse est ut haec nostra expositio firmiter in doctrina theologica de Episcopatu innitatur.*

Hoc propositum, quod quidem consentit cum votis multorum Patrum, a nullo nostrae Commissionis Sodali umquam in dubium vo-

catum est. Nam antequam elaboratio schematis Constitutionis « De Ecclesia » perficeretur, Em.mus ac Rev.mus Cardinalis Praeses Marella coram vobis in Aula, haec proferebat: « patet profecto quod, postquam eiusmodi doctrina (i. e. de Ecclesia) rite determinata et approbata fuerit, eidem plene et perfecte aptabuntur notiones et conclusiones quae in schemate Decreti « De Episcopis et dioecesium regimine » continentur et ordinem seu relationem habent cum doctrina theologica de Episcopatu ».

Ad nostram Commissionem quidem non pertinet doctrinam de Episcopatu tradere theologicam. Illas vero propositiones et conclusiones theologicas iuxta doctrinam in Constitutione « De Ecclesia » traditam in hoc nostro schemate assumendas aestimavimus, quae ad perfectam et theologice fundatam de Episcoporum in Ecclesia munere expositionem requiruntur.

Quod si per suffragationem quaedam in schemate « De Ecclesia » mutanda statuantur, eorundem ratio et in textu huius schematis habebitur. Praeterea semper assertiones huius schematis ad mentem doctrinae in Constitutione « De Ecclesia » traditae, intellegendas atque declarandas esse constat.

c) Denique hoc intenditur *ut expresse de pastorali officio Episcopi in Ecclesia pertractetur.*

Hoc propositum indoli propriae Concilii Vaticani II, uti illam definierunt Ioannes XXIII, immortalis memoriae, atque Paulus VI, feliciter regnans, respondere manifestum est. Hac ratione Commissio hoc schema inscribendum censuit: « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ». Licet enim tria distinguantur Episcoporum munera in Ecclesia, integrum eorundem officium seu munus qualitate pastorali ornatum est. Pastoralis enim est modus docendi, sanctificandi atque gubernandi. Docet Episcopus, non ut Sacrae theologiae aut sacrorum canonum magister, sed ut pastor. Sanctificando, non tantum curat ut sacramenta rite administrentur, sed sollicitus est ut fideles in fide viva instruantur et ad paschale mysterium participandum adducantur. Gubernat Episcopus, non modo ut ita dicam administrativo, sed tanquam pastor ovium.

Aliunde verbum « munus » in praesenti schemate frequenter usitatum, sensum habet a Constitutione « De Ecclesia » desumptum. Hoc enim verbo significatur officium seu ministerium docendi, sanctificandi et pascendi — simulque cum eodem cohaerens potestas — quod autem sedulo ab eiusdem exercitio distingui debet. De iis quae hoc exercitium respiciunt, in Directoriis quae componentur tractabitur.

2. *Divisio schematis et ordo in eodem servatus* declarantur.

Prooemium schematis, cuius principaliora elementa desumpta sunt

ex prooemio generali atque ex prooemio primi capitis schematis « de cura animarum », fundamentum praebet universi muneris Episcoporum, scilicet *missionem* quam Christus dedit Apostolis atque inde eorum successoribus, Episcopis. Haec missio considerari dicitur attentis « conditionibus hominum consociationis, quae nostra hac aetate ad novum fertur ordinem ». Praeterea divisionem annuntiat schematis in tria capita, in quibus diversi successive aspectus muneris seu officii Episcoporum in Ecclesia considerantur.

Exinde, *Caput primum* de Episcoporum ministerio quoad universalem Ecclesiam agit, iuxta ea quidem quae in Constitutione « de Ecclesia » declarantur, cum hoc ministerio eminenter splendescat Ecclesiae servitium, quod adimplere valent Episcopi ut membra Collegii una cum Romano Pontifice et sub Eius auctoritate.

Deinde *Caput secundum* de Episcoporum munere in propria dioecesi tractat.

Tandem *Caput tertium* de munere quod aliqui Episcopi coniuncti quoad plures simul dioeceses exercent sermonem facit. Hic ergo agitur tantum de exercitio collectivo potestatis propriae inhaerentis cuique Episcopo, quod caute distinguendum est ab exercitio collegialitatis.

II

Modo *illustranda veniunt quae nova in hoc schemate habentur, quorum index vobis traditus est*

1. *Prooemium,* quod pro parte novum est, sufficienter iam illustratum est.

2. *Caput secundum,* quod inscribitur « De Episcopis quoad Ecclesias peculiares seu dioeceses », in tres dividitur articulos, in quibus successive considerantur Episcopi dioecesani, Dioecesium circumscriptio, et tandem Episcopi dioecesani cooperatores. Cum novae tantum sint materia articuli primi atque pro parte etiam materia articuli tertii, de his solis in hac generali relatione est agendum.

Articulus primus Episcopos dioecesanos considerat, Episcopos scilicet in ea functione quae est ut singuli assignatas sibi dominici gregis partes seu dioeceses tanquam proprii pastores regant. Unde, qui hucusque, ex obligatione residendi, « residentiales » dici consueverunt, deinceps, mutato in melius nomine, « dioecesani » vocabuntur.

Imprimis, in n. 11, definitio quaedam traditur dioecesis, petita non ex eiusdem territoriali structura, sed ex diversis intrinsecis ipsius elementis.

Deinde breviter declaratur natura potestatis Episcopi dioecesani, tum in se, tum in ordine ad Pastorem universalis Ecclesiae. Statuitur demum generale principium respiciens et personas in quas et modum iuxta quem Episcopus curam gerere debet pastoralem: in sua enim dioecesi ipse veluti « missionarius » proponitur, nullis parcens laboribus, nullam non quaerens aberrantem ovem quam ad Christum adducat.

In subsequentibus nn. 12-18 tria munera episcopalia in concreto describuntur. De quibus multa plura profecto dicenda erant, sed de mandato competentis auctoritatis, quaestiones curam animarum respicientes in breviores erant constringendae enuntiationes.

In nn. 12-13-14 de *docendi munere* agitur: exponuntur *finis* quem magisterium Episcopi prosequi debet, *ratio* seu methodus, qua tradenda est doctrina et indicatur quibusnam *instrumentis* hodie utendum sit in eadem exponenda. Peculiaris mentio reservatur catecheticae institutioni, cuius indigitantur finis et subiecta, methodus et subsidia adhibenda.

In n. 15 subdit *munus sanctificandi,* per quod Episcopi figura in suo veluti theologico centro collocatur.

Ultimo loco, in n. 16, venit *munus regendi*: spiritus indicatur quo agatur oportet Episcopus ut Boni Pastoris imaginem plene referat.

Postea *quaedam apostolatus formae,* quippe quae nostris temporibus peculiari ratione fovendae sint, expresse memorantur (n. 17) atque *quorundam fidelium coetuum* pastoralis cura peculiari Episcopi sollicitudini commendatur (n. 18).

Tandem denique, cum Episcopi in munere suo, spirituali quidem obeundo, liberi sint oporteat atque independentes a civili potestate, cumque ideo eorum nominatio ad unam pertineat Auctoritatem ecclesiasticam, nuperrime Commissioni de Episcopis et dioecesium regimine, in coetu plenario, opportunum visum est ut in schemate huius Decreti numeri 18 bis et 18 ter adderentur, quorum textus heic proponitur Patribus.

N. 18 bis (*Episcoporum libertas eorumque cum publicis potestatibus rationes*).

In suo apostolico munere obeundo, quod animarum salutem intendit, Episcopi per se plena ac perfecta gaudent libertate atque independentia a quacumque civili potestate. Quare non licet eorum muneris ecclesiastici exercitium directe vel indirecte impedire neve eos prohibere quominus cum Apostolica Sede aliisque Auctoritatibus ecclesiasticis et cum suis subditis libere communicent.

Profecto Sacri Pastores, dum in spiritualem sui gregis curam in-

cumbunt, reapse sociali quoque et civili profectui ac prosperitati consulunt, actuosam in hunc finem cum publicis auctoritatibus, pro sui officii ratione, operam consociantes atque iustis legibus oboedientiam et legitime constitutis potestatibus reverentiam, ut decet, suadentes.

N. 18 ter (*Libertas in Episcoporum nominatione*).

Cum apostolicum Episcoporum officium sit a Christo Domino institutum atque spiritualem et supernaturalem finem prosequatur, Sacrosancta Oecumenica Synodus declarat ius nominandi et instituendi Episcopos esse competenti Auctoritati ecclesiasticae proprium, peculiare et per se exclusivum.

Quapropter ad Ecclesiae libertatem rite tuendam et ad christifidelium bonum aptius et expeditius promovendum in votis est Patrum ut in posterum nulla amplius laicis concedantur iura aut privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis ad Episcopatus officium et ut ii quibus hucusque concessa sunt iisdem libenter renuntient.

Sed animadvertendum est quod, cessante iure praesentationis, nominationis vel electionis, semper vigeret in favorem Guberniorum privilegium *praenotificationis officiosae* promovendorum ad Episcopatum.

In articulo tertio agitur de Episcopi cooperatoribus in munere pastorali inter quos — praeter Episcopos Coadiutores et Auxiliares de quibus iam in praecedenti Sessione disceptatum est —, adnumerantur praesertim Presbyteri necnon Religiosi.

In primis autem, in numero 25, principium enuntiatur de *Curia dioecesana* ita ordinanda ut aptum instrumentum fiat etiam ad opera apostolatus exercenda, et idcirco suadetur ut Consilium pastorale instituatur, cuius erit investigare atque perpendere ea quae ad pastoralia opera spectant et coetus moderari qui de particularibus actionibus pastoralibus curant.

Commissio autem Conciliaris proponit ut, iuxta quoque optata plurium Patrum, huic n. 25 addatur, tamquam primum comma, textus tradens notionem de Vicario Generali et de Vicariis Episcopalibus, quae exhibetur in pagina 28, nota 17 schematis Decreti.

In n. 26 exponitur quomodo oporteat non solum ut singulorum sacerdotum dioecesanorum voluntates plene cum Episcopo consocientur, sed etiam ut iidem magna caritate inter se sint uniti. In memoriam praeterea revocatur obligatio qua tenentur impendendi superflua bona temporalia, quae occasione officii sacri sibi comparant, ad pauperes adiuvandos et ad dioecesis necessitates sublevandas.

Hodiernae vitae condiciones omnino exigunt ut paroecialis structura compleatur per apostolatus opera indolis supraparoecialis, de quibus proinde agitur in n. 27.

De *parochorum* officio, in n. 28 breviter exponuntur quae attinent ad finem actionis pastoralis, ad curam de omnibus habendam, ad opus magisterii et opus sanctificationis et officium pastoris exsequendum.

In n. 29 principium enuntiatur de libertate qua Episcopus frui debet in nominatione parochorum facienda, et ideo proponitur ut quaelibet iura praesentationis, nominationis vel reservationis supprimantur, salvo tamen iure Superioris Religiosi quoad designationem suorum subditorum quos ipse Superior melius cognoscere potest.

Item, expresse statuitur ut stabilitas parochorum, et proinde etiam eorundem amotio vel translatio unice dependeant ex cura animarum apte exercenda. In Codice Iuris Canonici recognoscendo normae praefinientur in re servandae.

Praeterea, propter eandem rationem boni animarum principium statuitur de renuntiatione facienda a parochis, qui ob ingravescentem aetatem impediuntur ab officio rite et fructuose adimplendo; de quibus admittitur norma similis illi quae pro Episcopis statuitur.

De *Religiosis* agitur quatenus opera apostolatus in dioecesi exercent. Qua de re duo principia in n. 33 enuntiantur:

1) Sarta tecta sit oportet dioecesana disciplina sub auctoritate Episcopi in iis quae attinent ad muneris pastoralis exercitium; Episcopus enim, in dioecesi, dux est apostolatus;

2) Religiosi debent se vere Religiosos praebere, ut fructuose in sacro ministerio adlaborare queant.

Hinc, ex primo principio infertur Religiosos ab Episcopo advocari posse ad varia ministeria pastoralia exercenda, praesertim ad paroecias regendas; itemque Religiosos praescriptionibus Episcopi subiici in his quae spectant ad curam animarum, ad praedicationem verbi Dei, ad catecheticam institutionem, ad opera apostolatus, ad decorem status clericalis.

Attamen, expresse declaratur in suo robore manere privilegium exemptionis Religiosorum, quod *ordinem* Institutorum *internum potissimum* respicit. Quod attinet autem ad *ordinem externum,* casus eorum dependentiae ab Episcopo considerari debent maiori cum amplitudine: « prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt » (Pius XII, Alloc. 8 dec. 1950).

Sed animadvertendum est praeterea quod exemptio Religiosis ideo concessa est ut Summus Pontifex de iis facilius disponere possit pro inceptis in bonum Ecclesiae universae.

At magna pars apostolatus, hodiernis, praesertim temporibus, est supradioecesana, imo et universalis, et idcirco immediatus Apostolicae Sedis interventus requiritur.

Sic itaque haec tria prae oculis habeantur oportet: 1) quammaxima Religiosorum perfectio in ordine interno est procuranda; 2) integra esse debet Religiosorum facultas ut a Romano Pontifice vocari valeant iuxta boni communis totius Ecclesiae exigentias; 3) libera servanda est facultas Episcopi ordinandi et moderandi opera apostolatus, quae in dioecesi perficiuntur.

Ratione huius postremi principii dicitur in schemate, n. 32, Religiosos sacerdotes « vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere », et alios Religiosos, viros vel mulieres, « peculiari ratione partes esse familiae dioecesanae ».

Adnotare iuvat quod Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, eiusmodi doctrinam aperte exposuit die 23 maii 1964: « Magnopere Nobis cordi est ut religiosorum sodalium navitas cum Sacrae Hierarchiae normis concordi ratione procedat. Religiosorum enim Ordinum exemptio nullo modo constitutioni, divinitus Ecclesiae datae, repugnat, vi cuius quilibet sacerdos, praesertim in sacri ministerii perfunctione, Sacrae Hierarchiae parere debet ».

Venerabiles Patres,

Si multas ob causas Constitutio « De Ecclesia » iure habenda est ut praecipuum Concilii Vaticani II opus, vobis non effugiet momentum huius schematis. Etenim nonnisi per munera episcopalia pastoraliter exercenda, universo orbi apparebit Ecclesia « sine macula, sine ruga », ut haud raro Ioannes XXIII, sanctae memoriae, affirmare solebat. Hoc autem schema id praesertim intendit ut munera episcopalia declarentur eorumque pastoralis ratio affirmetur; ut singuli Episcopi, tanquam propriae gregis pastores et Ecclesiae universalis sponsores, in posterum ad bonam frugem perducant huius Concilii labores; ut omnes et singuli Episcopi, una cum Romano Pontifice concordes, huius aetatis condicionibus apte respondere valeant.

APPENDIX

De variis redactionibus et recognitionibus schematis Decreti « De cura animarum »

Commissioni de Episcopis ac dioeceseon regimine praeparatoriae Concilii Oecumenici Vaticani Secundi gravissimum et amplissimum inter alia commissum fuit argumentum pertractandum, quod inscribebatur: « Praecipuae de animarum cura quaestiones »; *gravissimum,* quia arduae sunt huiusmodi quaestiones, multae quidem prudentiae magnique consilii, attentis praesertim hodiernis apostolatus necessitatibus atque difficultatibus; *amplissimum* vero argumentum, quia innumera sunt pastoralia problemata, quae Sacrorum Pastorum animum percellunt, quaeque nullis limitibus circumscripta, totam fere ecclesiasticam disciplinam comprehendere possunt.

Idcirco consultationes multae factae sunt, antequam studii ac laboris limites rationesque definirentur. Universi Commissionis praeparatoriae Sodales, Membra et Consultores, consociatam operam contulerunt: octo apparata fuerunt schemata; decem et octo vota exhibita sunt et quinquaginta responsiones in scriptis datae sunt a Sodalibus Commissionis.

Schema Decreti, quod Commissioni Centrali praeparatoriae Concilii propositum fuit, tres habuit conscriptiones seu redactiones: amplissimam (octoginta paginarum absque notis), breviorem (quinquaginta paginarum) et brevem (triginta sex paginarum).

Redactio brevis, Commissioni Centrali proposita, in duas dividebatur partes, quarum prior de cura animarum in genere agebat, altera vero de cura animarum in particulari.

Prior pars duo capita habebat, quorum prius principia generalia enunciabat de redemptione universali per Apostolos in Ecclesia communicanda, de actione pastorali in Ecclesia et de actione Episcoporum ad redemptionem communicandam hominibus; alterum caput practicas normas proponebat de delectione et institutione Cooperatorum Episcopi; de Episcopo magistro et doctore fidei; de Episcopo pontifice; de Episcopo patre, pastore et servo; de Episcopo sponsore Ecclesiae universalis.

In altera parte schematis, quae de cura animarum in particulari agebat, normae practicae statuebantur pro spirituali quorumdam fidelium coetuum, qui in difficilioribus adiunctis versantur et proinde stabilem et ordinatam curationem habere plerumque non possunt: scilicet de emigrantibus, maritimis, aëronavigantibus, nomadis, peregrinatoribus seu *turistis,* et de fidelibus materialismi erroribus infectis. In Commissione Centrali Patres hanc mentem patefecerunt: ut schema propositum, laude sane dignum, brevius fieret et cum aliis similibus schematibus in unum componeretur.

Hoc opus aggressa est Commissio de Episcopis et operam contulerunt Secretarii et Periti aliarum Commissionum, praesertim de disciplina cleri et populi christiani et de Religiosis, quarum intererat.

Communes conclusiones subiectae sunt examini Subcommissionis Centralis de materiis mixtis, quae rursus schema reduxit et cum aliis schematibus apte composuit, novum schema redigens, cui titulus « De pastorali Episcoporum munere deque cura animarum ».

Hoc novum schema in duas dividebatur partes, quarum prior quattuor capita comprehendebat scilicet: 1) de Episcoporum officiis; 2) de rationibus inter Episcopos et parochos deque obligationibus ac muneribus parochorum; 3) de parochorum nominatione deque eorumdem stabilitate, amotione et translatione; 4) de rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera exercenda.

Altera vero pars in octo capita erat dispertita: id est: 1) de catechetica populi christiani institutione; 2) de pastorali cura fidelium opificum; 3) de pastorali cura fidelium migrantium; 4) de pastorali cura fidelium maritimorum; 5) de pastorali cura fidelium aëronavigantium; 6) de pastorali cura fidelium nomadum; 7) de pastorali cura fidelium peregrinatorum; 8) de pastorali cura fidelium ne materialismi erroribus inficiantur.

Huiusmodi schematis duae editiones curatae sunt ab ipsa Subcommissione Centrali Cardinalitia de materiis mixtis; una amplior, quae nonaginta paginis constabat absque notis; altera brevior, quae sexaginta paginas habebat.

Redactio brevior, cui titulus datus est « De cura animarum », opportunis notis instructa, quas ipsa Commissio Conciliaris apponendas curavit, typis edita est in serie tertia schematum Constitutionum et Decretorum, ex quibus argumenta in Concilio disceptanda selecta sunt (Typis Polyglottis Vaticanis, 1962, pp. 91-180).

Mense ianuario anni 1963 schema Decreti « De cura animarum » iudicio Patrum Commissionis de laboribus Concilii coordinandis subiectum fuit. Quae Commissio, E.mo Cardinali Döpfner referente, statuit, ut quaedam capita recognitioni Codicis Iuris Canonici demandarentur, quaedam vero Directorio vel Manuali pastorali conficiendo. Quaestiones autem de cura animarum in Concilio ita pertractari deberent: Congregationi Generali brevissima quaedam « Resolutio » proponenda erat, continens et mandatum ad rem in Codice Iuris Canonici recognoscendo tractandam vel ad Manuale aut Directorium conficiendum et principia fundamentalia atque normas directivas generalissimas de materia in his documentis elaboranda. Haec vero materia in Concilio Patribus tradenda erat per modum Appendicis ad schema: appendices tamen in Concilio non erant discutiendae, sed unusquisque Pater libere poterat animadversiones suas scripto facere easque remittere Secretario Generali.

Huiusmodi decisiones litteris diei 31 ianuarii 1963 Commissioni Conciliari nostrae significatae fuerunt et statim peculiaris Subcommissio Membrorum et Peritorum opus recognitionis schematis ad mentem Commissionis de laboribus Concilii coordinandis aggressa est illudque absolvit die 20 martii 1963. Commissio de laboribus Concilii coordinandis schema noviter

digestum pleno consensu die 26 martii adprobavit laudibusque cumulavit, ita ut schema, typis impressum, remitti potuerit universis Concilii Patribus mense maio eiusdem anni.

Iamvero schema constabat Decreto in Congregatione Generali discutiendo et septem Appendicibus, de quibus in Aula Conciliari nulla facienda erat disceptatio.

Attamen ob temporis angustias sic apparatum schema examinari non potuit perdurante secunda Sessione Concilii.

Moderator: Maximas gratias agimus em.mo praesidi et exc.mo relatori pro introductione et toti commissioni pro labore strenue confecto.

Audiant nunc Patres! Patres, qui de schemate hoc loqui velint, bene advertant disceptationem solummodo fieri de partibus nondum discussis, i. e. de prooemio et de iis numeris cap. II in elencho nobis tradito assignatis.

Quoad prooemium audivimus modo ab exc.mo relatore propositiones doctrinales in hoc schemate statuendas sive mutandas esse secundum suffragia de cap. III in schemate *de Ecclesia,* proinde hic videntur non esse discutiendae.

Patres enixe rogantur ut, loquendo, inter hos limites remaneant.

5 – PATRUM ORATIONES

4

EM.MUS P. D. PAULUS CARD. RICHAUD

Archiepiscopus Burdigalensis

Em.mi ac venerabiles Patres,

De cap. III huius schematis, scil. quoad munus pastorale episcoporum in Ecclesia, et speciatim in eorum munere regendi dioeceses suas, intendo reverenter et simpliciter proponere quasdam observationes practicas, quae sunt maximi momenti in concreta re pastorali.

Existimo enim, ni fallor, quod ad commissionem postconciliarem de revisione Iuris Canonici nimis puncta reservantur de quibus oporteret forsan quod Concilium ipsum statueret. Quamvis em.ma ac rev.ma membra huius commissionis certo certius pollent singulari scientia ac competentia, auctoritatem suppletivam et necessariam gaudebunt si omnes Patres in aula antea determinant quaedam principia essentialia, meo sensu,

ad dirimendas aliquas res *practicas sed*[1] praestantiores in regimine ecclesiastico.

In primis venit quaestio, omnino gravis et urgens, de modo amotionis et translationis parochorum, quae non satis accurate exponitur pag. 18 fasciculi sub n. 29.

Sunt etenim permulti sacerdotes qui, ferventer in memoriam revocando promissionem oboedientiae solemniter in ordinatione sacerdotali prolatam, repente ac sine ulla haesitatione accipiunt ex animo generoso novam nominationem a praelato nuntiatam. Deo Gratias!

Sed pro aliis qui aliquas difficultates plus minusve legitimas praebent, quid faciendum, si vere volumus regimen pastorale assumere ob bonum commune dioeceseos et secundum evangelisationem efficacem animarum cum ratione obiectiva et coniuncta?

Fateor simpliciter quod actuales dispositiones Iuris Canonici mihi videntur non respondere hic et nunc ad realem experientiam. Sane, bene proponuntur causae quae legitimant amotionem aliquam. Sed, in casu reluctantiae, obligatio alicuius recursus ad quosdam consultores, inter clerum electos, non est sine duplici periculo. Primum adest quod isti digni consultores, extra curiam dioecesanam assumpti, non cognoscunt vere conditionem anteriorem huius sacerdotis de quo agitur. Secundum periculum venit a diminutione evidenti auctoritatis episcopi qui sic ad iudicium suorum sacerdotum submittit causam de qua non potest aliquando omnia elementa proferre.

Atqui medium simplicissimum et quod non praebet ista incommoda et quod humiliter propono, est tantummodo recursus ab episcopo ad archiepiscopum provinciae huius sacerdotis, et ab archiepiscopo, si accidit de archiepiscopo, ad alium archiepiscopum determinatum, sicut habetur in causis matrimonialibus. Cur non in causis ecclesiasticis?

Iste modus revera impedit omnem sententiam arbitrariam et excessivam a parte episcopi et aliunde haec maior episcoporum libertas in amotione parochorum non est sine maxima consequentia erga actionem pastoralem et sanctitatem sacerdotalem. Tempus est ut, saltem pro parochis, aliqua notio medievalis evacuetur, i. e.: beneficii. Parochi sunt pro paroeciis, sed non paroecia pro parocho. Secus inutile est loqui de renovatione cleri, si servetur talis institutio quae vulnerat spiritum oboedientiae ac paupertatis. Porro sunt nunc multi sacerdotes qui aspirant ad talem adaptationem cum optimo sensu evangelico.

Praeterea de hoc schemate pauca alia dico. Valde optandum est ut Concilium determinet saltem aliquas materias secundarias circa quas conferentiae episcopales possint statuere sine recursu ad Sedem Apostolicam.

Dolendum est quod in hoc schemate nihil speciale dicitur pro quibus categoriis sacerdotum, qui eminenter digni sunt attentione, vigilantia et benevolentia: scil. professores et eleemosynarii sive actionis apostolicae sive institutorum.

Denique vellem, si placet Patribus, et certe certius sine animo personali, absit! aliquam molestiam manifestare quia in hoc schemate, optime praeparato, nihil invenio de archiepiscopis. In regimine ecclesiastico istud munus non est tamen sine utilitate: primo, ad coadunationem et adaptationem rerum pastoralium in aliqua provincia ecclesiastica vel in regione apostolica; secundo, forsan, pro certis materiis minoris momenti, ad levamen dignae et rev.mae Curiae Romanae, iam satis onerosae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis circa integrum cap. II *de Ecclesia*:

Praesentes votantes	2.190
Dixerunt *placet*	1.615
non placet	19
placet iuxta modum	553
Vota nulla	3

Ergo caput est approbatum. Attamen commissio, ut iam dictum est, rationem habebit modorum propositorum quamvis, ut dixi, caput sit approbatum.

5

EM.MUS P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

In foliis ad secretariatum missis posui quaedam quae nunc omitto quia non bene intellexi ea non pertinere nunc ad nostram discussionem, unde ista cancello apud secretariatum; unde ad pauca nunc me limito.[1]

In cap. II, parte I, par. 12 (pag. 10, lin. 17) dicitur munus docendi Evangelium esse praecipuum officium episcoporum. Hoc *utique* [2] aliquo sensu verum est *in quantum est munus fundamentale praeficiendum omnibus aliis muneribus, sed* [3] tamen munus praedicandi ordinatur *simpliciter* [4] ad munus Deum colendi et fideles sanctificandi quod absolute loquendo est munus principale sacerdotii sive maioris sive minoris.

In eodem cap. II, parte III, par. 28 ...[5] *ubi summatim exponuntur munera parochorum,*[6] nihil dicitur *de*[7] munere confessiones audiendi neque de munere adsistendi morientibus, *quae munera, ut aestimo, omnino spectant ad munera principaliora parochorum.*[8]

In eodem cap. II, parte III, par. 31-33 ...[9], *habemus totam materiam de religiosis respectu Ordinariorum, respectu episcoporum; ego pro parte mea*[10] consulerem ut ...[11] haec materia de religiosis relinquatur commissioni de Codice sub directione Romani Pontificis.

Quaestio *haec valde difficilis est et implexissima; et implexissima ob hoc praecipue quod religiosi, saltem in maioribus ordinibus, religiosi habent munera non tantummodo in hac vel alia dioecesi, sed in universo mundo; unde superiores religiosi habent ordinandum de apostolatu eorum subditorum in universo orbe terrarum, unde valde difficile est, et plura sunt consideranda. Unde in primo, absolute primo loco audiendi essent superiores maiores religiosorum, secus ad nihil utile concludemus.*[12] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] linn. 9-13. [6] deest. [7] explicite de (parochorum). [8] deest. [9] (pag. 19-21). [10] deest. [11] tota. [12] valde difficilis et implexa est. Necesse quoque esset ut audiantur superiores maiores religiosorum.

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

Venerabiles Patres,

Exc.mus relator sapienter ac prudenter mox adnotavit propositiones dogmaticas quae hic illic in hoc schemate inveniuntur e schemate *de Ecclesia* desumptas esse hoc explicito pacto ut nullum iudicium de earum merito id secumferret, donec illud schema a Patribus approbatum fuerit, immo, equidem addo, donec a Romano Pontifice sanctionem definitivam acceperit.

Attamen ne putetur me fraternam caritatem erga collegam carissimum in commissionis laboribus esse laesurum, aut quidquam de generali schematis valore esse detracturum, si duas animadversiones vobis proponere audeo.

1 Animadversio. Nihil, iuxta praescriptum, dico de affirmationibus dogmaticis e schemate de Ecclesia desumptis circa quas[1] confirmo om-

nes obiectiones iam a me scripto commissioni de fide traditas ...[2]; *sed*[3] praetermittere non possum adesse in schemate nostro unam affirmationem dogmaticam quae non invenitur in schemate *de Ecclesia*: scil. omnes episcopos, vi consecrationis, ergo iure divino, partem habere in Conciliis. Haec affirmatio, nullis *heic*[4] fulcta documentis, mihi componi posse non videtur cum historia episcoporum titularium, neque cum usu Ecclesiae plurisaeculari. Ceterum vix credi potest hucusque tot episcopos fraudatos esse iure aliquo divino, sibi ex consecratione spectante. *Quamvis exoptare liceat ut in novo Codice episcopi titulares aequiparentur saltem superioribus generalibus.*[5]

2 *Animadversio*. In prooemio exponitur perspectiva quae regere et iustificare intendit totam materiae schematis dispositionem. Perspectiva haec est: episcopi prius et per se relationem dicunt ad Ecclesiam universalem, consequenter vero ac secundario ad ecclesias particulares. Haec perspectiva, indolis profecto theologicae, evidenter fundatur super theoriam collegialitatis, quae tenet per consecrationem episcopum ingredi in collegium, et sic tramite collegio suas potestates accipere in bonum universae Ecclesiae.

At estne vera haec *perspectiva*[6]? Quibus argumentis fulcitur? Mihi videtur potius invertenda esse perspectiva: scil. quemadmodum prius existunt personae et postea ex iis conflantur communitates personarum, sic prius exsistunt episcopi et postea eorum communitas. Functio primaria et veluti characteristica episcoporum ea est ut singuli singulas suas particulares Ecclesias regant et sic conferant ad bonum Ecclesiae universalis. Unde episcopi prius ac per se relationem dicunt ad suam particularem Ecclesiam, et nonnisi per hanc ad alias Ecclesias et ad universalem Ecclesiam. Etenim:

a) Antiquissima theologia « ecclesiae particularis », admodum viva in oriente iam a tempore S. Ignatii, videt in episcopo missum Christi qui in determinato loco realizet, et veluti incarnet Ecclesiam catholicam. Mediatio illa quae asseritur collegii inter Christum et episcopum omnino ignoratur; immo in antiquitate inconcepibilis apparet quia relationes cum coepiscopis in tantum unusquisque episcopus instaurare valet in quantum ipse unam particularem suam Ecclesiam repraesentat. Quando saec. XII oriuntur episcopi titulares mens Ecclesiae tam est contraria ideae episcoporum « pro ecclesia universali », ut et *ipsis*[7] assignet in titulum relationem quandam ad locum particularem. Vel ipse Summus Pontifex, catholicae Ecclesiae episcopus, talis non evadit nisi per relationem ad ecclesiam particularem Romanam.

b) Etiam antiquissimae formulae liturgicae consecrationis epi-

scopalis penitus ignorant insertionem novi consecrati in collegium aliquod, eoque minus id esse effectum primarium ac fundamentale ipsius consecrationis. In illis formulis, etsi locutiones aliquando saporem aliquem universalisticum prae se ferant, tamen ex contextu significant solummodo Ecclesiam particularem.

Venerabiles Patres, concludo. Forsan hae adumbratae tantum rationes pluribus ex vobis cogentes non videbuntur. Tamen id unum saltem demonstrant: theoriam *super quam haec perspectiva fundatur non esse pacificam,*[8] pluribus scatere difficultatibus, adhuc studiis exegeticis, historicis, liturgicis, iuridicis egere.

Iamvero, legimus in textibus et audivimus nuperrime in aula Concilium nolle definire quaestiones inter theologos agitatas relate ad divinam revelationem et B. Mariam Virginem. Quare ergo non eodem prudentiali criterio utimur in rebus tanti momenti quae episcopatum, immo constitutionem ipsam Ecclesiae respiciunt?

Avertamus a nobis incusationem nos duo pondera et duas adhibuisse mensuras: circumspectos nempe et ponderatos et rigide cautos nos fuisse in re mariologica et biblica; copiosos vero et profluos et praeproperos Cicerones pro domo nostra. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Contra affirmationes dogmaticas e schemate *de Ecclesia* desumptas. [2] relate ad collegialitatem, ad originem potestatum episcopalium et ad relationem inter has potestates et Primatum pontificium. Possum profecto concipere et libenter admittere episcopatum permanenter charismate infallibilitatis gaudere in unione cum Romano Pontifice, quia magisterium ordinarium est semper in actu, habet semper obiectum probe determinatum, scil. depositum fidei a Christo relictum, et unio episcopatus in hac re cum Romano Pontifice est semper possibilis et comprobabilis. E contra non valeo concipere in episcopatu permanentem exsistentiam, etiam extra Concilia aut formas Conciliis aequiparatas, potestatis supremae gubernii universalis, quia ista potestas de se nunquam ad actum necessario deducenda reducitur ad aliquid mere chimericum; insuper eius obiectum est omnino vagum et indeterminatum; denique, quod maximum mihi videtur, unio episcopatus in hac re cum Romano Pontifice, e qua unione recte dicitur pendere tanquam e conditione absolute necessaria ipsa exsistentia illius supremae potestatis gubernii universalis, est impossibilis et incomprobabilis quoadusque voluntas pontificia, natura sua deambulatoria sicut et nostra, aliquid concreti reapse voluerit statuere, una cum fratribus in episcopatu, pro gubernio universae Ecclesiae. [3] Ceterum. [4] deest. [5] deest. [6] prospectiva. [7] ipsi. [8] collegialitatis eiusque consectaria non esse pacifica.

7

Exc.mus P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

De par. 18 loqui cupio, sed antea aliqua generaliora dicam de schemate quod[1] ad duas praesertim disciplinas *pertinet,*[2] ius nempe et rem pastoralem.

A) Pars iuridica plura habet quae minus accurate tractantur praecipue quia per excessum vel per defectum peccant: *per defectum ubi de renuntiatione sedi propter nimiam aetatem agitur, per excessum ubi tam tumide de suprema potestate etc. quae nobis competit; et non possum non cogitare ad ea quae Martinus Lutherus de hac re dixit modo suo* (*omnino haec verba non facio mea, sed propter rem oecumenicam pensanda sunt*), *in* « *Tischreden* » (*colloquiis circa mensam*) *in capitulo Tempelsäulen*: « *Quid sunt Concilia et Synodi nisi vana gloria, vindicatio honoris potestatis et praecedentiae?* ». *Hae sunt grosso modo traducta ne offendantur aures piae!*[3]

B) Schema essentialiter pastorale — *et nunc ad rem venio*[4] — multa habet quae indoli huius Concilii respondent ac vero modo illud « aggiornamento » de quo carissimus ac felicis memoriae Papa Ioannes tam saepe sermonem fecit, *ac*[5] recentius magna illa Epistola Encyclica *Ecclesiam suam* Summi Pontificis feliciter regnantis tam enixe commendavit.

Attamen uno saltem defectu qui momento non caret laborare videtur ordo solutionum et consiliorum qui nobis proponitur: est — *ut insolens verbum dicam*[6] — nimis *staticus* ...[7]. Et explico:

Grex nobis pastoribus *commissus*[8] non iam stabili modo ...[9] his locis manet ubi sedes nostras habemus. Fit migratio perpetua individuorum, familiarum et coetuum.

De hac migratione quae characterem prae se fert essentialem in re pastorali *hodierna,*[10] nihil vel fere nihil in textu habetur. Ad hanc lacunam explendam tria propono:

1. Par. 18 qui plus minusve de migrantibus agit recognoscatur et clarius de migratione universali loquatur tanquam de *re ordinaria* quae *ad omnes pastores* hisce in temporibus *attinet.*[11]

2. Eadem in paragrapho textus recognitus vel alius textus pastores hortetur ut cum vicinioribus confratribus communicent de his fidelibus qui in tali talive dioecesi panem quotidianum sibi lucrantur ac in alia dioecesi domum habent, communibus consiliis *pro*[12] eorum bono spi-

rituali et materiali utantur ac si fieri potest *zonas pastorales interdioecesanas* constituant quae rerum naturae correspondeant.

3. Hac etiam in paragrapho vel *in*[13] alio loco omnes pastores qui in territorio suo migrantes habent qui ex *aliis nationibus* proveniunt, certiores fiant de charactere *supranationali* actionis pastoralis vel apostolicae erga hos migrantes. Omnes, iuxta monita Romanorum Pontificum ac ius naturale, ex iustitia et caritate tenentur consilia inire cum episcopis nationis ex qua migrantes proveniunt vel cum Sede Apostolica de bono spirituali alienigenarum nec proprio marte de his leges ferre.

Antequam finem faciam haec ultima addam:

1. Exopto vehementer ut directorium pastorale de cura migrantium de quo sermo factus est reapse conficiatur.

2. Per annos sexdecim problemata migrantium ex diversis nationibus in Gallia degentium ante oculos habui ac plus minusve tractavi, iubentibus episcopis *Galliae.*[14] *Liceat mihi*[15] de eorum caritate magna erga migrantes quae ...[16] velut exemplar lucet, de legibus sapientissimis quas hoc tempore ferre decreverunt ...[17] testimonium ferre ...[18].

In textu scripto tradito: [1] In schemate decreti *de pastorali episcoporum munere* diversa habentur quae. [2] pertinent. [3] nempe, quae iuridismum vel triumphalismum sapiunt; vide sollemne ac tumidum initium cap. I: « Supremam ac plenam potestatem qua episcopi coniuncti... »; vel aliis in locis quae modo vago nec satis presso dicuntur, e. g. de dioecesibus minuendis, de renuntiatione sedi propter nimiam aetatem etc. Sed de hac re, haec pauca sufficiant, quia *cor* ut ita dicam schematis non afficiunt. [4] deest. [5] necnon quod. [6] deest [7] gallice: trop statique. [8] commissa. [9] in. [10] moderna. [11] pertinet. [12] de. [13] deest. [14] huius nationis. [15] deest. [16] nobis omnibus. [17] in hac materia. [18] audeo, forsan debeo.

8

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Venerabiles Patres,

Ex toto corde et ferventi plausu adhaereo his quae in egregia relatione dicta sunt, praesertim in n. 18 bis, de episcoporum plena ac perfecta libertate atque independentia a quacumque civili potestate in suo apostolico munere obeundo, et specialissime his quae sub n. 18 ter dicuntur de libertate in episcoporum nominatione his solemnissimis verbis: « Cum apostolicum episcoporum officium sit a Christo Domino

institutum atque spiritualem et supernaturalem finem prosequatur, Sacrosancta Oecumenica Synodus declarat ius nominandi et instituendi episcopos esse competenti auctoritati ecclesiasticae proprium, peculiare et per se exclusivum ». « Quapropter ad Ecclesiae libertatem rite tuendam et ad christifidelium bonum aptius et expeditius promovendum in votis est Patrum ut in posterum nulla amplius laicis concedantur iura aut privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis ad episcopatus officium et ut ii quibus hucusque concessa sunt iisdem libenter renuntient ».

Transcendentalissima prorsus et immarcescibilis huius Concilii Vaticani II gloria erit, mihi videtur, harum propositionum approbatio.
Rationes:

Prima. Nullus in mundo *status,* nulla in universo orbe invenitur societas, iuridice perfecta, quantumvis sit minima et infima, quae interventum tribuat aliis societatibus, et alienis gubernantibus ius tribuat ad interveniendum in electione propriorum ministrorum, quia hoc *reputant*[1] velut proprii capitis diminutionem et dedecus.

Cur ergo Ecclesia, quae est, inter societates iuridice perfectas, perfectissima, concedat aliis quod nulla alia concedit, interventum videlicet in electione propriorum ministrorum qui sunt episcopi, apparens hoc modo coram hominibus quasi non esset ipsa neque societas iuridice perfecta?

Secunda ratio. Propter honorem...[2]

Moderator: Exc.me Domine, materia tua non pertinet ad materiam discutiendam; velis ad conclusionem huius rei venire!

Orator: Non intellexi, em.me Praeses.

Moderator: Non pertinet ad materiam discutiendam, id quod dicis.

Orator: Quoniam relator numeravit novos numeros de quibus nondum numquam locuti sunt in hac aula, mihi videbatur esse locus proprius. Sed adhaereo eis quae dicit em.mus praeses; ac proinde, si em.mo principi placet ut amplius legam, legam; secus autem tacebo.

Moderator: Facias conclusionem.

Orator: *Conclusio ergo est*: *mihi videtur quod, sicut gloriosissima dies et felicissima inter felices*[3] dies Ecclesiae dies illa fuit in qua S. Pius X, penitus ablato sic dicto « veto » quo fruebantur quaedam potestates civiles, Ecclesiam sanctam liberam omnino redegit in electione Romanorum Pontificum, sic erit dies magna, albo revera notanda lapillo et ardenti plausu salutanda, dies illa in qua — salva semper et integra remanente plena potestate Romani Pontificis — Concilium

hoc Vaticanum II, ipso Romano Pontifice approbante, confirmante et *proclamante*,[4] decreverit et quae dicuntur in *relatione, videlicet*[5]: « ... ad Ecclesiae libertatem rite tuendam et ad christifidelium bonum aptius et expeditius promovendum in votis est Patrum ut in posterum nulla amplius laicis concedantur iura aut privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis ad episcopatus officium et ut ii quibus hucusque concessa sunt iisdem libenter renuntient », prospicientes pro libertate et exaltatione Sanctae Matris Ecclesiae, cuius filii sunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] reputat. [2] et decus ipsorum episcoporum. Sic enim nos episcopos existimare debet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Iamvero, ex quo apparent aliqui episcopi, in quorum electione partem aliquam habuerit potestas civilis, iam *eo ipso* — quantumvis optimi sint et exemplares et dignissimi, prout sunt, quamplurimi — iam hoc solum factum quod appareant aliquo modo electi a potestate civili, sufficit ut ipsos populus consideret ut ministros Caesaris et dispensatores voluntatum potestatis civilis. Nec tantummodo populus, sed et non pauci ex ipsis gubernantibus, quinimmo et plures viri egregii ipsius Ecclesiae. Non recordemur effatum illud iniuriosum celebris imperatoris, qui episcopos a se electos sive praesentatos, appellabat « praefectos meos violaceos ». Neque meminerimus quendam celebrem archiepiscopum qui regi suo, timenti ne episcopi in conciliis provincialibus adunati, aliquid adversus sic dictas « regalias » decernerent, scribebat: « Ne timeat maiestas vestra quod episcopi, vel in conciliis provincialibus adunati, aliquid decernant quod maiestati vestrae displiceat. Omnes enim maiestati vestrae debitores sunt mitrae quam in capite portant. Et si aliqui eorum novam rutilantiorem mitram desiderant, ipsam nonnisi mediante maiestate vestra obtinere possunt ». Sed relictis ceteris omnibus, meminisse iuvat, et merito quidem, praeclarissimum illum arch. Fénélon sic scribentem: « O pessimam disputationem qua, intra Ecclesiae saepta, civilis tumultus exarsit... Tanti luctus causa haec est, nimirum concessio regibus facta ut episcopos ad arbitrium eligant. Iam nunc episcopi eo loco positi sunt, ut nihil a Sede Apostolica nec sperent nec timeant, omnia vero ab aulico favore exspectent ». Et certe, historia teste, in conflictibus inter Sanctam Sedem et potestates civiles exarsis, — et omnibus exceptionibus quae iustitia postulat, factis — honorabiliora gesta pro defensione Sanctae Sedis effecta, ab episcopatu a potestatibus civilibus electo certo certius peracta non fuere. Tertia et ultima ratio. Ipsa voluntas Ecclesiae plane manifestata tum in C.I.C. can. 326 asserentis « Episcopos libere nominat Romanus Pontifex », tum in ipso agendi modo Sanctae Sedis, quae inde ab a. 1918, quamvis non paucas conventiones inierit cum diversis statibus sive guberniis, nulli tamen eorum — unica exceptione, et certo certius non motu proprio facta — nulli eorum concessit privilegium electionis neque praesentationis in electione episcoporum. [3] Sicut felicissima inter. [4] promulgante. [5] n. 18 ter.

Secretarius generalis: Velint Patres ad suas sedes remeare, quia distribuentur relationes de cap. III schematis *de Ecclesia* uti heri nuntiatum est.

9

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis - episcopus Squillacensis

Venerandi Patres conciliares,

Schema hoc, in redactione qua amplissimo Concilio nunc praesentatur, et ratione divisionis materiae et ordinis et concinnitatis qua est expolitum, dignum est laude, quam libenter exhibemus commissioni conciliari quae in ipsum reficiendum adlaborare magnopere debuit.

Quasdam tamen brevissimas animadversiones, in ordine ad definitivam redactionem, proponere audeo, quas sic perstringo:

Ad n. 5: Coetus seu consilium centrale. Incoeptum hoc reservetur, *uti de iure,* ipsi Summo Pontifici: quod tamen in textu *melius* appareat.

Ad n. 12: Episcoporum docendi munus. In hoc munere docendi episcoporum ne praetermittatur aperta mentio de officio — eoque gravissimo ad mentem S. Pauli et totius Ecclesiae — advigilandi contra errores ad fidem catholicam tutandam et efficaciter defendendam: etenim Ecclesiae est depositum custodire, fideliter exponere et *etiam* efficaciter defendere. Et hoc est munus praecipuum episcoporum: defendere a lupis oves suas seu fideles, ne fides videlicet quocumque modo detrimentum capiat.

Ad n. 21: De regulis servandis in circumscriptione dioecesium. Ne omittatur in lucem ponere criterium quod respicit necessitatem ut unaquaeque dioecesis suum habeat et possit habere Seminarium *completum,* i. e. maius et minus, cum alumnis numero sufficientibus amplitudini dioecesis et necessitatibus fidelium.

Ad n. 24: De facultatibus episcoporum auxiliarium. Aptius et opportunius describantur in decreto saltem facultates sine quibus auxiliaris *non* intelligitur suo munere fungi posse; salvis ulterioribus: et hoc ne dignitas episcopi auxiliaris plus aequo minuatur...

Ad n. 29: De parochorum nominatione, amotione et renuntiatione. Apertius et clarius edicatur de potestate episcoporum circa amotionem et translationem parochorum, servatis servandis; quae tamen servanda sunt, per commissionem ad revisendum Codicem Iuris Canonici apertiora, simpliciora et faciliora evadant.

Ad n. 36: De conferentiis episcopalibus. Edicatur principium generale, i. e. conferentiae episcopales vim non sortiuntur obligandi — saltem in quibusdam materiis — nisi beneplacitum accedat Sedis Apostolicae.

Ad n. 38: Non placet mihi ut iam non sint dioeceses *Sedi Apostolicae immediate subiectae.* Sicut enim signum honoris praecipui est inter episcopos ut sint Pontificio Solio assistentes, ita etiam in ratione Ecclesiarum ipsarum seu dioecesium magnus honor est ut immediate sint Romano Pontifici subiectae.

Quod tamen minime officit disciplinae Ecclesiae in regionibus conciliaribus seu in Sede ipsarum conferentiarum episcopalium, uti experientia docet. Dixi. Gratias.

Secretarius generalis: Quidam Patres petierunt ut repeterem exitum suffragationis mane peractae. Id facio libenter.

Suffragium tulerunt Patres	2.190
Dixerunt *placet*	1.615
non placet	19
placet iuxta modum	553
Suffragia nulla	3

Ergo caput est approbatum. Attamen hoc repeto: commissio rationem habebit modorum ut textus melior fiat quantum possibile erit. Gratias.

Moderator: Rogantur Patres ut maneant intra limites numerorum discutiendorum.

10

EXC.MUS P. D. FRIDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Venerabiles Patres et Fratres omnes,

Schema decreti De pastorali episcoporum munere in Ecclesia placet. Breves faciam animadversiones.[1]

In pag. 7, sub num. 4 forsan vel post tertium, ut de cura animarum tractent,[2] ubi sermo est de Concilio Oecumenico, optarem ut adderetur haec vel similis paragraphus: « Perpensis summi momenti bonis, quae pro universa Ecclesia ex Conciliis Oecumenicis sequuntur, haec Sancta Synodus, ea qua par est reverentia erga S. Petri successorem, votum manifestat, ut quinquagesimo saltem quoque anno Oecumenicum Concilium Summi Pontifices convocare dignentur ».

Pag. 18, n. vel art. 28, linn. 14-17, legitur: « In officio pastoris adimplendo, parochi cum omnium ovium sint ministri, vitae christianae incrementum foveant tum in singulis fidelibus, tum in familiis, tum in

associationibus praesertim apostolatui addictis, tum in universa communitate paroeciali ».

In lin. 14 opto ut dicatur « parochi cum *in servitium* omnium ovium sint *veri* ministri *Christi,* vitae christianae... etc. ». Ratio mutationis patet.

In lin. autem 16, post vocem « addictis » addatur: « nominatim in Pia Associatione *Apostolatus orationis* ».

Rationes additamenti:

Prima. Quia ut venerabilibus Patribus notum est, Apostolatus Orationis tria exercitia complectitur. Brevem scil. matutinam orationem, qua socii omnia sua diei opera Ss.mo Cordi Iesu per immaculatum Cor Mariae quotidie offerunt; recitationem quotidianam unius saltem decadae Ss.mi Rosarii; Communionem saltem menstruam in honorem Ss.mi Cordis Iesu. En simplex quidem programma: quod si exsecutioni mandetur, mundi renovatio sine dubio sequetur.

Altera ratio. Quia Apostolatus Orationis non modo aliis associationibus non nocet, sed contra, supernaturalem orationis spiritum, omni operi apostolico adeo necessarium, eis ingerit.

Tertia. Quia Apostolatus Orationis vere est associatio oecumenica. Pro omnibus enim hominibus est instituta; pro intentionibus tam generalibus quam missionariis, singulis mensibus a Summo Pontifice approbatis, orat et sacrificia offert.

Quarta. Quia Pius XII, felicis recordationis, in Litteris datis 28 octobris 1951 ad Rev.mum Patrem Generalem Societatis Iesu, Ioannem Baptistam Janssens, Directorem Generalem « Apostolatus Orationis », hanc piam associationem vocat « aptissimam nostris temporibus », « ministerii apostolici hodierni instrumentum efficacissimum », « cuius uberrimos fructus Nos cognoscimus », « quam iam alias enixe commendavimus ». Quibus idem Pontifex haec adiungebat: « varia pia exercitia, quibus utitur « Apostolatus Orationis », continent christianae perfectionis synthesim, vitae christianae perfectissimam formam, curae pastoralis compendiariam regulam, qua sacri Pastores in diversis operibus apostolicis uti valebunt ».

Notandum tandem est, Summos Pontifices, a Pio IX usque ad Ioannem XXIII, frequenter « Apostolatum Orationis » magnis exornasse laudibus, quas brevitatis causa omitto.

Quinta et ultima ratio. Quia SS. Cordis Iesu et B.mae Mariae Virginis cultum exercet et promovet. Haec enim pia associatio tam intimam habet cum cultu Ss.mi Cordis unionem, ut ab eo seiungi nequeat.

Iam vero, ex Encyclicis Litteris Pii XI *Miserentissimus Redemptor,*

anno 1928, et Pii XII *Haurietis aquas,* anno 1956 datis, clarissime constat:

1. Cultum Ss.mi Cordis Iesu esse catholicae religionis ac totius vitae christianae summam;

2. Essentiam fidelissime referre vitae, quam D. N. Iesus Christus in terris gessit et in S.ma Eucharistia ducere pergit;

3. Viam esse efficacissimam ad melius cognoscendum, amandum et imitandum Dominum Iesum Christum;

4. Divinae caritatis validissimum esse incitamentum, cum ipse Dominus Iesus et suam voluntatem manifestaverit ut per hunc cultum divino Numini maximus tribuatur honor, et praestantissima beneficia ac dona eis promiserit, qui ipsius divinum Cor pie colerent;

5. Trium iam saeculorum spatium pertransivit, intra quod universa Ecclesia uberrimos huius sacri cultus fructus ubique percepit;

6. Hunc denique cultum adeo necessarium Ecclesiae existimavit Pius XII, ut assereret « nemini fidelium licere illum sive aliis devotionibus postponere sive minus aestimare ».

Quae praedictae rationes, si rite perpendantur, absque dubio postulabunt ut additio proposita a venerabili Concilio approbetur.

His breviter indicatis cum em.mi Moderatoris venia enixe ulterius rogo, ut in schematibus *De sacerdotibus, De apostolatu laicorum, De institutione sacerdotali,* suis propriis locis, aliqua brevis inseratur commendatio cultus S.mi Cordis Iesu.

Cultus enim Sacratissimo Cordi Iesu praestitus, praeter ea quae dicta sunt, medium est necessarium, perutile...[3]

Moderator: Exc.me Domine, sed hoc non est, hoc loco, ulterius explicandum.

Orator: *Transeo itaque ad*[4] n. 33, pag. 20, linn. 20-25. Quae in hoc n. 33, circa principia apostolatus religiosorum in dioecesibus, exponuntur, placent. In illis vero quae de exemptione, linn. 20-25 leguntur, aliqua vox restrictiva occurrit, quae potius delenda est. Invenitur in illa phrasi: « Exemptio ... ordinem Institutorum internum *potissimum* respicit, quo melius in iisdem omnia sint inter se apta et connexa... ».

Vox « *potissimum* » supprimenda fore videtur. Exemptio enim aequali ratione tum ordinem internum tum externum respicit: illis exceptis operibus apostolicis, in quibus religiosi Ordinariis subsunt.

Sicut non oportet ut in ordine interno religiosi duos habeant superiores, regularem nempe et episcopum: pariter quoad laboris apostolici exercitium censendum est: illis semper demptis, in quibus religiosi etiam exempti oboedientiam Ordinario praestare debent.

Cura enim et vigilantia de vita interna, atque exteriorum ministeriorum directio in Religionibus tam intime inter sese cohaerent ut inter duas auctoritates et gubernationes apte dividi non possint, quin structura religiosa funditus mutetur.

Ratio princeps, ob quam religiosorum exemptio statuta fuit, generatim saltem in Ordinibus externo apostolatui deditis, in eo invenitur, ut religiosi operibus apostolatus in bonum Universae Ecclesiae maiori animarum fructu incumbere queant. Sic, ut exemplo utar mihi plane et penitus noto, S. Ignatius de Loyola sese cum primis suis sociis Summi Pontificis voluntati dicavit, ut libere de illis Sua Sanctitas disponeret, paratis servitium praestare quacumque mundi plaga. Ipse deinde S. Fundator...[5]

Moderator: Exc.me Domine tempus tuum exhaustum est.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] n. 4, pag. 7, lin. 7. [3] efficacissimum ad regnum Dei in singulorum fidelium animis, in domestico convictu, in ipsis nationibus stabiliendum. Medium item est aptissimum ad vitae christianae renovationem assequendam, ad totius mundi salutem et pacem in caritate procurandam et ad mundum meliorem erigendum. [4] deest. [5] votum suis statuit suscipiendi quascumque missiones, quae a Supremo totius Ecclesiae Pastore sociis Societatis Iesu committerentur, ad Ecclesiam catholicam magis dilatandam. His igitur omnibus bene perpensis, mihi videtur, verbum illud « potissimum » esse tollendum. Eo magis quod in LEONIS XIII Constitutione Apostolica *Romanos Pontifices,* quae in nota 23 citatur, neque vox « potissimum » neque sensus qui tali voci subiacet, ullo modo habentur (cf. *A.S.S.*, 13, pp. 483 ss.). Igitur paragraphus quae adest pag. 20, linn. 20-25, poterat hoc modo emendari: « Exemptio, qua religiosi ad Summum Pontificem vel ad aliam ecclesiasticam auctoritatem advocantur et ab episcoporum iurisdictione subducuntur, ordinem Institutorum, *tam internum quam externum* respicit, quo melius in iisdem omnia sint inter se apta et connexa, atque incremento et perfectioni religiosae conversationis *et animarum bono* consulatur: quin immo, ut de illis Summus Pontifex disponere possit pro inceptis in bonum Ecclesiae universae.

11

EXC.MUS P. D. IACOBUS CORBOY

Episcopus Monzensis

Patres venerabiles,

Schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* in aliquibus videtur episcoporum auctoritatem deprimere, in aliis vero exaggerare.

Auctoritas episcoporum deprimi videtur, ubi agitur de episcoporum

munere regendi et pascendi (p. 12 ...[1]): nam recte quidem ibidem sermo fit de servitio et ministerio episcoporum quin tamen simul sufficienter quoque insistatur in vera eorum auctoritate. Hoc autem eo gravius esse censeo, quo magis constet in aliquibus regionibus auctoritatem episcoporum penes clerum et populum ...[2] iam diminutam esse.

Ab altera autem parte auctoritas episcoporum exaggerari videtur in illis sectionibus quae de Religiosis agunt ...[3]. Toti huic sectioni schematis subesse videtur conceptio vitae religiosae quodammodo unilateralis et inadaequata. Non enim recte dicitur, quod religiosi *imprimis* oratione, expiationis operibus et propriae vitae exemplo aedificationem Ecclesiae promovere tenentur, et quod ad externa *quoque* apostolatus opera accedunt. Vita religiosa est *una* et vita spiritualis religiosorum et eorumdem apostolatus externus non ad modum vivisectionis dividi possunt: Plures de facto dantur instituta religiosa quae ex eorum fine specifico operibus apostolatus externi incumbunt, et non tantum *etiam* ad apostolatum accedunt. Praecise autem quia tota vita religiosa est una, vita spiritualis religiosa et apostolatus vicissim compenetrant; unde fit, quod etiam in operibus apostolatus exterioris habeatur semper et ubique aspectus Instituti Religiosi proprius necnon influxus typicae spiritualitatis Instituto Religioso propriae.

Neglectus huius fundamentalis veritatis in schemate manifestus fit, ubi ad mentem veri iuridismi, quasi totalis separatio fit inter vitam religiosam, quae curae superiorum religiosorum committitur, et apostolatum externum, qui fere ex integro individuis episcopis subicitur.

Huc spectat principium in schemate enuntiatum, quod nempe *exemptio religiosorum ordinem internum potissimum respicit,* seu ergo quod superiores religiosi nullam fere auctoritatem habent in activitatem externam subditorum suorum. Iamvero talis conceptio toti traditioni theologicae et practicae Ecclesiae contradicit et mirum non est quod redactores schematis nullum textum auctoritativum ad confirmationem dicti principii adducere potuerunt. Utique quidem in nota 23 adducitur documentum quoddam Leonis XIII, sed manifeste cuilibet hoc documentum inspicienti patet, quod nec quoad verba nec quoad sensum ibidem statuatur quod exemptio religiosorum ordinem internum potissimum respicit.

Sed quidquid sit hac de re, unum certum esse reputo, nempe quod adaequata iustificatio exemptionis in hoc schemate non invenitur: haec autem ex duplici ratione simul peti debet, nempe:

1. ex eo quod Instituta superdioecesana et internationalia sine exemptione internam unitatem, propriam spiritualitatem et specificam indolem apostolatus proprii conservare nequeunt, et

2. ex eo, quod Romano Pontifici et episcopis inquantum Ordo sunt, praesto esse debent pro illis operibus suscipiendis quae universam Ecclesiam respiciunt.

Ambae hae rationes tam fundamentales sunt ut abolitio vel substantialis debilitatio exemptionis non solum ipsis Institutis Religiosis sed etiam Ecclesiae universae, Missionibus imprimis, *magnum*[4] damnum inferret.

Utique ergo omnia fieri debent ut collaboratio inter episcopos et religiosos magis foveatur et efficacius coordinetur. Sed admittendum esse non videtur quod religiosi in externi apostolatus operibus practice habeantur tamquam sacerdotes saeculares. Talem autem esse de facto totum tenorem huius schematis faciliter patet et immo disertis fere verbis affirmatur, dum dicitur religiosos vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere, seu ergo ad illum clerum, qui paululum antea ita iuridice definitus est ut hic terminus de solis sacerdotibus saecularibus valere possit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] § 16, linn. 15 ss. [2] notabiliter. [3] (pag. 19, § 31 ss.). [4] irreparabile.

12

Exc.mus P. D. MAXIMILIANUS DRŽEČNIK
Episcopus Mariborensis

Venerabiles Patres, clarissimi Observatores et Auditores,

Loqui vellem de n. 17 cap. II praesentis schematis, ubi agitur de peculiaribus formis apostolatus.

Pag. 13, linn. 6 ss., legimus: « Variae formae apostolatus recte accommodentur conditionibus non solum spiritualibus et moralibus, sed et socialibus, demographicis et oeconomicis ». Haec optime quidem dicta sunt, sed secundum meam humilem sententiam nimis concise et breviter dicuntur.

Quaestio enim principalis hodiernae curae animarum praecise est in hoc, quomodo haec accommodatio fieri possit, quaenam via ingredienda? Multum quidem exspectamus a renovatione liturgica, de qua in hoc Concilio iam multum disserebatur. Sed nonne haec renovatio attinget praecipue christianos fideles, qui adhuc veniunt in ecclesiam? Sed quid de iis qui ab ea abalienati sunt? Christus dicebat de bono Pastore quod relinquit nonaginta novem oves ad quaerendam unam deperditam. Nonne in nostra cura animarum saepe contrarium videmur

facere? Omnem vel fere omnem curam exhibemus paucis ovibus fidelibus, multas perditas, fortasse saepe plus quam nonaginta per centum, relinquimus errare. Quomodo ipsas quaerere et invenire poterimus? Responsum ad hanc gravem quaestionem videtur nobis posse dare sic dicta sociologia pastoralis, ut a nonnullis dicitur. Quod breviter explicare conabor.

1. Quaedam de mutationibus conditionum hodiernae vitae humanae: Nemo est qui ignorat vitam hodiernam hominum subiisse ingentes mutationes quoad conditiones oeconomicas et sociales. Hoc valet non tantum pro regionibus, ubi peractae sunt revolutiones sociales et novus ordo oeconomicus et socialis efformatur, sed etiam pro omnibus aliis regionibus. Nam propter progressum scientiarum, praesertim in re technica, vitae ratio celeri cursu innovatur. Veteres traditiones vitae « patriarchalis », ut dicitur, non tantum in urbibus, sed etiam ruri apud agricolas paulatim evanescunt. Industrializatio, mechanizatio secum fert semper maiorem, ut dicitur, socializationem. Unde sequitur semper maior influxus societatis in vitam hominum, ita ut singuli homines semper magis limitantur in sua personali libertate. Ioannes XXIII felicis recordationis in Litteris Encyclicis *Mater et Magistra* de hac re agit et dicit — cito secundum versionem germanicam, quam prae manibus habui: « In nostra societate adhibentur media, introducuntur methodi et efformantur conditiones, in quibus singulis hominibus vere difficile est, independenter ab externis influxibus cogitare et agere secundum propriam voluntatem, iura secundum propriam responsabilitatem exsequi, adimplere officia et expedite evolvere animi facultates ».

In tali novo mundo Ecclesia adimplere debet suam divinam missionem, ubi primum locum occupat cura animarum. « Hisce novis conditionibus impares sunt rationes apostolatus hucusque usitatae, sed imponuntur adhibendae novae methodi ». Sic legitur in schemate *de cura animarum,* Appendice II *de pastorali episcoporum munere,* n. 30.

2. In hac re magnum subsidium nobis affert specialis disciplina sociologica, scil. « sociologia pastoralis ». Eius munus seu scopus est methodis et mediis sociologiae generalis investigare conditiones sociales et oeconomicas vitae et eorum influxum in hodiernum hominem, speciatim quoad vitam religiosam et moralem. Sicut tempore elapso Ecclesia vocabat in opere pastorali in adiutorium scientias naturales ad refellendos varios errores, sic hodie invocare oportet scientias sociologicas, praesertim sociologiam religionis et sociologiam pastoralem ad obtinendum maiorem successum in cura animarum.

Ad hoc obtinendum necessarium videtur, ut in facultatibus theologicis et seminariis introducatur sociologia pastoralis tamquam disci-

plina auxiliaris theologiae pastoralis. In Curiis vero dioecesanis instituatur Commissio de Sociologia pastorali ad instar liturgicae et aliarum. Cuius munus est imprimis colligere rationes statisticas pro tota dioecesi. Deinde profundius investigare conditiones in aliquibus parochiis, quae dicuntur « typicae » et inde quaerere directivas pro cura animarum in tota dioecesi efficacius exercenda.

Conclusio. Propono, ut in n. 17, post lin. 8, scil. post verba « Variae formae apostolatus recte accommodentur conditionibus non solum spiritualibus et moralibus sed et socialibus, demographicis et oeconomicis » addatur brevis textus iuxta exposita, scil. de introductione sociologiae pastoralis in facultatibus theologicis et seminariis et de instituenda commissione de sociologia pastorali in Curiis episcopalibus. Textum vero secretariatui Concilii tradam. Dixi.

Textus scripto traditus:

Loqui vellem de n. 17 praesentis schematis, ubi agitur de peculiaribus formis apostolatus. Pag. 13, linn. 6 s., legitur: « Variae formae apostolatus recte accommodentur conditionibus non tantum spiritualibus et moralibus, sed et socialibus, demographicis et oeconomicis ». Haec optime quidem dicta sunt, sed ut mihi videtur nimis breviter et concise. Quaestio hodiernae curae animarum praecise est in hoc, quomodo haec accommodatio fieri possit, quaenam via ingredienda? Multum quidem speramus seu exspectamus a renovatione liturgica, de qua in hoc Concilio multum disserebatur. Sed haec renovatio nonne attinget illos tantum fideles, qui ad ecclesiam veniunt, non vero eos, qui ab ea abalienati sunt. Christus loquebatur de bono pastore eum relinquere 99 oves ad quaerendam unam perditam. Sed nonne in nostra cura animarum videmur facere contrarium? Omnem fere curam exhibemus ovibus fidelibus, perditas autem, fortasse saepe 90 ex centenis relinquimus errare? Quomodo poterimus has quaerere et invenire? Ad hanc gravissimam quaestionem videtur nobis dare responsum sic dicta sociologia pastoralis, ut a nonnullis vocatur. Quod breviter explicare conabor.

1. Primo dicam quaedam de mutationibus hodiernae vitae hominum. Nemo est qui ignorat vitam hodiernam hominum subiisse et continuo subire ingentes mutationes quoad conditiones oeconomicas et sociales. Quod valet non tantum pro regionibus, ubi peractae sunt revolutiones sociales et novus ordo oeconomicus et socialis efformatur, sed etiam pro omnibus aliis regionibus. Nam propter progressum scientiarum, praesertim in re technica, vitae ratio celeri cursu innovatur. Veteres traditiones vitae « patriarchalis » non tantum in urbibus, sed etiam ruri apud agricolas evanescunt. Industrializatio et mechanizatio secum fert semper maiorem socializationem. Inde sequitur semper maior influxus societatis in vitam privatam hominum, ita ut singuli homines semper magis limitantur in sua personali libertate. De hac re agit Ioannes XXIII f. r. in litteris encyclicis *Mater et Magistra* dicens: « At multiplicatis et cotidie progredientibus variis illarum consociationum formis, hoc simul fit, ut, in pluribus rerum gerendarum provinciis, normae et leges multiplicentur, quae mutuas civium necessitudines regant atque definiant. Ex quo consequitur ut angustioribus finibus libera singularium homi-

num agendi facultas contineatur; artes enim saepe adhibentur, viae ineuntur, rerumque conditiones tales exsistunt, ut cuivis sane arduum sit suis uti consiliis, externarum rerum impulsionibus neglectis; quidquam sua sponte agere; iura sua et officia, ut oportet, exsequi; animi sui facultates plane exserere atque perficere. Numquid, magis magisque increbrescentibus socialis vitae rationibus, homines continuo stupebunt, suique iuris esse desinent? Est tale quid praecise negandum » (*A.A.S.,* 1961, pp. 416-417).

In tali novo mundo Ecclesia adimplere debet suam divinam missionem. « Hisce novis conditionibus impares sunt rationes apostolatus hucusque usitatae, sed imponuntur adhibendae novae methodi » legitur in schemate priori *de cura animarum,* Appendice II, n. 30.

2. In hac re magnum subsidium nobis affert specialis disciplina sociologica, scil. « sociologia pastoralis ». Eius munus seu scopus est methodis et mediis sociologiae generalis investigare conditiones sociales et oeconomicas vitae et eorum influxus in hodiernum hominem, speciatim in vitam religiosam et moralem. Sicut tempore elapso Ecclesia vocabat in opere pastorali in adiutorium scientias naturales ad refellendos varios errores, sic hodie invocare oportet scientias sociologicas, praesertim sociologiam religiosam et sociologiam pastoralem ad obtinendum maiorem successum in cura animarum.

Ad quod obtinendum necessarium videtur, ut in facultatibus theologicis et seminariis introducatur sociologia pastoralis tamquam disciplina auxiliaris theologiae pastoralis. In Curiis vero dioecesanis instituenda videtur Commissio de Sociologia pastorali ad instar liturgicae et aliarum. Cuius munus est imprimis colligere rationes statisticas pro tota dioecesi. Deinde profundius investigare conditiones in aliquibus parochiis, quae dicuntur « typicae » et inde quaerere novas normas et vias pro cura animarum in tota dioecesi efficacius exercenda.

Conclusio. Propono, ut in n. 17 praesentis schematis inseratur breve additamentum, sequenti vel simili modo: post verba in linn. 6-8 quae sonant: « Variae formae apostolatus recte accommodentur necessitatibus fidelium etc. etiam socialibus, demograficis et oeconomicis » addatur: « Qua in re maxime iuvare possunt scientiae sociologicae, praesertim sociologia religiosa et sociologia pastoralis. Quare in facultatibus theologicis et seminariis introducatur sociologia pastoralis ut disciplina auxiliaris theologiae pastoralis. In curiis autem episcopalibus instituatur officium seu commissio de sociologia pastorali, ad quam advocentur viri in rebus pastoralibus versati et in scientiis auxiliaribus theologiae pastoralis periti ». Pariter in universa dioecesi... etc. prout in textu, lin. 8.

13

EXC.MUS P. D. BRIAN C. FOLEY
Episcopus Lancastrensis

Venerabiles Fratres,

Unum breviter volo proponere: nempe curam animarum debere habere maiorem partem et maiorem emphasim in hoc schemate aut melius debere iterum habere suum proprium schema.

Finis huius Concilii et finis omnis nostrae deliberationis tandem aliquando respicit restaurationem praxis religiosae praesertim in regionibus ...[1] dechristianizatis. Iamvero talis restauratio non solum neque principaliter per novam liturgiam, vel per novas theorias doctrinales, vel per novas interpretationes Scripturarum proveniet, sed potius petenda est per renovationem vitae pastoralis illorum sacerdotum qui in paroeciis versantur. Hoc omnis historia, hoc experientia hodierna ostendunt.

Fuit olim, uti videri est in variis scriptis, sicut e. g. in illo famoso libro ...[2] *Promessi Sposi,* intensa vita et actio pastoralis, i. e. contactus intimus inter populum et sacerdotem. Ibi legitur de figuris Fratris Cristoforo et Cardinalis Federigo vere patrum populi in quorum vita resplendebat apostolatus vere pastoralis. Isti revera vitam suam sacerdotalem egerunt sicut Dominus noster conversando cum hominibus. Populus tunc tempore non neglexit praxim religiosam.

Hodierna experientia idem docet. Ubi exsistit contactus intimus inter sacerdotem et populum, ibi viget vigorosa vita et praxis religiosa; ubi deest talis contactus, deest et praxis religiosa.

Dominus noster item idem docet et exemplo et verbo. Multa dicebat et faciebat ad monstrandam necessitatem absolutam contactus personalis inter populum et sacerdotem; ex altera parte paucissima dicebat *de caeremoniis,*[3] de liturgia vel de rebus speculativis doctrinalibus. Fuit, dico, inter nos ista vita sacerdotalis pastoralis, sed proh dolor! saepe nunc deest. Apparuit in *L'Osservatore Romano* mense iulii articulus in quo parochus quidam valde laudatur quia visitaverat intra unum annum sexcentum familias in sua paroecia. Hoc dictum est de eo tamquam res inaudita et quasi heroica. Sed talis sacerdos non est laudandus. Facit quod debet. Nonne omnis...[4]

Moderator: Exc.me Domine, venias forsan ad conclusiones quoad schema nostrum.

Orator: *Igitur propono in conclusione ut hoc schema maiorem partem et maiorem emphasim habeat de cura animarum. Propono hoc quia, ut mihi videtur,*[5] locus deberet dari analysi, quomodo apostolatus pastoralis possit fieri melius praesertim in urbibus et cur praxis religiosa melius sit in aliquibus regionibus quam in aliis.

Inquisitio instituenda est, *meo iudicio,*[6] quomodo ...[7] sacerdotes e. g., qui in Curia vel officiis dioecesanibus laborant, possunt etiam partem tenere in apostolatu pastorali, ita ut *omnis* individuus sacerdos *in his temporibus tam gravibus*[8] utilis Ecclesiae Dei sit ...[9]. Rogo ergo, ut locus sufficiens detur isti discussioni. Talis discussio practica erit quia

per totum orbem terrarum conditiones urbium iam devenerunt similes. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] iam. [2] italico. [3] deest. [4] sacerdos in paroecia, etiamsi sit senior, habet strictissimum officium et munus visitandi in quantum potest *omnem* familiam secundum illud verbum Domini nostri in quo dicit pastorem debere cognoscere suas oves nominatim et suos eum item cognoscere debere. Et quomodo potest hoc fieri, nisi pastor petit eos in suis domibus et in viis suae civitatis? Nostra experientia in nostris regionibus est haec: populus aderit ecclesias paroeciales etiam in urbibus, si sacerdos fideliter et regulariter et systematice visitat domus familiarum. Si inter quasdam nationes adhuc viget praxis religiosa, ratio non est existentia bonae liturgiae, sed exsistentia contactus intimi et relationis intimae amicitiae inter populum et sacerdotem. Cui bono si habemus splendidam liturgiam in nostris ecclesiis, si non frequentantur? Cui bono si paucissimi ad magnum gradum sanctitatis attingunt, si multitudo ingens generalis christifidelium perdita est? Ut mihi videtur, venerabiles Patres, periculum est ne hoc schema et hoc sacrum Concilium (quod hucusque fere totaliter sese occupavit in rebus liturgicis et speculationibus doctrinalibus) videatur habere parvum interesse in actione pastorali in paroecia. Meo iudicio cura animarum in paroecia deberet *primatum* tenere in nostris deliberationibus et dictis. Nam in ultimo loco omnia pendent ex tali cura animarum. Ante omnia hoc restaurandum est, si alius labor non sit vanus. Et res urget. Est maximi momenti. Necessitas restaurationis pastoralis est absoluta. *Propono* igitur, ut maior pars huius schematis detur indigentiis pastoralibus, si separatum schema de ea esse non potest. [5] deest. [6] deest. [7] illi. [8] deest. [9] Sed sunt tanta investiganda ad curam animarum spectantia!

14

Exc.mus P. D. FRIDERICUS KAISER

Episcopus tit. Berrhoeensis, prael. null. Caraveliensis

Venerabiles Patres,

Cura animarum sine sacerdotum labore ac opera non habetur. Apostoli laici, quamvis numerosi sint et spiritu ferventes, ex parte tantum sacerdotum ministerium valent supplere. Qua de causa liceat mihi pauca exponere de certa possibilitate sanandi vel saltem magnopere minuendi permagnum malum ex sacerdotum inopia exortum.

Non est dubium quin clerus Ecclesiae universalis per orbem terrarum modo maxime disproportionato sit distributus. Sacerdotum numerus magnus, quamquam nullo modo sufficiens, invenitur in Europa et in America Septemtrionali, dum fere omnes ceterae mundi partes immensa premuntur sacerdotum inopia.

Reapse non est in mundo moderno ulla respublica quae suorum mi-

litum copias distribuat per territorium nationale modo tam disproportionato uti Sancta Ecclesia sacerdotes suos distribuit per suum territorium quod est orbis terrarum. Permittit Ecclesia plurimum suorum sacerdotum numerum contractum esse paucis in nationibus, at eodem tempore patitur ingentes mundi catholici partes fere sine sacerdotibus permanere, atque hac de causa periculo imminenti ne cadant in manus inimicorum Dei et animarum expositas esse.

Episcopi sacerdotibus egentes, ab aliis episcopis his temporibus magna cum generositate adiuvantur ut possint erigere ac sustentare seminaria.

Attamen ingens et imminens est periculum ne vastissimas mundi partes adhuc catholicas perdamus, antequam sacerdotes procedentes his de seminariis possint servire animabus illis maxime periclitantibus.

Instanter ac magnis precibus rogo ut Summus Pontifex, et una cum eo Ordinarii dioecesium numeroso exornatarum clero, illarum dioecesium sacerdotes invitent ut sua sponte velint excipere curam animarum in dioecesibus summa sacerdotum inopia laborantibus.

Iterum dico bene me scire quod non est in mundo dioecesis abundans sacerdotibus. Sed Iesus non dixit: « Qui possidet tunicas abundantes det illis qui non habent »; immo vero nos docuit: « Qui habet duas tunicas det non habenti ». Etsi sunt episcopi qui clerum ex dioecesibus Americae Septemtrionalis et Europae receperunt, tamen plurimi sunt episcopi quasi non habentes sacerdotes.

Agnoverunt hoc in Sancto Concilio episcopi totius mundi collegialem suam responsabilitatem pro universi orbis animabus, speciatim pro baptizatis. Valde est desiderandum ut haec responsabilitas coram universa humanitate hoc opere redistributionis sacerdotum in mundo catholico luce clarior effulgeat.

Opus mihi non erit affirmare quod hac in redistributione cleri proportio mathematica non quaeritur, sed tantum desideratur disproportio minus calamitosa. Dixi.

15

EXC.MUS P. D. ROBERTUS E. LUCEY
Archiepiscopus S. Antonii

Em.mi et rev.mi Patres Concilii et carissimi Observatores et Auditores,

De cura animarum et de confraternitate doctrinae christianae pauca dicemus.

« Ingens eorum est numerus atque in dies augetur, qui de religione

omnino ignorant, vel eam tantum de Deo christianaeque fidei notitiam habent, quae illos permittat idolatrarum more vivere. Quam multi ...[1] sunt, non pueros dicimus, sed adulta, quin etiam devexa aetate, qui praecipua fidei mysteria nesciant prorsus. Ex eo colligimus iure, quum fides id aetatis usque eo languerit ut in multis pene sit intermortua, sacrae catechesis tradendae officium vel negligentius persolvi, vel praetermitti omnino ».

Quisnam vir huiusmodi verba locutus est? Nonne aliquis communista? Vel socialista? Forsitan aliquis inimicus Ecclesiae? Minime! a S. Pio X, Pontifice Maximo, prolata sunt. Clarum est multis in locis fidem languidam esse vel quasi mortuam quia sacrae catechesis tradendae officium negligenter persolvitur si non omnino praetermittitur...[2]

Audiantur verba simillima Pii Papae XII, felicis recordationis: « Corpus Christi, quod est Ecclesia, magno in discrimine versatur non *solum* [3] propter potestates hostiles externas sed etiam ob debilitatem internam. Haec crescens debilitas, hic processus vires vitales auferens, procedit ex ignorantia doctrinae christianae ».

Haud nobis licet praetermittere hac in re verba Summi Pontificis, Ioannis XXIII, piae et immortalis memoriae, qui in litteris encyclicis *Pacem in Terris* ita de sacrae catechesis tradendae officio scripsit: « Quod in christifidelibus religiosa fides ab agendi ratione saepe saepius dissidet, id ex hoc oriri censemus, quod iidem christianis moribus christianaeque doctrinae institutione haud satis sunt exculti. Cogit igitur necessitas, ut adulescentium institutio sit plena, sit continua, sit talibus modis tradita ut religiosarum rerum cultus animique probitas aequis passibus procedant una cum scientiarum cognitione et cum cotidie progredientibus technicorum artibus ».

Nemo est qui non videt ius et officium esse episcoporum toto orbe terrarum evangelium praedicare et christifideles instituere et formare tum voce et scriptis cum ope sacerdotum immo et laicorum. Ita S. Petrus *apostolus* [4]: « et praecepit nobis praedicare populo et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum » ...[5]. Et in evangelio secundum Lucam ipse Christus Iesus verba Isaiae proclamavit « Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare ...[6].

Moderator: Exc.me Domine, venias ad conclusiones quoad schema nostrum.

Orator: Specifice, ad quem finem ordinatur confraternitas? Sufficit enumerare quattuor partes huius muneris apostolici scil.:

1. Eruditionem religiosam puerorum qui scholas primarias pu-

blicas frequentant e quibus scholis *multis in locis*[7] veritas supernaturalis rigorose excluditur.

2. Institutionem religiosam adolescentium et iuvenum utriusque sexus in domiciliis saecularibus maiorum disciplinarum et collegiis, necnon iuvenum qui curriculum scholasticum aut absolverint aut deseruerint.

3. Institutionem religiosam adultorum, ope circulorum disceptationis religiosae in quibus mulieres virique singularum paroeciarum participant et apostoli laici pro confraternitate paroeciali instruuntur.

4. Institutionem parentum qua scil. parentes officia erga liberos edocentur, officium imprimis, ipsorum filiis doctrinam christianam impertiendi.

Evidens est nullam congregationem canonicam inveniri posse quae omnia media ad omnium fidelium adultorum et puerorum institutionem religiosam necessaria et utilia possideat nisi solam Confraternitatem Doctrinae Christianae. Nostris temporibus ingens multitudo hominum toto orbe terrarum veritates aeternas et doctrinas ad salutem necessarias prorsus nesciunt. Opus apostolicum confraternitatis consistit in impertienda scientia et amore Christi illi « ingenti numero » quorum discrimen a Pontifice praeclaro S. Pio X eloquentia luctuosa est enucleatum. Congregatio ista sibi pensum proponit...[8]

Moderator: Exc.me Domine, optima sunt, sed in quo numero aliquid mutandum est?

Orator: Dixi.

In textu scripto tradito: [1] eheu! [2] (*Acerbo Nimis*, 1905). [3] solummodo. [4] deest. [5] (*Act.* 10, 42). [6] pauperibus misit me » (*Lc.* 4, 17). Ita etiam S. Paulus ad Corinthios: « Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare » (*1 Cor.* 1, 17). « Vae mihi est si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 16). Sed accedit quis et quaerit: cur verbum proponis de confraternitate sive congregatione doctrinae christianae? Certum est neque S. Petrum neque S. Paulum aliquid de huiusmodi institutionis ratione docuisse. Ipse Christus Iesus praedicavit; ss. apostoli omnes praedicaverunt; S. Antonius, praedicator magnificus, evangelizavit. Transeat confraternitas! Quid dicemus? Mutantur tempora et mores. Hisce diebus laborant christifideles in S. Evangelium discendo, docendo, diseminando, non solum propter penuriam sacerdotum, sed quia Dei voluntas est. Confraternitas Doctrinae Christianae operatur uti congregatio canonica *per* laicos et *propter* laicos ad omnia in Christo instauranda in quantum eis possibile sit, sub mandato Ordinarii loci. Meminisse iuvat verba in Evangelio secundum Lucam: « Post haec autem designavit Dominus et alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: curate infirmos et dicite illis: Appropinquavit in vos re-

gnum Dei » (*Lc.* 10, 1 ss.). Quam felix temporum ratio in quibus christifideles mundo universo, aliquatenus incredulo et mente confuso, verba exsultationis et salutis sub auctoritate episcoporum suorum una voce proclamant: « Appropinquavit in vos regnum Dei ». [7] deest. [8] coadunandi, sub moderamine cleri paroecialis, divites illas intellectus, bonae voluntatis necnon pietatis firmae opes quas praeseferunt laici, illasque vertendi in fidem catholicam inter turmas memoratas propagandam. Summa cum fiducia affirmare licet detrimentum maius institutioni christianae infligi haud posse quam proveniret e negligendo ingentes illas opes intellectuales et morales quas nunc offerunt laici fideles Ecclesiae sanctae Dei.

16

Exc.mus P. D. IOANNES McELENEY

Episcopus Kingstonensis

Venerabiles Patres,

Laudabilis finis schematis *de pastorali munere episcoporum in Ecclesia* in eo est ut cooperationem magis arctam inter religiosos exemptos et hierarchiam vel episcopum individuum in genere promovere satagat.

Nemo profecto negabit huiusmodi conamina necessaria esse: nam perplura exempla citari possunt in quibus talis harmoniosa cooperatio notabiliter deficiebat.

Ut vel unum saltem exemplum citem, referre velim casum concretum alicuius scholae paroecialis, a gubernio civili sustentatae, cuius Moderatrix Studiorum infra spatium trium annorum ter substituebatur. Quando tum episcopus tum Gubernium civile inquirebant de huiusmodi ratione procedendi, qui sat magnum detrimentum scholae apportabat, unica responsio in eo erat, quod Mater Provincialis, in exteris terris commorans, ita decreverat. Et tamen episcopus et Gubernium iunctis viribus scholam exstruxerant et ipsum Gubernium sat magnum stipendium religiosis solvebat pro explendo munere Moderatricis Studiorum. Quamvis Mater Provincialis profecto secundum iura ipsi in Codice Iuris Canonici concredita ageret, tamen dixerim aliquam provisionem faciendam esse, ut tales difficultates seriae inter episcopum dioecesanum et religiosos exemptos in posterum evitari possint.

Duae autem viae dari videntur ad tales vel similes difficultates e medio auferendas.

Prima via est illa quam redactores schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* proponunt, et quae consistit in tali depressione iurium Summi Pontificis relate ad religiosos exemptos, ut ipsa vita religiosa inducatur in crisim seriam et immo lethalem. Schema talem inten-

tionem non explicite manifestat: attamen de facto talis depressio certo certius implicatur in variis paragraphis schematis.

Unum autem certum mihi videtur, nempe quod per schematis provisiones spiritus et constitutiones Ordinum Religiosorum radicitus mutari possunt a singulis episcopis in quorum dioecesibus religiosi privilegium laborandi habebant. Exhinc autem provenirent nova problemata et novae frustrationes tum pro episcopis tum pro religiosis, et quidem maiora quam illa quae schema sanare intendit.

Altera vero via, secundum meum iudicium, multo magis spiritui temporis nostri oecumenici correspondet, et in eo est quod crearetur novum et permanens instrumentum cooperationis inter episcopos, quorum successio apostolica et responsabilitas summi facienda est, et religiosos, quorum Constitutiones et iura pontificia servari debent, si modo quodam novo apostolatui Ecclesiae et assistentiae episcoporum dedicandi sunt. Tale instrumentum deberet, ut mihi videtur, consistere in commissione mixta, hoc est composita ex episcopis et religiosis, qui res attente considerarent et conclusiones Sanctae Sedi submitterent. Commissio praefata omni decimo anno posset in unum convenire et studere problematis quae interim exsurrexerunt et solutione indigent. Si, v. g., plures casus improvisae mutationis Moderatricis Studiorum, de quo supra locutus sum, occurrerent, Commissio praescribere posset ut superiores religiosi episcopum prius audiant et consulant, antequam ullas mutationes decernant, quae administrationem vel apostolatum dioeceseos in serium discrimen adducere possent.

Haec altera solutio mihi praeferenda esse videtur, quia ab una parte bene correspondeat desiderio decentralizationis quod a pluribus Patribus conciliaribus manifestatum est, et ab altera parte protegit spiritum, constitutiones et iura pontificia religiosorum exemptorum. Dixi.

Moderator: Finitur disceptatio pro hac vice. Proxima Congregatio generalis habebitur sequenti feria II, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. VIII SCHEMATIS DE ECCLESIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAP. VIII SCHEMATIS DE ECCLESIA *

1

EM.MUS P. D. BENIAMIN CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Circa methodum suffragationum. Generatim inclinamur ad « placet ». Nullam credo suffragationem maioritate votorum reiectam fuisse, etsi aliquae centena habuerint suffragiorum oppositarum, quod probat de re difficili agi in casu.

Unum credo posse certo affirmari: quod si suffragatio circa schema de B. Virgine hoc modo proposita fuisset nempe, « An placeat ut schema de B. Virgine maneat per se stans sicut propositum fuit, an potius ut transferatur et inseratur in schemate *de Ecclesia* », responsio fuisset quasi unanimis pro primo sensu, i. e.: maneat. Sed interrogatio fuit: an placeat ut transferatur et inseratur; et responsio affirmativa obtinuit maioritatem. Hoc autem plures fideles interpretati sunt ut quandam diminutionem honoris Matris Nostrae, idque aegre tulerunt. Quidam amicus et vir magni nominis in scientiis philosophicis me rogabat « ut defenderem Matrem »!

2

EM.MUS P. D. EMMANUEL CARD. GONÇALVES CEREJEIRA
Patriarcha Lisbonensis

Pag. 205, lin. 28, verbis « praxes autem et exercitia pietatis » addatur « quorum eminet Rosarium », ita ut resultet: « praxes autem et exercitia pietatis, quorum eminet Rosarium ».

Rationes: *a*) Rosarium textum habet a precibus quae evidenter sublimes sunt: *Pater Noster,* ipso Iesu auctore, *Ave Mar̄ia,* ex verbis salutantibus archangeli Gabrielis ac Elisabeth, praecursoris matris, et supplicatione ab Ecclesia approbata.

b) In ipso est etiam D. N. I. C. et Deiparae vitae terrenae schema cum memoria ipsorum gloriae atque Hierosolymis Spiritus Sancti adventus.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt vel iuri loquendi renuntiaverunt.

c) Pietatis ex exercitiis popularibus in precibus et meditationibus nullum tam biblicum.

d) Rosarii usus plurisaecularis benevolentissime a Summis Pontificibus approbatus; ab ipsis fervide praedicatus, maxime a Leone XIII per encyclicas aliaque documenta numero et qualitate insignia, atque diversis opportunisque formis a suis successoribus usque hodie, et amplissime indulgentiis ab illis benedictus.

e) Stat factum inconcussum: plus quam semel, contra christianam civilizationem gravissimo imminente periculo, Rosarium marianum tam in labiis quam in corde fidelium mirificum se praebuit scutum et signum victoriae.

f) Denique, ab innumeris sanctis zelo proximi accensis, a pastoribus indefessis episcopalibus, immo a Summis Pontificibus « breviarium laicorum » appellatum est Rosarium.

[*Subscripserunt etiam*] José Vieira Alvernaz, patr. Ind. Or.; Franciscus M. da Silva, arch. Bracharensis; Manuel M. Ferreira da Silva, arch. tit. Cìzico; Manuel dos Santos Rocha, arch. tit. Mitilene; Custodio Alvim Pereira, arch. Lourenço Marques; Antonius Valente de Fonseca, ep. Villaregalensis; Policarpo da Costa Vaz, ep. Guarda; Manuel Afonso de Carvalho, ep. Angra; Manuel da Silveira d'Elboux, arch. Curitiba; Altino Ribeiro De Santana; José Colaço, ep. Cabo Verde; José dos Santos Garcia, ep. Porto Amelia; Ernesto Senna de Oliveira, arch. ep. Coimbra; Moises, arch.; Emmanuel Trindade Salgueiro, arch. Eborensis; Ioannes Pereira Venancio, ep. Leiria; Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis; Paulus Tavares, ep. Macaonensis; Antonius de Castro Xavier Monteiro, ep. tit. Ombi, aux. Villaregalensis; Ioannes Chrysostomus Gomes de Almeida, ep. tit. Jerafitanus, aux. Viseu; Emmanuel A. Pires, ep. Silva Portuensis; David de Sousa, ep. Funchalensis; Ernestus Gonçalves da Costa, ep. Inhambanianus; Franciscus Rendeiro, ep. Faro; Albertus Cosme do Amaral, ep. tit. Tagariensis; Enricus Dias Nogueira, ep. Cabralopolitanus; Daniel Gomes Junqueira, ep. Novae Lisbonae; Ioseph Ioachim Ribeiro, ep. tit. Aegeaensis; Manuel D'Almeida Trindade, ep. Aveirensis; Antonio de Campos, ep. tit. Febiana; Franciscus Esteves Dias, ep. Luso; Pompeu de Sà Leào y Seabra, ep. Malanje; Manuel de Jesus Pereira; Antonio Cardoso Cunha, aux. Beja; Henricus Galain, ep. Vaccariensis; W. L. Schmidt, ep. Xapicoensis; Gaetano Antonio Lima dos Santos, ep. Ilheosensis; Ioseph Thurler, ep. tit. Capitoliensis; José Vasquez Diaz, prael. Dom Jesus do Piaui; José Alvarez Macua, prael. Làbrea; Orlandus Chaves, arch. Cuiabà; Ioachim de Lange, prael. Tefensis; Miguel D'Aversa, prael. Humaità; Mario Roberto Anglim, prael. Coari; Camilo Faresin, prael. Registro do Araguaia; Ioseph Nepote-Fus, prael. Roràima; Joâo Marchesi, coad. Rio Negro; Sebastiâo Baggio, arch. tit. Ephesinus; Manuel Pedro da Cunha Cintra, ep. Petròpolis; Vincentius Marchetti Zioni, ep. Baurù; Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus; Pedro Filipak, ep. Jacarézinho; Gregorio Warmeling, ep. Joinville; Alexander Gonçales do Amaral, arch. Uberaba; Geraldus M. de Morais Penido, arch. Juiz de Fora; Belchior Ioachim da Silva Neto, adm. ap. Luz; Manuel Nunes Coelho, ep. Luz; Milton Corrêa Pereira, ep. tit. Coronensis; Delfim Ribeiro Guedes, ep. Sâo Joâo del Rei; Aristides Pirovano, prael. Macapà; Iacobus card. Câmara, arch. Fluminis Ianuarii; Albertus Ramos,

arch. Belém do Pará; Mario de Miranda Vilas Bôas, arch. Paraìba; Alfonsus M. Ungarelli, prael. Pinheiro; Augustus Carvalho, ep. Caruarù; José Medeiros Delgado, arch. Fortalexiensis; Raimundo de Castro e Silva, ep. tit. Uzali; Adolfo Luigi Bossi; Caesarius Minali, prael. Carolina; Alonso Silveira de Mello, prael. Diamantino; Joâo de Sousa Lima, arch. Manàus; Geraldo Fernandes, ep. Londrina; David Picâo, ep. tit. Tois; Antonio Fragoso, ep. Crateopolitanus; Ioseph de Aquino Pereira, ep. Prudentipolitanus; Jackson Berenguer Prado, ep. Feira de Santana; J. de Milleville, arch. tit. Gabala; Ioseph Petrus Costa, ep. Caetitensis; Walmor Battù Wichrowski, ep. tit. Felbes; Ernestus de Paula, ep. tit. Gerocesarea; José Varani, ep. Jaboticabal; Ruy Serra, ep. Sâo Carlos; José Lazaro Neves, ep. Assis; Gabriel Paulino Bueno Couto, aux. Taubatensis; Franciscus Borje do Amaral, ep. Taubaté; Romeu Alberti, ep. tit. Belalitanus; Walfridus Teixeira Vieira, ep. tit. Larandensis; Thomas Vaquero, ep. S. Ioannis in Brasilia; Aniger F. M. Melillo, ep. Piraciraba; Joâo José da Mota e Albuquerque, arch. S. Ludovici in Maragnano; José Mauro Ramalho de Alarcon Santiago, ep. Iguatuvinus; Amleto De Angelis, ep. Viana; Paulus Hypolito; de Souza Libòrio, ep. Parnaiba; Diego Parodi, prael. S. Antonii de Balsas; Avelar Brandâo Vilela, arch. Teresina; Edilbertus Dinkelborg, ep. Oeiras; Fernando Gomes dos Santos, arch. Goiânia; Candido Bampi, aux. Caxias; Daniel Tavares Baeta Neves, ep. Sete Lagôas; Amadeo Gonzalez Ferreiros, prael. Sâo Raimundo Nonato; Joâo Rezende Costa; Ioseph Costa Campos, ep. Valentinus in Brasilia; Ioseph Terceiro de Souza, ep. Penedensis; Claudius Colling, ep. Passafondensis; Emmanuel Lisboa De Oliveira, ep. Nazarensis in Brasilia; Archangelus Cerqua, ep. tit. Olbiatanus; José Bezerra Coutinho, ep. Stantianus; José Gonçalves da Costa; Iacobus Aloisius Coelho, ep. Maringaensis; Hugo Bressane de Araùjo, ep. Mariliensis; Adriano Hypolito, ep. aux. Bahia; Othon Motta, ep. Campaniensis in Brasilia.

3

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Praesertim recentioribus annis propter multum evolutam doctrinam de B. Virgine non dubium est quin iure meritoque tum a catholicis tum ab acatholicis expectetur clarum verbum quid reapse Ecclesia catholica qua talis de munere, privilegiis et cultu mariali credit, tenet docetque. Tale verbum clarum invenitur in praesenti schemate, quod proinde ad finem tum doctrinalem tum pastoralem multum iuvabit.

In specie multum placet admonitio ut theologi et divini verbi praecones ab omni falsa veritatis superlatione quemadmodum et a nimia mentis angustia in dignitate Matris Dei consideranda caveant. Similiter, inter perpulchra de arcta consociatione B. Mariae Virginis cum Christo in oeconomia salutis deque singularibus privilegiis Dei hominumque Matris, utiliter et verissime notatur quod et ipsa sublimiori modo redempta sit et quod nullo modo Mater Dei aequiparanda sit Christo.

4

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ALDEGUNDE DORREGO
Archiepiscopus Tingitanus

Infra subscribentes instanter instantiusque proponunt ut, veritatis gratia omnemque « minimalismi » speciem vitandi causa, cap. VIII schematis *de Ecclesia,* n. 52, pag. 198, lin. 18, sequenti modo perficiatur: « ... proponere doctrinam, quae ceteroquin tractatum de Ecclesia omnino transcendit, neque... ».

Qui subscribunt, ab em.mo D. card. Stephano Wyszyński dictis assentientes, sequens exhibent optatum: cap. VIII schematis *de Ecclesia,* quod inscribitur *de B. Maria Virgine...,* veniat immediate post cap. I, nempe *de Ecclesiae mysterio,* ita ut deveniat cap. II eiusdem schematis.

[*Subscripserunt etiam*] Leonardus Rodriguez Ballón, arch. Arequipensis; Damasus Laberge, ep. tit. Clypiensis, vic. ap. S. Ioseph de Amazones; Carolus E. Bandeira de Mello, ep. Palmensis; Valerianus L. Arroyo, ep. tit. Gomphensis, vic. ap. Requena; Luis Yañez, ob. Los Angeles (Chile)); F. F. Muguerza, ep. Oran; Em. Romero, prael. null. Jesus y Maria; Ioseph Arrango, praef. ap. Guapi; Caelestinus Fernandez, ep. S. Marci in Guatimala; Dominicus Lucas Capozi, arch. Taiiuan; C. A. Terzi, ep. tit. Diocletianensis.

5

Exc.mus P. D. IOSEPH GABRIEL ANAYA Y DIEZ DE BONILLA
Episcopus Zamorensis in Mexico

Postquam finita est discussio supra schema de B.ma Virgine Maria, Matre Dei et Matre nostra, possunt fieri aliquae animadversiones quae, ni fallor, inservire possunt pro definitiva redactione schematis. Humillime ergo propono sequentes, si forte dignae credantur quae prae oculis habeantur in commissione.

1. Postquam Summi Pontifices locuti sunt de Maria dispensatrice omnium gratiarum et plurimi libri conscripti sunt de hac materia pro fidelibus, immo, postquam Missa et Officium concessa sunt, in fidelibus inest vera et profunda fides circa hunc honorem B. Mariae Virgini a Deo gratiose concessum. Hinc, si Concilium Oecumenicum ne unum verbum quidem facit de hoc, fideles facile credent Patres Concilii adversos esse devotioni B. Mariae Virginis. Iam antea dictum fuerat, etsi iniuria, nos esse contrarios devotioni B. M. V.; quid dicent nunc ob omissionem huius privilegii?

Fideles instruuntur a Romanis Pontificibus doctrina ab ipsis proposita in Litteris Encyclicis, praesertim, et in Litteris Apostolicis. Agitur hic de magisterio ordinario, pro quo credimus non deesse Romanis Pontificibus adsistentia Spiritus Sancti. Fideles ignorant disputationes theologorum circa

doctrinam propositam in illis Documentis. Si Concilium doctrinas illas respueret quia de illis disputatur apud theologos, fideles magnum scandalum paterentur, nam possent credere magisterium Summorum Pontificum subiectum esse crisi theologorum et in tantum valere in quantum ab ipsis admittitur, et tunc magisterium ordinarium Supremi Pastoris in Ecclesia suo robore penitus destitueretur. Theologi enim possunt docere, sed auctoritate privata, et eorum doctrina tantum valet quantum valent argumenta eorum; e contra Summus Pontifex docet ut Magister, magna quidem auctoritate. Hinc miror cur post tot et tanta dicta a Romanis Pontificibus aliqui theologi eorum doctrinam subiiciant suo proprio iudicio, ac si hoc plus valeret quam magisterium Summi Pastoris.

2. Neque silentium Concilii Oecumenici cohonestari potest eo quod, ut dicitur, fratres separati adhuc magis a nobis alienarentur, si de Mariae mediatione ac privilegio dispensandi omnes gratias in doctrina Conciliari sermo esset. Inter duo mala (suppono veram esse suspicionem), nempe inter scandalum catholicorum et scandalum fratrum separatorum, si datur, debemus vitare primum, cum agatur de conservandis in Ecclesia filiis eius. Ni fallor verus oecumenismus non debet afferre malum catholicis.

3. Non semel Summi Pontifices locuti sunt de maternitate spirituali B. Mariae Virginis et dicunt Ioannem apostolum in Calvariae monte nos repraesentasse, quod de cetero etiam non pauci Patres edicunt. Fideles ergo hac docti doctrina credunt sincere B. Virginem Mariam esse eorum Matrem spiritualem. Post Documenta Pontificia episcopi per orbem locuti sunt etiam de maternitate B. M. V. Praeterea multi libri optimae notae expresse loquuntur de hac maternitate, et hi libri sunt prae manibus fidelium dum e contra nullus habet libros theologorum. Fideles ergo qui nunc exspectant ut Concilium aliquid dicat de Maternitate B. M. V. deceptionem habebunt maximam cum de hac re silentium Concilii noscant. Possunt ergo credere Summos Pontifices vel Patres errasse in doctrina proponenda, et tunc amittent confidentiam in Magisterio Ecclesiae. Ni fallor, non solum prae oculis habendae sunt theologorum sententiae, quae a fidelibus ignorantur, sed praecipue bonum fidelium.

4. De mediatione B. M. V. multi Patres conciliares volunt ut nec ullum verbum dicatur, ne exoriantur disputationes inter theologos. Et de fidelibus catholicis nulla habebitur ratio? Non solum propter doctrinam Summorum Pontificum fideles credunt in mediationem B. M. V., sed propter insignia facta per quam saeculum habentur Lapurdi, tot nempe miracula et curationes omnis generis; propter facta apparitionis B. M. V. in loco v. d. *Fatima.* Si ergo Concilium sileat de hac mediatione totaliter, quid possunt fideles credere de nobis Patribus? Revera tristissimum foret si Concilium non solum non conferret ad augmentum verae devotionis erga B. V. M., sed eam potius minueret! Quam laeti essent protestantes ob hanc agendi rationem Concilii, et arma sumerent ad nos impugnandos! Si in Europa lucta non est iam inter catholicos et protestantes, in America Latina est nunc violen-

tissima, et unum ex praecipuis capitibus impugnationis est praecise devotio erga B. V. M.

5. Iam a multis saeculis fideles audiunt effatum « Per Mariam ad Iesum », nunquam autem audierunt « *cum* Maria ad Iesum » ut vult quidam Pater. Si nunc fidelibus aliter loquendum esset, facile crederent Ecclesiam errasse antea, et hinc amitterent confidentiam in magisterio eius.

His motus rationibus, humiliter peto, si quidem hoc scriptum benigne recipiatur, ut in schemate de B. M. V. non omittantur quae iam a fidelibus de facto habentur tanquam vera, etsi non modo completo proponantur.

« Sic enim est voluntas Dei, qui omnia nos habere voluit per Mariam », edixit S. Bernardus, qui eam vocabat « tota ratio spei meae ».

6

EXC.MUS P. D. STANISLAUS HAMILCARUS BATTISTELLI

Episcopus Aprutinus et Hatriensis

Postulo quod titulus *Mediatricis,* quo in Ecclesia Maria condecorari consuevit, immutatus permaneat. Cf. n. 54, litt. (C).

[*Subscripserunt etiam*] Gerardus Micheletto Pellanda, ep. tit. Mades, coad. Ponta Grossa; Elias Olazar, ep. tit. Prusensis; Ubaldus Ev. Cibriàn Fernandez, ep. tit. Bidensis; Albertus Deane, ep. Civitatis Mariae; Urbanus Murphy, praef. ap. Bechuanalandensis.

7

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS BIANCHI

Episcopus Sciiamchiamensis

De B. M. V. Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae. Hoc caput cum pietate et doctrina exaratum est, sed si comparatur ad magnas Encyclicas marianas recentiorum Summorum Pontificum, sapit nimiam sobrietatem.

Placeret ut praeterquam « Mater fidelium » B. M. V. appellaretur quoque « Mater Ecclesiae » explicite.

8

EXC.MUS P. D. MICHAEL BLECHARCZYK

Episcopus tit. Iotanus, aux. Tarnoviensis

N. 50, pag. 202. Doctrina S. Romanae Ecclesiae catholicae de B. M. V. Corredemptrice nedum erit dissensioni et discrimini mentium ac cordium, sed potius multum conferet ad unitatem opinionum tum theologorum tum fidelium, necnon ad omnium salutem, si ad sequentia tria capita reducetur:

1. B. Mariam Virginem esse revera nostram Corredemptricem, utpote quae consensum suum in incarnationem divini Redemptoris libere praestitit eumque in carne humana admirabili modo peperit.

2. Deiparam associatam esse Christo Redemptori in opere redemptionis peragendo; stabat enim sub cruce Filii patientis et morientis, Ipso toto corde compatiens ac quodammodo veluti commoriens. Utrum vero moraliter tantum an etiam immediate et physice Maria ad opus nostrae redemptionis contulerit, relinquendum est profundioribus investigationibus theologorum et ultimatim infallibili Magisterio Ecclesiae.

3. B. Mariam Virginem nunc gloriosissime in caelum assumptam et fulgenti corona ornatam efficacissime pro omnibus hominibus apud Filium suum intercedere omnesque gratias, fructus scil. passionis et mortis Filii sui suaeque simul compassionis omnibus largissima manu distribuere.

* * *

« Caput de B. M. V. » secundo loco (i. e. post cap. I et ante cap. II) schemati *de Ecclesia* inserendum esse videtur tum ratione intimae suae connexionis cum cap. I tum ratione suae prioritatis prae ceteris capitibus. Et quidem:

a) Cap. II (et IV-VII capita) schematis *de Ecclesia* de eius elemento materiali seu de membris vel de societate redemptorum agit. Sed B. M. V., utpote speciali modo redempta seu potius praeredempta, communi ordini redemptorum proprie adnumerari nequit.

b) Cap. III schematis *de Ecclesia* de eius elemento formali seu de sacra hierarchia tractat. Cum vero B. M. V. spirituali sua compassione cum Christo, Summo ac Aeterno Sacerdote, in cruce moriente, tamquam actione stricte sacerdotali, sublime atque speciale quoddam, sibi soli proprium et sacerdotio tum fidelium tum hierarchico maius et excellentius sacerdotium, Christi ipsius sacerdotio propinquum, consecuta sit convenit omnino, ut caput de B. Maria Virgine capiti de sacra hierarchia praecurrat.

Hinc in schemate constitutionis *de Ecclesia* capiti « De B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae » secundus solummodo locus restat adhibendus.

9

Exc.mus P. D. HENRICUS BYRNE

Episcopus tit. Lamianus, prael. null. Ibanus

Votum: Ut retineatur textus integer (i. e. textus emendatus) numeri 54 (de Beata Virgine et Ecclesia) sine ulla mutatione.

[*Subscripserunt etiam*] Patricius Cleary, ep. Nancheng; Ioannes Howe, ep. Myitkyina; Thomas Quinlan, ep. Chun Chonensis.

10

EXC.MUS P. D. BERNARDUS M. CAZZARO

Episcopus tit. Pyrgensis, vic. ap. Aysenensis

N. 53, pag. 199, lin. 2. Quoad textum qui invenitur in pag. 199, a linn. 1-4, scil.: « Ita iam prophetice *adumbratur* in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data, de victoria super serpentem (cf. *Gen.* 3, 15) », haec animadvertenda censeo:

In textu priore habebatur « *praevidetur* », in textu autem emendato habetur « *adumbratur* »: haec mutatio prodit regressum, non vero progressum doctrinalem relate ad textum Bullae dogmaticae *Ineffabilis Deus* Pii Papae IX, ubi legimus: « Patres Ecclesiaeque scriptores caelestibus edocti eloquiis... docuere, divino hoc oraculo (*Gen.* 3, 15) clare aperteque *praemonstratum* fuisse... Redemptorem... ac *designatam* b.mam eius Matrem... ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas ».

Si standum est criterio metodologico in hoc eodem numero paucis ante lineis, scil., pag. 198, linn. 36-37, i. e., « si primaeva documenta, *ut oportet,* sub luce ulterioris et plenae revelationis considerantur, qualiter in Ecclesia leguntur », cur haec mutatio?

Congruenter ergo ad praedictum metodologicum principium, humillime propono ut cum Bulla dogmatica Pii Papae IX, loco vocis « adumbratur » ponatur vox « designatur », secus auferatur vel reformetur praedictum principium.

N. 54, pag. 202, lin. 1. Quoad subtitulum: *De Maria ut ancilla Domini Redemptoris,* litteris inclinatis positum, advertendum est:

Titulus iste sub respectu theologico non videtur accuratus. Ex evangelica enim narratione (*Lc.* 1, 38. 48) et eius fonte: (*1 Sam.* 1, 11), sancta Maria se dixit « ancillam Domini », id est non Verbi Incarnandi sed aeterni Patris, voluntatem suam per angelum revelantis.

Haec aequivocatio, quae repercutitur etiam inferius pag. 202, lin. 22, ubi legitur quod Maria « pro Christo Redemptore fuerit humilis ancilla Domini », penitus removenda est.

Potius mentem convertentes ad indefectibilem Evangelii vocem, cum Elisabeth, « Spiritu Sancto repleta », Virginem salutemus « Domini Matrem » (*Lc.* 1, 39-45), cui Iesus certe secundum humanam substantiam ab ipsa Virgine sumptam, « subditus erat » (*Lc.* 2, 51).

Congruenter igitur cum materia de qua agitur novum et magis adaequatum propono subtitulum, i. e.: « De Maria divini Mediatoris Matre et Socia ». Sub cuius luce tota huius numeri materia aptius esset disponenda.

11

EXC.MUS P. D. VICTORIUS CECCHI
Episcopus Forosemproniensis

Etiam praecisione facta a titulo, caput « De Beata Virgine » in constitutione *de Ecclesia* apparet veluti summula quaedam totius doctrinae marialis, quamvis explicite dicatur mentem Concilii non esse « completam de Maria proponere doctrinam ».

Mirandum sane est quod dum in textu explicite recoluntur, in relatione ad B. Virginem, S. Elisabeth, Pastores, Magi, S. Simeon, Discipulus dilectus iuxta Crucem, textus omnino sileat de S. Ioseph.

Implicite quidem de eo mentio fit summatim in quibusdam lineis, occasione inventionis Pueri Iesu in templo, in fine pag. 200; dicitur enim « Parentes eius... ».

Petitur ergo ut in textu explicita mentio fiat de S. Ioseph, de eiusque relatione ad B. Virginem Mariam.

In lin. 31 pag. 199, post verba « *Nazarethana Virgo* » opportune addi possent haec sancti Evangelii verba « *desponsata Ioseph, de domo David* » (*Lc.* 1, 27).

[*Subscripserunt etiam*] Ugo Camozzo, arch. Pisanus; Franciscus Cogoni, ep. Octeriensis; Pacificus Vanni, arch. tit. Proconnesius; Archang. Cerqua, ep. tit. Olbiatanus; Aloisius Irizar, vic. ap. Tumacoensis; Nicolaus Cavanna, ep. Reatinus; Macario Tinti, ep. Fabrianensis; Vincenzo De Chiara, ep. Mileto.

12

EXC.MUS P. D. PETRUS ČULE
Episcopus Mandetriensis

Doctrina cap. VIII de B. Maria Virgine Deipara in genere placet. Est utique aliquatenus ieiuna et nimis sobria quod rationibus oecumenicis tribuendum est, uti facile intelligitur. Optandum ut istae considerationes oecumenicae fructum afferant!

Displicet vero, uti aliqui Patres iam adnotaverint, quod in paragrapho ubi de relatione inter B. Virginem et Ecclesiam agitur, Mariae titulus propriissimus et aptissimus nempe Matris Ecclesiae non adhibetur.

B.ma Virgo utique cum quadam timiditate mater nostra et mater hominum proclamatur sed nullibi Mater Ecclesiae nuncupatur. Sed de Maternitate B. Virginis respectu Ecclesiae ut talis nullatenus dubitandum est. Est veritas catholica in tuto posita quae intime connectitur ac sponte fluit ex fundamentali dignitate Mariae ut Dei Genitricis. Ecclesia enim est Corpus Christi mysticum uti sollemniter in isto schemate edicitur. Sed si Maria est Mater Christi Dei uti omnes christiani post Concilium Ephesinum credere debent, est utique etiam Mater eius mystici Corporis quod est Ecclesia.

Affirmare primum et non affirmare secundum esset contradictio in adiecto. Mater Capitis necessario est etiam Mater Corporis. Ideo omnino restituendus est titulus Beatissimae Virgini quo illa Mater Ecclesiae nuncupatur, si non in ipsa superscriptione capitis, saltem in paragrapho ubi expresse relatio inter Mariam et Ecclesiam delineatur.

Maternitas Mariae spiritualis ac universalis non est inventio moderni temporis. Est antiquissima traditio catholica a temporibus apostolicis derivata. Praeclarissimi testes istius traditionis apostolicae sunt SS. Iustinus et Irenaeus qui Mariam alteram Evam dicunt. Sicuti ergo prima Eva primo Adamo associata erat ita Maria ut secunda Eva socia est facta secundi Adami Christi. Et sicut nos omnes vitam corporalem ab illa prima Eva sortimur ita vitam spiritualem a Christo per Mariam accipimus. Ex dispositione itaque divina et non ex natura rei, Maria cooperata est Christo etiam in ipsa obiectiva redemptione generis humani et non tantum in subiectiva, sicuti Eva Adamo cooperata est tum in peccato tum in transplantanda vita corporali. Mariam revera esse cooperatricem Christi et mediatricem vitae spiritualis quoad nos homines est factum certum, sed de modo quomodo ista cooperatio et mediatio concipienda sit et quousque protenditur, ista res liberae disputationi theologorum relinquatur.

Alicui mirum videri possit si Mariae quae et ipsa a Christo redempta fuerit, cooperatio cum Christo in ipso opere redemptionis attribuitur. Sed immerito. Nam opus Incarnationis quod ipse Deus in natura divina operatus est maius est opere redemptionis quod Christus in natura humana perfecit. Si itaque Maria potuit ipso Deo cooperari in opere Incarnationis, cur non posset cooperationem praestare Christo ut homini, si ita Deus in sua Providentia disposuerit?!

Veneratio quam Ecclesia catholica B. Virgini exhibet infinite utique distat a cultu qui Uni Deo debetur. Nam Maria fuit et est et erit pura creatura, ergo nihil per se et ex se in conspectu Summae Deitatis. Tamen ista veneratio Mariae exhibita est prae ceteris Sanctis omnino specialis. Ad istam venerationem Ecclesia inducta est per Evangelium immo per ipsam Sanctissimam Trinitatem. Primus enim qui Mariae honorem detulerat fuit Deus Pater qui illam per Angelum suum ut gratiae plenam salutaverit. Secundus fuit Dei Filius qui illam sibi in Matrem elegerat eiusque auctoritati maternae se libere subiecit. Tertius fuit Spiritus Sanctus qui per os Elisabetae illam benedictam in mulieribus praedicavit necnon per os ipsius Beatissimae Virginis prophetiam de honore sibi deferendo ab omnibus generationibus edidit.

Nec honor B. Virgini praestitutus nisi Christocentricus et Deocentricus fieri potest. Nam ratio fundamentalis cur nos Mariam honoramus est quia illa est Mater Iesu. Specialissimae quoque praerogativae quae Mariam exornant non propter eius honorem proprium sed propter honorem divinum illi sunt debitae. Honor Dei Patris requirebat ut Maria qua Virgo Christum conciperet ac pareret. Nam impossibile est cogitatu, quod Deus Pater suam

Paternitatem qua constituitur persona divina alicui homini communicari potuerit ita ut aliquis homo pater Christi physicus esse potuerit. Item impossibile est cogitatu quod Dei Filius qui est sanctitas infinita sibi Matrem eligere potuerit quae non esset ex omni parte sancta et immaculata. Glorificatio itaque Mariae gloriam eius Filii Christi non tantum non minuit sed auget et extollit.

Bene in schemate theologi ac verbi divini praecones admonentur ut in laudem praeclarissimae Virginis nihil aliud proferant nisi quod nititur verbis Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum, Ecclesiae Doctorum atque Magisterii ecclesiastici. Nam Spiritus Sanctus in Sacra Scriptura atque traditione authentica Ecclesiae Beatam Virginem ita egregie depinxit ut si aliquis privatus ex propriis aliqua addere vellet, similis foret puerulo ignaro qui imaginem celeberrimi cuiusdam pictoris emendare vellet.

Ad cultum Mariae promovendum et ad gratum animum pro tot beneficiis ab illa Ecclesiae collatis ostendendum assentior Patribus qui consecrationem eius Immaculato Cordi in hac aula proposuerunt. Nos Episcopi Iugoslaviae ultimo sabbato novembris anno praeterito nostras dioeceses communi consilio in ecclesia Mariae Maioris hic in Urbe consecravimus. Exopto ut in hac sessione Summus Pontifex circumdatus omnibus Patribus hic praesentibus ac ipsis cooperantibus totam Ecclesiam immo universum mundum immaculato ac materno Cordi B.mae Virginis dedicaret.

13

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Caput ultimum schematis *de Ecclesia,* quod est « de B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae » minus placet quam prius schema *de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae,* in cuius locum succedit.

Prius enim schema clarius et directe plura exponebat quae in praesenti capite indirecte tantum et velut timide asseruntur. Quaedam autem omissa sunt.

1. Inter haec, maioris momenti videtur explicita et directa declaratio, melius, assertio tituli « Matris Ecclesiae » quem Mariae tribuerunt plures Romani Pontifices, inter quos numerandus est Paulus VI, feliciter regnans, qui, in allocutione in hac aula habita die 4 decembris elapsi anni, nobis significavit se velle ut Concilium quaestionem de schemate circa B. Mariam Virginem ita enodaret ut Mariam nomine « Matris Ecclesiae » ornare possimus.

Prius schema inde ab inscriptione affirmabat titulum Mariae ut Matris Ecclesiae, et in expositione argumenti, explicite hunc titulum Mariae agnoscebat.

Nunc, inscriptio mutata est, et, ut videtur, bene; at in expositione argu-

menti omissa est assertio maternitatis Mariae erga totum Corpus mysticum Christi. Haec autem assertio videtur reparanda.

Titulus enim Mariae ut Matris Ecclesiae occurrit in documentis Romanorum Pontificum saltem inde a Benedicto XIV (in Bulla aurea). Maternitatem autem spiritualem qua Maria Mater hominum dicitur et est, plures Romani Pontifices deducunt ab eius maternitate erga totum Corpus mysticum Christi, praesertim cum nativitatem Christi Redemptoris commentantur.

Sic iam S. Leo Magnus originem populi christiani a generatione Christi arguebat quia « natalis Capitis natalis est corporis » (Sermo 6 in Nat. Dom. apud prius schema). S. Pius X, vero, dilucide hoc argumentum exposuit in litteris encyclicis, *Ad diem illum,* his verbis: « Annon Christi Mater Maria? Nostra igitur et Mater est. Nam statuere hoc sibi quisque debet Iesum, qui Verbum est caro factum, humani etiam generis Servatorem esse. Iam, qua Deus-Homo, concretum Ille, ut ceteri homines, corpus nactus est: qua vero nostri generis Restitutor, spirituale quoddam corpus atque, ut aiunt, mysticum quod societas eorum est, qui Christo credunt, *Multi unum corpus sumus in Christo* (*Rom.* 12, 5). Atqui aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam mortalium fieret Sospitator. Quamobrem Angelus pastoribus dixit: Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus (*Lc.* 2, 11). In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris, et carnem Christus sibi assumpsit et spirituale simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum qui credituri erant in eum. Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique ut ait Apostolus, membra sumus corporis eius de carne eius et de ossibus eius (*Eph.* 5, 30), de Mariae utero egressi sumus, tamquam corporis instar cohaerentis cum capite ».

Eamdem sententiam repetit Pius XII, in litteris encyclicis *Mystici Corporis Christi.* Mariam, ait ipse, « mysticum Christi corpus e scisso Corde Servatoris nostri natum (cf. Off. Ss.mi Cordis in hym. ad vesp.) eadem materna cura impensaque caritate prosecuta est, qua in cunabulis puerulum Iesum lactentem refovit atque enutrivit ».

Nec nova dicenda doctrina quam iam agnoscebat S. Irenaeus (« Purus — Christus — pure puram aperiens vulvam, quae regenerat homines in Deum », *Adv. haer.* 4, 33, 11); S. Epiphanius (« A Maria Virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut viventem pariat, et viventium sit Mater », *Haer.* 3, 2, 79); S. Ambrosius (*in com. ad illud Canticorum,* « Venter tuus sicut acervus tritici »; cf. CAMPANA, *Maria nel dogma,* p. 1, q. 1, c. 2, a. 4 apud Roschini, p. 281); S. Bonaventura (« unum genuit carnaliter, omne tamen genus humanum genuit spiritualiter », *Sermo VI in Assump. B. M. V.*), et alii.

Non intelligitur ergo cur caput de B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae sileat titulum « Matris Ecclesiae » quo optime signifi-

catur habitudo B. Virginis ad totam Ecclesiam. Nec invocetur ratio oecumenica, cum oecumenismus postulet ut doctrina Ecclesiae catholicae tota et sine ambagibus declaretur.

Propono, itaque, ut suo loco asseratur maternitas Beatae Mariae Virginis erga totam Ecclesiam, v. g. in n. 52, in secunda periodo, pag. 198, lin. 4, immutando propositionem quae incipit a verbo « Quapropter » sic vel similiter: « Quapropter non modo ut supereminens prorsusque singulare membrum Ecclesiae, eiusque in fide et caritate typus et exemplar spectatissimum, sed etiam ut Mater salutatur ».

Sicque, ut videtur, conclusio totius periodi omnia continet quae antea declarata sunt, nempe non solum singularia privilegia Beatae Mariae Virginis, sed etiam eius maternitas erga Ecclesiam, cum « cooperata sit ut fideles in Ecclesia nascerentur ».

2. In n. 53, pag. 201, lin. 5, post verbum « messianicae » addatur « qua crediderunt in Iesum discipuli eius ». *Ratio*: ut clarius appareat munus B. Virginis ad Ecclesiam condendam, cum fides discipulorum causa fuit cur supra ipsos fundaretur Ecclesia.

3. Mallem ut praedestinatio B. Virginis una cum Verbi incarnatione assereretur iam in initio capitis, in prooemio, in n. 52. Ratio est quia ordo intentionis est prior ordine executionis, et hic ab illo melius cognoscitur.

* * *

1. Concilium non potest doctrinam profiteri quae ab ea differat a Magisterio Ordinario Romanorum Pontificum iam a multis annis continuo tradita. Alias, fideles aliquod scandalum paterentur. Difficile enim eis esset non iudicare Magisterium Ordinarium Romanorum Pontificum, et quidem universam Ecclesiam docentium, in re magni momenti quae ad salutem et aedificationem spiritualem pertinet erravisse, et Concilium non credere de doctrina Romanorum Pontificum iudicare posse; haec valent praesertim de titulis « mediatricis omnium gratiarum » et « corredemptricis ».

2. Titulus « Matris Ecclesiae », qui in priore schemate inveniebatur, omnino reparandus est. Ut fundamentum enim datur a pluribus documentis Romanorum Pontificum maternitatis gratiae Beatae Virginis erga homines. Em.mus card. Ruffini heri textum citavit S. Pii X. Addi posset S. Leo Magnus qui originem populi christiani a generatione Christi arguebat: « natalis Capitis natalis est corporis » (*Serm. 6 in Nativ. Dom*); Pius XII, in *Mystici Corporis* Maria, sic Ipse, « mysticum Christi corpus e scisso Corde Servatoris nostri natum eadem materna cura impensaque caritate prosecuta est, qua in cunabulis puerulum Iesum lactentem refovit atque enutrivit ».

3. Ratio oecumenica ut de his sileat Concilium vi destituta est. Primo quidem fratres separati integram doctrinam quam de Beata Maria Virgine profitentur Ecclesia et populus fidelis cognoscere cupiunt; secundo, minime eorum ad Ecclesiam reductioni favet expositio Magisterii Ecclesiae quasi versatilis modo hoc modo illud docentis.

14

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

Nonnulla adhuc de cap. VIII et in concreto de titulo « Mater Ecclesiae » B. Mariae Virgini in textu conciliari constitutionis *de Ecclesia* applicando necne.

Multa quidem audivimus hinc et hinc a Patribus in aula prolata et, dum alii B. Mariam Virginem « Matrem Ecclesiae » expresse in textu conciliari praedicandam fore dicunt, alii contrarium et sentire et affirmare non dubitant.

Mihi, sincero dicam, sententia perplacet affirmativa. Expositionem tamen aliorum dum audiebam, quaedam menti meae occurrerunt dubia, quae, tranquillitatis gratia, maxima cum simplicitate fiducialiter coram vobis exponere nunc audeo.

In decursu disceptationis, ratione pastorali Concilii in medium producta, non semel sed saepe haec plus minusve audivimus dicere: « titulus et praerogativa " *Mater Ecclesiae* " in textu conciliari includi et praedicari non debet, quia talis inclusio et praedicatio *pastoralis* non fuisset, eo quod fratres separati nullatenus intellexissent ».

Ratio, ergo, pastoralis Concilii exigere videtur altum hac de re silentium, in bonum fratrum separatorum, ne ipsi nempe scandalum patiantur. Alias quoque his vel similibus exceptionibus uti in aula audivimus et, Deo dante, in posterum certo audiemus.

Nunc autem hoc mihi occurrit dubium: Quid postulat et exigit ratio pastoralis Concilii in bonum filiorum nostrorum? Quae et qualis est vera et authentica ratio pastoralis Concilii? Quid importat et quousque sese extendit? Eritne fortasse verum « pastoralitatem et oecumenicitatem Concilii » deberi a nobis mensurari habita solummodo ratione fratrum separatorum? et, quatenus affirmative, quorumnam?...

Demus vero Fratres nostros carissimos non intellecturos fore ideoque neque admissuros nostrum modum loquendi. Quid inde?... Praetermittenda ideo erit et e textu conciliari excludenda formula illa, inter nos sat usitata, « B. Maria Virgo *Mater Ecclesiae* »? Intelliguntne Maternitatem divinam, Virginitatem, Immaculatam Conceptionem et Assumptionem?

Explicetur potius formula, minime vero excludatur. Formula utique suas habet internas difficultates. At etiam aliae B. Mariae Virginis praerogativae et gratiae, sicut et veritates et dogmata omnia fidei catholicae.

De cetero liceat mihi hoc unum memorare: ni fallor, doctrina a Patribus admittitur, dum formula omnibus non placet, ne fratres separati scandalum patiantur. Verumtamen ipsi optime norunt talem Concilii agendi rationem, audiunt enim, sicque poterunt nos de insinceritate et simulatione merito incusare.

Hoc ultimo adhuc addam: Fuitne pastoralis ratio agendi Ioannis XXIII? Estne adhuc hodie ratio agendi dilectissimi Papae Pauli VI f. reg.?...

Restituatur ergo titulus « Mater Ecclesiae ».

15

Exc.mus P. D. IOANNES DOOLEY

Archiepiscopus tit. Macrensis

An answer to the objections of those Fathers, who fear that a full Marian doctrine may harm the Ecumenical Movement.

The present disunity among Christians is, in reality, a division, or a "falling-out" among brothers in Christ,—among members of the same family. In this family, Mary is the Mother. It is the function of a mother to maintain peace and harmony and unity within the family—and to restore them gently and tactfully, if unfortunately, they should be destroyed.

Among Christians Mary can only be a bond of unity and charity; a full recognition of her unique prerogatives can never be an obstacle to *true* unity.

If some of her children have offended their mother, or (which is worse) disonored her, they must be willing to acknowledge their errors and faults. The union of all true Christians will be achieved under the maternal mantle of Mary, Mother of God, or not at all.

16

Exc.mus P. D. MICHAEL DOUMITH

Episcopus Sarbensis Maronitarum

Excusatum me habeatis loqui post clausam disceptationem: in hac disceptatione fere nulla vox ex oriente audita fuit; obiectum autem disceptationis magni momenti est: agitur enim de aliqua novitate afferenda in constitutione dogmatica.

Totius capitis de Beata cardo est in affirmatione tituli « Mediatrix ». Porro si ageretur de pietate erga Virginem manifestanda aut de laudibus Mariae celebrandis, non Oriens contradiceret: has enim laudes « multifariam multisque modis » celebrat, ipsum titulum « mediatrix » aliquando usurpans in « hymnis et canticis ». In his autem textibus vox « mediatrix » occurrit coniuncta cum vocibus advocatae, auxiliatricis, patronae, et certe in eodem sensu intercessionis, exclusa omni cura dogmatizandi.

In hac autem dogmatizandi cura latet novitas, ex qua fit ut significatio vocabuli mutatur et evadit, non clarior sed obscurior et aequivoca.

In theologia latina, mediatio supponit meritum et quidem strictum seu de condigno. Et hoc supposito, certe strictissime interpretanda sunt verba

Pauli: « Unicus est mediator ». Unicus enim mediator, unicus redemptor, qui factus est hominibus similis, ne alio indigeant. Et ideo omnis alia mediatio, in quantum vera est, mediationi Christi non potest non derogare. Et si ita intelligenda est ut mediationi Christi non deroget — ut dicitur in textu — iam non est mediatio nisi sensu lato et improprio, qui posset occurrere in hymnis et canticis, sed non debet admitti in constitutione dogmatica.

Vox est aequivoca et ipsa res non sat determinata et firma. In textu non dicitur expresse « mediatrix omnis gratiae »: attamen intenditur et subauditur. Si autem subauditur, quid putandum de iustis in V. T. qui spe Messiae venturi iustificati sunt? An etiam spe Mariae? Quid putandum de gratia sacramenti? Nonne ipse Christus immediate agit in sacramento?

Haec omnia quae supponuntur non sunt firma et certe sunt nova, verbo et re. In synodis regula autem est: nihil innovetur nisi quod traditum est. Et quando verba nova adhibentur, ut factum est in Ephesina synodo pro « Theotokos » hoc fit ex necessitate veram fidem exprimendi non ex curiositate dogmatizandi de re incerta.

Ad vitandam ergo aequivocationem, immo ad vitandum scandalum non sine fundamento fratrum separatorum, optandum est ut ab usu huius vocabuli in constitutione dogmatica abstineamus: non est revera nisi abusus vocabuli; et si admitti debeat, coniungatur vocibus « advocatae, auxiliatricis, patronae » ut sensu intercessionis clare intelligatur. Tunc certe eminet Deiparae intercessio; tunc Maria, inter omnes creaturas redemptas, apparet altior, propior scil. Filio et propior nobis. Quae omnia videntur sufficienter contenta et dicta glorioso titulo « *Theotokos* », in quo exprimitur Mariae et eminens dignitas et eminens intercessio.

17

Exc.mus P. D. MARCELLUS M. DUBOIS
Archiepiscopus Bisuntinus

Il s'agit du schéma « De B. Maria Virgine ». L'ensemble en est bon. Mais deux mots y ont été très malheureusement supprimés. Et cette suppression, qui sera connue, va causer le plus vif étonnement.

A la page 7, lignes 19-22, ont été enlevés par un modus, présenté par douze Pères seulement — à propos de la donation que Jésus fit de sa Mère à Jean — les mots appliqués à ce dernier: « *fidelium figurae* ».

Une explication rapide (dans les « Modi » sur ce schéma, p. 13) indique que cette explication ne serait conforme, ni à l'Ecriture, ni à la Tradition.

On aurait pu, tout au moins, considérer, à plusieurs points de vue, l'étrangeté de ce passage chez l'Apôtre Jean — étrangeté qu'il est très facile de montrer. A coup sûr, ce passage, comme dans tous les détails donnés par Jean sur la mort de Jésus, a l'ampleur des circonstances et dépasse le détail de vie privée que l'on retient seulement.

La Tradition des Pères fournit peu de témoins; on peut l'accorder.

Mais, à partir du XII[e] siècle, l'interprétation est, on peut dire, unanime, et les témoins innombrables. Chez les Souverains Pontifes, il suffit de citer Benoît XIV (Bulle *Gloriosae*) et les prédécesseurs de Votre Sainteté. Léon XIII parle même à ce sujet, dans *Adiutricem,* du « perpétuel » sentiment de l'Eglise (ce « perpétuel » doit être en relation avec, spécialement, la doctrine sur la « Nouvelle Eve »).

Mais alors, si l'enseignement moralement unanime des évêques, des docteurs et des théologiens, et « l'opinion commune » du peuple chrétien sont, comme le professe l'Eglise, organes de certitude, comment refuser cette note à l'interprétation de la donation du Calvaire?

D'autant que s'y ajoute, comme il vient d'être dit, l'autorité suprême du magistère pontifical.

18

EXC.MUS P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ

Episcopus Ambatensis

Cap. VIII quod de B. Maria Virgine tractat optimum quidem est et devotissimum, sed cum indole pastorali nostri Concilii non plene cohaerere nobis videtur. Etenim optima et quidem perpulchra de eminentia eiusdem Deiparae Virginis Mariae asseruntur, attamen valde pauca et quidem solum indirecto modo de eiusdem Virginis Deiparae relationibus cum Ecclesia, id est cum hominibus dicuntur quae, de cetero, secundum nostram opinionem omnino dici debent.

Phaenomenum devotionis populi christiani erga B.mam Virginem non solum factum evidens est, etiam pars constitutivae ipsius vitae Ecclesiae. Hac de causa, si temporum exigentiis respondere vult, vel illas devotionis manifestationes moderare debet, vel fundamenta praebere ad talem devotionem iustificandam. Si haec non facimus, christifidelium mariana devotio nihil aliud esset nisi quidam phanatismus vel sentimentalismus et rationem daremus iis qui exaggeratam credunt devotionem populi christiani erga B.mam Virginem.

Omnino cum illis convenimus qui credunt tempus non esse opportunum novas definitiones vel nova dogmata addendi. Concilium nostrum, nec dogma maternitatis spiritualis nec mediationis universalis proclamare debet, attamen intelligere non possumus cur de doctrina maternitatis spiritualis, clare et profunde mentem suam non aperiat. In cap. VIII, ut iam luculenter aliqui patres observarunt, solummodo per transennam et valde superficialiter de maternitate loquitur, cum e contra, valde optandum esset ut de tali mysterio amplior doctrina tradatur.

Doctrina maternitatis spiritualis, secundum nostram humilem opinionem, fundamentum est totius tractatus Corporis mystici, fundamentum etiam est totius devotionis populi christiani erga B.mam Virginem Mariam. Etenim

de illa in tantum asserere possumus quod Deipara sit in quantum est mater Christi; et in tantum est Mater Christi, in quantum humanam naturam praebuit ut Verbum caro sit factum. Maria eo solum est Mater Dei quia est Mater Christi, id est naturae humanae secundae personae Trinitatis. Si Christus duas habet naturas, si Christus Deus est et homo, Maria est Mater Dei in quantum est Mater hominis, seu Mater naturae humanae Christi.

In hoc sensu solum intelligenda videtur doctrina de corpore mystico, secundum quam tota humana natura per imitationem et reproductionem unici Christi Filii Dei, facit Christum totalem in omni tempore, populo et natione. In hoc sensu Christus dicendus est et appellandus primogenitus, quia ille in natura humana est prior inter omnes qui per redemptionem et plenam imitationem in Christum convertuntur. Ex nostra parte convinctionem habemus quod impossibile est loqui de Corpore mystico, si maternitas spiritualis Virginis Mariae non admittatur. Hac de causa intelligere non possumus cur in toto hoc schemate de corpore mystico tractetur et nihil praecise et profundiori modo, de maternitate spirituali Virginis Mariae exponatur.

Non petimus quod titulus capituli mutetur, non petimus quod novum dogma addatur, solummodo petimus quod clariori et profundiori modo, in hoc capite de B. Maria Virgine, doctrina de maternitate spirituali Mariae Virginis clarius et enixius exponatur, non ut alicuius novi proclamatio, sed simpliciter ut fundamentalis doctrinae marianae enucleatio.

19

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

Pour la mariologie suivons « aurea via media ». La mariologie est si riche, que nous n'avons pas besoin de multiplier des titres comme « Mère de l'Eglise », « Médiatrice », etc. qui demandent des explications pour être bien compris.

Qui dit « Mère de Dieu », « Mère des hommes », « Immaculée », « Montée au ciel » etc., exprime déjà suffisamment ces vérités pour alimenter une dévotion saine, profonde et filiale.

N'offusquons pas les Protestants qui de leur côté reviennent peu à peu à une compréhension plus éclairée de la place de Marie dans le plan de Dieu et dans l'Eglise, un peu comme nous qui sommes revenus à une plus grande dévotion pour la Bible, je veux dire l'Ancien Testament, que beaucoup de catholiques, et même prêtres, ont « boudé » trop longtemps.

Soyons *clairs, fermes, positifs, sereins* dans les expressions. Nous n'avons rien à cacher, rien à minimiser, pourvu que nous nous tenions sur un terrain ferme, et non pas une dévotion trop sentimentale et de mauvais aloi.

La Vierge nous en sera reconnaissante!

20

EXC.MUS P. D. HENRICUS FORER

Episcopus tit. Memphitanus, aux. Bauzani-Brixinensis

In periodo disceptationis huius schematis (legitime) absens ero, sed nunc audivi consentitum esse, transmittere adhuc vota. Audeo igitur adducere humiliter aliquas animadversiones, nolens auferre tempus pretiosum Tibi, rev.me Pater.

Textus emendatus, optime confectus et plurima continens, in aliqua parte (cf. pag. 204 lin. 15 etc., pag. 205 lin. 8 etc.) simplificari et in aliqua maiori calore conficere valeat. Nonnulli repetitiones non necessariae inveniuntur.

Quoad quaestiones disputatas « corredemptrix », « mediatrix » etc. mea humilis sententia haec est: quae est mater, quae non adlaboret, quantum potest, pro munere filii sui? Non per hoc urgens est, formulare titulum; sufficit affirmare cooperationem. Matres in genere non sunt cupidae titulorum. Perinde titulus « Deipara » et « Mater » omnia alia excellunt, et aliquo modo continent. Amori filiali autem placet honorare matrem; qua de causa in traditione populi christiani a saeculo iam cognitae, et auctoritative repetitae sunt affirmationes quaedam, titulo breviter expressae, quas silentio totaliter praeterire grave defectus esset. Si mens est Concilii, incertas quaestiones theologorum non dirimere, mentionem faciat titulorum modo « citationis » e. g. alicuius Patris, quod in textu partim iam optime factum est. Sed adiungere poterit e. g. « ... Mulier simul filia Ecclesiae et Mater » (S. AMBROSIUS, in *Expositione in Apocalypsim*; si tamen auctoritas demonstrare nequit: e. g. « ut antiquitus appellari legimus » etc.), et idem e. g. « Magna Mater populorum » (S. AUGUSTINUS, *Ench.* 121, 5).

Quid mirum de mediatione Virginis et Matris? S. Thomas exponit doctrinam legis universalis mediationis omnium creaturarum, secundum quam Deus « possibiliter » non Ipse sed per suas creaturas agit (Sparsamkeitsgesetz od. Gesetz der allgemeinen Mittlerschaft — sicut invenitur etiam in libris « modernis »). Omnes creaturae, quantum capaces sunt agendi, nomine et facultate Dei ad actuanda aeterna Suae Sapientiae divinae decreta concurrunt. Nonnulli tamen sunt e. g. homines, qui hanc « methodum » Dei recusant; et ideo reiciunt eius instrumentum, ministrum etc.

Humiliatio fuit superbiae Luciferi non ab ipso Deo, si iam, sed a S. Michaele debellari, et postea ab ipsa Virgine. Requiritur humilitas iungere manus ante SS. Virginem et gratiam sperare. Num in obstentatione « Christocentrismi » et « unius Mediatoris » quandoquin aliqua defectus humilitatis se abscondat? Multi sunt homines nostri temporis, qui mediationem sacerdotis, sacramentorum, Ecclesiae etc. recusant et solum dialogum cum ipso Deo appellant! Persuasum est tamen omnibus credentibus, Deum ex lege universalis mediationis suam SS. Matrem non omnino exclusisse, immo,

eam in summo et primo loco — propter dignitatem et excellentiam — posuisse.

Quaestio igitur non est, si *unus* sit Mediator Dei et hominum aut duo, forsitan inter se discordantes; veritas haec est: Deus Pater decernuit, uti B. M. V. ad Incarnationem Filii Sui Unigeniti, operante Spiritu Sancto, et ad actuandam eiusdemque Redemptionem tamquam strumentum humanum (ancilla) et medium ad finem. Quis est filius, cui displiceat adiuvari a matre in exsequenda missione, aut offensum se iri, si ipse eam ad cooperationem vocavit? Non mihi nimis difficile videtur hoc simpliciter illustrare, ut aliqui Patres conciliares dicebant, in textu.

Nec quis nimis mirum habeat, si fideles in angustiis et necessitatibus huius vitae naturaliter et « spontanee » eam frequentius appellant, quam matrem aestimant et facultatibus a Deo ditatam credunt? Censeo quod aliquantulum interesse possit inter liturgiam « terrestrem » (populi Dei in statu viae) et « caelestem » (in statu perfectionis et sanctitatis). Christus est unus Mediator (et repetitur in textu usque ad satietatem) et « Centrum » universarum rerum, sed *in fieri, in adventu,* non iam nunc, in animis et in mundo. Unio animae cum Christo est *finis* huius vitae, numquam perfecte et definitive obtentus. Sicut ipse Christus, in iuventute sua, dum « crescebat in aetate, sapientia et gratia », indigebat Matris, ita et nos, semper infantes in fide, sapientia et gratia, simulque infirmi, indigemus Matris, tendentes ad « mensuram aetatis Christi » (*Eph.* 4, 13).

Nolumus extollere nimis *titulos* SS. Matris, sed silere veritatem cavemus! Quis audeat minuere veram devotionem Marianam, silentium imponere iis, qui fiduciam in matrem nutriunt, responsabilem se reddere, fideles et iuvenes nominatim se tam efficacis salutis medii privari? Laudo textum, qui hoc non facit, sed aliquid magis clarius dicatur.

Haec sequentes animadversiones — si placuerint — humiliter propono:

1) Ut inseratur « mulier simul filia et mater » ut supra dixi etc. loco opportuno.

2) Pag. 199, lin. 36 ita sonet: « Maria, filia Adam, *soror nostra,* verbo... etc. ». Lin. 41 omittantur verba « sub ipso et cum Ipso » quasi necessarium foret hoc dicere!

3) Pag. 200, lin. 40 ita: « Eius non *plene* intellexerunt... etc. ».

4) Pag. 202, linn. 2-3, deleatur vocabulum « absolute » et textus ita: « ... secundum verborum apostoli significationem... ». *Ratio*: *a*) quia nimis philosophice sonat; *b*) quia ulteriorem possibilitatem inquirendi in futuro tollit et simplex adfirmatio sufficit.

5) Pag. 202, lin. 9, sic: « obscurat nec minuit sed extollit *et fovet.* Omnis... ».

6) Pag. 202, linn. 31-32, sic: « ... oeconomia maternitas *spiritualis* indesinenter ».

7) Pag. 202, lin. 38, sic: « cessione *pro filiis et peccatoribus* sua mirum... ».

8) Pag. 203, lin. 2, sic: « peregrinantibus *et in periculis et angustiis laborantibus* curat, donec ad patriam *feliciter* perducantur ».

9) Pag. 203, lin. 4 etc., sic: « Propterea B. Maria Virgo in Ecclesia, *secundum legem universalis mediationis creaturarum, qua Deus utitur,* praeterquam aliis, *tamquam medium ad finem,* etiam titulo Mediatricis condecorari consuevit » (et deleantur reliqua linn. 6-8 quia iam dicta sunt in pag. 202, lin. 9).

10) Pag. 203, lin. 11, sic: « cordi *valde* commendat... » etc.

11) Pag. 203, lin. 14, subscriptio sic: « De Maria, Ecclesiae typo *fideliumque* Matre ».

12) Pag. 203, lin. 33, in fine adiungere poterit (ut supra n. 1) « *filia simul et Mater Eccl.* ».

13) Pag. 203, linn. 40-41, sic: « immortalem generat. Et ipsa, *a Christo dilecta et sanctificata* (*Eph.* 5, 26), est Virgo, quae fidem *divino* Sponso datam... » etc.

14) Pag. 203, lin. 35, sic: « contemplandam et *ardentem* caritatem imitans... ».

15) Pag. 204, lin. 9, loco: « sanctitate crescant » sic: « *sapientia et gratia* (*Lc.* 2, 52) crescant *usque ad mensuram aetatis Christi* (s. P.) ».

16) Pag. 204, lin. 21, loco « prosequens » sit: « *promovens* » (gloriam Christi). Lin. 24 loco « patientia » sit: « *humilitate* » (quae virtus patientiam includit).

17) Pag. 204, post lin. 25, in fine huius num. proponitur, exemplum et thesaurum vitae *interioris* et virtutem *religionis* contra materialismum, atheismum huius aetatis omnibus hominibus ostendere, nec non *veram* dignitatem mulieris in figura purissimae Virginis et Matris eiusdemque pietatem et spiritum « deditionis » pro munere suo (PP. Pius XII).

18) Pag. 204, linn. 29-30, post « Mater » inseratur forsitan phrasis ex linn. 16-17 desumpta: « in historiam salutis intrinsecus ingressa ». Linn. 29-30 cur verba « non adfuit tantum sed interfuit » non mittuntur in locum suum, i. e. pag. 201 linn. 14-15 nam S. Pius X — ni fallor — dixit: « Maria *sub cruce* Domini non adfuit tantum sed interfuit ».

19) Pag. 205, lin. 5, post verba: « omnino quamquam est » inserantur verba (reliqua substituentia): « *in statu viae Christi Domini adventum fovet eiusque plenam et perfectam glorificationem cum Patre et Spiritu Sancto in liturgia caelesti praeparat* (quia priora verba aliquibus Patribus iam non placuerunt).

Postea lin. 8 sic prosequi potest e. g.: Variae enim formae *et institutiones, dummodo genuinam devotionem* erga Dei Genitricem *quo Ecclesia intenditur sensu* promoveant pro tempore et locorum conditionibus *libenter* approbavit, ut, dum Mater honoratur Filius, « *sol iustitiae* », Christus Redemptor, qui « via, veritas et vita » est, noscatur, *credatur* et *sequatur.*

20) Pag. 206, lin. 6, loco « fratribus » sic: in factis *neminem* in errorem circa veram Ecclesiae doctrinam indu*cat.* (Postea lin. 24 altera vice

« fratres » in contextu positivo et non apologetico nominati sunt et sufficit).

21) Pag. 206, lin. 7 s., melius sic: « Moneantur porro fideles, *ut affectus, quem convenienter et laudabiliter erga Virginem et Matrem nutriunt, non mere sit sterilis sed fructuosus et ad sanctitatem vitae inducat; item fides eorum, quam in potentem intercessionem — per gratiam Christi — legitime habent,* non in vanam credulitatem *declinet, sed ad laudandum Deum eique magnanimiter fideliterque serviendum* inducat i. e. ad imitandum Mariae exemplum » (lin. 14).

22) Pag. 206, n. 56, cur non dicitur: « Maria, signum gratiae, spei et *salutis* »? Postea, antequam incipiat: « (A) Interim... » etc. opportunum mihi videtur significare nativitatem B. M. V. scil. eius adventus seu electio tamquam *aurora* fuit mundo et certum signum solis; ideo « signum » spei et Christi Domini Mediatoris.

Lin. 20, sic: « tamquam signum certae spei, gratiae et *salutis* peregrinanti populo... » etc. i. e. loco « solatii », quod vocabulum in lin. 23 iterum invenitur (intentionaliter?).

Pag. 206, lin. 3, sic: « aequalem, Eam tamen, *humilem naturae humanae conditionem tenens, Deo volente,* Filio... ».

Pag. 206, post lin. 37, in fine huius num. (aut in fine totius schematis) fiet — solemni aliquo modo — exhortatio (appello) recurrendi magna cum fiducia ad intercessionem B. M. V., scilicet in huius nostri temporis gravibus adiunctis (ut factum est in aliis momentis immani periculi historiae populi Dei): ad impetrandam adoptatam pacem in terris et libertatem omnibus Deum profitentibus — ut abbrevietur tempus tribulationis —, ut Deus illuminet omnem hominem ad conquirendam viam salutis.

Haec exhortatio fiet loco consecrationis generis humani — ut proposuit em.mus card. Poloniae. Consecratio — meo humili sententia — fiet solemniter *Christo Regi, Redemptori et Bono Pastori* occasione Congressi eucharistici proximi in Bombay.

Finietur schema *de Ecclesia* cum cap. VIII De B. M. V. invitando christifideles, ut « perseverantes unanimiter in oratione cum Maria, Matre Iesu » et successoribus apostolorum impetrent Ecclesiae Christi et universo mundo — Sacra Synodo peracta — renovationem Spiritus Christi tamquam « nova Pentecostes » (Ioannes XXIII).

* * *

Ad pag. 200, linn. 23-27, ne omittatur « Visitatio B. M. V. ad Elisabeth » quoad factum in textu, quia — ut puto — magni momenti est et in futuro erit pro investigando naturam et clarificandum modum « mediationis ».

En: proprium est mulieri, esse occasio in bonum aut in malum; e. g. Eva « occasio » fuit peccati Adami (sit venia verbi: occasio « efficax »). Ali-

quo modo puella saltans occasio fuit occisionis S. Ioannis, ancilla Caifae occasio renegationis Petri etc.

Maria occasio fuit (efficaciter) ad salutem humani generis et potest esse occasio salutis pro omnibus singulis hominibus.

Non audeo dicere, eam occasio Incarnationis et Redemptionis fuisse, quia iam ab aeternitate decretae erant, sed erat occasio (efficax) « initii » Incarnationis (attuazione concreta) et Redemptionis eiusque applicationis (applicatione concreta), statuente Domino!

Exempla: 1. in Cana Galilaeae; 2. *in Visitatione ad Elisabeth.* Etenim: Elisabeth repletur Spiritu Sancto (*Lc.* 1, 41-45) et praecursor sanctificatur!, sed non sic et simpliciter, appropinquante Domino Redemptore, sed non antea *salutationem B. M.V.* (*Lc.*): « ... et salutavit (Maria scil.) Elisabeth, et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans... et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth et exclamavit voce magna et dixit: Benedicta tu... », et repetitur in textu Evangelii: « ... ecce enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit ... » (das auslösende Moment). Christus adest et « omnia parata » sunt sanctificandi praecursorem, sed vult exspectare « vocem » eiusque « auditionem » ut clare pateat, Mariam esse occasionem (elementum executionis, auslösende Moment, causa secunda) operis sanctificationis et redemptionis in Ioanne et quidem in aliis hominibus. Simili modo Elisabeth « repleta est Spiritu Sancto » non antequam audivisset salutationem eius.

Rogo ergo, ne deleatur citatio huius « classici » exempli « mediationis » Mariae et propono: lin. 25, ne dicatur: « ... beata » salutatur « sed beata *praeconitur* »! Ratio: « salutatio » in Evangelio Lc. utitur ex parte Mariae; Elisabeth prophetice « magna voce » exclamavit, inde praeconium est.

Linn. 26-27, sic dicatur: « *item in voce salutationis Mariae* praecursor in sinu Matris sanctificatur », et si non liceat uti « sanctificatur », dicatur: *exultat,* aut *gaudet,* quae verba sanctificationem includere possunt.

Pag. 198, linn. 19-20, non opportunum mihi videtur dicere « ad plenam lucem perductas »; sunt etenim aliae veritates mariologicae, quae in hoc schemate affirmantur, ad « plenam lucem » perductae? e. g. mysterium Incarnationis, Nativitatis, sacrificium Christi in cruce etc. Num potest dicere, veritates fidei « ad claram lucem » perductas esse? item valet de « quaestionibus » theologicis, forsitan ad « certitudinem fidei » perduci possunt.

21

Rev.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Titulus. 1. Omnia sub mysterio posita sunt. Cur non omnia ponuntur in « mirabili consilio Aeterni Patris »? (cf. titulum cap. I constitutionis *de Ecclesia*). Certo ad unitatem schematis de Ecclesia multum conferret!

2. Verbum « mysterium » non bene respondet voluntati Concilii (cf. cap. I *de Ecclesia,* textus prior, introductio, lin. 14) menti hodiernae sermone accommodato loqui. Et quamvis relator sub fine fasciculi pulchra dicat, bonum esset quod sub voce « mysterium » invenitur in glossariis diversarum linguarum considerare!

3. Verba « in mysterio » non referunt latitudinem thematis; nam plura de Maria referuntur quae certo in mysterio non sunt.

Conclusio: auferantur verba « in mysterio ». Materiam expositam in integro capite considerando, sequentem propono titulum novum: *De Beata Maria Virgine Deipara atque Ecclesiae Matre. Rationes*: 1) titulus tractationi respondet; 2) prior forma, a pluribus desiderata, reviviscit.

Prooemium. Lin. 1: « De B. Virgine in mysterio Christi ».

Titulus non placet. *Ratio*: *a*) pauca de hac re in hoc numero dicuntur; *b*) plura de hac re dicuntur aliis in numeris; *c*) integrae primae parti istius capituli accommodatur.

Lin. 2: « Benignissimus et Sapientissimus Deus ». Bonitas et sapientia reapse lucescunt tum in creationis tum in redemptionis opera, sed Patri tribuitur uti, generatim, universale consilium salutis. Cum sermo sit de Deo qui Filium suum mittit (lin. 4) ponatur « Pater » loco « Deus ».

Emendatio proposita: mentio fiat de Aeterni Patris Consilio seu de totius Ecclesiae Sacramento. *Ratio*: memoratis praecipuis operibus Dei, bene loqui possumus: « ubi venit plenitudo » (cf. lin. 3), at non sine hac commemoratione!

Lin. 3: « complere volens ». Complentur quae saltem incoepta sunt; unde saltem declarare debet textus quae complenda erant in consilio Aeterni Patris, secus haec verba nihil prorsus dicunt.

Lin. 3: « ubi venit ». Semel, at pro semper, quod de citationibus scripturisticis in textu schematis inventis cogito, declarare cupio.

Mihi videtur adesse in schemate et generatim in omnibus laboribus a commissionibus nobis propositis praeoccupatio omnia proponendi verbis Scripturae. Ex hoc fit ut: *a*) textus sit saepe saepius contortus et obscurus; *b*) textus sit potius opus musivum quam vera, clara et logica expositio doctrinalis.

Insuper Concilium habet ius et officium docendi; sed ex dictis non apparet.

Sed oportet ut habeat Concilium conscientiam sui suaeque missionis!

Et adde: Concilium non satis extollit Magisterium et Traditionem quia perraro citantur, dum usus et abusus Scripturae est frequens. Sed unus est Spiritus qui loquitur tum in Scriptura, tum in magisterio, tum in traditione!

Et si Concilium extollit sensum fidelium (cf. cap. II *de Ecclesia*), quid dicendum de quasi oblivione solemnis et universalis Ecclesiae magisterii?... Contradictio patet!

Lin. 4: « factum ex muliere ». Auferatur. *Ratio*: in lin. 8 dicitur: « incarnatus... ex Maria »; ad quid repetitio?...

Lin. 5: « ut adoptionem... ». Auferatur vel alio modo proponatur quia hic fit sermo de fine in lin. 3 iam declarato. Dixi « vel alio modo proponatur », quia hoc est verum « complementum » (cf. lin. 3) redemptionis, at complementum, ut ita dicam « ad abundantiam ».

Textus proponitur emendatus.

Prooemium. De B. M. V. in Aeterni Patris de universali salute consilio.

Benignissimus ac sapientissimus Pater, mundi redemptionem, per divinam adoptionem, complere volens, « ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum » qui (propter nos homines et propter nostram salutem) descendit de caelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est ».

Notatu digna: *a*) Tres divinae Personae citantur, et unaquaeque cum munere suo; *b*) posui inter uncos pericopem « propter... » quia finis Incarnationis superius declaratum invenimus (cf. lin. 2); meo iudicio, auferenda sunt!

Lin. 9: « Quod... mysterium ». Iterum de mysterio loquitur! At de hoc Incarnationis mysterio, quamvis non omnia, plura cognoscimus, scilicet factum et septem circumstantias (quis, quid, quibus, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, ubi); unde melius esset ad aliud verbum recurrere.

Adde quod in sequenti lin. 10 dicitur: « nobis revelatur »; si revelatur non amplius est mysterium!

Lin. 10: « mysterium revelatur ». Nobis?... Quibus?... Conciliaribus Patribus?... Incarnatio non est notitia novissimi momenti (« ultima notitia »), sed praedicta et parata per saecula, pluribus abhinc saeculis effecta, ab Ipso Christo fuit revelata. Unde hoc verbum « revelatur » non habet unde placeat.

Tandem aliquando, nos et Ecclesia (cf. linn. 10-11) est divisio inadaequata quia et nos sumus in Ecclesia et Ecclesia sumus!

Lin. 10: « et continuatur in Ecclesia ». Quid continuatur?... Ex analisi propositionis respondere debeo: Mysterium (lin. 9); sed insto: hic intelligitur obiectum mysterii, scil. incarnatio Verbi, vel qualificatio ipsius facti?... Si primum, falsa est propositio quia Christi Incarnatio est factum circumscriptum, et quidem bene, in tempore, et in tempore elapso! Si alterum, cur continuatur in Ecclesia et nobis (Conciliaribus) revelatur?...

Adde quod in Liturgia quando sermo est de Nativitate Christi vel de Redemptione saepe apparent verba sequentia vel similia: « mysterium cognoscimus ». Ergo non continuatur!

Lin. 11: « quam Dominus ut corpus suum constituit ». Post « corpus » adiungatur « mysticum ». *Ratio*: quando de Corpore Christi loquitur forma absoluta, intelligitur: *a*) vel corpus Christi reale e Virgine assumptum, *b*) vel Eucharistia (cf. formula novissima Communionis fidelium).

Lin. 12: Posita notione de corpore, hic fit transitus ad notionem venerationis, illogice evidenter! Bonum esset forsan declarare locum Mariae tum

relate ad Christum qui est caput, tum relate ad nos qui membra sumus. Et ex notione loci: notio communionis cum Christo et cum Maria; et ex excellentia loci: excellentia cultus! Usque tandem notare oportet:

1) idea cultus quae (cf. relatio sub fine, ad pag. 210) est centralis, ponitur sub fine et in forma secundaria (propositio principalis est: « quod salutis divinum mysterium nobis revelatur et in Ecclesia continuatur »).

2) « Iesus Christus » quattuor vicies apparet in paucis lineis cum gravi detrimento grammaticae et perspicuitatis latini sermonis qui semper sobrietate praefulsit.

3) Actualis adhaesio Christo Capiti et actualis communio cum sanctis non potest esse fundamentum devotionis erga Deiparam Virginem Mariam et nec quidem erga Ipsum Christum: theologica ratio est evidens!

Conclusio: haec secunda pars non placet. Tamen, cum ea quae in ista secunda parte dicebantur in prima parte sequentis numeri inveniantur sat clare et pulchre exposita, propono: *a*) auferatur simpliciter secunda pars prioris numeri (A); *b*) sub unico numero et titulo ponatur tum A tum B.

Titulus propositus: « De B. Virgine Maria in Aeterni Patris de universali salute concilio ». Unitas et pulchritas ad hoc suadent!

Lin. 18: « De B. Virgine et Ecclesia ». Titulus, meo iudicio, est insufficiens, nam pro octo lineis in quibus sermo est de Maria et Ecclesia (et sunt novissimae lineae!...) tredecim habemus de Maria relate ad Sanctissimam Trinitatem, vel melius, relate ad Christum. Iterum propono: *a*) unionem duorum numerorum A et B; *b*) sub unico titulo iam proposito, de Beata Maria Virgine in Aeterni Patris salutis consilio.

Lin. 19: « quae Angelo nuntiante ». Cum habeamus integrum numerum de Assumptione, non video cur hic notio annuntiationis sit inserenda quando sermo esse deberet de Maria et Ecclesia et non de aliqua alia re, uti e titulo prostat!

Lin. 21: « ut vera ». Haec est notio potissima hoc in loco ponenda non vero sub fine et per modum accidentalem uti in textu venit! (cf. relatio sub fine fasciculi).

Lin. 22: « a Filio suo sublimiore modo redempta ». Certe redempta fuit Maria etiam a Filio suo, non vero a Filio suo quo tali; unde alio modo dicerem, ita v. g. « sublimiori modo redempta » tantum, et omnes sciunt a quo est Redemptio! Sed forsan melius esset de Redemptione Virginis loqui quando in lin. 29 de redemptione filiorum Adae loquitur!

Lin. 24: « arcto et indissolubili vinculo unita ». Uti prostat in textu (cf. lin. 25) vinculum de quo est sermo est divina maternitas; quod maternitas sit vinculum non est qui non videat; quod indissolubile sit non est qui videat, aiente ipsa Scriptura: « relinquet homo patrem suum et matrem... » (*Gen.* 2, 24). Unde rectius de maternitate et de missione salvifica, cum et sub Iesu (lin. 41 pag. 199), loqui debemus.

Lin. 26: « sacrarium ». Sacrarium tantum?... nihil mirum cum omnes viventes in gratia Dei sunt sacraria Sancti Spiritus; quare non ponitur tri-

logia quae semper apparet in Magisterio Ecclesiae, scil.: 1) Filia Patris; 2) Sponsa Spiritus; 3) Mater Filii?...

Textus proponitur emendatus. Per divinam enim maternitatem est Ipsa Mater Filii, Filia praedilecta Patris et Spiritus Sancti Sponsa ita ut ceteris creaturis, sive caelestibus sive terrestribus, longe antecellat.

Lin. 29: « simul ». Hoc loco ponerem non modo notionem similitudinis (« simul ») sed etiam notionem dissimilitudinis (cf. lin. 22: « sublimiori modo redempta »). *Ratio*: unitas et pulchritas semper consulenda.

Pag. 198, lin. 2: « cooperata est caritate ». Cooperatio Virginis est caritas tantum?... Si Christus operatus est, qui cooperatus est cum Illo debuit operari eodem modo et sensu; et si nemo cum de redemptione loquitur de caritate cogitat, cur debemus hoc facere quando de cooperatione mariana disseritur?... Quod si Concilium debet doctrinam Ecclesiae proponere, rationes altissimas non intelligo secundum quas: *a*) sensus et ideae acatholicorum venerantur et *b*) documenta Pontificum obliviscuntur!

Oecumenismus, si fit, in veritatis confessione fiat, non in occultatione! Quod credimus clare dicamus ne hypocritae videamur a Separatis Fratribus. Separatos caritate prosequamur et de illis cogitemus: *a*) quod veritate non offendantur; *b*) quod veritati tantummodo cedant!

Conclusio: cooperatio Virginis aut complete aut generice exprimatur per verba « cooperata est » tantummodo.

Lin. 3: « huius capitis ». Adiectivum pronominale « hic » supponit propinquitatem nominis cui refertur; sed hic non video, grammatice loquendo, quomodo iustificare suam praesentiam. De cetero, de corpore et de membris iam dictum est quod dicendum erat in prima pagina (cf. lin. 11), auferantur proinde citationis novissima verba.

Textus proponitur emendatus. Et quamvis simul cum omnibus hominibus salvandis in Stirpe Adam inveniatur coniuncta, tamen, sublimiori modo redempta mirabiliterque ditata, cooperata est « ut fideles in Ecclesia nascerentur ».

Lin. 4: « quapropter ». Haec particula, miserrime, argumentum non concludit, nam de Virgine loquitur quae cooperata est ut fideles sint membra Christi et dicitur ipsa, propter hoc, esse singulare membrum: nexus non videtur!

Data et non concessa validitate conclusionis, notare debemus: in hac propositione multa bona, at non omnia, apparent. Nam cultus Mariae debetur ratione: *a*) eminentiae; *b*) singularitatis; *c*) exempli in fide et caritate (et spe, libentissime adderem!).

Attamen singularitas et eminentia Virginis non est statice consideranda, sed dynamice, scil. considerare debemus missionem Mariae tum relate ad Christum tum relate ad homines, quia Maria est typus Ecclesiae sed est etiam mater Illius; singularis et eminens in privilegiis suis sed in opere suo cooperationis non minus mirabilis et eminens videtur! (cf. lin. 2).

Textus proponitur emendatus. Quapropter ut Mater Dei et hominum, ac supereminens et prorsus singulare membrum Ecclesiae necnon in fide, spe et caritate typus et exemplar spectatissimum salutatur eamque Catholica Ecclesia, a Spiritu edocta, filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est.

Lin. 12: « in qua etc. ». Propositio est aequivoca et quis dicere posset: « Redemptor salutem non operatur in doctrina Ecclesiae ».

Lin. 14: « in mysterio ». Recolere nequeo quae in initio scripsi. Melius forsan dicerem: munera (non munus, quia plura!) erga Christum Reale et Christum Mysticum et ipsa tractatio octavi capitis divisionem et verba iustificat.

Lin. 16: « matrem ». Repetitio; ergo, auferatur.

Lin. 20: « servantur in suo iure ». Non satis clarus esse videtur conceptus liberae discussionis.

Lin. 22: « in Ecclesia Sancta ». Auferatur quia inadaequatus conceptus! Nam magnitudo Mariae est in ipso Altissimi consilio repetenda et non aliunde.

Textus proponitur emendatus. Intentum Concilii. Ideo Sacrosancta Vaticana Synodus, doctrinam de Ecclesia in qua salus hominum illustratur exponens, illustrare quoque intendit tum munia B. Virginis erga Christum Realem et Christum Mysticum, tum officia hominum redemptorum erga matrem suam et Matrem Christi, quin tamen in animo habeat completam de Maria proponere doctrinam neque quaestiones labore theologorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere: datur igitur facultas in scholis catholicis libere disceptandi quae disceptationi relinquuntur de doctrina Illius quae locum occupat post Christum altissimum nobisque maxime propinquum.

Textus emendatus. *De Beata Maria Virgine Deipara atque Ecclesiae Matre.*

Prooemium (De B. Maria Virgine Deipara in Aeterni Patris de universali salute consilio). Benignissimus ac sapientissimus Pater, mundi redemptionem, per divinam adoptionem, complere volens, « ubi venit plenitudo temporis misit Filium suum » (*Gal.* 4, 4) qui « descendit de caelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est ».

Unde Virgo Maria ut vera mater Dei agnoscitur et merito honoratur. Per eius enim divinam maternitatem est ipsa Virgo Maria mater Filii, filia praedilecta Patris et Spiritus Sancti dulcissima sponsa, ita ut ceteris creaturis sive caelestibus sive terrestribus longe antecellat.

Et quamvis simul cum omnibus hominibus salvandis in stirpe Adam inveniatur coniuncta, tamen, sublimiori modo redempta mirabiliterque ditata, cooperata est ut fideles in Ecclesia nascerentur.

Quapropter ut Mater Dei et hominum ac supereminens et prorsus singulare membrum Ecclesiae necnon in fide, spe et caritate typus et exemplar spectatissimum salutatur eamque Catholica Ecclesia, a Spiritu edocta, filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est.

(Intentum Concilii). Ideo Sacrosancta Vaticana Synodus, doctrinam de Ecclesia in qua salus hominum illustratur exponens, illustrare quoque intendit tum munia B. Virginis erga Christum Realem et Christum Mysticum, tum officia hominum redemptorum erga matrem suam et Matrem Christi, quin tamen in animo habeat completam de Maria proponere doctrinam neque quaestiones labore theologorum nondum ad plenam lucem perductas dirimere; datur igitur facultas in scholis catholicis disceptandi quae disceptationi relinquuntur de doctrina Illius quae locum occupat post Christum altissimum nobisque maxime propinquum (Paulus VI).

N. 53 (olim 49). De munere B. Virginis in oeconomia salutis (A).

Titulus non placet. Ratione parallelismi cum altera parte (cf. n. 54 [olim 50]), « de B. Maria Virgine et Christo Redemptore » ponerem.

Lin. 26: « De matre Messiae ». Nec semper Scriptura de maternitate loquitur quando de Maria loquitur; unde melius dicendum esset: de B. Maria Virgine in Vetere Testamento.

Lin. 27: « Novique Testamenti et Veneranda Traditio ». Certe nec Novum Testamentum nec Veneranda Traditio est spernenda, sed certi fines positi in titulo, hoc modo, certissime praetergrediuntur. Iam sufficeret, meo iudicio, quae sub linea 36 dicuntur, scilicet « si primaeva documenta, ut oportet, sub luce ulterioris et plenae revelationis necnon — adiicerem! — Venerandae Traditionis considerantur ».

Insuper memoranda semper est, etiam in Scripturis, coniunctio Matris et Filii uti in titulo prostat.

Pag. 199, lin. 1: « qualiter in ecclesia leguntur ». Auferatur ne separatos Fratres offendamus!

Lin. 2: « adumbratur ». Haec vox est debilissima si lucem istius prophetiae consideramus. Melius esset vox « praevidetur » quam in textu priori invenimus, vel « apparet » vel tandem pianum verbum « designatur » (*Ineffabilis Deus*).

Lin. 3: « data ». Promissio non datur sed fit; dicatur ergo facta et non data.

Lin. 3: « in peccatum ». Res notissima est, ergo relinquenda cum beneficio latini eloquii!

Lin. 4: « serpentem ». Forsan melius esset declarare, verbo ipsius Evae (serpens decepit me) de qua serpente hic agitur; adiicerem proinde verbum « deceptorem ».

Lin. 4: « haec est ». Duae tantum prophetiae citantur, sed plures citandae essent ut ideam habeamus mariologiae V. Testamenti! Et de figuris et symbolis, nihil?... Non ita factum est quando (cf. cap. I *de Ecclesia*) quando de Ecclesia sermo erat!

Lin. 6: Citantur Matthaeus et Micheas, attamen: *a*) pro Mt. non est locus quia sermo est de Vetere et non de Novo Testamento; *b*) e Michea nihil prorsus aufertur!

Lin. 7: « Ipsa praecellit etc. ». Nihil de hac re in Vetere Testamento dicitur; auferatur proinde!

Lin. 10: « diuturnam expectationem promissionis ». Promissio facta fuit inde ab initio parentibus lapsis, unde nec diuturna nec brevis sed nulla prorsus expectatio promissionis! Auferatur verbum « promissionis ».

Lin. 11: « et nova... oeconomia ». Nihil novi! In Altissimi consilio habetur unica idea quae tamen per gradus ad executionem demandatur; loqui non possumus proinde de « nova oeconomia salutis ».

Lin. 13: « ut... liberaret ». Finis redemptionis iam sufficienter expo situs videtur in lineis tum antecedentibus tum subsequentibus, unde si haec propositio auferatur nihil amittitur theologice, stylistice vero multum conferret ad elegantiam et brevitatem latini sermonis.

Textus proponitur emendatus. De Beata Maria Virgine et Christo Redemptore. (De B. Maria Virgine in Vetere Testamento). Sacrae Litterae Veteris Testamenti munera Matris Salvatoris in salutis oeconomia modo magis magisque dilucido describunt et veluti conspiciendum proponunt dum Messiae vitam et mortem preannuntiant et lento gradu praeparant.

Unde inde ab initio historiae salutis, si primaeva documenta, ut oportet, sub luce ulterioris et plenae Revelationis necnon Venerandae Traditionis considerantur, clare in apricum profertur figura mulieris, matris Redemptoris. Ita iam prophetice apparet in promissione primis parentibus facta, de victoria super serpentem deceptorem. Haec est Virga de radice Jesse, virginaliter parens vaticinio Prophetarum Isaiae et Micheae in civitate Betleem; haec est quae nomen Evae in benedictionem mutavit!

Cum ipsa tandem, post diuturnam expectationem, complentur tempora, et « perfectus homo, id est in veritate carnis et animae rationalis, natus est per uterum Virginis Unigenitus Filius Dei » (S. Greg. M.).

(*De Maria in Annuntiatione*).

Lin. 19: « autem ». Ponatur « tamen » quia meliori modo restrictionem appositam in Altissimi consilio introducit.

Lin. 20: « misericordiarum ». Qua de ratione hic memoratur misericordia quando potius apparent sapientia et bonitas?...

Lin. 21: « ut sic ». Per inversionem propositionum hoc « ut sic » quod posset etiam aliter interpretari, auferri potest.

Lin. 22: « quoniam etc. ». Sermoni incoepto de annunciatione interponitur pulcherrima quaestio de sanctitate et denique sub lin. 32 denuo de annunciatione loquitur. Rectius de voluntate divina ponendi mulierem in radice salutis uti habuimus in radice perditionis, postea de sanctitate ipsius, ac tandem de annunciatione loqui debemus!

Lin. 24: « mirum non est apud Sanctos Patres... ». Sed mirum est, post Bullam *Ineffabilis Deus,* ita loqui ac si non esset de veritate definita sermo!

Lin. 37: « Unici Mediatoris ». Auferatur! Sermo est de Redemptione,

non de mediatione! Adde: verba quae sequuntur sunt pro mediatione Virginis cum et sub Iesu (cf. lin. 41). Unde citatio paulina non est, meo iudicio, hic inserenda; sed si inserenda videtur, clarificetur ne textus aequivocus evadat et doctrina obscura et incerta.

Lin. 41: « omnipotenti Dei gratia etc. ». Textus propositus est ambiguus quia quaedam habentur deprimentia quaedam extollentia Virginem Mariam (opiniones contrariae hic non bene compositae videntur!).

Textus insuper, mihi videtur non esse clarus nec logicus in expositione, nam de consensu loquitur in initio ubi ponitur parallelismus inter novam et antiquam Evam, postea fit transitus ad sanctitatem Virginis et unico verbo de annuntiatione dicitur quod dictum est (attamen Annuntiatio est ratio totalis capitis!), denique de cooperatione, iterum de sanctitate ac tandem de parallelismo cum Eva, et per 10 lineas, loquitur! Ordo sequatur in expositione!

Pag. 200, lin. 9: Parallelismus de quo hic agitur non bene respondet ideae initiali oboedientiae; sed loqui possumus de Maria, nova Eva, ut socia Christi, novi Adam, et Innocentius III habet pulcherrima verba. Insuper, parallelismus ita expositus optime accommodatur sequenti paragrapho ubi sermo est de coniunctione matris et Filii.

Textus proponitur emendatus. (*De Beata Maria Virgine in Annuntiatione*). Voluit tamen benignissimus Pater in sapientia sua mirabili ut quemadmodum femina contulerat ad mortem ita conferret ad vitam.

Quapropter de clara stirpe David sibi praeelegit Virginem quam Pater, Filius et Spiritus Sanctus, omnipotenti amore patris, filii et sponsi, mirabili divitia ditarunt; et ecce sine labe concepta, tota pulchra et plena gratiae, Virgo Immaculata, Maria! Mittitur Ei Archangelus Gabriel qui mentem Altissimi pandat; praedestinata Verbi Mater humiliter se ancillam Domini confitetur et ut in seipsa fiant quae a Deo volita fuere consensum praebet: « Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » (*Lc.*).

In eius utero, mystico Spiramine, Verbum ipsum carnem suscepit: ibique sumpsimus nostrae salutis exordium!

Facta Mater Iesus, personae et operi Filii sui se totam devovit, inserviens, cum Ipso et sub Ipso redemptionis ministerio.

En novo et oboedienti Adam, indissolubiliter ligata et subiecta, oboediens et nova Eva quae prioris nomen in benedictionem mutavit: illa plena peccato, ista gratia; illa recessit a Deo, sed Dominus tecum, Maria; illa maledicta, sed tu benedicta in mulieribus; maledictus fructus ventris illius, Caim, sed benedictus fructus ventris tui, Iesus! Per illam mors intravit in orbem, per Te vitam rediit ad orbem (Inn. III).

(*De B. Virgine et Iesu infante*).

Lin. 20: « coniunctio ». Dicatur « mirabilis coniunctio ». Ratio ex usu liturgico desumitur ubi frequens est usus istius vocis in similibus.

Lin. 21: « a tempore virginalis conceptionis ». Forsan melius esset dicere: « inde ab initio virginalis conceptionis ».

Lin. 31: « cum vero... ». Melius esset, meo iudicio dicere: « ac tandem ».

Lin. 23: « exurgens... ». Circumstantiae notae: ergo derelinquendae!

Lin. 32: Nescio qua de causa constructio latina mutatur tribus in propositionibus istius capitis; hoc modo nec sequentia logica factuum tam clare apparet uti deberet.

Lin. 36: « Puerum... ». Nescio quomodo componi possit grammatice et logice cum iis quae dicta fuere in prioribus lineis!

Textus proponitur emendatus. (*De B. Virgine Maria et Iesu Infante*). Haec autem Matris cum Filio in opere salutari mirabilis coniunctio, inde ab initio virginalis conceptionis manifestatur cum Maria beata ab Elisabeth praedicatur et Praecursor in sinu matris sanctificatur.

Non vero minori luce patet coniunctio in nativitate quando pastores et Magi Salvatorem quaerentes « invenerunt Mariam et Infantem » (*Lc.*) qui virginalem Matris aulam non minuerat sed sacraverat.

Ac tandem, cum in templo tulissent pii parentes Puerum ut sisterent eum Domino, Simeon, venerabilis senex, lumine Spiritus irradiatus, Salvatorem expectatum cognovit, suscepit et benedixit praeannuntiando simul, prophetico sermone, Filium futurum contradictionis signum et Matris animam gladium pertransiturum ut revelarentur ex multis cordibus cogitationes.

Per breve temporis spatium separata est a Filio quando scilicet « Puer Iesus remansit in Ierusalem » parentibus insciis (*Lc.*), at illico dolens (*Lc.*) inquisivit et post triduum invenit Eum in templo in his quae Patris eius erant. Quaerori Matris rationes altissimas opposuit Iesus quas Virgo Maria non intellexit; tamen, Filio restituta, « cum Ipso descendit ad Nazareth » (*Lc.*) et haec omnia servabat conferens in corde suo (*Lc.*). « Iesus vero erat subditus » (*Lc.*) Illi!

(*De B. Virgine in ministerio publico Iesu*).

Lin. 2: « Durante ». Est neologismus, latinis ignotus; dicatur « in ». Adde rationem ablativi quod absolutum vocant et quod in textu non tam absolutum videtur, nam relationem cum sequenti oratione habet.

Lin. 6: « in decursu etc. ». Coniunctio istius propositionis mihi videtur abrupta et improvisa; melius esset forsan memorare pias mulieres, inter quas et Virgo Maria, quae Iesum sequebantur.

Lin. 14: « non sine divino consilio ». Nihil dicit haec propositio de speciali praeordinatione Mariae in ordine ad salutem quia si, « non sine divino consilio » nec capillus capitis cadit, nec ceterae personae adstabant cruci! Debilissima proinde mihi videtur propositio!

Lin. 16: « condoluit... materno animo sociavit ». Haec omnia sunt propria uniuscuiusque matris in eadem condicione positae, non vero Illius quae vocata fuit ad unionem cum Filio non tantum ut Filio sed ut Salvatori! RR. Pontifices verba clariora habuere, mihi videtur!

Lin. 18: « cumque ». Est indesinens unio quae apparere semper debet; sed hoc in casu separationem potius quam unionem appositam videmus!

Lin. 21: « data ». In Calvaria habuit Maria suam maternitatem vel eiusdem maternitatis manifestationem?...

Textus proponitur emendatus. (*De B. V. Maria in ministerio publico Iesu*). In vita publica Iesu, Mater eius signanter apparet, in initio quidem cum ad nuptias in Cana Galileae primum signum effusionis messianicae gratiae, intercessione sua, induxit.

Inter mulieres quae Christum pie sequebantur ubicumque ierat, certe aliquando inveniemus Mariam; ad Ipsam enim diriguntur verba Salvatoris quae Regnum ultra rationes et vincula carnis et sanguinis extollunt et audientes et custodientes verbum Dei, sicut Ipsa fideliter faciebat (*Lc.*) beatos praedicant.

Maxime vero Matris cum Filio indesinens unio tunc enituit quando « cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit ut dici merito queat et Ipsam cum Christo humanum genus redimisse (BEN. XV, *Inter Sodalicia*).

Ac tandem, quos morte sua potissime Iesus redimerat quorumque dignatus erat esse frater, ipsos, in persona Ioannis, materno animo Virginis, ut filios commendavit.

(*De Beata Virgine post Ascensionem Iesu*).

Lin. 24: « non ante manifestare ». Hoc non videtur certum nec theologice nec historice quia ipsa activitas Christi est manifestatio « sacramenti humanae salutis et in V. T. fere omnia de salute dicuntur!

Lin. 26: « videmus ». Reapse non vidimus Mariam et apostolos orantes; nec rationem video mutationis formae litterarae in hac pericope. Meo iudicio melius esset redire ad formam in aliis numeris hucusque adhibitam (narratio historica cum usu temporis praeteriti).

Lin. 30: « qui... ». Iam dictum fuit quando de Annunciatione fuit sermo: sufficit!

Lin. 31: « denique... Immaculata Virgo ». De hoc privilegio non est hic loquendum sed in initio, quia Immaculata est initium et non corona operis B. Virginis!

Lin. 33: « expleto... cursu ». Pauperrima videtur haec propositio et omnibus accommodabilis non vero Mariae in ratione suae missionis singularis!

Textus proponitur emendatus. (*De B. Virgine Maria post Ascensionem Iesu*). Uti Redemptori ita nascenti Ecclesiae, post Christi Ascensionem, Maria Virgo suam praestavit operam. Illamque inter Apostolos invenit orantem Spiritus Paraclitus in die Pentecostes, ad unitatem et sanctitatem ipsius mirabiliter conferens.

Et ut terrestris eius peregrinationis ortus, ita et occasus fulgentissima luce emicuit: nam corpore et anima « assumpta est » (*Lit.*) ac tamquam

universorum Regina a Domino exaltata ut « Unigenito Filio suo, adversus nequissimum inferorum anguem in certamine coniuncta, cum Ipso pariter gloriosissimum de peccato eiusque tristissimis consectariis » participaret « triunphum » (PIUS XII, *Fulgens corona*).

Ad n. 54: de B. Virgine et Ecclesia.

Pag. 202, linn. 1 et 21-22: in textu sermo est de Maria ut « ancilla Redemptoris ». At considerandum est Evangelium non exhibere Eam ut Ancillam Christi sed *aeterni Patris*. Ergo Maria est ancilla Aeterni Patris, ad cuius humilitatem respexit Deus, eamque ad dignitatem et munus evexit Filii Dei Iesu Christi *Matris et Sociae*. Ideoque titulus ita aptetur: « De Maria ut Domini Matre et Socia ». Et similiter aptetur textus.

Pag. 202, lin. 31: « in gratiae oeconomia maternitas ». Fortasse introducenda esset vox « spiritualis » ac legendum: « in gratiae oeconomia spiritualis maternitas »; nam quis asserere posset hic ambiguitatem vigere, cum etiam divina (physica) maternitas sit « in gratiae oeconomia maternitas ».

Pag. 203, lin. 20: inter « fidei » et « caritatis » adiungenda esset vox « spei »; nam Virgo, praesertim in passionis triduo, eximium quoque spei praebuit exemplum. Qua voce forte introducta, aptanda esset S. Ambrosii commemoratio.

Pag. 203, linn. 35-36: post verba « per verbum Dei fideliter susceptum » addi deberet: « et fidei sacramentum rite administratum », nam Ecclesia mater fit *praesertim* filios regenerando, quod et verbo praestat et sacramento. Immo forsitan, quia verbo simul ac sacramento regenerat, magis complete et apte, ita scribi deberet: « per Dei verbum fideliter susceptum *ac traditum,* necnon per fidei sacramentum rite administratum et ipsa fit mater ».

Pag. 203, linn. 38-40: verba illa: « ... filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat ». Melius fortasse esset ad fontis seu baptismalis aquae benedictionem mirificam attendere, quae in Missali Romano, in Vigilia Paschali laetabundo animo canitur. Ibi mira habentur de Ecclesia praecise tamquam matre. Si enim, ut dicit textus, hi filii sunt ex Deo (iam) nati, quomodo possunt generari ab Ecclesia? Non enim agitur aut agi potest de *duplici* nativitate aut generatione, sed de unica: Dei scilicet simul et Ecclesiae, tamquam Sponsi et Sponsae seu patris et matris; aut, si vultis, tamquam patris *per* matrem. Ista autem unicitas ex parte actionis Dei et Ecclesiae (seu principalitas ex parte Dei et instrumentalitas ex parte Ecclesiae!) non bene exprimitur. Ecclesia dicitur generare eos qui ex Deo nati sunt!

Etenim, iuxta mirum illum Romanae Liturgiae textum (sicut Deus per Spiritum Sanctum, foecundavit et concipere fecit Virginem Sponsam Mariam, et ex ea tamquam matre natus seu generatus est Christus, ita) Pater per Spiritum Sanctum foecundat seu concipere facit Virginem sponsam Ecclesiam (= fontis uterum plenum virginali aqua), et ex ea tamquam ex matre nascuntur seu regenerantur christiani: « Respice, Domine, in faciem Ecclesiae tuae, et multiplica *in ea* regenerationes tuas... arcana sui numinis ad-

mixtione foecundet; ut sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero, in novam renata creaturam, progenies caelestis emergat ».

Sub huius mirifici textus luce, textus ita aptari posset: « ... fit mater: arcana enim Sancti Spiritus operatione foecundata, praedicatione ac baptismate filios concipit, eosque ad novam et immortalem vitam regenerat ».

Ita, vel adhuc meliori modo, textus ergo aptari posset.

Pag. 203, lin. 40 - pag. 204, lin. 2: bene perpendendum est, an de virginitate agendum sit antequam de maternitate; et, post maternitatis mentionem, de perpetua virginitate breviter disseri debeat. At, transeat!

Pag. 204, linn. 16-19: fortasse, ad claritatem fovendam, praestaret ut verba « cum praedicatur » ponantur statim post verba « Maria enim » ut legatur: « Maria enim dum praedicatur, quae etc. ». At transeat!

Pag. 203, lin. 14 - pag. 204, lin. 25: decretum videtur abhorrere a mentione dolorum B. Mariae Virginis. Econtra Redemptionis Adiutrix, tamquam Martyrum Regina maxime enituit; ideoque ut splendidum et confortans fortitudinis exemplar seu typus exhiberi deberet coram omni cunctorum temporum Ecclesia, et maxime ad solacium et incitamentum illius nobilissimae Ecclesiae portionis, quae vel est sanguine purpurata vel lacrymis madida, quaeque « Ecclesia martyr » seu « Ecclesia silentii » appellari consuevit.

Ad n. 55: de Cultu B. Virginis in Ecclesia.

Pag. 204, linn. 26-31: titulus est: « De natura et fundamento cultus ». At, de facto, prius de fundamento, dein de cultus natura sermo est. Verborum ergo ordo invertendus videtur.

Item: cultus fundamenta incomplete, ut videtur, recensentur. Cultus enim erga Mariam radix seu fundamentum, triplex est: donum, munus, sanctitas. Donum, scilicet divina maternitas, asseritur; munus, scilicet consociatio ad Christum tamquam nova Eva, ideoque et spiritualis erga Ecclesiam universamque humanam subolem maternitas, adumbratur; singularis sanctitatis mentio, ad quam, Deo volente et adiuvante, se erexit Maria, *penitus subdicitur*: quod certe prorsus incongruum est. Scribi ergo posset hoc vel alio meliori modo: « ... utpote Filii Dei Iesu Christi Genetrix atque Socia, necnon totius Ecclesiae immo et universae humanae stirpis mater spiritualis, singulari sanctitate praestans, speciali cultu a Dei Populo merito honoratur ».

Pag. 205, linn. 6-7: fortasse, potius quam « ... Verbo Incarnato aeque ac Patri... », melius diceretur: « ... aeterno Patri aeque ac Verbo Incarnato... ».

Pag. 205, lin. 38: addendum videtur: « Sacrarum Liturgiarum », ideoque scribendum: « ... Divinae Scripturae, Sacrarum Liturgiarum, Sanctorum Patrum... ».

Pag. 206, lin. 5: post « sedulo » fortasse addendum esset « item » vel « insuper » vel « autem », aut quid simile, ne locus noviter introductus sine connexione cum contextu videatur.

Ad n. 56: Maria, signum certae spei et solatii peregrinanti populo Dei.

Pag. 207, lin. 8, 26: neque hic neque antea (pag. 204, linn. 5-25), unquam de Mariae puritate aut castitate sermo est: Quae mentio, nostra quoque (aut praesertim) aetate non incongrua foret, sive hoc sive praedicto inseratur loco.

22

Exc.mus P. D. IOSEPH HEUSCHEN

Episcopus tit. Druensis, aux. Leodiensis

Praesentes observationes nil aliud intendunt quam suggerere quasdam formulas quae, hic inde, expressionem textus recepti fortasse accuratiorem et clariorem reddere queunt: sufficit ut secretaria Concilii praesentes observationes competenti commissioni transmittat.

Ad n. 53, pag. 199, linn. 22 s.: textus incipit per effatum quoddam theologicum quod non omnibus placet et de cuius applicationis liceitate, in singulis casibus certitudinem non habemus nisi ex praehabita divina revelatione. Nonne melius diceretur: « Mariam autem a Deo muneri suo esse praeparatam Patres, praesertim orientales, diserte enuntiant ideoque Deiparam appellant totam sanctam et ab omni peccati naevo seu labe immunem... ».

Ad n. 53, pag. 200, lin. 8: dicitur in textu: « unde Patres antiqui in praedicatione sua asserere *solebant* »: quia hoc ultimum verbum quibusdam difficultatem facit (quoniam, iuxta eos, non tam multi patres hoc modo locuti sunt), melius fortasse diceretur: « Unde Patres antiqui in praedicatione sua *libenter asserebant...* appellant (lin. 16) et quasi in proverbio proferunt... ».

Ad n. 54, pag. 202, lin. 9: in textu dicitur munus maternum Mariae unicam Christi mediationem nullo modo obscurare nec minuere, sed eam *extollere,* quod ultimum vocabulum a fratribus separatis perperam intelligi posset, ac si textus vellet dicere munus Virginis aliquid mediationi Christi addere. Difficultas evanesceret si in textu diceretur: « Mariae autem maternum munus hanc Christi unicam mediationem nullo modo obscurat nec minuit, *quin immo eam clarissime manifestat* ».

Ad n. 54, pag. 204, lin. 18: in textu dicitur: « Maria enim..., cum praedicatur, ... ad Filium suum credentes advocat »; nonne, claritatis causa, melius diceretur: « *Cum enim de* Maria, quae, in historiam salutis ingressa, maxime fidei placita in se quodammodo unit et reverberat, *in praedicatione sermo fit, ipsa* ... ad Filium suum credentes advocat ».

Ad n. 54, pag. 204, linn. 21 s.: additum finale « imprimis autem in divina voluntate exquirenda et obsequenda » melius poneretur ante enumerationem « in fide, oboedientia, caritate et patientia », quia praecise per exercitium harum virtutum B. Virgo divinam voluntatem obsecuta est; proponitur ergo textus sequens: « continuo progrediens in divina voluntate exquirenda et obsequenda, imprimis in fide, oboedientia, caritate et patientia ».

23

Exc.mus P. D. HENRICUS THEOPHILUS KLONOWSKI

Episcopus tit. Daldianus, aux. Scrantonensis

Redemptio generis humani facta non est sine cooperatione intima et essentiali B. Mariae Virginis, Matris eius, tam sensu physico (natus est de ea, *Lc.* 2, 7) quam sensu spirituali (Fiat mihi secundum verbum tuum, *Lc.* 1, 38), et in unione cum Christo in eius oblatione in cruce. Quapropter ipsa intime connectitur cum vita Ecclesiae (*Act.* 1, 14).

Facta historiae religionis christianae perspicue manifestant, quod quando sectae ab Ecclesia se separant, denegant aliquam vel consequenter plures veritates Revelationis de B. M. Virgine, ita ut ipsa quodammodo ipsa dici possit stella veritatis revelatae, seu norma, regula, verae religionis christianae.

24

Exc.mus P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA

Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Mariologia est tractatus de B. Maria Virgine qui semper agnitus fuit in Ecclesia et hodie momentum habet. Et merito, nam:

1. Fides populi christiani semper Mariam ut Matrem Dei et hominum agnovit.

2. Ipsa Sacra Scriptura nobis praebet aliquas considerationes praecipuas, quae attendi debent in studio circa Virginem Mariam.

3. Traditio SS. PP. multifariam multisque modis loquitur de Virgine, Matre Iesu. Licet argumentum traditionis hodie nondum sit sufficienter elaboratum.

4. Sed consideratio praecipua inter Summos Pontifices nostri temporis invenitur. Igitur tractatus de S. Maria hodie sub lite est.

Dignum omni laude est schema elaboratum a commissione circa Dei Genitricem Virginem Mariam.

Nihilominus aliquas observationes vobis facere volo, ut melius appareat plenitudo theologica in hoc schemate. Quod quidem non significat Concilium quaestiones disputatas in decursu temporum dirimere debere.

Sic vobis propono aliquas considerationes generales quae, si vobis placuerint, attendi debeant, ante approbationem definitivam schematis.

I. *Fontes schematis.* Minime dubitamus eas consultas esse... Attamen notate, fratres carissimi:

1. Sacra Scriptura absque dubio usitata est, sed credimus virtualitatem theologicam textum non apparere, ex. c. canticum Magnificat; miraculum Cana Galileae; verba Christi in templo parentibus eius prolata.

2. Magisterium Ecclesiae non adhibetur in sua plenitudine praesertim

nostri temporis. Et scitis, fratres, illud themata mariologica tangere, et aliquando « data opera ». Et aliqua ex illis praetermittuntur.

3. Traditio SS. PP. et Sensus Ecclesiae sine incommodo praetermitti nequeunt.

II. *Maria, Mater Dei.* Certe apparet in schemate. Sufficienter exposita? Minime. Quod non implicat Mariam locari debere in ordine, ut ita loquar, absoluto ipsius Divinitatis, etenim verba Christi separationem infinitam statuit inter Illum et parentes eius: « Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse »; « et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos » (*Lc.* 2, 49-50).

Praeterea et nos ipsi christiani possumus devenire in intimitatem cum Deo: « Ecce mater et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse meus frater, et soror et mater est » (*Mt.* 12, 49-50). Et alia: « Quinimmo beati qui audiunt Verbum Dei et custodiunt illud... »; « Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti. At ille dixit: ... » (*Lc.* 11, 27-28).

III. Iuxta deliberationem Concilii schema de Virgine Maria ad tractatum de Ecclesia translatum fuit. Attamen claritas et lux non apparet in decursu expositionis, quapropter exoptamus ut « intentum generale » Concilii melius elucescere. Sic:

1. *Maria est Mater Ecclesiae,* de quo silet schema. Quare? Ipse Paulus VI ita Virginem Mariam appellat.

2. *Maria est Filia Ecclesiae*: etenim:

a) Ipsa est membrum humanitatis ab Adamo proveniens, indigens sicut et ceteri Redemptione Christi.

b) Virgo beata cum Ecclesia orat in Ierusalem et profusionem Spiritus Sancti, donum Messianicum, sperat cum Discipulis Christi.

c) Ipsa recipit plenitudinem Spiritus Sancti.

d) Immo Ecclesia est unica Mediatrix salutis.

e) In ipsa opus salutis plenitudinem attingit.

3. *Maria est Figura Ecclesiae.* Actio salvifica Christi finem non tangit cum sua morte in Cruce et Resurrectione. Christus cogitat de aliqua Ecclesia condenda et de sacramentis: sic in Cana Galileae, et in cruce ubi de latere Christi continuo exivit sanguis et aqua.

4. *Maria est signum Ecclesiae in vita Christi*:

a) Ipsa efficit suo consensu apparitionem historicam Christi in historia hominum.

b) Ipsa sua petitione signa messianica anticipat.

c) Ipsa recipit Ioannem, discipulum dilectum ut filium.

IV. *Maria et humanitas.* 1. Maria est membrum humanitatis, et Maria est culmen populi Israel. Ipsa adnumeratur inter pauperes Iahveh, sperans salutem Dei.

2. Una cum Christo petitiones offert Deo pro salute hominum.

3. Ipsa honoratur speciali cultu a populo fideli etenim Deus in ea « fecit mihi magna qui potens est ».

4. Ipsa est exemplum praeclarissimum fidei, spei et caritatis. Et praecipue Ipsa Verbum Dei accipit.

5. Immo Ipsa Christum fide accipit in Cruce et in Resurrectione.

* * *

Schema de S. Maria Virgine pluries legimus, et profunditatem eius denuo consideravimus. Et merito, nam tractatus theologicus de S. Maria fortasse nondum sit plene elaboratus, et ex alia parte fides populi christiani magis atque magis roboratur.

Igitur claritas in ideis et verbis omnino praerequiritur in schemate.

Gratias atque laudes tribuam commissioni, quae decretum mariologicum nobis praebuit.

Nihilominus in n. 54 huius capitis ubi relatio inter Virginem et Ecclesias tangitur, aliquas obscuritates continentur, quae, iudicio nostro emendari debent. *Sic*:

Incipit schema cum verbis Divi Pauli ubi Mediatio unica Christi extollitur. Evidenter contestes sumus in hac propositione stabilienda. Etenim reconciliatio hominis cum Deo peracta fuit actu praecipuo Mediationis Christi: mors etenim et resurrectio Verbi Incarnati.

Age vero, verba sequentia, quae munus Virginis Mariae signant, ex integro nobis non placent omnino. Etenim:

1. Latet sub iisdem *mediatio Mariae*: iam vero hoc privilegium licet aliquam consistentiam theologicam possideat, nihilominus semper difficultates sunt: In primis verba Divi Pauli: « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus » (*1 Tim.* 2, 5).

Deinde ex doctrina Divi Pauli eruitur Ecclesiam Christi esse unicam Mediatricem salutis.

Insuper theologi catholici minime consentiunt.

Denique Concilium, prout nobis videtur, quaestiones theologicas disputatas dirimere non debet.

2. Ipse textus emendatus obscuritates gignit quae vacillationem et anxietates sortiuntur. Et ratio praecipua stat:

In eodem n. 54, in paragraphis A), B) et C) ideae iterum atque iterum repetuntur, sine claritate quam omnes exoptamus.

His rationibus innixus, textum novum propono: « (*De Maria ut ancilla Domini Redemptoris*). Unicus est Mediator noster secundum verba absoluta divi Pauli " Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus " (*1 Tim.* 2, 5-6). Mariae autem maternum munus efficit ut misericordiam Dei, Christus, in humanitate in labem peccati lapsa, splendeat (*Tit.* 3, 4). Quo quidem munus minime obscurat nec minuit, e contra opus a Christo peractum extollit. Etenim influxus soteriologicus Mariae in homines ex beneplacito Dei

et ex superabundantia meritorum Christi, unici Mediatoris, profluit et maxime in eius intercessione pro hominibus ante Christum stat. Igitur directam unionem credentis cum Iesu in uno corpore, quod est Ecclesia, fovet et auget.

Ipsa nempe utpote Mater Verbi Incarnati (*Gal.* 4, 4); perfectissime redempta anima et corpore atque ideo plene Filio suo configurata et membrum praeclarissimum Ecclesiae pro populo Dei hisce in terris luctante contra peccatum intercedit ut gratia Salvatoris descendat in fratres Filii sui sicque in fide, spe et caritate cohaereant, donec ad domum Patris perducantur, siquidem " non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus " (*Hebr.* 13, 14) ».

Rationes: 1. Schema licet doctrinalis obscuritatem laborat.

2. Minime excellentiam Mariae minuere intendimus, ut patet in textu proposito a nobis ubi praecipua privilegia Mariae apparent. Maria, pertinens ad coetum « pauperum Yahveh » electa ut Mater Iesuah efficiatur, secum fert animam populi Israel et ipsa est figura Ecclesiae Novi Testamenti.

3. Nullo modo opus Christi laeditur: etenim cultus erga B. Mariam ultimo terminatur in Verbo Incarnato, quod affirmari debet in Maria siquidem in ea apparet in sua plenitudine salvifica. Inde ex hoc exaltatur dignitas Mariae; etenim ipsa signa messianica anticipat, sic in Nuptiis Canae Galileae. Igitur Maria non manet a Christo separata, locatur mirabiliter in ordine salutis. Ipsa ope sui consensus efficit ut Salus Messianica appareat in mundo.

4. Missio salvifica Ecclesiae « Corpus et pleroma Christi » nullo modo deminutionem patitur. Etenim mysteria peracta in Maria intelligi debent non quasi in solitario, sed praecipue in eius proiectione Ecclesiali, sicque Maria ut personificatio populi acquisiti sanguine Christi mirabiliter honoratur. Et notate, fratres, quae diximus: nam doctrina apostoli est clara: Ecclesia est unicum Organum et Instrumentum salutis in Novo Foedere.

5. Insuper, iuxta verba S. Augustini Maria non est supra Ecclesiam sed est eius membrum principale, adeoque competit ei intercessio nobilior pro viatoribus. Etenim est Ecclesiae triumphantis, ubi nec macula nec ruga adsunt, orare pro fratribus Christi, Capitis Ecclesiae Universalis, in unitate caritatis. « Ubi caritas et amor, Deus ibi est ».

25

Exc.mus P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK

Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

Duo tantum volo scriptim animadvertere quae, ut puto, a Patribus conciliaribus de B. V. M. hucusque non dicta sunt:

1. Schema debet respondere *fini pastorali* huius Concilii: i. e. monstrando quomodo B. V. M. debeat esse exemplar pro christianis *nostri temporis* per suas virtutes: Ideo schema deberet brevissime monstrare venerationem Matris Dei esse remedium efficax in nostra aetate, praesertim contra

duos errores grassantes, nempe contra atheismum militantem et contra materialismum. Quomodo? Praesertim nostram *fidem* reddendo *fortiorem* et *magis vivam*. Fides nostra ut sit efficax, debet totam nostram vitam permeare. Revera B. V. M. non tantum conservabat in suo corde dicta et facta Iesu, sed etiam ponderabat ea, i. e. continuo cogitabat de eis (*Lc.* 13, 21), ad instar mulieris parabolicae, quae fermentum absconderat in farinam, donec totum fermentaretur. Sicut ipsa dedit formam humanam Filio Dei, ita vita B. V. M. fuit perfectissima incarnatio Evangelii Filii Dei; qua incarnatione ipsa nos docebit, ut totam nostram vitam fide penetremus. In quadam circumstantia ipse Iesus nobis testatur hanc veritatem de sua matre, quando nempe mulier quaedam exclamaverat « Beatus venter qui Te portavit et ubera quae Te nutrierunt ». Iesus autem respondendo mulieri minime denegat laudem matris suae, sed potius subaudit: dupliciter recte laudas meam matrem; primo quia est mater Filii Hominis, sed mea mater est propter hoc beata, quod audit verba Dei et observat ea (*Lc.* 11, 27-28). Iam vero plures homines moderni, immo integrae nationes fidem perdiderunt super duram viam nostrorum temporum. Loquamur ergo eis assidue de Matre eorum Divina, ut per eam possint reverti ad fidem vivam patrum.

2. Secundum doctrinam orientalium munus « *mediationis* » in genere tribuendum est B. V. Matri Domini; ideo *titulus* et *terminus* ille in schemate *retinendus est.*

a) Relinquamus theologis (occidentalibus) liberam disputationem tamquam theologumena: utrum Mater Domini cooperaverit ad nostram salutem mediate vel immediate, per meritum de condigno aut de congruo; utrum ipsa sit Mater nostra spiritualis sensu proprio vel improprio; utrum omnes gratiae et unaquaeque earum nobis sint distributae per eius intercessionem; utrum talis intercessio sit ordinis physici instrumentalis vel moralis tantum, etc. ...

b) Quidquid ergo sit de talibus theologumenis et similibus, est magni momenti: stabilire exegetice *factum* cooperationis marialis, i. e.: utrum revera Mater Domini fuerit realiter et vere associata Christo in opere nostrae Redemptionis, sive in ordine acquisitionis sive in ordine distributionis gratiarum. Et hoc, praeter dogmata marialia, remanet solum problema dignum seriae considerationis in theologia mariali hodierna. Scopus nempe Concilii non debet simpliciter recapitulare hucusque dicta et promulgata de B. V. M., sed facere *realem progressum,* ulterius procedendo ad ipsos fontes S. Scripturae et traditionis in clarificanda doctrina de B. V. M.

c) Iam vero traditio orientalis affirmative loquitur *de facto certae cooperationis marialis* ad nostram salutem. Nihil tamen certi erui potest *de modo talis* cooperationis. Et quidem, traditio orientalis in genere docet (et in hac traditione, nos orientales, legimus et interpretamur textus marianos S. Scripturae) Matrem Domini vere et realiter associatam fuisse Christo in opere nostrae salutis, in quantum nos Deo *coniungit* per mediationem sub unico Mediatore Iesu Christo, parum refert, utrum Patres de « mesitis, me-

siteia, mesiteusasa... » loquuntur et eadem ideam fundamentalem de munere B. V. Mariae nos cum Deo coniungendi sub unico Mediatore Iesu Christo. Exemplum talis mediationis datur *in nuptiis Canae* in Galilea, ubi B. V. M. mediavit inter Filium suum et nupturientes.

Etiamsi secundum traditionem orientalem tum prophetae Veteris Testamenti, tum sacerdotes et sancti N. T. aliquando appellantur mediatores, Mediatio Matris Domini transcendit omnes alios mediatores. Ideo traditio orientalis exornat mediationem marialem variis titulis, ut melius eius excellentia, et universalitas exprimatur. Quoad *naturam* autem istius mediationis Matris Domini traditio orientalis assimilat eam quodammodo, sed valde generaliter mediationi Christi. Quam cooperationem generalem Matris Domini ad nostram salutem traditio orientalis intelligit de distributione gratiarum, non determinando utrum nulla gratia nobis detur nisi mediante Matre Domini, quae mediatio videtur esse *intercessionis,* uti dicitur. Quoad vero cooperationem Matris Domini *ad acquisitionem gratiarum* traditio orientalis tam antiqua quam recentior potius silet de ea, tribuendo Matri Domini mediationem excellentiorem (mesiteia) et sanctis mediationem per intercessionem tantum (eis presbeian).

d) Si mediationem marialem pressius determinare volumus, praesertim quoad distributionem gratiarum, dicemus sequentia:

1. Maria est mediatrix in distribuendo gratias non sicut est Iesus Christus, sed sub eo, in eo et per eum. Ipsa participat mediationi Christi totaliter dependenter a Mediatore...;

2. Mediatio Mariae quoad distributionem gratiarum non est necessaria ad salutem. Illa procedit a voluntate gratuita et totaliter benevola ipsius Dei erga nos, qui decrevit in sua bonitate creaturam redemptam quam intime associare ad opus redemptionis, secundum dictum paulinum: nos complere per nostram cooperationem quae desunt Passioni Christi; a fortiori Mater Domini cooperatur Passioni Filii sui Divini;

3. Cooperatio B. V. M. ad distributionem gratiarum supponit iam Redemptionem factam a Iesu Christo Salvatore quoad acquisitionem gratiarum.

e) Quidquid sit de tali determinatione mediationis B. V. M., *temperandi* sunt ii qui ita loquuntur ac si Mater Dei nos eodem modo redimisset ac Iesus Salvator. In hac quaestione veritas fundamentalis est: Iesus Christus est nostra redemptio per excellentiam. Ipse solus est mortuus pro nobis et resurrexit pro nobis... Sicut Ipse est veritas via et vita, Ipse est gratia increata, tamquam solum fundamentum gratiae creatae. Tantum ex posita tali doctrina fundamentali possumus rectius intelligere singularem participationem Matris Divinae in distributione gratiarum. Actus redemptorius Iesu Christi est in se completus et principalis, nullo indigens complemento, et debet poni *ante* cooperationem B. V. M. in opere Redemptionis, et non « cum Eo et sub Eo ». Mater Domini tantum gratias distribuit « cum Eo et sub Eo ». Et tantum per istum actum ipsa evadit ministra Redemptionis

« intuitu meritorum... ». Consequenter, non sufficit dicere Iesum Christum meruisse nobis gratiam secundum iustitiam, et B. V. M. secundum convenientiam, nam et talis modus loquendi adhuc includeret satisfactionem Christi indiguisse complemento, et sic frangere unicitatem et unitatem absolutam Redemptionis.

Conclusio: *a*) Dogma est Matrem Domini participasse Redemptioni per maternitatem, ut Mater Salvatoris; *b*) certum esse videtur ex traditione orientali *de facto* cooperationis B. V. M. in distributione gratiarum, tamquam Matris salvandorum; *c*) manet libere disputatum, tamquam theologumenon de *modo pressiori* talis mediationis marialis, quia non clarum ex fontibus Revelationis.

26

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nanchimensis

Pag. 198, lin. 34: legitur « pedetentim in apricum profertur figura Mulieris ». Obscura haec verba mihi videntur; adeoque opto ut vel clariora fiant vel deleantur.

Pag. 199, lin. 27: voces « naevo seu » videntur inutiles; adeoque possent deleri.

27

EXC.MUS P. D. SANCTES MORO BRIZ

Episcopus Abulensis

1. Cap. VIII, quamvis in schemate *de Ecclesia* appositum, cum re vera minime materiae in ipso contentae respondere videatur, non debuit in schemate *de Ecclesia* includi... Recolatur ad rem Patrum Conciliarium placitum in II Concilii sessione expressum: « Placet Patribus ut schema de B. M. Virgine, *Matre Ecclesiae*, ita aptetur ut fiat cap. VI schematis *de Ecclesia?* ». A Patribus vero fuit affirmative responsum.

2. Nonnullae in cap. VIII desiderantur magni momenti veritates mariologicae, quas iterum atque iterum Romani Pontifices suo ordinario magisterio docuere (v. g. associatio operi redemptionis; mediatio universalis gratiarum; titulus Reginae Mundi, etc.). Quaenam ratio huius omissionis? An forte reputatur huiusmodi Mariae privilegia ad integritatem mariologiae catholicae non pertinere?; an decet Concilium Oecumenicum prorsus praeterire disertissima hac in re Romanorum Pontificum documenta?

Aliunde a schemate abesse nequeunt, si velimus non fidelibus tantum, sed ipsis quoque fratribus separatis, *verum* et *integrum* conspectum offerre mariologiae catholicae, uti par est.

Hic prae oculis habendae videntur sapientissimae normae a Pio XII, ad mariologos in Congressu Mariano Internationali adunatos, 1954 datae: « Haec disciplina (mariologia) recta illa media via procedere poterit, qua et ab

omni falsa et immodica veritatis superlatione caveat, et ab illis se segreget, qui vano quodam agitantur timore, ne B.mae Virgini plus aequo concedant aut, ut non raro dictitant, Matre honorata et pie invocata, Ipsi Divino Redemptori aliquid honoris et fiduciae detrahant ».

3. Praeterea studiose in cap. VIII omittitur nomen et conceptus « Mariae Matris Ecclesiae ». Et tamen in Traditione invenitur solidum fundamentum ad hanc veritatem propugnandam: aliunde Summus Pontifex Paulus VI in clausura II sessionis Concilii expressis verbis desiderium deprompsit « *ut nomine Matris Ecclesiae eam possimus honorare* ».

Unde: 1. Textus non aptus videtur, ut Patrum Conciliarium deliberationibus offeratur. Talis disceptatio locum praeberet innumeris et scandalosis discussionibus.

2. Si mens Concilii est veram effigiem B.mae Virginis eiusque relationem ad Ecclesiam catholicam populo christiano ostendere, existimo aptius esse novum textum (schema) redigere, qui doctrinam circa B. Virginem in traditione et in Romanorum Pontificum magisterio contentam fideliter referat.

3. Si vero, ob graves et iustas causas, existimetur his in adiunctis non expedire novum textum redigere qui melius traditioni et Romanorum Pontificum doctrinae respondeat..., humiliter censeo potius quam praesentem textum suffragationi proponere, simplicem quamdam Patrum conciliarium declarationem exhibere, in qua suam erga B. Virginem profundam venerationem et filialem amorem universo mundo ostendant, necnon eorum ardentissimum votum ut a christifidelibus singulari fiducia ac devotione colatur, et hoc quidem in honorem et gloriam dilecti Filii sui Iesu Christi.

28

Exc.mus P. D. IOANNES NICCOLAI
Episcopus Tarijensis

Infrascripti episcopi et Patres conciliares iis omnibus quae ab em.mo card. Suenens et ab episcopis Lusitaniae et Poloniae in sessione die 17 septembris habita exponuntur et petuntur, sponte et laeto animo se adhaerere velle declarant.

Insuper expresse, ob rationes a multis Patribus in aula conciliari expositas, ea quae sequuntur, humiliter petere audent:

1. Ut B. Maria Virgo a Concilio solemniter uti Mater Ecclesiae promulgetur.

2. Ut materna et spiritualis actuositas B. Mariae Virginis in bonum fidelium i. e. Ecclesiae aperte declaretur.

3. Ut ea quae in schemate de mediatione Virginis dicuntur, si possibile est, magis positive explanentur.

4. Ut Concilium a Sua Sanctitate Paulo VI humiliter petat renovationem consecrationis totius generis humani inclusive Russiae ad Immaculatum Cor B. M. V.

[*Subscripserunt etiam*] Nicola D'Antonio; José C. Rosenhammer, ep. tit. Amporensis, vic. ap. Chiquitos; Caesar Benedetti, vic. ap. Cuevensis; Iulianus Barni, prael. null. Juigalpa; Pacificus Calzolari, praef. ap. Siangtan; Ioannes Senner, ep. Cochobambensis; Tiago Ryan, ep. tit. Margensis; Laurentius M. Graziano, ep. tit. Limatensis, aux. S. Annae; Petrus Moretti, praef. ap. Tungchow; Bonifatius Vitalis Bertoli, vic. ap. Tripoli; Petronius Lacchio, arch. Changsha; Giac. Eccher, prael. null. Aiquile; A. Ferroni, ep. Laohokow; Rembert Kowalski; Attilius Previtali, praef. ap.; Ignatius Petrus XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum.

29

EXC.MUS P. D. GREGORIUS ELIAS OLAZAR MURUAGA

Episcopus tit. Prusensis, vic. ap. Yurimaguaensis

Textum, de quo agimus, generosiorem vellem, ita ut in ampliori luce ponat ea privilegia mariana quae *socialia* appellamus: mediatio, corredemptio, maternitas spiritualis, regalitas, etc. ad quae principaliter diriguntur studia moderna.

Si principio huius Concilii stamus, principio nempe renovationis (aggiornamento), non decet Matrem relinquamus vestibus centenariis nullatenus renovatis.

Scimus Ecclesiam non fuisse fundatam ut *momiam* quandam nec ut cellulam vivam methodo modernae « hibernationis » subiiciendam ut vitam servet sicut fuit ab initio, sine evolutione. Evolutio dogmatum admittitur.

In hac evolutione duo extrema sunt vitanda: *pietismus* nimius qui ad conclusiones arbitrarias conducere solet, et *historicismus* exaggeratus qui falsa proclamat ea omnia quae in antiquitatis scrinis et in antiquae traditionis tabula non invenit.

In theologia idem valet verbum scriptum quam traditum. Quod valet Ecclesia antiqua valet etiam Ecclesia praesentis temporis, quae non est nisi evolutio homogenea priorum saeculorum.

Haud parum explorandum est in campo mariano donec omnia cognitio nostra pervadat sed nolimus esse plus papistae quam papa ipse. Pius XII orthodoxum iudicat principium Suarezii: « Mysteria gratiae, quae Deus in Virgine operatus est, non esse ordinariis legibus mentienda, sed divina omnipotentia, *supposita rei decentia,* absque ulla Scripturarum contradictione aut repugnantia » (*Munificentissimus Deus,* in *A.A.S.,* 42). Et tuta conscientia definivit Assumptionem Mariae, non remota quaestione annexa de morte ipsius.

Solemniter sanxierat Pius IX Immaculatam Conceptionem, quin statueret utrum per hoc privilegium Maria elevata fuerit vel non ad statum iustitiae originalis.

Hoc ipsum dicite de dogmatibus Maternitatis divinae et Virginitatis perpetuae. Hic est stylus Curiae.

Definita medulla, cortex periphericus quaestionum relinquitur theologis, apud quos principium interpretationis hoc est: « In definitionibus, quod minimum est tenendum est ».

Hoc in definitionibus solemnioribus Ecclesiae, in definitionibus, nempe ex Cathedra. Quid dicam de doctrinis ex quibus excludimus mentem definitoriam? Quare ergo scrupulus iste aliquorum in constitutione dogmatica de Maria ut ne quidem nominetur titulus mediatrix, corredemptrix, etc.?

Ex eo quod non omnes theologi conveniant in terminis, non sequitur deesse maturitatem doctrinae. Meminisse iuvat quot et quantos fuisse adversarios privilegio Immaculatae Conceptionis. Et tamen Conceptio Immaculata fuit solemniter definita.

Non omnes in omnibus conveniunt, sed hoc liquido apparet: « In Maria sunt sufficientia elementa et rationes ob quae Ipsam ore dulci et corde ardenti appellemus mediatricem immo et corredemptricem nostram ».

Specifica autem explicatio horum titulorum iam transcendit aulam conciliarem et fugit ad orbitam theologorum.

Nullus catholicorum in dubium vertit mediatam et physicam cooperationem ad redemptionem, nec influxum quem B. Virgo exercet in elargitione gratiarum, quod sufficit pro momento.

Si deinde, propter difficultates quae occurrunt in explicatione theologica modi huius mediationis vel corredemptionis, ipsas praerogativas tacendas censemus, logice abstinendum esset et ab aliis titulis marianis, qui definiti sunt quoad existentiam non tamen explicati quoad modos, et amplitudinem.

Munus sociale Mariae in Ecclesia arcte connexum est cum *mediatione gratiarum* nullatenus est nova doctrina, quia — iuxta S. Alphonsum M. Ligorium — est « communis inter doctores et theologos ».

Ita communis ut P. Bover asserere potuerit: « In omnibus scriptis (SS. Patrum) tam multis tamque diversis, numquam, ne semel quidem, vel unum verbum reperi, quo universalis eaque directa Deiparae Virginis mediatio aut negaretur, aut in dubium revocaretur, aut limitaretur, aut tamquam veritas aperta atque ab omnibus admissa non proponeretur ».

Unica ratio celandi glorias Mariae esset ne maior appareat fossa separationis inter christianos et catholicos.

Sed cavete canem. Superficialiter contemplanti superficiales videbuntur hae discrepantiae, quae in epidermi permanent, quin — pro bono pacis — discussionem mereantur. Fons tamen harum discussionum profundior est, manans ex ipso corde doctrinae circa humanam cooperationem ad gratiam divinam.

Dogma nostrum solemniter definitum in Tridentino, non admittitur a fratribus et logica necessaria reiicere debent cooperationem Mariae ad opus Redemptionis.

Quod nos asserimus de Maria, pro ipsis magis est *passio* quam *actio*; humana, non personalis. Maria, ut creatura, erat ancilla Domini et Deus usus est natura feminea Mariae ad Incarnationem sicut figulus utitur luto.

Maria ergo passa est in natura, non concurrit ut persona. Inde totum meritum est ex parte Dei, nullum ex parte creaturae...

Postea hanc conclusionem involucrant expressione male interpretata S. Pauli: *Unus Mediator*...

Catholicam autem sententiam scitis, venerabiles Patres... Illa divisio inter meritum Dei et meritum hominis non est per membra diversa inter se excludentia veluti si ageretur de duobus capitalistis homogeneis. Principium meriti est Deus, atque auctor principalis. Deus tamen vult ut ad productionem actus meritorii cooperetur et homo.

Christus est unicus Redemptor; sed voluit honorare Matrem suam eamque selegit ut cooperatricem in hoc opere redemptionis, quod nondum minuit sed, e contra, auget efficientiam ipsius Christi.

Maria agit ut Mater, ut persona conscia, non patitur ut individuum naturam femineam habens. Passio mere humana a Deo imposita creaturae rationali indecora est Deo tamquam incapaci se aptandi condicioni humanae, quae est causa secunda. Absque dubio, ille consensus Mariae in nomine Dei ab angelo requisitus, actionem dicit et quidem rationabilem et proinde meritoriam.

Causa principalis: *Deus*. Causa ministerialis: Maria. Maria concurrit ad eundem effectum Dei, non per indigentiam, sed per bonitatem Dei.

In opere Redemptionis, Christus et Maria non sunt duo circuli independentes; sed concentrici, Mariae intra illum Christi.

Tituli ergo quos defendimus pro Maria non sunt tacendi, sed explicite exponendi, monendo illos ad quos attinet ut hanc doctrinam recte, sua vice, fidelibus exponant, nam saepenumero discussiones in hac materia non profluxerunt ex doctrina ipsa sed ex modo ipsam explicandi.

Aliunde, caritate compellimur fratres quaerere. Sed est ordo in caritate. Si redemptio est nova emptio, videte si fratres valent quantum valet mater. Mater — Maria — est elementum essentiale in familia Dei, non ontologice sed divina providentia in hac oeconomia gratiae. Sine hoc vel illo fratre, possumus vivere in terris et in caelo, et quidem catholici sumus numerosa familia. Sine vero Matre, et quidem sine tali Matre, qualem nobis dare dignatus est Deus, nolumus, non possumus vivere.

30

Exc.mus P. D. MICHAEL OLÇOMENDY

Archiepiscopus Malacensis-Singaporensis

N. 54, lin. 5, pag. 203: *Expressio mediatrix omittatur. Rationes*: 1. Constitutio dogmatica *de Ecclesia* doctrinam catholicam exponit et dirigitur non solum theologis, sacerdotibus et in doctrina doctis, sed etiam ignorantibus, pueris immo et *christianis separatis et infidelibus.*

2. Expressio haec in catechesi introducitur.

3. Cum unus sit Mediator Christus expressio mediatrix de Maria loquendo ambigua est *sine propria explicatione.*

4. Specialiter *in terris missionum* expressio haec ansam praebet falsae interpretationi, confessioni, et fratribus christianis separatis et inimicis Ecclesiae facili argumento contra religionem catholicam locum dat.

31

EXC.MUS P. D. PACIFICUS M. ALOISIUS PERANTONI
Archiepiscopus Lancianensis et Ortonensis

De titulo « Mater Ecclesiae ». Loquentibus nobis de B. Virgine in schemate de Ecclesia, omitti non posse videtur titulus, quo ipsa dicitur « Mater Ecclesiae », sicuti haud semel Summus Pontifex Paulus VI clarissime insinuavit. Etsi enim nonnullis non placeat titulus ille, fundamenta tamen theologica habet firmissima. Praescindendo enim ab iis, quae legitime disputantur inter theologos, adhuc B. Virgo dicenda est vere Mater Ecclesiae ex multiplici consideratione.

1. Primo quidem, populus christianus, ductum sequens Magisterii Ecclesiastici, in B. Virgine Matrem sibi a Redemptore quasi testamento relictam veneratur. In Ioanne enim designavit Christus personam generis humani; unde ipsa, voce Christi, vere omnium hominum Matrem esse constitutam apparet.

At maternitas haec nequit considerari individuali quodam modo, quasi ipsi singuli homines Mariae sint filii seorsim et separatim ab unitate supernaturali, quam in Ecclesia et per Ecclesiam sortiuntur. Neque enim bona supernaturalia redemptionis aliter quam in uno Ecclesiae corpore possunt participari.

Hinc patet Mariam declaratam fuisse a Redemptore moriente Matrem suorum fidelium, in quantum hi nascentis iam iam Ecclesiae membra constituebantur. Seu, quod idem est, Maria, quae corpore est Christi Capitis Mater, dicitur ab ipso Christo de cruce Eius membrorum omnium Mater; id est Mater Ecclesiae.

Ideo gravioribus verbis docuit Benedictus XIV: « *Catholica Ecclesia,* Spiritus Sancti magisterio edocta, eandem... *tamquam amatissimam Matrem,* extrema Sponsi sui morientis voce *sibi relictam,* filialis pietatis affectu prosequi studiosissime semper professa est » (Bulla *Gloriosae Dominae,* 27 sept. 1748: *Bullar.* 2, 428). Ecce ex declaratione sapientissimi illius Pontificis, et Maria est Mater Ecclesiae, et Ecclesia semper erga ipsam filiales praebuit affectus.

2. Deinde titulus « Mater Ecclesiae » consequitur factum ipsum Incarnationis dominicae, ea fere necessitate qua titulus Mater Dei.

B.ma enim Virgo dicitur Mater Dei eo quod filium generavit, qui eodem

momento quo conceptus est, propter unionem hypostaticam, vere Deus erat. Sed ipse Filius a Maria genitus, eodem momento quo ab ipsa conceptus est, vere ornatus erat gratia capitali. Haec vero gratia supponit se sola sicut constitutionem Capitis, ita etiam membrorum, mediante natura a Maria maternaliter procurata.

Sicut ergo B. Virgo, praebendo naturam humanam Christo, vere est Mater Dei, quia ipse in illo momento erat caput illius Corporis, a membris nullatenus seiunctum aut separatum. Ibi ratio petitur ex unione hypostatica; hic petitur ex gratia capitali. « Ipsa fuit, docuit Pius XII, quae Christum Dominum iam in virgineo gremio suo Ecclesiae Capitis dignitate ornatum... edidit. Ipsa igitur membrorum Christi sanctissima Genitrix » (Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 35, 1943, p. 247 s.).

Vel, ut docuit S. Pius X: « in uno eodemque alvo castissimae Matris, et carnem Christus sibi assumpsit et spiritale simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum, qui credituri erant in eum. Ita ut Salvatorem habens in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat via Salvatoris... Unde spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur et Ipsa nostrum omnium Mater est » (Encycl. *Ad diem illum*: *A.S.S.*, 36, p. 452 s.).

Quod brevius praedicabat S. Augustinus: « Quomodo non ad partum Virginis pertinetis, quando Christi membra estis? » (Sermo 192, 2; *PL* 38, 1012). Mater Capitis, eodemque momento Mater simul membrorum, utique Mater dicenda est totius corporis organice uniti, coagmentati atque viventis. Ideo, docente S. Leone Magno: « Generatio Christi origo est populi christiani, et natalis Capitis natalis est Corporis... Quisquis enim hominum... regeneratur in Christo... habetur in germine Salvatoris » (*Serm. 6, De Nativitate Domini*: *PL* 54, 213). At Corpus Christi mysticum est Ecclesia. Verissime igitur est Maria, in ipso Incarnationis momento, Mater Ecclesiae.

Quae omnia non sunt accidentalia et quasi peripherica, sed ad ipsum mysterium nostrae salutis pertinent. Sicut enim in consilio Dei salvifico essentialiter continebatur quod redemptio fieret per Deum hominem factum ex muliere, ita etiam quod eadem redemptio compleretur per intimam unionem salvandorum cum Salvatore in unitate eiusdem Corporis Mystici, supposita communione eiusdem naturae humanae, prout docuit S. Cyrillus Alexandrinus: « ut per unitam sibi carnem omnes in seipso contineret » (*Adversus Nestorium* 1, 1: *PG* 76, 17). Utrumque ad idem divinum consilium salutis pertinet.

Est igitur Maria, etiam ex hac consideratione, Mater Ecclesiae.

3. Utramque hanc considerationem consequitur perpetua erga Ecclesiam intercessio, quam in caelis exercet B. Virgo. Intercessio plene maternalis. Non solum quia est ante Christum intercessio eius Matris, nec solum quia est intercessio pro fidelibus quorum item Mater agnoscitur, sed plane quia est intercessio pro membris Corporis Christi, quae adhuc in terris peregrinantur a Domino, sed cum Capite et sub Capite Christo, arcano modo, efformant

unitatem vivam Ecclesiae; horum enim membrorum, in quantum illius Corporis membra sunt, Mater quoque extitit amantissima.

Ideo quidquid gratiae a Deo B. Virgo pro fidelibus impetratur, id pro Ecclesia Christi, non quomodocumque sed materno animo, impetratur. Immo etiam quaecumque ex ipsius intercessione pro universo humano genere proveniunt, vere ex amore materno erga Ecclesiam procedunt, cum omnia illa Dei bona quibuscumque hominibus concessa ordinationem veram habeant ad Corpus Christi mysticum, iuxta consilium salvificum Dei.

Ideo etiam Ecclesia, Maria implorando, venerando, intuendo ad imitationem, vere Matrem implorat, veneratur, imitatur. Nec aliter a citato Benedicto XIV affirmabatur, Ecclesiam filialis pietatis affectu B. Virginem prosequi studiosissime. Quid denique aliud intendit Ecclesia Universalis, vel in ipsa sacra liturgia, interpellando Mariam: « Salve, Regina, Mater misericordiae »?

Ex quibus omnibus satis patet, titulum « Mater Ecclesiae » solidis fulciri fundamentis, verumque traditionalem sensum Ecclesiae continere.

4. Quae cum ita sint, nullius momenti esse videntur quae a nonnullis in contrarium afferuntur, quasi ridiculum sit eandem personam dicere et membrum Corporis et eius matrem.

Non enim oblivioni tradendum est, nos sub his terminis metaphoricas explicationes arcanae realitatis tentare. Metaphorica vero non nisi sobrie usurpanda sunt, nec sine moderatione urgenda. Immo et ipsa realitas Corporis mystici non uno eodemque modo constanter declaratur, cum in ipsa inveniantur stadia diversa, si consilium Dei tantum spectetur, si prima Corporis constitutio, si ipsius plena apparitio atque completio, si membrorum vocatio et destinatio, si eorum efficax incorporatio, si ipsorum vivens actio, si uniuscuiusque membri organica functio.

Cum ergo haec cuncta, et alia huiusmodi, tam varia inveniantur, nihil mirum esse potest, quod quandoque nonnulla videantur quasi absona, non ideo quia falsa sint, sed ideo quia in eorum consideratione diversa realitatis stadia diversique loquendi modi nimis negliguntur.

Vocemus igitur B. Virginem « *Matrem Ecclesiae* » pro ipsius honore et pro solatio nostro.

* * *

Postquam omnia quae dicenda aestimabantur dicta sunt, meum hic non est laudes quam maximas pro illis duobus peritis prolatas denuo repetere, qui — uti in relatione dicitur — nil intentatum reliquerunt, ut textum componerent ab omnibus unanimiter adprobatum, neque meum propositum est ut illa quae dicta sunt « pro » et « contra » quaedam puncta particularia repetam.

Loquor nomine episcoporum franciscanorum, qui circa centum in hoc Oecumenico Concilio enumerantur.

Notum enim omnibus est Ordinem Seraphicum decursu saeculorum in

Mariologiam illam regulam a venerabili Ioanne Duns Scoto prolatam secutum esse, videlicet: « Si auctoritati Ecclesiae vel Scripturae non repugnet videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariae » (*Ordinatio,* III, d. 3, q. 1). Ut bene videre potuistis, Doctor noster et Dux Scholae franciscanae, primo loco ponit auctoritatem Ecclesiae et deinde Scripturae, et sic praecessit illas notissimas declarationes Pii Papae XII, qui vestigia Concilii Tridentini premendo, docebat Scripturam Sacram interpretandam esse ad lucem magisterii Ecclesiae. Iamvero nemo est qui non novit Summos Pontifices nostris temporibus B.mam Virginem et Mediatricem et Corredemptricem et Matrem Ecclesiae nuncupasse, eique alios quoque titulos insignes attribuisse, ita ut mysterium Mariae non ad peripheriam relegaverint sed in centrum mysterii salvationis nostrae posuerint, utique semper dependenter a Christo et sub Christo, qui unicus est Salvator noster, redemptor et mediator, vocibus hisce sensibus sumptis.

Itaque Franciscales viri gaudio exultabant auscultantes laudes quas his diebus em.mi ac doctissimi viri, uti em.mi DD. cardd. Ruffini, Wyszińiski, Suenens, exc.mi DD. Mingo, Garcia, Marquez, Gawlina, aliique multi egregie texuerunt pro Maria Mediatrice, Matre nostra spirituali et Matre Ecclesiae.

Sane haec ultima redactio cap. VIII sat magnam transformationem schematis officialis de B. Virgine Matre Ecclesiae praesentat. Nunc cooperatio B. Virginis in oeconomia nostrae salutis haud sufficienter delineatur, ut opportune dixit em.mus card. Suenens, neque legitur Mariam esse Matrem Ecclesiae, quem titulum Ioannes XXIII toties adhibuit, immo et eius immediatus Successor feliciter regnans Paulus Papa VI, uti bene animadverterunt multi venerabiles Patres; neque explicitis verbis confirmatur simplex ille titulus Mediatricis, quo iam Patres Graeci utebantur et nunc tota Ecclesia catholica utitur. Neque expedit contra hunc titulum « Mediatrix », B. Virgini non recenter sed ab antiquitate christiana adscriptum, textum Pauli invocare « Unus Deus, Unus Mediator »; nam, prout a viris doctissimis, etiam in ipso volumine « De Mariologia et oecumenismo » demonstratum est, apostolus Paulus in textu allegato, minime de nostra quaestione sed de omnino alia re tractat; insurgit enim contra quosdam qui putabant aliquos a Christo alios autem ab alio redemptos esse. Nunc autem nos omnes firmiter profitemur omnium hominum, Virgine Maria non excepta, unum esse Redemptorem, unicum Mediatorem, Iesum Christum.

At, ut opportune quidam venerabiles Patres notaverunt, summi momenti est, ut hic textus, quamquam ad minimum reductus, unanimi consensu ab omnibus Patribus, utique in eodem corde communis Matris unitis, accipiatur.

Relinquendo itaque duo vota mea, quorum unum tractat explicite de titulo « Matris Ecclesiae » Mariae adscribendo, at alter de « Mediatione mariana », nomine episcoporum Ordinis Seraphici propono, ut cap. VIII unanimi consensu per applausum ab hoc Sacrosancto Concilio approbetur, seu ut Patres textum approbent cum « placet simpliciter » absque « placet iuxta

modum », sinentes ut duo praelaudati periti, qui textum composuerunt, illa pauca, quae non tangunt substantiam, sed potius stylum vel modum dicendi corrigant.

32

EXC.MUS P. D. AEMILIUS PIROLLEY

Episcopus Nanceiensis et Tullensis

Dum prosequebatur in aula disceptatio super cap. VIII schematis *de Ecclesia,* plurimas interventiones audivimus, quae doctrinam mediationis B. Mariae Virginis exponendi in Actis Vaticani II opportunitatem denegabant.

Inter allatas rationes, duae praecipuae apparebant. *a*) Huiusmodi verbum in Actis Conciliaribus periculosam confusionis inter Christi Mediationem et Mediationem B. Mariae Virginis possibilitatem praebet.

b) Immo, opus Oecumenicum adhuc difficilius reddit, fratrum separatorum animum irritans.

Sed e contra: 1. Non agitur in hoc casu de definitione dogmatica.

2. Textus actualis necessarias et essentiales distinctiones sufficienter instituere et notare videtur: nam sola et vera Mediatio Christi, sensu proprio, inter Creatorem et Creationem viget; Mediatio autem Mariae, sensu analogico, inter Salvatorem et salvaturos.

3. Concilium Oecumenicum obiectivam realitatem devotionis catholicae erga B. Mariam Virginem ponere explanareque potest et debet, haud vero aliquos huius aspectus celare propter metum acatholicorum.

Nam multi sunt catholici qui talem explanationem exspectant.

Et liceat mihi hanc occasionem sumere et interrogare, num quidam influxus aut quaedam « pressiones » ob praesentiam Observatorum, ex alia parte tam iuste optatam et beneficam, interdum tamen non nimis exercentur in aliquarum interventionum, immo nonnullarum suffragationum, « orientationes »?

33

EXC.MUS P. D. MAURITIUS POURCHET

Episcopus S. Flori

N. 52, pag. 197, lin. 11: propono ut supprimatur incisa: « quam Dominus ut corpus suum constituit ». Ratio: Hoc in schemate iam abundanter illustratur, et ad expressionem necessarium non est.

Lin. 17: « eximiae gratiae dono » dicere videtur gratiam B. M. V. eiusdem speciei non esse ac nostra. Melius esset dicere: « *eximio* gratiae dono ».

N. 53, pag. 200, linn. 9-17: cur multiplicantur citationes ad eamdem notionem affirmandam?

Linn. 7-8: « Patres antiqui asserere solebant »: verius esset dicere: « Aliqui Patres antiqui asseruerunt ».

Lin. 17: « proverbium » designat aliquid universale.

Pag. 201, linn. 8-11: haec interpretatio sensum genuinum locorum Scripturae citatorum extenuare videtur.

Lin. 38: hic posset breviter affirmari sensus eschatologicus Assumptionis Mariae.

N. 54, pag. 202, linn. 18-23: non exprimunt veras rationes maternitatis Mariae in ordine gratiae: hae rationes potius exprimuntur in linn. 31-34.

§ B sic posset incipere (lin. 25): « Beata Virgo, Ancilla Domini, angelicis verbis humiliter consentiendo, Christum concipiendo, generando, alendo etc .».

Pag. 203, linn. 4-6: unicum titulum « mediatricis » referendo, Concilium videretur quaestionem disputatam dirimere, quod non intendit. Ut hoc inconveniens vitetur, bonum esset alios titulos citare, qui sunt magis et antiquius traditionales. Sic textus ordinari posset: « Propterea B. M. V. in Ecclesia saepe appellatur advocata, auxilium christianorum, Mater misericordiae, mediatrix ». Sed melius est hunc titulum « Mediatrix » non adhibere.

Lin. 18: cur additur « etiam »? Coniunctio cum Ecclesia in coniunctione cum Christo comprehenditur.

Linn. 32-33: « ad quos gignendos » videtur affirmare mediationem Mariae in gratia Baptismatis, quod controvertitur, etiam ab his qui Mediationem universalem admittunt. Expressio est saltem ambigua.

Pag. 204, linn. 4-25: videntur idem referre ac linn. 4-9 pag. 198. Melius esset ut in hoc tantum loco referatur. Et hic, v. g. post lin. 11 addi posset: « Maria etenim est nobis propinquissima. Vixit in conditionem omnium nostrum, praesertim pauperum, in humilitate et obscuritate. Eius electio, ut nostra, fuit omnino gratuita. Ut nos, debuit gratiae cooperari, in fide, spe et caritate progredi. Post Filii Ascensionem, vixit in sinu Ecclesiae, Verbum Dei et Sacramenta suscipiens. Vixit in humili servitio, privilegia eximia quibus ornata est non ut bonum proprium considerans, sed ut nobis destinata.

Pag. 205, lin. 4: « qui quidem » corrigendum videtur ratione styli elegantiam.

Pag. 207: exhortatio finalis non videtur necessaria in constitutione dogmatica.

Emendationes propositae ab aliquibus episcopis Galliae.

1 Emendatio: pag. 201, linn. 32-33: proponitur suppressio incisae: « ab omni originalis culpae labe praeservata immunis ». *Ratio*: haec incisa, immediate praecedens verba « expleto terrestris vitae cursu, corpore et anima ad caelestem gloriam assumpta est », videretur Mariae immortalitatem insinuare, ut consequentiam Immaculatae eius Conceptionis.

In fine huius paragraphi, aliqua verba sensum eschatologicum Assumptionis illustrare possent. Haec emendatio proponitur a 18 Patribus.

2 Emendatio: pag. 203, linn. 32-33: verbum « gignendos » aequivocum videtur et substitui deberet. *Ratio*: « Omnis comparatio claudicat »: non potest dici Maria gignere fideles, quod dici potest de Ecclesia.

Cum regeneratio per Baptismum obtinetur, haec expressio videretur af-

firmare mediationem Mariae in Baptismo, quod etiam inter eos qui Mediationem universalem affirmant, controvertitur.

Haec emendatio proponitur a 19 Patribus.

3 Emendatio: pag. 204, post lin. 11, proponitur additio sequens: « Maria etenim unicuique nostrum est propinquissima. Vixit in conditione omnium hominum, praesertim pauperum, in humilitate et obscuritate. Eius electio, ut nostra, fuit omnino gratuita. Etsi ab originali peccato fuit immunis, debuit, ut nos, gratiae cooperari, in virtutibus progredi. Post Filii Ascensionem, vixit in sinu Ecclesiae, verbum Dei audiens. Vixit in humili servitio, privilegia eximia quibus ornata erat non ut bonum proprium considerans, sed ut nobis destinata ». *Ratio*: ut Virgo praesentari possit tanquam exemplar practicum et possibile, opportunum videtur affirmare eam in conditione nostra vixisse.

Lin. 23, proponitur consequenter: « progrediens in fide, spe, caritate, patientia... ». Oboedientia continetur in linn. 24-25.

Haec emendatio proponitur a 19 Patribus.

4 Emendatio: exhortatio finalis textui conciliario convenire non videtur. Proponitur ergo ut schema finiatur cum § B n. 53, additis tantum verbis ultimis § sequentis: « Et demum Ecclesia ad nuptias Dei et Agni in luce et gaudio perveniat ».

Haec emendatio proponitur a 20 Patribus.

Iustificatio nominum potest inveniri apud M. Pourchet.

34

Rev.mus P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congr. Gallicae O.S.B.

1. Ad n. 52 (B), pag. 198, linn. 4-9: « Quapropter etiam ... prosequi semper professa est » ita compleantur: « Quapropter etiam ut supereminens prorsusque singulare membrum Ecclesiae, *maternum officium ubique et semper in illa exercens,* necnon eius in fide et caritate typus et exemplar spectatissima salutatur eamque, *sicut matrem amantissimam,* catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est ».

Ratio huius additionis haec est: scopus huius capitis est enucleatio relationum quae inter Mariam et Ecclesiam habentur. Sed prima praecipuaque omnium relationum B. Mariae V., ad Ecclesiam est relatio Maternitatis, dummodo utique talis Maternitas bene intelligatur et compossibilis reddatur cum alia relatione, videlicet inhaesionis, vi cuius Maria dicitur et est ipsius Ecclesiae membrum.

B. Virgo Maria, quia Mater Dei est, et quidem Mater Dei Redemptoris, Matrem omnino perfectam esse oportet. Primum et fundamentale ipsius

munus, ad quod omnia alia ordinantur, est maternum munus. Ubicumque intervenit, Maria, in toto Christi mysterio, Mater est.

Cum ergo Maria ad Ecclesiam Christi (quae est ipsius Christi Mysterii continuatio) comparatur, etsi certissime membrum ipsius est, tamen totum munus quod exercet in ea et erga eam est munus maternum. Quia Ecclesiae est Mater, et qua mater, est etiam eius exemplar, adiutorium, regina, etc. Sed omnes istae relationes veram propriamque habitudinem Virginis Mariae ad Ecclesiam non exprimunt nisi prout relationem primariam, Maternitatis videlicet, integrant vel consequuntur. Ideoque schema doctrinale, quod primatum Maternitatis, etiam erga Ecclesiam, Virgini Mariae non conferret, graviter deficiens remaneret et clavem synthesis marialis mysterii omitteret.

Certum est Mariam esse ipsius Ecclesiae membrum. Certum est etiam Mariam esse Matrem Capitis Ecclesiae, immo huius fuit Mater ut ipse perfectum Ecclesiae caput fieret. Certum est tandem Capitis Matrem secundum carnem esse etiam, spiritualiter sed realiter, Matrem omnium Christi fratrum ipsius sanguine redemptorum. Hoc sensu vere dici potest totius Ecclesiae mater in quantum generando Christum corporaliter etiam omnes fratres Christi spiritualiter genuit. Prout Mater Dei consideratur, quodammodo transcendit Ecclesiam; ordinem hypostaticum relatione propria maternitatis attingens, quamvis prout perfecte redempta membrum eiusdem Ecclesiae sit. Et sic, sub duplici diversoque aspectu Maria simul Mater et membrum Ecclesiae est; ideoque nihil prohibet Ecclesiam Matrem Dei virginalem ut Matrem etiam suam venerari.

2. Ad n. 54 (B), pag. 202, linn. 18-25: « Cum itaque B. Virgo ... Mater nobis in ordine gratiae extitit » ita emendantur: « Cum itaque B. Virgo, divinae Providentiae consilio, *Mater Dei ita effecta sit ut Verbum Dei incarnatum humani generis perfectus Mediator Redemptorque fieret,* hanc ob causam Mater nobis in ordine gratiae extitit ».

Ratio huius emendationis: ut verum indicatur fundamentum Maternitatis spiritualis seu Maternitatis gratiae. Maria enim est Mater omnium redemptorum in quantum Filium Dei incarnatum genuit praecise ut hominum Mediator perfectus et Redemptor fieret. Non enim perfectus Mediator, neque perfectus Redemptor noster fuisset, nisi fuisset ex stirpe Adami peccatoris natus. Quia enim est frater noster, potuit satisfactionem ponere pro nobis, pretium salutis nomine totius generis humani, cuius membrum erat, Deo Patri offerens. Maria vero genuit Christum ut sacerdotem et hoc *praecipuo* titulo gratiae Mater meruit appellari. Qui titulus, sine ulla discussione, ab omnibus catholicis theologis, ut primum Maternitatis spiritualis fundamentum admittitur. Contestatio non fit nisi de aliis titulis huic forsan addendis.

35

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PRZYKLENK

Episcopus Ianuariensis

Quae exhibentur non sunt modi proprie dicti; unde enixe dumtaxat rogo, ut saltem legantur et, si placuerint, examini subiiciantur et ad textum meliorandum admittantur.

1. Pag. 3, n. 52 passim adhibetur prima persona pluralis: « reciperemus... propter nos... propter nostram salutem... mysterium nobis revelatur ». Derepente tertia exsurgit persona pluralis: « ... in qua fideles... *venerentur* oportet... ». Nonne stylus elegantior erit etiam in hoc loco ad primam personam pluralis redire? « ... etiam *veneremur* oportet... ».

2. Ad pag. 4, n. 52, lin. 8 et pag. 9, n. 63, lin. 29: in ambobus textibus sermo est de fide et caritate. Cur non additur spes? Spes addita est pag. 8, n. 61, lin. 27. Nisi fallor, silentium de spe in pag. 4, lin. 8 et pag. 9, lin. 29 vix explicari poterit post spei admissionem in pag. 8, lin. 27. Immo spei mentio locis istis valde desideratur, cum Ecclesiae peregrinantis vita fide, *spe,* caritate perficiatur, eo vel magis quod spei necessitas hodie quam maxime urget. Cf. pag. 10, lin. 13, ubi etiam spes admissa est. Similiter pag. 10, lin. 33. *Unde humiliter oro, ne spei mentio* in pag. 4, lin. 8 et pag. 9, lin. 29 *omittatur.*

3. Ad pag. 8, n. 62, lin. 38: legitur « multiplici intercessione sua pergit... ». Verbum intercedendi saepius in schemate occurrit. Ita pag. 13, lin. 12; pag. 7, lin. 6. Nisi fallor, mens ad preces, ad instantias quasdam dirigitur. Nonne melius erit adhibere verbum latius patens, puta *interventus?* Unde dicatur pag. 8, lin. 38 « multiplici *interventu* suo... » vel « multiplici *iuvamine* suo » vel « multiplici *succursu* suo » (cf. tamen antiphonam ad Magnif. ad I Vesperas Communis B. M. V.).

[*Subscripserunt etiam*] Guill. Demarteau, ep. Bandjermasinensis; Iac. Romeijn, ep. Samarindaensis.

36

REV.MUS P. D. GABRIEL QUINT

Praefectus apostolicus Veihaiveiensis

Postquam tot de B. Maria Virgine in aula dicta sunt, aliquoties cum prudentia et timore, et prae dolor etiam aliquo modo inepte — loquendo de Maria ut avia Ecclesiae — puto aliqua verba facere quae possint inservire ut cap. VIII de Ecclesia melius evadat. Quando, nempe, interrogabantur Patres, si de Beata deberet mitti in vel extra de Ecclesia, opinio multorum qui dicebant « in tractatu » erat: locus ubi ponitur de Beata est secundarium quid, sed, quid de ea dicitur est vere magni momenti. Iam ex Asia mihi pervenerunt litterae dicentes: « Speramus Concilium non nimis infensum fieri et Matrem Dei non debere amittere iura sua ». Quid tot christiani senti-

rent, si Maternitas gratiae, B. Mariae Virginis, non clare et fortiter a Concilio annuntiaretur. Unus Pater dixit mihi: « in hoc tempore conatus dialogi cum Protestantibus, non debemus emphatizare has doctrinas secundarias de Beata ». Nonne hic est ille falsus irenismus a Papa Nostro gl. r. Paulo VI in Encycl. Litt. (*A.A.S.,* pag. 647) condemnatus? Si discussio est de vocabulo « mediatrix », de doctrina autem non est dubium. Nonne in Ecclesia non sequimur illum « resourcement » ut aiunt, ubi solummodo antiqua documenta probant. Sumus in Ecclesia viventi, ubi Encyclicae Summorum Pontificum nos tradunt — et saepe cum tam magna prudentia, sicut expresse de Encyclicis Litteris *Ecclesiam Suam* ille profanus magazin TIMES testatus est — doctrinam Ecclesiae in suo progressu actuali. Humiliter puto, Summum Pontificem, qui expressit desiderium suum anno praeterito ut bonum schema de Beata elaboretur, nos optimos textus indicare, ut

1. in titulo dicamus: de B. Maria Virgine, Matre Christi et Ecclesiae (cf. *A.A.S.,* pag. 623). Citans textum S. Augustini, legimus: « Admiramini, gaudete: Christus facti sumus. Si enim caput Ille, nos membra; totus homo, ille et nos... Plenitudo ergo Christi, caput et membra. Quid est caput et membra? Christus et Ecclesia ». De hac doctrina antiquissima, quae fundatur in Evangelio, S. Ludovicus Grignon de Montfort, extraxit mariologiam suam *Traité de la vraie dévotion,* nunc per milliones exemplaria in mundo diffusam, et a permultis christifidelibus, sacerdotibus et Religiosis in praxim reductam. Propter hoc propono pro salute animarum

2. ut verba Summi Pontificis in suis Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam, A.A.S.,* p. 636 exposita, adhibeantur in schemate de Beata ad illustrandam doctrinam de « sanctissima Virgine Maria, Christi Genitrice atque adeo Dei hominumque Matre » ut cum fiducia christiani possint manu ducti Matris et gratia Spiritus Sancti, alacriter sequi Christum et Christi praecones eodem modo melius de die in diem fieri.

37

EXC.MUS P. D. ALOISIUS RASTOUIL
Episcopus Lemovicensis

Marie et le Sacerdoce.

Je regrette vivement que le Chapitre *de Beata Maria Virgine* ne comporte rien sur son rôle capital, principal, premier pour elle et pour l'Eglise, dans le *sacerdoce de Jésus-Christ* et, par suite, *dans le sacerdoce de l'Eglise* et *de tous les membres de l'Eglise.*

I. *Marie, pour sa part, Mère du Sacerdoce.* Marie n'a pas été baptisée; elle est l'Immaculée, fille privilégiée du Père.

Marie n'a pas été confirmée; elle est pleine de grâce, épouse virginale du Saint-Esprit.

Marie n'a pas été ordonnée, elle est *Mère du Fils de Dieu fait homme,* de Jésus Victime unique et Prêtre unique pour la Rédemption du monde.

Elle est donc, à sa place au plan hypostatique, pour sa part voulue de Dieu, *Mère du Sacerdoce unique de Jésus Sauveur.*

Marie est Mère de Dieu, parce que Mère de Jésus qui est Dieu.

Elle est Mère du Sacerdoce unique parce que, par son consentement à l'Incarnation, elle a donné au Fils de Dieu ce sans quoi il ne pouvait pas être prêtre.

Elle est le premier autel sur lequel, Jésus Prêtre et Victime, s'offre à son Père: « Tu n'as agréé ni sacrifices, ni oblation pour les péchés; alors j'ai dit: Me voici, je viens pour faire ta volonté » (*Hebr.* 10, 6-7).

Elle est Mère du Prêtre Unique, de qui viendront caractères et pouvoirs sacerdotaux de tous les prêtres à venir, et des laïcs.

Elle est donc (pour sa part), Mère du sacerdoce qui sera dérivé du Sacerdoce du Christ, par les caractères des Sacrements de Baptême, de la Confirmation, de l'Ordre.

Elle n'offre pas le sacrifice sacramentel; elle a participé, à sa place, à l'Unique Sacrifice de Jésus, son Fils, au Calvaire.

« Le Sacerdoce de Marie dépend totalement de celui du Christ; mais le Christ devient prêtre en s'incarnant de la Vierge Marie » (LAURENTIN, *Marie, l'Eglise et le Sacerdoce,* pag. 204).

Le rôle de la Vierge Marie, Mère du Messie, est à finalité sacerdotale; elle est Mère de Jésus pour être Mère du Prêtre Unique. La nature de son rôle est sacerdotale au suprême degré. Tout ce qu'elle donne, assentiment, l'ecce Ancilla, sa chair virginale, elle le reçoit tout de Dieu et donc de son Fils Jésus. Mais tout ce qu'elle reçoit, puis donne, est à finalité sacerdotale. Elle existe *pour* une mission sans pareille dans le Sacerdoce du Rédempteur.

II. *Et donc combien maternelle à l'Eglise et au Concile!* La Vierge Marie n'était pas à Cénacle du Jeudi Saint, parce qu'elle n'avait pas à être ordonnée, puisqu'elle était Mère de Dieu.

Mais elle était au Cénacle de la Pentecôte, parce que l'Eglise de la Pentecôte avait, en quelque sorte besoin de tout le Sacerdoce de Jésus-Christ, alors dans les âmes des Apôtres et d'abord de la Vierge Marie.

Le Concile est nouvelle Pentecôte; la maternité sacerdotale de Marie ne peut pas être absente du plus grand rassemblement sacerdotal de tous les siècles. Avec le Père et l'Esprit Saint le Fils de Dieu fait homme y est avec représentation de tout son Corps Mystique Sacerdotal et donc avec Marie (cum Maria Matre Iesu).

Le manifeste luthérien de Dresde avait bien raison de proclamer: « Dans son Magnificat Marie déclare que toutes les générations la proclameront bienheureuse jusqu'à la fin des temps. Nous voyons cette prophétie s'accomplir dans l'Eglise Catholique, en nos jours malheureux, avec plus de force que jamais » (*Sem. Rel. de Paris,* 26 oct. 1960).

Le Concile est le rassemblement du Sacerdoce de Jésus-Christ pour la mise à jour de l'Eglise dans le monde moderne. Donc cum Maria Matre Iesu.

Vraiment Marie n'est pas *une* Mère de l'Eglise à la manière d'un Augus-

tin qui est *un* Père de l'Eglise; mais elle est *la* Mère de l'Eglise, puisque l'Eglise c'est Jésus prolongé à travers les siècles dans les Membres de son Corps Mystique; et elle l'est, Mère, dans la trame du Sacerdoce de Jésus, trame présente à toutes les cellules du Corps Mystique, trame qu'elle a tissée *avec Dieu* en acceptant de devenir Mère du Fils de Dieu fait Homme. Que notre langue est pauvre pour exprimer le mystère de Marie Mère de Dieu et Mère du Corps Mystique: l'Eglise!

Comment dès lors ne rien dire au Concile de *Marie et le sacerdoce de Jésus-Christ* et par suite de l'Eglise, hierarchie et peuple de Dieu?

38

REV.MUS P. D. BENEDICTUS REETZ
Praeses Congr. Beuronensis O.S.B.

Ad n. 55. De cultu erga B. M. V. sequentia permittatis mihi ut breviter ac concinne exponam. Saepe saepius a fratribus christianis separatis nobis obicitur quod matrem Dei adoremus, quod eam ut deam colamus, et quod eam in eodem gradu vel etiam altius ponamus ac ipsum Christum Dominum. Haec omnia utique omnino false nobis imputantur, sed quaero quomodo et cur fratres separati ad has opiniones erroneas pervenire potuerint. Radices harum opinionum praesertim sunt quaedam formae cultus marialis, quae admirationem etiam apud catholicos gignunt et limites veri cultus marialis excedunt. Sunt verbi gratia fideles qui, mense maio piis exercitiis in honorem B. M. V. intersunt, sed die dominica sacrificio missae non assistunt; peregrinantur ad sanctuaria B. M. V. (Lourdes, Guadalupe, Montserrat, Einsiedeln, etc. ...) et imagines et statuas eius comitantur in processionibus et de sacrificio missae die dominico non curant; in ecclesiis imagines et altaria B. M. V. visitant, Christo Domino in tabernaculo neglecto. Propriis auribus praedicatorem religiosum audivi dicentem: Praedicatio in qua non occurrit verbum Fatima nullius est valoris. Excogitantur semper novae formae cultus marialis quae nos in admirationem coniciunt. Mirum non est si haec et similia christianos non catholicos ad Ecclesiam non alliciant et ansam praebeant imputandi nobis falsam doctrinam de B. M. V. Caput propositum claris et optimis verbis monet ut haec et similia de quibus supra vitentur.

Textus in schemate propositus pag. 205 lin. 24 ss. sic se habet: « Hanc catholicam doctrinam Sacrosancta Synodus consulto docet, simulque omnes Ecclesiae filios admonet, ut cultum catholicum, *praesertim liturgicum,* erga B. Virginem generose foveant... ». Haec optime sunt dicta, sed mihi non sufficiunt. Cultus erga matrem Domini est cultus omnino singularis, debitus Virgini et Matri Dei, quae electissimum, excellens immo supereminens membrum est Ecclesiae Christi, sed tamen membrum iuxta verba sancti Augustini, etsi sublimiori modo redemptum. Inde a Concilio Ephesino anno 431 orientales et occidentales cultum B. M. V. aemulantur. Si tamen de

cultu B. M.V. sermo fit uti optime in hoc n. 55 schematis, melius distinguendum erit inter cultum publicum i. e. liturgicum, et cultum extra-liturgicum, qui pia exercitia mariana complectitur.

A primis saeculis in tota Ecclesia cultus liturgicus B. M. V. tamquam pars essentialis Sacrae Liturgiae habetur. De liturgia orientali non est loquendum, quia haec uti nostis magnam partem tribuit venerationi Matri Dei; sed de liturgia latina et romana sequentia sunt dicenda: nomen B. M. V. in ordinario missae quinquies occurrit. Hoc sacrificium missae in altaribus offertur et cum per hoc sacrificium praesens fit etsi modo incruento sacrificium crucis, Virgo mater, stans sub cruce Domini numquam deesse potest. Iuxta effatum praeclarissimi Patris Ingmann, S.I., populus christianus hoc credit quod solemniter in festis Ecclesiae celebrat. Credimus et celebramus in anno liturgico Purificationem B. M. V. i. e. Hypapante, Annuntiationem, Visitationem, Assumptionem, Nativitatem et Immaculatam Conceptionem B. M. V. Haec festa continent non modo abstracto sed concreto totam theologiam marianam, coniungunt mysterium Christi et Ecclesiae cum Virgine Maria, sunt culmina cultus marialis, sunt plus quam celeberrima sanctuaria mariana. In festo Assumptionis B. M. V. unaquaeque Ecclesia catholica, ubi hoc festum celebratur, plus est quam sanctuarium celeberrimum B. M. V. (Lourdes etc. ...). In die festo B. M. V. unaquaeque Ecclesia fit templum marianum. Devotio mariana liturgica est vinculum unionis inter catholicos et orthodoxos.

Cantum Magnificat quotidie ut canticum novum totum orbem terrarum perfundit. Quotidie officium divinum post completorium deponimus mediante antiphona mariali: Salve Regina, Alma Redemptoris, Ave Regina caelorum, Regina caeli, in manus Dominae nostrae et reginae mundi ut fragile nostrum officium Filio suo tradat. Accedit officium de Beata in quocumque sabbato libero.

His de cultu mariano liturgico dictis verba sequentia saltem iuxta sensum inserenda essent iuxta humilem meam sententiam in art. 55 schematis: « Ecclesia B. Mariam Virginem praesertim culto publico et liturgico persequitur tum in sancto missae sacrificio tum in officio diurno tum in corona festorum anni liturgici ». Deinde sequuntur ea quae dicta sunt de aliis formis extraliturgicis pietatis erga Genetricem Dei.

39

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH
Episcopus Oenipontanus

In capite de B. Maria V. multa bene edicuntur, sed aliqua magis ex Scriptura Sacra vel ex traditione antiqua proponenda essent. Saepius enim em.mus card. Bea id enuntiavit, traditionem antiquam praeferendam esse. Quo modo simul servitur spiritui oecumenico, non quasi ex spiritu oecumenico veritas tacenda esset — quod falsum est —, sed quia spiritus oecume-

nicus conceptus praefert, qui ab omnibus facilius intelleguntur et admittuntur. Ad singula:

Ad textum pag. 201, linn. 1-21. Hic textus tacet de circumstantiis biblicis, quae apud Marcum 3, 31-35 narrantur. Quare inde a linn. 6-21 dicendum potius esset: « In decursu praedicationis eius B. Virgo aliquo modo a Filio separata apparet et verba audivit, quibus Christus Dominus omnes, qui verbum Dei audiunt et custodiunt, beatos praedicavit, immo dixit: " Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est " (*Mc.* 3, 35). Quare etiam B. Virgo in peregrinatione fidei invenitur, quam fideliter sustinuit usque ad crucem, ubi non sine divino consilio stetit et sic vere mater fidei omnium nostrum effecta est (*Rom.* 4, 11), quia et ipsa in fide illa nos praecessit, qua renascimur et sumus filii Dei ». Cetera necessaria non sunt, quia pag. 202, linn. 23-30 resumuntur.

Ad pag. 201, linn. 35-38. Loco longioris textus melius diceretur breviter: « In qua gloria caelesti munus suum maternum pro nobis intercedendo indesinenter continuat ».

Textus schematis haec verba habet: « ut plene conformaretur Filio suo ». Quod possibile non est. Creatura, etsi dignissima, non potest plene conformari Personae Divinae.

Ad textum pag. 202, linn. 18-31. Lin. 23 melius dicendum esset: Quod munus, scl. ancillae Domini generose implevit et hanc ob causam mater nobis in ordine gratiae exstitit. « Generosa socia » magis vitetur, quia non est verbum biblicum nec patristicum et quasi cooperationem ex aequo, saltem sine ulteriore explicatione insinuat.

Ad pag. 203, linn. 4-8. Ex testimoniis S. Ambrosii, S. Chrysostomi (cf. schema *de Ecclesia,* pag. 214) praeterea Concilii Florentini et Tridentini constat, Christum solum nos redemisse. Florentinum declarat: « Firmiter credit, profitetur et docet, neminem unquam ex viro feminaque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Iesu Christi Domini nostri: qui sine peccato conceptus, natus et mortuus humani generis hostem peccata nostra delendo solus sua morte prostravit et regni caelestis introitum... reseravit » (DENZ. 711).

Tridentinum docet: « Si quis hoc Adae peccatum... vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio, redemptio, ... anathema sit » (DENZ. 790). Et iterum Tridentinum, ubi de veneratione sanctorum agitur, dicit: « ... qui (scil. Iesus Christus) solus noster redemptor et salvator est » (DENZ. 984). Ergo duo Concilia solemniter docent, Christum solum nos redemisse, tamquam unicus mediator, Scriptura autem idem docet. *1 Tim.* 2, 5: « Unus enim est Deus, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus... ». Confer *Acta Apostolorum* 4, 11b-12: « et non est in alio aliqua salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat non salvos fieri ».

Ergo et S. Scriptura et S. Concilia unicum tantum mediatorem norunt nec aliquid de mediatore secundario docent, unde valde melius esse videtur, verbum mediatoris uni Christo reservare. Summus etiam Pontifex Pius XII in colloquio cum P. Leiber doctrinam de mediatrice designavit tamquam immaturam.

Unde propono, ut textus pag. 203, linn. 4 s. sic sonet: « Propterea B. Maria V. in Ecclesia multis titulis condecorari consuevit. Qui tamen ita intelligendi sunt, ut dignitati et efficacitati Christi Domini unius mediatoris nihil derogetur nec superaddatur ».

Ad pag. 205, lin. 42. Tota theologia, praedicatio, cultus B. Mariae Virginis fiat semper in spiritu oecumenico respectu habito Ecclesiarum orientalium. Theologia autem conclusionistica orientalibus aliena est. Quodsi non consideratur, posset de improviso etiam in hoc campo separatio inter orientales et nos fieri. Huius rei momentum pastorale etiam pro nobis: Sacerdos religiosus, qui curam studentium catholicorum gerit, mihi declaravit, studentes ei dixisse: Mariologia, sicut vos eam declaratis, nobis nihil prodest. Theologiam privilegiorum non amamus. Mariologia autem biblica, in qua B. M. V. vere ut homo in difficultatibus vitae, quas in fide superat, ostenditur, multum nobis daret. Pro hac imagine B. Mariae Virginis veneratio nostra maxime excitaretur ».

Ad quod addendum est aspectus oecumenicus: Ioannes XXIII et Summus noster Pontifex Paulus VI toto corde desiderant, ut ecclesiae separatae iterum nobis coniungantur. Contra quod Mariologia, si non via media procedit, grave obstaculum est. Cf. verba em.mi card. Bea. Cf. etiam quoad orthodoxos Ioannes Meyendorff, *Die orthodoxe Kirche gestern und heute,* pp. 222-224, ubi difficultates orthodoxorum contra Mariologiam catholicam modernam indicantur. Si ergo per Mariologiam, quae via media procedit, reditus ecclesiarum separatarum possibilis fieret et toties decies centena millia hominum, i. e. protestantes, Ave Maria recitarent, deinde B. Mariae Virgini multum maior honos de novo tribueretur, quam si per novum titulum difficultates contra hunc reditum excitarentur et multa et fere infinita labia hominum de laude Virginis tacerent.

Quare quae dicta sunt ut in veram laudem B. Mariae Virginis et Mediatoris nostri Iesu Christi evadant, exopto.

40

Exc.mus P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

I. Unicus titulus qui ab omnibus acceptabitur, *unicus,* pro capitulo de B. Maria Virgine est: *Maria Mater Iesu,* vel de Maria Matre Iesu.

Ab omnibus acceptabitur, sive catholicis, sive protestantibus, sive orthodoxos, necnon ab eis qui fidem christianam non habent, sicut et ab eis qui nullam habent fidem. Quia est *unicus titulus historicus,* contra quem

nemo quidquam dicere potest; et insuper *ex hoc titulo defluunt omnia,* quae de B. M. V. cap. VII *de Ecclesia,* egregie docet.

II. Incisum illud « A Filio suo *sublimiore modo redempta* » omnino demi oportet. Quia:

a) 1. Sententia quaedam theologica valde probabilis exsistit, quae docet Mariam nunquam revera redemptam esse nec redimi oportuisse. Etsi ex prudentia palam loqui devitant, assertores huius sententiae eam ut certam sustinent.

2. Nullus christianus, nisi theologice instructi, redemptionem praeviam agnoscunt, ne quidem de ea cogitant. Sentiunt, Mariam ex sese, id est ex praedestinatione sua immaculate conceptam esse. Nos ipsi, Patres conciliares, ita sentiebamus antequam de redemptione praevia instructi fuissemus.

3. Redemptio praevia fuit adminiculum ad evitandam persecutionem Inquisitionis, ad ostendendam sententiam illam sub lumine rationis theologicae. In Bulla *Ineffabilis Deus* inseritur quidem ad explicandum theologice, Immaculatam Conceptionem non adversari dogmati de peccato originali ab omnibus contracto, non autem ut doctrinam fidei. Certe, praevisis meritis Christi, non propter vel ex seipsa, sed propter Christum, seu propter unionem intimam cum Christo Maria non contraxit culpam originalem. Sed ex hoc non sequitur necessario redemptio praeventiva.

4. Ipsa Ecclesia ea omnia, quae de Christo praedicantur, de Maria etiam praedicat: « Ab initio creata sum et ex antiquo... » et alia. Quae clare demonstrant Ecclesiam ponere Mariam *in initio* creaturarum, *non post Adam et Hevam,* etsi tempore Maria post Hevam creata est.

5. In Ecclesia orientali, a qua nobis doctrina Immaculatae Conceptionis venit, nunquam de redemptione praeventiva locutio fuit, nec est; sed simpliciter, ex positione Mariae in oeconomia salutis, Conceptionem immaculatam praedicaverunt.

b) Nec est necessarium quidquam dicere de *modo,* quo Maria Virgo a culpa originali illaesa evadit. Sufficit dicere: « Praevisis meritis Christi immaculate concepta, Filioque suo arcto et indissolubili vinculo unita... » etc.

41

EXC.MUS P. D. IOSEPH SCHOISWOHL

Episcopus Graecensis-Seccoviensis

Ad demonstrandam legitimitatem tituli « interceditrix » potius quam « mediatrix ».

Orationes de festis Beatae Mariae Virginis secundum Missalem Romanum.

In Conceptione Immaculata Beatae Mariae Virginis (8 dec.): Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum prae-

parasti: quaesumus; ut, qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum.

Sancta Maria in Sabbato, a Nativitate Domini usque ad Purificationem: Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate fecunda, humano generi praemia praestitisti: tribue, quaesumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit.

In Apparitione Beatae Mariae Virginis Immaculatae (11 febr.): Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: supplices a te quaesumus; ut, eiusdem Virginis Apparitionem celebrantes, salutem mentis et corporis consequamur. Per eundem Dominum.

In Annuntiatione B. M. V. (25 mart.); Maternitas B. M. V. (11 oct.); Sancta Maria in Sabbato, ab Adventu usque ad Nativitatem Domini: Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis; ut, qui vere eam Genetricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuvemur. Per eundem Dominum.

Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis (Feria VI post Dominicam Passionis): Deus, in cuius passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut, qui transfixionem eius et passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter astantium intercedentibus, passionis tuae effectum felicem consequamur: Qui vivis et regnas.

Beatae Mariae Virginis Reginae (31 maii): Concede nobis, quaesumus, Domine; ut, qui sollemnitatem beatae Mariae Virginis Reginae nostrae celebramus; eius muniti praesidio, pacem in praesenti et gloriam in futuro consequi mereamur. Per Dominum nostrum.

In Visitatione Beatae Mariae Virginis (2 iul.): Famulis tuis, quaesumus, Domine, caelestis gratiae munus impertire: ut, quibus beatae Virginis partus exstitit salutis exordium; Visitationis eius votiva sollemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum.

In Commemoratione Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo (16 iul.): Deus, qui beatissimae semper Virginis et Genetricis tuae Mariae singulari titulo Carmeli ordinem decorasti: concede propitius; ut, cuius hodie Commemorationem sollemni celebramus officio, eius muniti praesidiis, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur: Qui vivis et regnas.

In Dedicatione Sanctae Mariae ad Nives (5 aug.); Commune Festorum B. M. V.; Sancta Maria in Sabbato, a Purificatione usque ad Adventum: Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et, gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Dominum nostrum.

In Assumptione Beatae Mariae Virginis (15 aug.): Omnipotens sempi-

terne Deus, qui Immaculatam Virginem Mariam, Filii tui genetricem, corpore et anima ad caelestem gloriam assumpsisti: concede, quaesumus; ut, ad superna semper intenti, ipsius gloriae mereamur esse consortes. Per eundem Dominum.

Festum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis (22 aug.): Omnipotens sempiterne Deus, qui in Corde beatae Mariae Virginis dignum Spiritus Sancti habitaculum praeparasti: concede propitius; ut eiusdem immaculati Cordis festivitatem devota mente recolentes, secundum cor tuum vivere valeamus. Per Dominum... in unitate eiusdem Spiritus Sancti.

In Nativitate Beatae Mariae Virginis (8 sept.): Famulis tuis, quaesumus, Domine, caelestis gratiae munus impertire: ut, quibus beatae Virginis partus exstitit salutis exordium; Nativitatis eius votiva sollemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum.

Sanctissimi Nominis Mariae (12 sept.): Concede, quaesumus, omnipotens Deus: ut fideles tui, qui sub sanctissimae Virginis Mariae Nomine et protectione laetantur; eius pia intercessione a cunctis malis liberentur in terris, et ad gaudia aeterna pervenire mereantur in caelis. Per Dominum nostrum.

Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis (15 sept.): Deus, in cuius passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut, qui dolores eius venerando recolimus, passionis tuae effectum felicem consequamur: Qui vivis et regnas.

Beatae Mariae Virginis de Mercede (24 sept.): Deus, qui per gloriosissimam Filii tui Matrem, ad liberandos Christi fideles a potestate paganorum, nova Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es: praesta, quaesumus; ut, quam pie veneramur tanti operis institutricem, eius pariter meritis et intercessione, a peccatis omnibus et captivitate daemonis liberemur. Per eundem Dominum.

Sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis (7 oct.): Deus, cuius Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia comparavit: concede, quaesumus; ut, haec mysteria sacratissimo beatae Mariae Virginis Rosario recolentes, et imitemur, quod continent, et quod promittunt, assequamur. Per eundem Dominum.

In Praesentatione Beatae Mariae Virginis (21 nov.): Deus, qui beatam Mariam semper Virginem, Spiritus Sancti habitaculum, hodierna die in templo praesentare voluisti: praesta, quaesumus; ut, eius intercessione, in templo gloriae tuae praesentari mereamur. Per Dominum... in unitate eiusdem.

42

EXC.MUS P. D. BENIAMINUS SOCCHE

Episcopus Regiensis in Aemilia

Circa significationem ecclesiotypicam et Mediatricem. S. Ioannes, accurata intentione, de B. Matre Dei duobus vicibus in suo Evangelio loquitur, in initio et in fine Evangelizationis: in nuptiis in Cana Galileae, ubi dicit: « *Hoc fecit initium signorum Iesus...* » a quo « *crediderunt in eum discipuli eius* » (*Io.* 2, 11); et cum Iesus de cruce ait: « *Mulier, ecce filius tuus* » (*Io.* 19, 26).

In his maximi momenti locis nobis ostendere vult apostolus Maternitatem spiritualem ad nos et Matris mediationem inter Iesum et nos.

Certe interventio Matris Dei in nuptiis in Cana Galileae cum ait: « *Vinum non habent* » vere efficax fuit apud Iesum, qui antea dixerat: « *Nondum venit hora mea* ».

Et cum venit hora « *sciens Iesus quia venit hora eius* » (*Io.* 13, 1), de cruce vocat Matrem ad horam eius, seu ad horam Redemptionis.

Et in omnibus his vicibus Iesum Matrem suam « *Mulierem* » vocat.

Primus et novissimus liber S. Scripturae (*Gen.* 3, 15; *Apoc.* 12) in eadem mulieris visione consentiunt.

« *Inimicitias ponam inter te et mulierem* (gunaikà); *inter semen tuum et semen illius* (sperma autès) » (*Gen.* 3, 15).

« *Et iratus est draco in mulierem* (epì tè gunaikì) *et abiit facere proelium cum reliquis de semine eius* (tou spermatos autès) *qui custodiunt mandata Dei et habent testimonium Iesu Christi* » (*Apoc.* 12, 17).

In Protoevangelio habentur Deus, mulier et satan. In Apocalypsi habentur Christus, mulier et satan. Parallelismus plane consonat.

Eadem verba in Protoevangelio et Apocalypsi: « *semen mulieris* ».

Maxime prorsus mirabile est, venerabiles Patres conciliares, quod christiani qui custodiunt mandata Dei et habent testimonium Iesu Christi, vocati sint *semen mulieris* (sperma gunaikòs).

Hoc verbum (gunè) mulier, magnum mysterium continet.

In Protoevangelio, in nuptiis in Cana Galileae, in Calvario, in Apocalypsi de qua muliere agitur? De Ecclesia? De populo Dei? De Beata typo Ecclesiae? Utique, certe etiam de Ecclesia.

S. Pius X ait: « Nemo non scit mulierem Apocalypsis B. Virginem esse » (*Ad diem illum*).

Non obliviendum est Ioannem cum B. Matre Dei habitasse et illi a Iesu Matrem esse commendatam. Unde in ore Ioannis verbum « mulier » (gunè), per octo vices in Apocalypsi repetitum, magni momenti mysterium est, quod nullus aliorum Evangelistarum dixit, quia « mulierem » Protoevangelii adumbrat.

In Apocalypsi (12, 15) dictum est: « Et peperit Filium masculum, qui

recturus erat omnes gentes ». Secundum significationem ecclesiologicam Iesus Christus Ecclesiae filius esset.

Sed etiam in hoc recurrendum est ad lucem totius traditionis, ad investigationes theologicas et ad magisterium vivum Ecclesiae, seu ad documenta Summorum Pontificum qui maxime a Pio IX usque ad Paulum VI gloriose regnantem et ad Liturgiam quae inserit caput XII Apocalypsis in Missis B. Mariae Virginis. Lex orandi est lex credendi.

In Bulla Pii IX *Ineffabilis Deus* dicitur: Ipsissima verba quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit (Ecclesia) tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto in divinae Sapientiae Incarnatione fuerunt praestituta ».

Ait S. Laurentius a Brundisio, doctor Ecclesiae: « Ante omnia, S. Scripturae nobis revelant de prima muliere quod similis primo homini creata fuit. Sic B. Virgo Maria similis Christo est » (*Mariale,* vol. 2°, p. 33).

Cum de B. Virgine loquimur, nunquam a Iesu Filio suo disiungenda est, quia omnia eius privilegia ex hoc procedunt: Matrem Dei eam esse.

Omousios Concilii Nicaeni et *Theotocos* Concilii Ephesini hoc nobis dicunt.

Iesus Christus Dominus Noster ad nos pervenit per Mariam, cuius consensum per angelum petivit.

Pastores, Magi « invenerunt puerum cum Maria Matre eius » (*Mt.* 2, 11).

S. Pius X ait: « Filius non invenitur nisi cum Maria Matre eius » (*Ad diem illum*).

A Pio XII, B. Virgo vocatur: « Socia Redemptoris - generosa Redemptoris socia - alma Redemptoris socia - socia in divinae Redemptionis opere ».

Nunc parvi ducere Illam quam Deus sibi in opere Redemptionis sociavit, idem est ac parvi ducere Voluntatem Dei.

Unde si adest quaedam spiritualitas quae Matris Dei privilegia non aestimet, catholica prorsus nunquam erit.

Locus B. Virginis in Corpore mystico est sicut collum, quia per eam D. N. Iesus Christus, caput, suo corpori unitur.

Pius XII cum Aligherio dicit: « Quisquis egens opis, non ad Mariam recurrat, nullo is alarum remigio volare conetur » (1940).

Cum dictum sit Mariam creaturam esse, de cetero de Maria nunquam satis. In antiquitate christiana Beata solet nuncupari nova Heva ex parallelismo inter Mariam et Hevam.

Post Concilium Ephesinum titulus *mesites,* Mediatricis, Mariae attribuitur. Certe ante saeculum octavum Maria caeli et terrae Mediatrix vocatur ab Ecclesia graeca.

In saeculo decimo occurrit titulus « Redemptrix »: *Sancta Redemptrix mundi, ora pro nobis.*

B. Virgo fautrix est unitatis et pacis christianae.

Iam vidimus quam maximum locum teneat Beata Virgo in Liturgiis Orien-

talibus. Certe doctrina Mediationis Beatae apud D. N. Iesum Christum si ab hoc Concilio esset confirmata, maxime influeret in animos orientalium.

Sed etiam summopere opem B. Virginis rogamus, ut pestem materialismi palam vel in occulto, cum omnibus suis conatibus in dies fortioribus, semper magis mundum invadentem, Ipsa prorsus destruat et in infernum detrudat.

43

Exc.mus P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ

Episcopus Auriensis

De mediatione V. M. Virginis vellem loqui, et primum quidem de nomine postea vero de re.

Circa nomen liceat mihi dicere, non debemus nos nimis sollicitos esse. Nec adeo leves putandi sunt fratres separati aut contrarii, quod si res bene proponatur et ostendatur validis argumentis, non ad ea admittenda sint dispositi. Fere iniuria illis infertur, quasi intenti sint in verbis tantum, et non in re.

Ceterum, si ad spiritum oecumenicum nos convertimus ne parvipendatur scandalum fidelium catholicorum, postquam noverint verbum « mediatrix » disparuisse a schemate, quo titulo Virginem devote colunt.

Sed ad rem ipsam veniamus. Puto humiliter hanc doctrinam ita posse declarari, quod nullo modo minuat, immo, neque efficiat unicam mediationem Christi, et in revelatione plene fundatam esse credo.

Scimus nos esse redemptos Sacrificio Christi. In sacrificio considerare licet, sacerdotem, victimam et offerentem, qui omnes ad sacrificium active conferunt, unusquisque in suo gradu et ordine. Christus est sacerdos et victima, ut omnes norunt, B. Virgo Maria est offerens insignis. Satisfactio et meritum sacrificale est tantum in victima, nempe in Christo, et in hoc ordine Ipse est Mediator Unicus, ex quo ut unica victima omnes, etiam B. V. Maria satisfactionem et merita mutuantur.

B. Mariam Virginem esse offerentem insignem facile patet. Ipsa enim conscie et libere se ipsam obtulit Deo, ut in suo sinu et e suo sanguine Verbum fierit homo, sacerdos, victima et eo ipso sacrificium redemptionis inciperet. Maior et intimior cooperatio ad sacrificium ut offerens concipi non potest. In eadem linea B. Virgo Maria pergit usque ad consummationem Sacrificii, maxime vero ad Crucem stans, doloribus transfixa, filium suum ut offerens Deo tradens. Ex hoc facto consequitur:

A) Quod B. Virgo active et positive confert ad ipsum opus redemptionem, quin tamen ipsa sacrificaliter satisfaciat vel mereatur satisfactionibus vel meritis cumulandis ad satisfactiones et merita Christi.

B) Tamen ipsa debet participare specialissimo modo de redemptione Christi, quia ipsa ad sacrificium ut offerens singularem opem praestitit sacrificio redemptivo.

C) Quia ad sacrificium redemptivum seu fontale cooperavit, ut offerens insignis, in toto opere salvifico, quod ex illo pendet, partem aliquam habere debet.

D) Christus factus est novus Adam, ut homo in sinu Virginis generatus, seu immediate B. Virgo cooperavit ut Christus omnes homines in opere salutis repraesentaret. Inde sua cooperatio vim universalem, ad omnes homines salvandos habet in ipsa redemptione et consequenter in sanctificatione.

E) Obvie explicantur testimonia Romanorum Pontificum, quibus solidaritas B. Mariae Virginis cum Christo in Sacrificio Redemptivo indesinenter affirmatur et multum extollitur. Nam, teste Pio XII in Encyclica *Mediator Dei,* offerens debet induere affectus et dispositiones Victimae ut plenius de merito et satisfactione Victimae participet. Nam Victima aliquatenus loco offerentis est constituta. En verba Papae: « Ut autem oblatio illa, qua in hoc Sacrificio christifideles divinam victimam Caelesti Patri offerunt, plenum sortiatur effectum, aliud quoque adiungant oportet: semet ipsos nempe quasi hostiam immolent necesse est » (Enc. *Mediator Dei, A.A.S.,* 39, 1947, p. 557). Et pariter alibi.

F) Ad rem ipsam appropinquantes, distinguamus duplicem quasi stadium, ut mos est, 1. Redemptionis obiectivae; 2. Sanctificationis animarum.

Dicimus ad 1. In ipsa redemptione Christus ut victima meruit solus et satisfecit pro animabus totius mundi; B. Maria Virgo, ut offerens insignis, cooperavit ad redemptionem a Christo peractam nobis communicandam, ut Eva cooperavit ad peccatum Adami, quod tamen ut Adami nobis imputatur, non ut Evae.

Ad 2. Nobis datur in sanctificatione iustitia Christi, non Mariae; tamen Maria ad modum offerentis nos manuducit ut a Christo iustificemur et sanctificemur. Inde ope intercessionis vel mediationis Mariae gratiae conceduntur et dona, quibus sive peccatores ad paenitentiam et Sacramenta perveniunt, et iusti opera sancta patrant quibus perficiuntur et in Christum transformantur.

G) Ex quibus satis constat quomodo Christus sit mediator unicus in sensu proprio et substantiali, et B. Maria Virgo vere Mediatrix ad Christum nos ducens. Paucis verbis posset dici: Christus solus nos sanctificat, B. Maria Virgo nos manuducit ut sanctificemur a Christo. Ad Iesum per Mariam, ut aiunt pii auctores. Cum parallelismo cum stadio redemptionis: Christus redimit, B. M. Virgo ad redemptionem Christi opem tulit, quae tamen prouti est salvificans a Christo est.

Inde proponimus has emendationes. Ad pag. 203, lin. 5, quod dicatur: etiam titulo mediatricis universalis considerari consuevit, qui illi competit quia ut offerens insignis ad Sacrificium redemptivum opem contulit.

In eadem pag., post lin. 8, addatur: cum Iesus Christus sit unica victima, a qua etiam B. Virgo sanctitatem et pro seipsa et in favorem nostri mutuatur.

Ratio additionis: his verbis superadditis videtur plene auferri fundamentum timoris, ne unica Christi mediatio obscuretur, et interventus Mariae in nostra redemptione et sanctificatione solide constituitur.

44

Exc.mus P. D. ALOISIUS IOANNES TOMÉ

Episcopus Mercedensis

Infrascripti, Patres conciliares, postulant: « Ut in schemate *de Ecclesia,* in cap. nunc VIII de B. Virgine Maria, et quidem in n. 53, in paragrapho de Maria in Annuntiatione vel in sequenti de Maria et Iesu infante, *aliquomodo fiat mentio de matrimonio Mariae cum S. Ioseph* ». *Rationes aliquae*:

a) In describenda dignitate et persona B. M. V., locum certe magnum occupat sponsus ille et *vir iustus*;

b) Dogma Maternitatis Divinae B. M. V., necnon dogma de Virginitate perpetua, non potest fere exprimi quin eodem tempore exhibeatur quomodo disposuerit Deus matrimonium verum atque exceptionalem B. Ioseph;

c) Sponsus B. M. V., pater nutricius Christi Iesu, pater etiam legalis Domini nostri, non debet in absoluto silentio remanere, saltem hodierno tempore;

d) Quot consociationes familiarum, quot sponsi in nostris adiunctis et in variis « Motus familiaris christianus » egent ut eis exhibeantur exempla et ipsa missio S. Ioseph;

e) Non deerit qui, saltem paucis verbis, factum *quod est in Evangelio infantiae,* possit exprimere exhibendo simul sanctitatem, relationem intimam cum Christo Domino et cum Maria, intercessionem validissimam etc.

* * *

Infrascripti, Patres conciliares, enixe postulant ut praesens caput de B. V. M., loco numeri octavi quem hucusque meritus est (vel obtinuit) in toto schemate *de Ecclesia; occupet secundum locum* ut *cap. II* eiusdem schematis.

Quod, ut patet, sollicitamus habita ratione dignitatis B. M. Virginis; 2. quia non obstat sed potius prodest logicae praesentationi totius schematis *de Ecclesia*; 3. quia sic magis consonat conceptibus expressis verbis eiusdem capitis, initio n. 48, a lin. 9, ubi legimus: « Quod salutis divinum mysterium nobis revelatur et continuatur in Ecclesia, quam Dominus ut corpus suum constituit, et in quo fideles Christum Caput adorantes atque cum omnibus sanctis eius communicantes, memoriam venerentur oportet » in primis etc.

* * *

Infrascripti, Patres conciliares, pro redactione et approbatione definitiva capitis de B. V. M. in schemate *de Ecclesia,* enixe postulant:

A) Ut in pag. 205, sub n. 55, lin. 34, *supprimantur verba*: « Ut ab omni falsa superlatione et a nimia mentis angustia, in singulari Deiparae dignitate consideranda sedulo abstineant »; et in pag. 206, a lin. 2, *supprimantur verba* « quae B. Virginem nullatenus Filio suo aequalem ».

B) *Tota paragraphus,* a pag. 205, lin. 24, sic enuntietur: « Theologos autem, verbique divini praecones enixe exhortantur ut in singulari Deiparae dignitate consideranda, studium Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum Ecclesiaeque Doctorum sub ductu Magisterii excolant, atque recte illustrent munera et privilegia Beatae Virginis, quae semper Christum spectant, totius veritatis, sanctitatis et pietatis originem. Propterea, talia adhibeant verba in proponenda veritate, ut Virginem et Matrem (vel *B. Virginem*), Deo sic volente, Filio suo inter omnes Sanctos simillimam praedicent, nunquam sane aequalem. Sedulo arceant... etc. ».

* * *

Infrascripti, Patres conciliares, postulant ut in schemate *de Ecclesia,* in cap. VIII: *de Beata Maria Virgine,* in pag. 203, sub n. 54, linn. 27 ss., ubi legitur: « Credens enim et oboediens, ipsum Filium Patris in terris genuit, et quidem viri nesciam, Spiritu Sancto obumbrata, tanquam nova Heva, non serpenti antiquo, sed Dei nuntio praestans fidem nullo dubio adulteratam », *dicatur sane idem, sed modo sequenti*: « Credens enim et oboediens, ipsum Filium Patris in terris genuit, et quidem viri nesciam, Spiritu Sancto abumbr*ata; et* tanquam nova Heva, non serpenti antiquo, sed Dei nuntio prae*stat* fidem, nullo dubio adulteratam ». *Ratio,* ut videtur: quia comparatio et contrappositio Hevae cum Maria hic saltem, non proprie circa virginitatem ambarum — scilicet B. M. V. et Hevae — sed potius ad diversam oboedientiam et fidem dicunt relationem.

[*Subscripserunt etiam*] Franciscus Vicentin, arch. Corrientensis; Artemius Prati, ep. Carpensis; Ferdinandus Longinotti, ep. S. Severini; Angelus Zambarbieri, ep. Guastalla; Cornelius Chizzini, ep. tit. Aegaeus.

45

Exc.mus P. D. ADOLFUS SERVANDUS TORTOLO
Archiepiscopus Paranensis

Circa cap. VIII istius schematis haec exprimere audeo:

I. Textus explicite adfirmare deberet *maternitatem spiritualem* B.mae Virginis Mariae erga regeneratos in Christo. Si, testante S. Paulo, connati sumus cum Christo, prius cum Christo congeniti sumus ab illa, — etsi diverso ordine.

Proinde, Maternitas Spiritualis Mariae — et non solum *Maria, Mater nostra* — expressis verbis asserenda est, utpote cum divina electione, eius maternitas est factum princeps in vocatione christiana.

Sed, si est *Mater* est etiam *educatrix.* Ex materno suo officio, arcano sed efficaci modo, ad perfectam conformationem cum Christo nos perducit. Immo vero, omnis sua actualis actio erga homines exules ad hoc tendit.

II. Si *Mediatrix* est — quod indubitanter doctrina certissima est — nullo modo Sacra Synodus agens et tractans de *Maria,* hoc privilegium silere potest. Suum permanens munus in Patria relate ad nos, suum nunc vivere pro nobis, nullo meliori modo exprimere potest quam per verbum *Mediatrix.*

Dictum fuit in hac Aula quod laici non intelligunt — vel non intelligent — hanc praerogativam. Coram Domino sincere fateor quod non solum in mea Natione, sed etiam nuperrime hic in Europa, ex pluribus laicis accepi vota ut veritas de *Maria Mediatrice* solemni modo in hac Synodo proclamaretur.

Mirum est quod circa hanc marialem praerogativam invocetur quod labor theologorum ad plenam elucidationem non pervenerit. Sed mirabilius est quod idem criterium non applicetur ad caput tertium istius schematis, in quo plura tractantur et categorice adfirmantur quae adhuc profundiori studio indigent.

IV. Subscribo ea omnia quae dicuntur de vero cultu mariano. Sed humillime fateor quod si aliquando cultus marianus minus recte exprimitur, non *Matri* nec fidelibus, sed certissime nobis adiudicanda est culpa.

V. Quod de mutato titulo capituli dictum fuit ab episcopo Hervas, nullo modo praetereundum est. Novus titulus quasi furtive introductus fuit.

Novus titulus mihi revera non displicet; sed quod vere displicet est quod nunquam in textu nominetur *Maria, Mater Ecclesiae,* quod expresse in votis habuit Summus Pontifex, et plures ex nobis Patres. Si Mater Christi, Mater totius Christi, Mater Corporis Christi quod est Ecclesia.

VI. Tandem ex toto corde adhaereo ad ea quae em.mus card. Wyszyński circa consecrationem SS. Cordi B. Mariae Virginis ab omnibus episcopis cum Romano Pontifice hic faciendam.

46

Rev.mus P. D. RAIMUNDUS TSCHUDY

Abbas nullius Einsiedlensis

Considerato praesertim fine pastorali et oecumenico huius Concilii relate ad cap. VIII schematis constitutionis *de Ecclesia* humiliter quae sequuntur propono: 1. ut omittatur titulus « Mediatrix »; 2. ut evitetur titulus « Mater Ecclesiae »; 3. ut horum loco adhibeatur titulus « Mater credentium » (vel « Mater fidelium »).

Rationes pro 1:

a) Non videtur conveniens, ut Concilium adhibeat terminum, de cuius sensu accuratiore in doctrina catholica neque claritas neque unanimitas habetur. De facto neque Patres conciliares neque theologi catholici de sensu termini « Mediatrix » consentiunt.

b) Concilium in doctrina proponenda uti deberet terminis, quorum sensus accuratus fidelibus catholicis facile explicari potest. Hoc autem non valet de termino « Mediatrix ». Nam pluribus distinctionibus vel explicationibus a populo difficile intelligendis opus est, ne fideles titulum « Mediatrix » aliquo sensu accipiant, qui doctrinae Novi Testamenti de unico mediatore Iesu Christo contradicit.

c) Usus tituli « Mediatrix » non videtur correspondere intentioni oecumenicae Concilii, secundum quam sacra Synodus doctrinam catholicam ita proponere debet, ut fratres seiuncti eius veritatem facilius intelligant et invitentur ad corrigendas proprias ideas. Usus vero tituli « Mediatrix » hoc praecise non obtinet, sed e contra efficit, ut non-catholici firmius adhuc propriis ideis adhaereant. Nam necessario fratribus separatis etiam optime dispositis titulus « Mediatrix », praesertim si fusae explicationes non praebentur, contradicere videtur doctrinae clarae Novi Testamenti de unico Mediatore Iesu Christo.

d) Veritas in titulo « Mediatrix » contenta et ab omnibus catholicis admissa aliis modis exprimi potest ita, ut facile a fidelibus catholicis recte intelligatur et facilius fratribus seiunctis ut Sacrae Scripturae consona appareat.

Rationes pro 2:

a) Titulus « Mater Ecclesiae » a populo catholico hucusque vix adhibebatur, et non videtur adesse ratio sufficiens introducendi talem titulum auctoritate Concilii.

b) Facile confusio idearum tum apud fideles catholicos tum apud fratres seiunctos oriretur, si ex una parte Ecclesia « Mater nostra » appellatur (quod omnino correspondet modo loquendi Sacrae Scripturae et traditionis) et ex altera parte Maria Mater Ecclesiae, i. e. Mater Matris nostrae diceretur.

c) Similis difficultas ex eo oriretur, si ex una parte Maria dicitur Filia Ecclesiae (quod tum Sacrae Scripturae tum dictis Patrum correspondet, cum Maria sit membrum nobilissimum populi Dei) et ex altera parte haec Filia Ecclesiae simul appellaretur Mater eiusdem Ecclesiae.

d) Terminus « Mater Ecclesiae » non videtur correspondere intentioni constitutionis *de Ecclesia,* quia Maria hoc titulo potius ab Ecclesia removetur et ei quasi opponitur, dum constitutio intendit Mariam exhibere ut excellentissimum membrum populi Dei.

e) Pro dialogo oecumenico necessarium est, ut Concilium quam maxime innitatur doctrina Sacrae Scripturae et traditionis patristicae. Pro titulo « Mater Ecclesiae » autem vix sufficiens fundamentum biblicum et patristicum inveniri potest.

Rationes pro 3:

a) Titulus « Mater credentium » (vel « Mater fidelium »), qui omnino correspondet modo loquendi usitato in Ecclesia et Concilii ipsius, facile ab omnibus Patribus conciliaribus accipietur.

b) Hic terminus ex una parte exprimit ea, quae in titulis « Mediatrix » et « Mater Ecclesiae » certe sunt vera, ex altera parte evitat difficultates, quas illi duo tituli secumferunt.

c) Titulus « Mater credentium » optime correspondet iis, quae Sacra Scriptura de Maria Virgine enuntiat. Maria propter fidem indubitatam suam beata praedicatur (cf. *Lc.* 1, 44) et ut Virgo semper credens et fidelis in Evangeliis describitur. Eius fides in Christum Filium Dei ut germen apparet, quod paulatim crescit in aliis credentibus et evolvitur in populo Novi Foederis. Sicut fides Abraham initium fidei fuit pro omnibus verbo Dei fidentibus, quapropter « pater credentium » a S. Paulo dicitur (cf. *Rom.* 4, 11 s.), ita fides Mariae initium est fidei pro omnibus, qui Verbo Dei in Maria incarnato adhaerent, quapropter iure « Mater credentium » novi foederis vocatur. Qui titulus simul includit maternitatem spiritualem, qua Maria fidem omnium fidelium curis maternis circumdat.

d) Si titulus « Mater credentium » in cap. VIII in lumine debito ponitur, optime apparet nexus inter doctrinam mariologicam huius capitis et doctrinam ecclesiologicam totius constitutionis, cui inseritur. Nam Ecclesia in hac constitutione potissimum describitur tanquam populus Novi foederis in fide peregrinans et Ecclesia pluries explicite dicitur communitas fidei, spei et caritatis. Vocatio fidelium describitur ut vocatio ad fidem caritate perfectam. In tali contextu facile intelligitur sermonem fieri debere etiam de Matre credentium, cuius fides est principium et typus fidei omnium fidelium et cuius intercessione materna fides omnium credentium adiuvatur.

e) Titulus « Mater credentium » ab omnibus catholicis facile intelligitur. Insuper fine pastorali Concilii commendatur, cum fideles tali invocatione Mariae impellantur, ut fidem Beatae Virginis imitentur et eius intercessionem invocent, qua adiuventur, ut per fidem ad eam gloriam perducantur, ad quam Maria fide sua perfecta pervenit.

f) Cum titulus « Mater credentium » doctrinae biblicae correspondeat, facile etiam a fratribus seiunctis intelligitur et agnoscitur. Quo fiet ut ipsis aditus ad mariologiam catholicam non praecludatur, sed potius aperiatur.

Conclusio: rogo ergo, ut in dicto capite loco titulorum « Mediatrix » et « Mater Ecclesiae » adhibeatur titulus « Mater credentium » et clare in lucem ponatur.

47

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Animadversationes ad cap. VIII schematis *de Ecclesia.*

Litem in Concilio de quaestionibus marianis oriri nemini placere potest. Ut hoc vitetur, humiliter quae sequuntur propono:

Concilium B. Mariae Virgini titulum tribuat « Matris », non quidem Ecclesiae, sed « Matris fidelium ». Cuius propositionis hae sunt rationes:

1. Hic titulus in textu schematis (pag. 198, lin. 16) iam obvenit ubi sermo est de « Matre Christi et fidelium », cui textui, ni fallor, nemo oblocutus est. Insuper in toto capite saepe sermo est de fide, quam Maria usque ad crucem Christi praestitit.

2. Qui Mariam « Matrem fidelium » appellat, enuntiat, quae a propugnatoribus tituli « Mater Ecclesiae » vere intenti videntur. Maria mater est eorum, qui in Christo credentes sunt membra Ecclesiae, cuius membrum excellentissimum est Maria. Ecclesiae, inquantum est multiplicitas singulorum fidelium, Maria iure meritoque dici potest Mater. Ecclesiae autem, inquantum est communitas materna, Maria est typus, non mater. Id ergo, quod maternitatem spiritualem Mariae propugnantes exprimere volunt, titulo « Matris fidelium » exprimi videtur.

3. Mariam appellare matrem fidelium in Sacra Scriptura optime fundatur. Abraham dicitur « pater fidelium » Veteris foederis (*Rom.* 4, 11 s.). Etiam Novum Testamentum initium sumit a fide, quam cum perfecte non praestiterit Zacharias, Ioannis pater (*Lc.* 1, 20), plene exhibuit Maria verbis suis « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum » (*Lc.* 1, 38). Quapropter — beata — laudatur, « quae credidisti » (*Lc.* 1, 45), neque unquam, sicut apostoli (*Mt.* 8, 26), vituperatur « modicae fidei ». Hac fide intime nectuntur Vetus et Novum Foedus.

4. Eo, quod effertur fides Mariae, aspectus ecclesiologicus capitis mariani eiusque nexus cum toto schemate *de Ecclesia* optime elucet. Maria, quippe quae per totam suam vitam credere debuit et credidit, Ecclesiam peregrinantem confortat eiusque oculos dirigit ad visionem qua fides consummabitur.

5. Titulus « Mater fidelium » nobis nullo modo alienus est. In Litaniis Lauretanis Maria dicitur « Virgo fidelis ». Rosarium recitando statim ab initio petimus, ut Christus in nobis augeat fidem. Summus Pontifex Paulus VI feliciter regnans post peractam sessionem alteram huius sacrosanctae Synodi pluries de Beata Maria Virgine ut « Matre fidelium » locutus est. Plurimi mihi noti sunt libri, quibus titulus « Maria, Mater fidelium ».

6. Mariae Matris fidelium titulus magnum tribuet vitae religiosae et spirituali impetum, ducentem a Maria ad Christum centrum religionis nostrae. Inspicientes Mariam credentem cognoscimus modicam fidem esse peccatum, Mariam autem assumptam inspicientes cognoscimus fidem nos adducere ad consummationem in Christo.

7. Titulus « Mater fidelium » non tantum omnia continet, quae exprimere volunt ii, quae titulum « Mater Ecclesiae » propugnant, sed melius quam ille titulus a fidelibus nostris intellegetur. Praeterea non erit christianis separatis, neque orthodoxis neque ex reformatione prodeuntibus, lapis offensionis. Magni videtur esse momenti, concilium pronuntiare propositionem mariologicam, quae et nostrae pietati christologicae et mariologicae nutrimentum praebet et christianis non-catholicis aditum aperire potest ad ca-

tholicam erga Beatam Mariam Virginem devotionem melius aestimandum. Nos quidem in Concilio nostram rem agere debere certum est. Tamen res nostra agi debet non sine respectu ad alios. Alios respicere in ordine gratiae non est debilitatis signum.

Concludendo propono: ut Concilium evitet titulos et mediatricis et Matris Ecclesiae; ut commissio doctrinalis propositionem de Matre Christi et fidelium sublineare velit; ut Patres textui sic emendato unanimiter consentiant.

[*Subscripserunt etiam*] P. G. Grimm, ep. Tsinchow; Guill. Cobben, ep. Helsinki; Paul Verschuren, coad. Helsinki; Ioseph Weigl; Anton Hofmann; Carl Ioseph Leiprecht, Rottenburg; Adolf Fürstenberg, Abercorn; H. Aufderbeck; Fred. Kaiser; Heinrich Pachowiak; Emm. Könner; I. B. Przyklenk, Januaria; Leo Pietsch, ep. Narona; Is. Emanuel, Spirensis; Ioseph Schoiswohl, Graz; Ioseph Köstner, Gurk; Ioannes M. Hoeck, s. g. Congr. Bav. O.S.B.; Wilhelm Kempf, ep. Limburg; St. László, Eisenstadt; Alcides Mendoza Castro, ep. Abancaiensis; Aloisius Rodriguez P., ep. S. Crucis de Sierra; Carolus M. Jurgens, arch. Cuschensis; Ignatius Arbulú Pineda; Ioseph Buchkremer, ep. tit. Aggar, aux. Aquisgranensis; Leo Arthur Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. Strasbourg; O. Etspueler, ep. tit. Fata; Ioseph M. Reuss, ep. tit. Sinopensis, aux. Moguntinus; Gerhard Schaffran, ep. tit. Semneaensis; Jorge Kemerer, Posadas; Francis Simons, Indore; L. J. Goody, ep. Bumburiensis; L. Toohey, ep. Maitlandensis; Maurice Pourchet, ep. S. Flori; A. Reiterer, Lydenburg; Karl Gnädinger, aux. Freiburg; Iulius Angerhausen, aux. Essen; Matthias Wehr, Trier; Alfred Bengsch, Berlin; Eduard Schick, aux. Fulda; I. B. Musty, ep. aux. Namurcensis; F. W. Freking, Salinensis; Albert Sanschagrin, coad. Amosensis; Marius Maziers, aux. Lyon; Herman Schäufele, arch. Friburgensis.

48

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Ecclesiae filii unanimes B. Mariam Virginem venerantur ut matrem Domini nostri Iesu Christi per quam meruimus auctorem vitae suscipere, et semper felices sunt Deum « collaudare, benedicere et praedicare » eiusdem Virginis celsitudines celebrando. Ut Genitrix Filii Dei, Maria, tam in Scripturis quae opus nostrae salutis annuntiant aut referunt, quam in disquisitione theologica huius mysterii, locum eximium et unicum tenet: intime coniuncta est cum vero Filio viscerum suorum. Recentiores disquisitiones exegeticae, praesertim in Evangelium Ioannis et in cap. XII *Apocalypsis,* Dei genitricem monstrant non solum ut membrum dignissimum Ecclesiae Novi Testamenti, sed ut figuram, immo ut « vicariam », si fas est dicere, eiusdem Ecclesiae, in Incarnatione, ad nuntium angeli, et in opere redemptrice Domini per crucem. Propter suam divinam maternitatem a culpa originali et ab omni peccato praeservata est, et tandem in caelum assumpta.

Laude dignum est praesens schema « De B. Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae » quod omnia quae de B. Virgine praedicanda erant in clara luce ostendit. Specialiter merita textus nobis propositi extollere licet quoad sequentia puncta:

1. Exponit clare praerogativas Christi Matris, ut apparent in Scripturis, praesertim in Evangelio. et in vivis traditionibus Ecclesiae.

2. Non separat Mariam de fratribus et sororibus suis secundum carnem: Maria remanet similis nobis absque peccato; non extra Corpus mysticum Christi sistitur. Eius privilegia fructus sunt sanguinis Crucis. Fide, sicut et nos, Domino adhaesit (*Lc.* 1, 45). Immo cognitio mysteriorum quibus cooperabatur paulatim etiam in ea crevit (*Lc.* 2, 34-35; 50), dum omnia in puro corde servavit, conferens ea in mente, sicut et puer Iesus proficiebat sapientia, aetate et gratia coram Deo et hominibus (*Lc.* 2, 52).

3. Schema affirmat principium absolutum quod Paulus infallibiliter exposuit: « Unus enim est Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (*1 Tim.* 2, 5-6). Christus solus habet potestatem Mediatorem esse, quia solus est simul Deus et homo, et solus Spiritum dispensat.

4. Aliquos Patres et Romanos Pontifices secutum (cf. pag. 214 testimonia allata), schema decorat nihilominus Deigenitricem titulo « Mediatricis ». Quo sensu? Cum Maria Christo intime coniungitur et a corpore eius mystico nullatenus separatur, haec Mediatio fieri nequit nisi « in Christo », et quidem per suam piam intercessionem, ut ait Liturgia (Oratio post antiphonam *Salve, Regina*). Similis est Filio suo de quo Scriptura dicit quod sit « semper vivens ad interpellandum pro nobis » ad Patrem (*Hebr.* 7, 25; *Rom.* 8, 34; *1 Io.* 2, 1). Hoc munus Mariae iam apparet in narratione ioannica de miraculo aquae in vinum conversae in Cana Galileae, ubi primum « signum » Christi obtinuit per precationem suam, in decursu nuptiarum quae novam oeconomiam salutis figurabant. Et nos ipsi, ad imitationem Mariae, quamquam in valde minore mensura, mediatores esse possumus ad Deum, orando scilicet pro invicem, sicut Paulus frequenter adhortatur (*1 Thess.* 5, 28; *Col.* 4, 14; *Eph.* 5, 18-20). Sic intellecta, et solum sic intellecta Mediatio Mariae nullo modo fratres nostros adhuc dissidentes offendere potest. Orientales « intercessionem » seu « Deisin » Mariae saepe in iconibus figurant; ex Protestantibus, theologus nomine Asmussen, ut legitimam doctrinam Mediationis Mariae in Christo agnoscit (« Mittlerschaft in Christus »), in opere scil. cui nomen « Maria, die Mutter Gottes » (pag. 51). Praesens schema ergo grandem valorem oecumenicum habere potest.

5. Omittit schema feliciter controversias inter theologos et distinctiones mere scholasticas: haec omnia nondum matura sunt et fidelibus valde extranea. Textus ergo valorem etiam pastoralem habet.

His omnibus dictis, schema laudandum est et in sua sobrietate conservandum, quin novis additionibus aggravetur.

[*Addidit notulam P. Benoit O.P. ut complementum animadversionum:*]

In constitutione *De Ecclesia,* cap. VIII (de B.M.V.) n. 53, pag. 200, lin. 26 dicitur de Visitatione Mariae ad Elisabeth quod *praecursor in sinu matris sanctificatur.*

Quamvis ista interpretatio apud S. Thomam (III, q. 27, art. 6) et alios theologos inveniatur, secundum quam Ioannes Baptista sanctificatus fuerit a peccato antequam nasceretur, ut putant etiam de Ieremia (cf. *Ier.* 1, 5), non tamen consonat cum mente S. Lucae, ut erui potest e suo proprio modo loquendi.

Lucas enim, quando dicit aliquem « impleri Spiritu Sancto » vel quid simile, semper intendit charisma propheticum datum ad loquendum vel agendum. Facile esset ostendere hunc usum ab eo sumptum esse e loquela Veteris Testamenti (*Deut.* 34, 9; *Is.* 11, 3; *Sap.* 1, 7; *Eccli.* 39, 6; cf. *Gen.* 41, 38). Hic sufficiat in memoriam revocare locos in quibus ipse sic loquitur. In Pentecoste apostoli « repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis » (*Act.* 2, 4). Eodem modo Petrus est « repletus Spiritu Sancto » quando solemniter loquitur coram Synedrio (*Act.* 4, 8). Idem dicitur de apostolis post liberationem Petri et orationem: « repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia » (*Act.* 4, 31). Quando ergo Paulus conversus debet « impleri Spiritu Sancto » (*Act.* 9, 17), hoc referendum videtur ad missionem suam proximam apud Gentes et reges et filios Israel (*ibid.* 15), ut patet iam a principio itineris sui primi: « Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, dixit » (*Act.* 13, 9). « Plenus Spiritu Sancto » similiter dicitur Stephanus (*Act.* 7, 55), quando moriendus videt Iesum in gloria et proclamat visionem. Ipse Stephanus (*Act.* 6, 5) — sicut et Barnabas (*Act.* 11, 24) — erat « vir plenus fide et Spiritu Sancto » ad munus suum exercendum in Ecclesia.

Iam in principio Evangelii sui, Lucas dicit de Zacharia quod « repletus est Spiritu Sancto et prophetavit » ad dicendum hymnum « Benedictus » (*Act.* 1, 67). In ipsa Visitatione Elisabeth « repleta est Spiritu Sancto » ad salutandum Mariam ut Matrem Domini sui (*Lc.* 1, 41). Sensit enim infantem in gaudio exultantem in utero suo (*ibid.* 44).

Quando ergo Lucas refert verbum Angeli ad Zachariam, scil. quod « Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae » (*Lc.* 1, 15), non aliud intendit quam istud initium muneris prophetici Praecursoris adhuc in utero matris existentis. Non cogitat de « sanctificatione » a peccato.

Unde melius esset ut non introduceretur in schemate *de Ecclesia* interpretatio quam sana exegesis textus sacri non sustinet. Verba « et praecursor in sinu matris sanctificatur » in priori textu deerant; *petitur ut deleantur in textu emendato.*

49

EXC.MUS P. D. MATTHIAS WEHR
Episcopus Trevirensis

Ad art. 53 (pag. 199, lin. 40): verba « et operi » melius deleantur. *Ratio*: ex textu sacro demonstrari nequit B. Mariam V. in annuntiatione operi Christi directe se devovisse.

Ad art. 53 (pag. 200, lin. 26): deleantur verba « et praecursor in sinu

matris sanctificatur (cf. *Lc.* 1, 41-45) ». *Ratio*: ex textu allato stricte probari nequit sanctificationem praecursoris in utero matris factam esse in visitatione B. Mariae V. apud Elisabeth. Item *Lc.* 1, 15 sanctificationem internam non probat. Concilii autem non est opiniones theologorum proclamare.

Ad art. 54 (pag. 202, lin. 26): deleto verbo « offerendo » dicatur « *sistendo* » vel « *praesentando* ». *Ratio*: actio illa lege Veteris Testamenti praescripta non fuit actio sacrificalis, neque B. Maria, secundum Vetus Testamentum, sacerdotissa fuit. Quare opportunum videtur, ut adhibeatur verbum « sistere », in ipsa Vulgata adhibitum, vel « praesentare ».

[*Subscripserunt etiam*] Bernardus Stein; Carolus Schmidt.

50

EXC.MUS P. D. IOANNES WILLEBRANDS
Episcopus tit. Maurianensis

Dans les discussions conciliaires concernant le chap. VIII du schéma de la Constitution « De Ecclesia »: De beata Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae, plusieurs Eminentissimes et Excellentissimes Pères conciliaires ont mentionné l'aspect œcuménique et son importance dans la manière dont le Concile parle de la Sainte Vierge Marie, Mère de Dieu.

Il me semble que, en approfondissant la doctrine mariale de l'Eglise sur la base de l'évangile, le chapitre sur la Sainte Vierge devrait être un « challenge » (c'est-à-dire un défi) pour nos frères séparés, surtout pour les protestants, c'est-à-dire ce chapitre devrait mettre à l'épreuve leur doctrine sur la Sainte Vierge et leur attitude religieuse et les obliger à un examen de conscience sur ce point. En général les protestants ont diminué l'honneur et le culte de la Sainte Vierge et ne sont pas dans la ligne de la Sainte Ecriture et de la Tradition ancienne de l'Eglise, ils l'ont même diminué plus que leurs propres pères et docteurs comme Luther et Calvin. Le Concile, parlant de la Sainte Vierge Marie, devrait les convaincre, ou au moins les faire réfléchir sur le fait qu'ils ne sont pas fidèles à la Sainte Ecriture, dans leur doctrine et pratique mariales.

Pour arriver à ce résultat le texte conciliaire doit s'appuyer profondément sur la Bible et sur la Tradition apostolique. Pour une considération du texte actuel sous ce point de vue, je me réfère à l'intervention de Son Eminence le cardinal Bea.

Ensuite la doctrine proposée doit être claire et lucide, sans laisser d'obscurité ni de doutes, non seulement pour les catholiques mais aussi pour les frères séparés qui sont très attentifs à ce qu'enseigne l'Eglise catholique sur la Sainte Vierge. De cette constitution nous n'attendons pas de pieuses exhortations, mais un enseignement sûr. Ainsi les dogmes de l'Immaculée Conception et de l'Assomption de Marie sont clairement et nettement for-

mulés, ils font connaître la doctrine et la foi catholiques même à ceux qui ne les acceptent pas. On ne reproche pas à St. Bernard de Clairvaux, qui a tant prêché la piété mariale, de n'avoir pas accepté la doctrine de l'Immaculée Conception, parce que cette doctrine n'était pas claire à son époque.

Le schéma introduit dans le n. 54, p. 203, lig. 5, le titre « Mediatrix ». Ce titre évoque immédiatement l'article de foi sur le « Unus Mediator inter Deum et homines ». Si un texte doctrinal du Concile donne ce titre à la Sainte Vierge, il devra clairement énoncer la doctrine impliquée, pour ne pas confondre la foi des fidèles catholiques et ne pas rendre incompréhensible notre foi à nos frères séparés. Le texte proposé n'explique rien. Ce n'est point un avantage. Où allons-nous si nous avons dans une question, qui touche directement la foi, un mot du Concile qui crée plutôt des problèmes au lieu d'éclaircir le contenu de la foi?

Parmi les titres qui appartiennent au Seigneur Jésus il y en a plusieurs qu'on peut appliquer, modo analogo, aux créatures, et en particulier à la Sainte Vierge Marie; il y en a d'autres dont l'application analogique bien que compréhensible pour les théologiens, porte inévitablement le risque d'obscurcir pour les simples fidèles les grands articles de la foi, comme par ex. les titres « Christ », « Rédempteur », « Médiateur ».

Il me semble que cette doctrine de la « Mediatrix » n'est pas mûre, et que du moins ce vocable devrait être supprimé. Si Dieu veut que la doctrine de la médiation de Marie dans l'œuvre du salut soit proclamée par l'Eglise, il éclaircira le sensus fidei à ce point et la rendra claire en son temps. Pour le moment il me semble souhaitable de s'en abstenir dans cette constitution.

51

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYŁA

Archiepiscopus Cracoviensis

Cap. VIII schematis *de Ecclesia* tractat de B. Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae. Cum tamen caput illud est ultimum in schemate, doctrina in ipso contenta magis videtur iuxta-posita quam composita doctrinae totius schematis, magis apparet ut aliquod corollarium quam ut pars. Et hoc nec videtur esse iustum nec obiecto suo consonum.

Munus enim Virgini Deiparae proprium consistit in aedificando Corpore Christi mystico sicut consistebat prius in edendo Corpore eius physico. Unum nequit esse sine alio. Maria generans Filium Dei, initium dedit operibus Redemptionis et Salvationis a Filio suo peractis. Simul etiam ipsa ut Mater in actibus Filii et in operibus ab Illo peractis plenissime participavit. Nulli aliae creaturae voluntas salvifica Dei, quae in missione Filii manifestatur, tali modo fuit propinqua quam Deiparae. Unde etiam oritur relatio eius ad Ecclesiam, haec enim opera Redemptionis et Salvationis a Christo peracta

continuat in saecula — et ipsam voluntatem Dei salvificam permanenter hominibus demonstrat.

Unde locus conveniens, in quo doctrina de Virgine Deipara doctrinae de Ecclesia componatur videtur esse post primum et ante secundum caput schematis. Oportet saltem, ut ibi commemoretur, si non ex toto evolvatur. Videtur de cetero, quod munus salvificum Ecclesiae in schemate non est expressum sufficienter. Ecclesiologia schematis non videtur sufficienter soteriologica. Ex hac parte non apparet etiam sufficienter finalitas Ecclesiae: Ecclesia sicut Christus vult hominibus, immo, toto generi humano praestare salutem. Hoc est munus eius, hic est finis cui servit in mundo cuiusvis temporis. Et in hoc munere in hoc quoque servitio proximam sibi habet Ecclesia Deiparam Virginem. Oportet caput de Maria Virgine in schemate ita componere ut non solum dignitati Deiparae optime correspondeat, sed etiam Ecclesiam ipsam sub aspectu magis soteriologico nobis ostendat.

52

Exc.mus P. D. VINCENTIUS FAUSTINUS ZAZPE

Episcopus Raphaëliensis

Patres subsignantes, sequentes animadversiones circa cap. VIII: « De Beata Maria Virgine Deipara in mysterio Christi et Ecclesiae » proponunt:

Pag. 198 (linn. 5-7), ut simplificentur, ratione sobrietatis: « supereminens prorsusque singulare... spectatissimum... ».

Pag. 198 (linn. 8, 9), ut loco « filiali pietatis affectu se prosequi semper professa est » dicatur: « *Filiali pietatis affectu et fiducia prosequitur* », ut vitentur disputationes et distinctiones innecessariae.

Pag. 198 (linn. 26-31), ut omittantur haec verba, siquidem a lin. 31 seq., hoc ipsum describitur. Ex alia parte, hoc locum aptius videtur ut introducatur thema biblicum et oecumenicum circa B. M. V. filiam Sion.

Pag. 199 (linn. 23-25), ut dicatur melius: « ... Haud minor poterat esse, *revelatione praesupposita,* quam Dei Matrem... », ad vitandas consequentias aliquo modo arbitrarias.

Pag. 199 (lin. 32), ut dicatur, loco « gratia plena », « *Deo grata,* seu gratia plena », quia verba illa sensum verbi « kecharitomene » litteraliter non exprimunt. Quamvis theologus hanc deductionem facere possit, tamen, si textum biblicum citatur, sensum proprium exprimere necesse est.

Pag. 202 (lin. 7), ut loco « maternum munus », dicatur: « *Mariae autem munus erga homines...* » ut sensum verborum clarius appareant.

Pag. 202 (linn. 15-17), ut melius dicatur, iuxta formulam a S. E. R. Henríquez propositam, « *ipsamque nullo modo mediatam reddit* », loco verborum « Directam vero unionem... nullo modo impedit sed fovet ». Hoc modo, et quidem brevius, pietas christiana recte ordinatur ad vitandam confusionem quae saepissime in fidelibus invenitur; Maria etenim apparet ut mediatrix materialis, ut si Maria proxima nobis, Iesus autem longius.

Pag. 202 (linn. 18-25), ut paragraphus ita reducatur et modificetur, hoc modo: « *Beata Virgo, Ancilla Domini, angelicis verbis humiliter consentiendo, Christum concipiendo, generando, alendo,* etc. ». Sic clarius elucet sensum biblicum et harmonia cum verbis sequentibus.

Pag. 204 (lin. 17), ut omittatur verbum « intrinsecum », quia innecessarium, nam statim additur: « *In*gressa ».

Pag. 204 (linn. 23-25), melius videtur ut verba hoc modo logice ordinentur: « *Continuo progrediens in divina voluntate exquirenda et exsequenda imprimis in fide, oboedientia, caritate et patientia* ».

[*Subscripserunt etiam*] Albertus Devoto, ep. Goyanensis; Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina; Enrique A. Angeletti Carletti, ep. tit. Lystrensis.

53

PLURES PATRES CONCILIARES

I. Ego infrascriptus censeo, ut in capite de B. Maria Virgine omittatur vox « mediatricis » (in schemate *de Ecclesia,* pag. 203, linn. 4-6). *Ratio*: *a*) ex una parte in schemate bene et fuse exponitur functio B. Mariae Virginis in oeconomia salutis tum in terris tum in caelo (pag. 202-203), et ita additio vocis « mediatricis » prorsus inutilis est; *b*) ex altera parte tamen vox « mediatricis » ansam praebet aequivocationum in praxi pastorali praesertim, sub respectu oecumenico novas et superfluas creat difficultates, nimis recedit a locutione biblica, quae *soli Christo* hanc vocem adiudicat (*1 Tim.* 2, 5: *unus et mediator* Dei et hominum, homo Christus Iesus), non est traditionalis. Hisce vox in declaratione conciliari omnino vitanda est.

II. Censeo insuper in capite de B. Maria Virgine non esse addendam mentionem Virginis tanquam *matris Ecclesiae. Ratio*: *a*) Locutio est hucusque satis rara, nimis recens, non traditionalis; *b*) christifidelibus orientalibus incognita; *c*) praebet difficultates theologicas, cum Virgo sit *membrum* Ecclesiae; *d*) affert difficultates summas oecumenicas; *e*) et insuper adeo parum constat de *sensu* determinato talis locutionis, ut a Concilio adhiberi non debeat. Ansam praebet aequivocationum et susceptibilis est male intellectu, ita ut bene et recte intellegantur unaquaque vice subtiles (et in praxi pastorali christifidelibus sat difficiles captu) exigat explicationes; *f*) id quod forte veri sub hac locutione intellegi potest, quoad rem in isto capite fuse exponitur, ita ut additio praefatae locutionis praeterea inutilis est.

[*Subscripserunt*] I. B. da Mota e Albuquerque, arch. Vitoria Espirito Santo; Ioseph A. Lopez de Castro Pinto, aux. Rio de Janeiro; Ioseph Lamartine Soares, ep. tit. Fussalensis; Romeus Alberti, ep. tit. Belali; Antonius Barbosa, ep. Campi Grandis; Climerius Almeida de Andrade, ep. Victoriensis de Conquista; Ioachim De Lange, prael. Tefe; Augustus Carvalho, ep. Caruarù; Alfonsus Silveira de Mello, prael. Diamantino; Candidus Padin, aux. Rio de Janeiro; Ioseph M. Pires, ep. Aracuai; Walfridus Teixeira Vieira, ep. tit. Larandensis; Edil-

bertus Dinkelborg, ep. Oeirensis; Emmanuel Pereira da Costa, ep. Campinensis Grandis; Valdir Calheiros de Novais, aux. Fluminis Januarii; Salomâo Ferraz, ep. tit. Eleuterna; Ioseph Medeiros Delgado, arch. Fortaleza; Avilar Brandâo Vilela, arch. Teresina; Emmanuel Lisboa de Oliveira, ep. Nazarensis in Brasilia; Paulus Rolim Loureiro, ep. Mogi das Cruzes; José Casta Campos, ep. Valentinus in Brasilia; Nivaldus Monte, aux. Aracajù; Ioannes Ioseph da Mota e Albuquerque, arch. S. Ludovici in Maragnano; Aniger F. M. Melillo, ep. Piracicaba; Vincentius Scherer, arch. Portalegrensis; Edmundus Luis Kunz, aux. Portalegrensis; Claudius Colling, ep. Passofondendis; Albertus Etges, ep. S. Crucis in Brasilia; Augustus Petrò, ep. Uruguaiana; Ioannes Hoffmann, ep. Vestphalenianus; Walmor Battù Wichrowski, ep. tit. Felbes; Alfonsus Niehues, ep. tit. Eurea di Epiro; Gregorio Warmeling, ep. Joinville; Anselmus Pietrulla, ep. Tubarâo; José de Medeiros Leite, ep. Oliveira; Franciscus Austregesilo Mesquita, ep. Afogadensis de Ingázeira; Albertus Ramos, arch. Belem do Parà; Ioannes Rezende Costa, coad. Belo Horizonte; José Dantas, ep. Garanhuns; David Picao, ep. tit. Tois, coad. Santos; Milton Corrêa Pereira, aux. Belem do Parà; Stephanus Sidarouss, patr. Alessandria; Paulus Cheicko, patr. Babylonensis; Maximos IV, patr.; Augustinus card. Bea; Raphael Bidawid, ep. Amadiensis; Peter Grimm, ep. Zinceuvensis; Sandor Kovacz, ep. Szombathely; Albertus van den Hurk, ep. Medan; H. J. M. Van der Burgt, arch. Pontianak; Andreas Hamvas, ep. Csanad; Alexander Klempa, ep. Vezprimiensis; Martinus Michler, abb. null. Monserrato Fluminis Ianuarii; André Perraudin, arch. Kabgayensis; Carolus Parteli, ep. Tacuarembò; Mauritius Pourchet, ep. S. Flori.

54

PLURES PATRES CONCILIARES ARGENTINAE

Los abajo firmantes, Miembros del Episcopado Argentino, ruegan a Vuestra Excia. quiera transmitir a la Presidencia del Concilio y a las Comisiones que corresponda, su firme deseo de que en la redacción definitiva del Esquema de la Constitución *de Ecclesia,* se restituya al capítulo VIII, dedicado a la Santísima Virgen María, el primitivo título del anterior proyecto de Esquema sobre la Santísima Virgen, a saber: « *De Beata Maria Virgine, Ecclesiae Matre* ».

[*Subscripserunt*] Antonio card. Caggiano, Arzobispo de Buenos Aires; Nicolas Fasolino, Arzobispo de Santa Fé; Germiniano Esorto, Arzobispo de Bahía Blanca; Francisco Vicentin, Arzobispo de Corriente; Alejandro Schell, ob. de Lomas; Juan Carlos Aramburu, Arzobispo de Tucumán; Miguel Raspanti, Obispo de Morón; Pechuan Marin, Obispo de Cruz del Eje; Jaime de Nevares, Obispo de Neuquen; Carlos M. Cafferata, Obispo de San Luis; Francisco Muguerza, Obispo de Orán; Jorge R. Chalup. Obispo de Gualeguaychú; Manuel Marengo. Obispo de Azul; Alberto Deane, Obispo de Villa María; Italo S. di Stefano, Obispo de Presidencia Roque Saenz Peña; Ildefonso M. Sansierra, Auxiliar de San Juan; Moises Blanchoud, Obispo de Rio Cuarto; Mauricio Magliano, Obispo de Rio Gallegos; Jorge Gottau, Obispo de Añatuya; José Borgatti, Obispo de Viedma; Benito E. Rodriguez, Obispo aux. de Rosario; Manuel Menendez, Obispo de San Martín; Eugenio Peyrou, Obispo de Comodoro Rivadavia; Carlos M. Perez, Arzobispo de Salta;

Fr. Pedro Torres, Obispo de Catamarca; Andres Sapelak, Visitador Apostólico de los Católicos Ucranianos; Jorge Mayer, Obispo de Santa Rosa; Guillermo Bolatti, Arzobispo de Rosario; Ernesto Segura, Obispo aux. de Buenos Aires; Luis J. Tome, Obispo de Mercedes; Francisco J. Vennera, Obispo de San Nicolás; Adolfo Tortolo, Arzobispo de Paraná.

55
NONNULLI PATRES CONCILIARES BRASILIAE

Patres Conciliares Brasilienses nonnulli die 27 septembris anni 1964 currentis iudicium scripto rogaverunt a *Pontificio Instituto Biblico,* Romae, circa praecipuos textus ex Sacra Scriptura, qui in cap. VIII schematis *de Ecclesia* B. Mariae Virgini dicato citati inveniuntur et ipsae B. Virgini praesertim applicati.

Iudicium hoc, quod in adnexis paginis legitur, nostrum quoque et proprium facimus, atque petimus ut in emendatione praefati textus cap. VIII in omni consideratione habeatur.

João B. da Mota e Albuquerque
Arch. Victoriensis Spiritus Sancti

Animadversiones in cap. VIII (De Beata...) schematis constitutionis de Ecclesia ab aliquibus Professoribus Pontificii Instituti Biblici factae ad usum rev.morum et exc.morum DD. episcoporum Brasiliae.

Quaestiones motae sunt circa interpretationem aliquorum textuum sive Veteris sive Novi Testamenti, qui in hoc capite allati sunt ad illustrandam et stabiliendam doctrinam catholicam de B. Maria Virgine. Rogati ut iudicium de tali interpretatione, ex aspectu exegeseos christianae et scientificae, feramus, cum omni modestia proponimus haec quae sequuntur.

I. Pag. 198, lin. 26 - pag. 199, lin. 14. In tota hac paragrapho apparet infelix confusio inter res diversas, nempe 1. processum historicum divinae revelationis quo pii saltem Israëlitae successivis eorum generationibus in quandam exspectationem et imperfectam intelligentiam futurae actionis Dei pedetentim conducebantur, et 2. illam pleniorem intellegentiam totius revelationis quam post eius impletionem a Christo factam et nobis manifestatam nos christiani, a Spiritu Sancto edocti, nunc habere possumus.

A. v.: non potest ostendi ullum hominem Veteris Testamenti textus in hac alinea citatos ullo modo intellexisse vel intelligere potuisse de munere B. Virginis in oeconomia salutis.

Verum est quod scriptores inspirati Novi Testamenti aliquibus textibus Veteris Testamenti attribuunt sensum, qui licet ex ipsis solis in contextu originali deduci non possit, eis tamen vere pertinet, ex ipso usu in Novo Testamento facto. Appellari potest « sensus christianus », quia ex revelatione christiana defluit, sive quod textus iam in Vetere Testamento habet sensum typicum (vel « pleniorem », in cognitione divina et sub littera mysteriose absconditum), sive quod talis textus Veteris Testamenti novum sen-

sum, quem antea non habuerat, in Novo Testamento accepit, cum a Christo vel apostolis auctoritate divina in hoc sensu in Novo Testamento adhibitus est. Ita, Evangelista Matthaeus textus Veteris Testamenti summa libertate adhibet, et non apparet quo iure Relatio dicat (pag. 211, alinea 3ª) *Is.* 7, 14 applicari B. Virgini in *Mt.* 1, 22 s. sensu stricto. Hoc est affirmare hunc textum esse messianicum et Mariologicum sensu stricte litterali, cum Pius VI (*Ench. Bib.* 74) liberum reliquit admittere sensum litteralem vel typicum.

Ut emendationem magis specificam huius incisae proponamus, qua mutationes textus ad essentialia tantum restringantur, formulam sequentem afferemus: « Sacrae Litterae Veteris Testamenti, si, ut oportet, sub luce revelationis christianae considerantur, Librique Novi Testamenti et veneranda traditio munus Matris Salvatoris in salutis oeconomia modo magis magisque dilucido describunt et veluti conspiciendum proponunt, et quidem ab initio historiae salutis in libris Veteris Testamenti descriptae, qua Christi in mundum adventus lento gradu praeparatur, et clarius pedetentim in apricum profertur figura Mulieris, matris Redemptoris. Si primaeva documenta leguntur, qualiter in Ecclesia semper lecta sunt, B. Virgo iam adumbratur in promissione, lapsis in peccatum primis parentibus data, de victoria super serpentem (cf. *Gen.* 3, 15). Similiter, haec est Virgo quae conceptura et paritura erat Filium cuius nomen vocaretur Emmanuel (cf. *Is.* 7, 14; *Mt.* 1, 22-23; *Michea,* 5, 2-3). Ipsa praecellit », etc.

Nota: *a*) Verba lineolis subducta solum transposita sunt.
b) » linea » mutata vel adiuncta.
c) « Similiter... conceptura... vocaretur... ». Ita clarius fit hanc intellegentiam horum textuum esse christianam, nobis manifestatam tantum doctrina et operibus Christi. Si citatio fit verborum Veteris Testamenti, oportet scribere litteris italicis, « *virgo concipiet et pariet filium* »; sed tunc adhibebitur ex versione Vulgata « virgo », quae minus accurata est in reddenda voce *'alma*; cf. infra. Etiam melius forte diceretur « Similiter, haec est Mater quae... »; vel « Similiter, apparet ut Virgo quae... ».

II. Nunc ad textus individuales Veteris Testamenti.

1) *Gen.* 3, 15. Sine ullo dubio hagiographus, loquens de muliere, intendit Evam; secus exegesis non habet sensum. Expresse enuntiat pugnam inter semen mulieris et serpentem, atque innuit victoriam seminis mulieris. Nihil directe dicit de victoria mulieris, neque loquitur de futura muliere. Asseri non potest textum sensu litterali se referre ad B. Virginem. Et hic textus non citatur ut messianicus in Novo Testamento (adest simplex allusio in *Rom.* 16, 20).

2) *Is.* 7, 14. Textus non potest sensu litterali intendere Messiam proinde neque Matrem eius, nam Isaias expresse dicit inimicos Iudae victum iri, antequam puer Emmanuel ad aetatem discretionis perveniat. Quae clades post circa duos annos de facto evenit. Quaestio de brevitate temporis est

centralis in verbis prophetae, et frustra impossibilia tentata sunt ad eludendam difficultatem quae inde obest interpretationi directe messianicae. Admittendum est, maiorem partem exegetarum catholicorum hodie textum intelligere, sensu litterali, de quadam femina prophetae contemporanea.

Vox hebraica *'alma* non significat (necessario) « virginem », sed « iuvenem » tantum. Neque probari potest Septuaginta, cum vertit « parthénos », voluisse significare virginem, nam in *Gen.* 34, 3 (4) vocem *na'ara* (puella) vertit voce « parthénos », etsi expresse agitur de puella quae iam non erat virgo.

3) *Michea,* 5, 2-3. Propheta promittit futurum regem davidicum, quem « paritura pariet », et qui populum a iugo Assyriorum liberabit; ergo non loquitur in sensu litterali de Messia neque de Matre eius.

Sensus mariologicus et pulcherrimus horum textuum dicendus est aut sensus typicus aut sensus « plenior » christianus, non autem sensus stricte litteralis [dicitur « stricte », quia aliqui subsumunt sensum « pleniorem » aliquomodo sub litterali]. Secus dicendum esset Deum per saecula dedisse revelationes, immo revelationes progressivas, quae tamen a nemine (ne ab hominibus quidem per quos datae sunt) intelligebantur sive intelligi poterant.

Si textus tamen mutetur ut supra proponitur (vel simili modo), ipse conservabit textibus sic dictis mariologicis Veteris Testamenti totum splendorem quem habent in usu liturgico Ecclesiae, at simul evitabit quaestionem magis « technicam » de indole quam intra ambitum Veteris Testamenti habent. Secundum intentum Concilii (pag. 198, linn. 18-22) non est affirmandus sensus mariologicus litteralis, qui plerumque ab exegetis hodiernis catholicis dubitatur vel negatur.

III. Textus Novi Testamenti.

1) *Lc.* 1, 28. Illud Vulgatae « gratia plena » plus dicit quam *kecharitoméne.* Utique ex contextu sensus religiosus tribuendus est huic salutationi, quae per se posset esse titulus honorificus conventionalis; sed non praecise agit de gratia sensu technico theologiae scholasticae. Fere aequivalet: « Tu quae obiectum es divini favoris seu benevolentiae ». In quonam autem gradu, non specificatur. Illud « Singularis prorsus sanctitatis splendoribus » (pag. 199, linn. 29-30) est phrasis rhetorica quae bene conveniret panegyrico cuidam in honorem B. Virginis pronuntiando; num vere convenit documento gravi quale convenit esse decretum conciliare? Nonne melior prorsus sonat sobria simplicitas ipsius Verbi Dei? (Hoc et de aliis locis in hoc capite dici posset).

2) Pag. 200, lin. 26. « Praecursor in sinu matris sanctificatur ». In textu *Lc.* 1, 41-45 praecursor dicitur saltasse (vel exsultasse) prae gaudio in utero matris. Nihil prorsus dicitur de sanctificatione. Melius inverteretur clausularum ordo, ita: « ... ad visitandam Elizabeth, excipitur signo gaudii a Praecursore adhuc in sinu matris, et a cognata ob fidem suam in salutem promissam beata salutatur (cf. *Lc.* 1, 41-45) ».

3) Pag. 200, linn. 28-30. *Lc.* 2, 7. Virginitas perpetua B. Mariae Virginis est veritas pretiosa et extollenda. Sed etiam, pro honore Mariae debito, est recte concipienda, non modo crasso et nimis materialis.

a) Virginitas ut virtus christiana inhaeret animae; amittitur tantum actu voluntatis.

b) Virginitas ut status corporalis stat in non-experientia congressus sexualis. Ergo si non iam amissa est, non amittitur sola parturitione. Hoc sensu verissime dicitur Maria « virgo in partu ».

c) Virginitas *non* consistit in integritate sic dicti « sigilli corporalis », quae multis modis et incidentibus amitti potest. Haec ultima est conceptio amoralis et quasi pagana...

Deinde: S. Lucas usus est verbo *eteken,* quod significat normalem functionem matris prolem in lucem emittentis. Vix potest intelligi de quodam miraculoso transitu prolis ex utero.

4) Pag. 201, lin. 20. *Io.* 19, 27. Quod discipulus dilectus, accipiens Matrem Iesu « in sua », intellegendus sit ut symbolum, sive quorumlibet discipulorum Christi, sive totius Ecclesiae, sive etiam generis humani, potest dici probabile, ex noto stylo symbolico quarti evangelii. Sed nescio an talis doctrina fulciri possit aliis documentis traditionis.

56

CONFERENTIA EPISCOPORUM MEXICANAE PROVINCIAE

In congregatione generali Concilii Oecumenici Vaticani II, suffragationi secretae propositio haec subiiciatur:

« Utrum titulus cap. VIII constitutionis *de Ecclesia* reponendus sit prout sequitur: « De B. Maria Virgine Deipara et Ecclesiae Matre ».

Ratio humillimae petitionis haec est: multi sumus Patres conciliares qui ita filiali amore erga B. V. Mariam Matrem nostram ardenter desideramus, prout in aula multis argumentis prolatum est, et talis titulus in praecedenti schemate iam inveniebatur.

57

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Nomine conferentiae episcoporum neerlandicae relate ad cap. VIII schematis *de Ecclesia,* nempe « *de Beata* », sequentia notare velim.

Laudans progressum in nova redactione huius capitis procul dubio allatum, aliquas tamen animadversiones in favorem melioris textus definitivi proponere velim.

A) *Animadversiones generales,* fundamentum propositionis particularium emendationum.

1. Haec materia sub respectu oecumenico valde momentosa est. Quam ob rem varia in hoc capite contenta sic dicenda sunt, ut *primo* veritas catholica non teneatur sub silentio respectuoso, sed, *secundo,* sic exprimatur ut haec a christianis non-catholicis melius intelligi et reapse assimilari possit. Ex quo sequitur omnia esse vitanda quae separationem inter catholicam et non-catholicam intelligentiam B. M. V. supervacaneo modo adaugent, quaeque mutuae comprehensioni non favent ob carentiam peritiae accuratae praesertim in rebus historicis et in exegesi S. Scripturae. Ex hac animadversione generaliori sequuntur duae animadversiones generales:

a) Quamvis character biblicus figurae B. M. V. melius quam antea in luce sit proditus, in schemate aliqui tamen textus biblici de Beata adhibentur quorum immediatus sensus scripturisticus plus minusve absconditur, dum hi textus *unice* leguntur secundum sensum theologice iam elaboratum et quidem tantum secundum sensum theologiae occidentalis potius « recentioris » (i. e. inde a saec. fere XII). Quam ob rem textus scripturistici allati deberent de novo submitti aliquibus peritis in re exegetica.

b) Fere idem dicendum est de quibusdam citationibus patristicis, ex quibus facilius diruitur aliqua doctrina non in sensu genuine patristico sed posterioris theologiae magis elaboratae.

2. Demum cum exigentia rigorosa hoc schema debet remanere fidele intentioni ipsius Commissionis, expressae in « Relatione de n. 52 », in pag. 210, nempe: « Intentum Consilii est dogmata praecipua de Beata in contextu mysterii Christi et Ecclesiae proponere, ut *promoveatur intellectio profundior...* Unde ulteriores quaestiones, quae adhuc a theologis investigantur et aliquando controvertuntur, hic non dirimuntur ». Per arctam consequentiam huius principii hoc schema ad redactionem finalem potest perduci, quae consensum unanimem in exprimenda fide catholica circa B. M. V. gignere possit.

In adiumento huius redactionis definitivae sequentia particularia notare velim.

B) *Animadversiones particulares.*

1. Pag. 198, linn. 8-9: loco « Ecclesia... filiali affectu *se prosequi semper professa est* » dicatur: « prosequitur ». *Ratio* huius: durantibus primis saeculis hic affectus filialis explicite nullo modo habebatur in Ecclesia. Prout iacet, contentum textus historice non est verum et absque causa offendit sinceritatem christianorum non-catholicorum.

2. Pag. 199, lin. 32: « gratia plena ». Propter rationes scripturisticas potius dicendum est: summe « Deo grata », vel ad minus: « Summe Deo grata seu gratia plena ».

3. Pag. 200, linn. 7-8 et 17: loco « Patres asserere solebant » (linn. 7-8) et « quasi in proverbium proferre » (lin. 17) dicatur: « Patres quandoque asserunt » et deleatur « quasi in proverbium proferre », quia, licet in posteriore theologia, effatum illud possit dici prolatum esse in proverbium,

quaeritur locus patristicus in quo extra opus S. Hieronymi hoc effatum inveniatur.

4. Pag. 201, linn. 8-12: textus scripturisticus in sensu unilaterali elaboratur, dum ipse est fundamentum biblicum super quem potius sensus profundior devotionis marianae sanae fundari potest.

5. Pag. 202-203: recte dicitur in « Relationibus de singulis numeris » (pag. 214): « Ut patet, Concilium, secundum intentionem in initio capitis enuntiatam, in quaestiones intricatiores nullo modo intrat, neque verbum facit de cooperatione mediata vel immediata B. Virginis ad redemptionem obiectivam vel subiectivam, de gratia sacramentali etc., de quibus theologi agunt ». Quod quidem plaudendum est. Attamen nonne ex hac positione sequitur necessitas supremae prudentiae in adhibendis terminis praesertim « Maternitatis » (spiritualis) et « Mediatricis »? Etenim, cum variae horum titulorum significationes de facto a theologis disputentur et, ex altera parte, — et hoc quidem recte —, ipsum Concilium nolit iudicium ferre de una aliave istarum interpretationum, quaestio obstat quidnam praecise sit in mente ipsius Concilii contentum determinatum adhibitorum titulorum. Rebus sic stantibus, Concilium ansam praeberet interpretationibus arbitrariis ultra intentionem suam.

Quam ob rem: *a*) relate ad « Maternitatem » sequentia dicenda sunt: schema ex textibus affirmantibus Maternitatem divinam nimis facile transitum facit ad maternitatem spiritualem erga homines.

b) Pag. 202, linn. 18-25: dantur ibi tres causae Maternitatis Mariae erga nos: « Praedestinatio divina », « ancilla Domini » et « socia Christi ». Attamen praedestinatio semper est causa transcendens, non ponitur in numero cum causis potius intrinsecis et insuper solummodo in ipsis causis intrinsecis potest manifestari. Iamvero ut causae intrinsecae afferuntur effata « ancilla Domini » et « Socia Christi ». Transitus vero de his titulis ad titulum « Maternitatis » (spiritualis) non videtur immediate evidens vel cogens. Ergo, proponitur ut schema sileat de fundamentis Maternitatis Mariae erga nos et per consequens modo generaliori loquatur tantum v. g. de « protectione materna Beatae Mariae erga homines », demptis elucubrationibus inter theologos adhuc disceptatis. Vel potius paragraphus ille (pag. 202, lin. 18-25: « Cum itaque B. Virgo ... ob hanc causam... »), exponens munus Mariae relate ad homines in ordine gratiae, posset libellari terminis biblicis et simplicibus; proponitur proinde ut exordium huius paragraphi: « Virgo, ancilla Domini, angelicis verbis humiliter consentiendo, Christum concipiendo, generando, alendo... » et sequitur linea 26.

Et dicatur per consequens pag. 202, linn. 31-35: « Consensus quem *ancilla Domini* in Annuntiatione fideliter praebuit *operi salutis incipientis quemque* sub cruce... indesinenter perdurat. In caelis assumpta, *sollicitudinem Operis Christi, qui vult omnes homines salvos fieri* non deposuit, *sed in Dei claritate,* multiplici intercessione sua mirum in modum etc. » (lin. 38).

c) Pag. 202, linn. 15-17: loco « directam vero unionem credentes cum

Christo... nullo modo impedit sed fovet » dicatur (cum propositione iam antea factam per exc. Mgr. Henriquez, cui multi Patres consentiunt): « ipsamque nullo modo mediatam reddit ». *Ratio*: ita melius locus Christi indicatur et nullo modo innuitur Mariam esse aliquod intermedium inter Christum adhuc remotum et humanitatem, qua sola mediatione Christus primum nobis proximus fieret.

d) *Quantum ad titulum « Mediatricis »*: pag. 203, lin. 5. Titulus ille habet multiplices sensus, de cuius ipso contento determinato, prout dixi, Concilium nihil dirimere vult. Ex altera parte ipse nunc prolatus est terminus *criticus* in ipsa disceptatione theologica de munere B. Virginis erga homines in ordine gratiae. Derelinquendus videtur hic titulus disceptationi ulteriori theologicae, nec consecrandus in hoc Concilio, cum secus consecraretur aliquid sine contento determinato, quod repugnat.

Demum pag. 207, linn. 8-27. Numquid haec omnia, nimis ampla et lyrica (valde bona quidem pro pietate et devotione) verum suum locum habent in Constitutione dogmatica? Tota haec pericopa potest recte et sobrie abbreviari in honorem dignum et sincerum erga B. M. V.

CONGREGATIO GENERALIS LXXXIV

21 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS LXXXIV

21 septembris 1964

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Patres venerabiles, hac nocte piissime obiit exc.mus D. Ioseph Gawlina, arch. tit. Madytensis. Recolere hic iuvat, in memoriam tanti viri, eius ultimam orationem in hoc Concilio — etiam hodie debebat loqui — fuisse de laudibus B. Mariae Virginis, cuius oratu spem fovere licet fore, ut illum Christus Filius Dei vivi intra paradisi semper amoena virentia constituerit et inter oves suas verus ille Pastor agnoverit. Recitemus pro anima ipsius *de profundis...*

Em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant: De profundis clamavi ad te, Domine... etc.

Secretarius generalis: Commendo etiam precibus Patrum venerabilium exc.mum D. Leonem Nigris, arch. tit. Philippensem, qui gravissime decumbit.

Hodie igitur celebratur octogesima quarta congregatio generalis, quam moderatur em.mus ac rev.mus D. Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.

Durante hac congregatione, distribuetur Patribus folium continens illud additamentum schemati de cura episcoporum pastorali, de quo mentionem feci in ultima congregatione. Hic textus iam legitur in relatione. Attamen, in folio distincto distribuetur, ita ut addatur schemati quod iam Patres prae manibus habent.

Em.mus cardinalis decanus, qua praefectus Congregationis Caeremonialis, monet em.mos cardinales, ut feria IV proxima et feria VI vestes induant violaceas, cum sint Quatuor Tempora.

Feria autem IV proxima, uti notum iam factum est a Ss.mo Domino, peculiari honore celebratur apostolus S. Andreas, hic in Basilica Vaticana. Ipse Summus Pontifex deferet ad altare venerandum caput apostoli. Deinde, coram Sanctissimo, celebratur Missa ab em.mo card. archipresbytero huius Basilicae. Post celebratam Missam, habebitur, ut moris est, congregatio generalis; sed, durante hac congregatione, venerandum caput prostabit venerationi Patrum, hic in Basilica, in altari ubi nunc expositum est Evangelium.

Durante hac congregatione, uti nostis, Patres venerabiles, fient sex primae suffragationes de cap. III schematis *De Ecclesia.* Ante suffragationes tamen, habebuntur relationes quibus iam studere potuistis. Commissio theologica petiit — et moderatores annuerunt — ut legeretur primo relatio quae dicitur « altera », nempe in qua exponuntur difficultates; deinde, relatio quae dicitur « prior » in fasciculo, ubi illustratur textus. Itaque hoc ordine relationes legentur.

Dum autem suffragationes fient (ego legam suo tempore textum suffragandum), prosequetur disceptatio circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Uti patet, et dicam suo tempore etiam, suffragatio circa singula puncta fiet tantummodo per *placet* et *non placet. Placet iuxta modum* reservatur integro capiti.

Loqui igitur postulaverunt circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* em.mi ac rev.mi DD. cardd. Paulus Aemilius Léger. arch. Marianopolitanus in Canada et Carolus Confalonieri; exc.mi DD. Ioannes Nuer, ep. tit. Phatanensis in Aegypto; Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia; Agnellus Rossi, arch. Rivi Nigri in Brasilia; Rodulfus Staverman, vic. ap. Kotabaruensis in Indonesia; Ioannes Guyot, ep. Constantiniensis in Gallia; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Richardus Guilly, ep. Georgiopolitanus in Guyana Britannica; Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis in Gallia; Paulus Barrachina, ep. Oriolensis-Lucentinus in Hispania; Aemilius Guerry, arch. Cameracensis in Gallia; Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis in Gallia; Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Marius Maziers, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Heribertus Bednorz, ep. tit. Bullensium Regiorum; Michaël Miranda, arch. Mexicanus in Mexico; Ioannes Baptista Przyklenk, ep. Ianuariensis in Brasilia; Ioannes Iriarte, ep. Reconquistensis in Argentina; Villelmus Pluta, ep. tit. Leptimagnensis in Polonia; Leonidas Proaño, ep. Rivibambensis in Aequatore; Samuel Ruiz, ep. Chiapasensis in Mexico; Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum in Libano; Augustinus Lopes, ep. Portalegrensis in Lusitania; Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis in Polonia, qui loquitur nomine defuncti Iosephi Gawlina; Carolus Himmer, ep. Tornacensis in Belgio; Ioannes McEleney, ep. Kingstonensis in Jamaica.

Moderator: Incipit nunc series relationum de cap. III schematis *de Ecclesia.*

Primus referet exc.mus D. Franciscus Franić, ep. Spalatensis, et ad loquendum se praeparet em.mus D. Franciscus König, arch. Vindobonensis.

Exc.mi P. D. FRANCISCI FRANIĆ
Episcopi Spalatensis et Makarskensis

RELATIO QUAE DIFFICULTATES MOVET

Iuxta mandatum Consilii Praesidentiae Commissionis pro coordinandis laboribus Concilii et em.morum Moderatorum referam de difficultatibus principalioribus quae factae sunt in ipso Concilio a Patribus, contra quaedam substantialia puncta doctrinae Capitis huius...[1]

I. *De sacramentalitate Episcopatus*

Declaratio schematis in N. 21, pag. 62, linn. 26-38 dirimere intendit quaestionem historice complexam et obscuram quae hucusque inter theologos disputabatur: Utrum consecratio episcopalis sit ordo sacramentalis distinctus ab ordine presbyterali ideoque imprimens characterem distinctum, an potius sit extensio vel complementum ipsius presbyteratus, perficiendo characterem presbyteralem respectu Corporis mystici.

Nunc vero schema ut certam proponit primam affirmativam partem, seu doctrinam de sacramentalitate Episcopatus, inter alia asserens: « Docet Sancta Synodus episcopali consecratione plenitudinem conferri sacramenti Ordinis » (*ibid.,* linn. 32-35). Et proculdubio hanc sacramentalitatem Episcopatus cum charactere distincto maior pars theologorum, etiam thomistarum, hodie iam defendit. Ideo pauci Patres fuerunt, qui in Concilio contra hanc doctrinam locuti sunt, plane ipsam impugnando.

Cum vero hucusque manebat libertas disputandi de hac re, plures Patres postulaverunt ne definiretur et ...[2] ne declararetur sacramentalitas Episcopatus, utpote quaestio adhuc disputata inter theologos, praesertim post nova documenta inventa circa originem Episcopatus monarchici et circa ministrum extraordinarium ordinum maiorum. Non enim hoc prudens videtur ...[3], cum res non sit tali gradu matura, stante controversia theologica et complexitate quaestionis.

II. *De collegialitate episcoporum*

Imprimis nullum iam dubium superest, quin omnes Patres conciliares supremam et plenam potestatem Summi Pontificis in universam Ecclesiam agnoscant, secundum definitiones Vaticani I, ut saepius fuit repetitum in Secunda Sessione huius Sacrae Synodi. Ipse textus schematis noviter propositus hanc veritatem nunc clare et pluries affirmat. Ita

videntur superatae difficultates quae a quibusdam Patribus motae fuerunt contra hanc supremam, plenam ac personalem potestatem Pontificis in universam Ecclesiam.

Attamen, iuxta hanc definitam veritatem, schema declarare ut certam intendit novam doctrinam de Collegio episcoporum habente quoque iure divino supremam potestatem in totam Ecclesiam. Hoc praecipue proponitur in N. 22 huius capitis, ubi inter alia dicitur: « Ordo autem episcoporum ... subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam exsistit » (pag. 64, linn. 9-11). Deinde etiam additur: « Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud Collegium pollet, solemni modo in Concilio Oecumenico exercetur » (pag. 64, linn. 30-33). Hac autem suprema potestate Collegium episcoporum pollet, etiam dispersum per universum orbem, iuxta ea quae sequuntur, *ibid.* linn. 37-43.

Quae quidem doctrina in ipsa S. Scriptura et institutione divina fundata proponitur, nam Christus duodecim Apostolos ad modum Collegii instituit (N. 19, lin. 14), et « statuente Domino » (N. 22, pag. 63, lin. 15), hoc Corpus Apostolicum in Collegio episcoporum continuo perseverat eique succedit (N. 20, 22). Alterum fundamentum iuris divini affertur ex consecratione episcopali, quae conferret simul cum potestate suprema ordinis, etiam munera docendi et regendi, seu ipsam potestatem iurisdictionis (N. 21, pag. 62, linn. 38-40).

Ex istis aliisque verbis (quae etiam occurrunt in schemate De munere pastorali episcoporum) clare constat schema attribuere Collegio episcoporum supremam potestatem in universam Ecclesiam etiam extra Concilium, seu habitualiter et modo permanenti, licet praedicta « potestas independenter a Romano Pontifice exerceri nequit », ut etiam additur, N, 22, linn. 11-13.

In schemate ergo subiecta habitualia et iuris divini unius eiusdemque potestatis supremae in Ecclesiam universam duo essent: Alterum subiectum Summus Pontifex solus, tamquam persona physica, alterum Collegium episcoporum cum et sub Capite eius, Romano Pontifice, qui in Collegio non est primus inter pares, sed exercitium potestatis supremae episcoporum impedire et nullam reddere potest; non vero ipsam potestatem nullam reddere, quam Collegium episcoporum semper habet in actu, etiam extra Concilium...[4]

1. Secundum tamen multorum Patrum conciliarium opinionem, ista doctrina schematis salvare non videtur doctrinam dogmaticam Concilii Vaticani I de Primatu Romani Pontificis. Ibi enim definitur: « Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem habere ... tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis ... A. S. ».

Iuxta vero declarationes schematis, N. 22, episcopi eamdem plenam ac supremam potestatem ab ipso Christo acciperent vi consecrationis episcopalis, eamque cum Papa et sub Papa participarent, licet collegialiter. Quomodo ergo haec duo inter se conciliari possunt? Papa inde non haberet sub omni respectu totam plenitudinem potestatis in Ecclesiam, cum episcopi vere essent comparticipes, etsi subordinati, istius supremae potestatis, haberentque ius co-gubernandi, cum ipso et sub ipso, universam Ecclesiam. Nemo enim non videt hanc doctrinam afferre limitationem ac deminutionem universali potestati Summi Pontificis, qui non posset se subtrahere ab obligatione utendi quoque Collegio episcoporum, aut quibusdam repraesentantibus eiusdem, ad gubernandam universam Ecclesiam...[5]

2. Doctrina schematis de existentia supremae potestatis Collegii episcoporum ex institutione divina probari non potest ex S. Scriptura et Traditione, secundum multorum Patrum sententiam. Et argumenta quae a schemate adducuntur ex utroque fonte non sunt certa.

Tanquam probatio biblica fundamentalis, sequens in schemate affertur, N. 22, pag. 1, linn. 16-19: « Illud ligandi atque solvendi munus, quod uni Petro datum est (*Mt.* 16, 19) Collegio quoque Apostolorum suo Capiti coniuncto, tributum esse constat (*Mt.* 18, 18) ».

Attamen, secundum responsum Pont. Commissionis Biblicae Summi Pontificis iussu ad hanc quaestionem dirimendam interrogatae, praedictus textus *Mt.* 18, 18 non certo probat quoad supremam potestatem Collegio Apostolorum collatam.

Sed multi Patres putant sic dictam collegialitatem nec Traditione probari posse, quamvis schema in id nitatur. Dicit enim schema in art. 21, nn. 38-40, pag. 62 s.: « Episcopalis autem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi, quae tamen natura nonnisi in communione cum Collegii Capite et membris exerceri possunt ».

Argumenta in hoc numero 21 adducta cognita erant sanctis Patribus, scriptoribus ecclesiasticis sanctisque nostris Doctoribus et praesertim Summis Pontificibus, qui tamen indesinenter affirmant tantummodo Papam habere totam potestatem immediate a Christo acceptam, episcopos tamen habere potestatem immediate a Papa et mediate solum a Christo.

Leo XIII, postquam edixerat Episcopos recipere potestatem mediante Romano Pontifice, eruit hanc conclusionem, rei maxime congruentem: « ex quo plane intelligitur excidere Episcopos *iure ac potestate regendi,* si a Petro eiusve Successoribus scientes secesserint » (*Satis cognitum*: *A.S.S.* 28 [1895-1896], pag. 733). Et iterum: « nemo igitur,

nisi cum Petro cohaereat participare *auctoritatem potest,* cum absurdum opinari, qui extra Ecclesiam est, eum in Ecclesia praeesse » (*ibid.,* pag. 734).

Idem ac luculentius docet Pius XII in pluribus documentis, quorum verba exscribuntur.

« Episcopi nec nominati nec confirmati a Sede Apostolica, immo contra expressas eius ordinationes electi et consecrati, *nulla fruuntur potestate magisterii et iurisdictionis, cum iurisdictio episcopis per unum Romanum Pontificem obtingat,* quemadmodum in Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* hisce verbis monuimus: " Sacrorum Antistites ... *ad propriam cuiusque dioecesim quod spectat,* utpote veri Pastores assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt et regunt; id tamen dum faciunt, non plane sui iuris sunt, sed *sub debita Romani Pontificis auctoritate* positi, quamvis *ordinaria* iurisdictionis *potestate* fruantur, *immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita* " (Enc. *Mystici Corporis,* diei 29 mensis iunii 1943: *A.A.S.,* 35 [1943], pp. 211-212). Quam doctrinam, datis postea ad vos Litteris *Ad Sinarum gentem,* iterum memoravimus: " iurisdictionis potestas, quae Summo Pontifici iure ipso divino *directe* confertur, Episcopis ex eodem provenit iure, at *nonnisi per Petri Successorem,* cui quidem non tantum christifideles, sed episcopi etiam omnes et oboedientiae obsequio et unitatis vinculo subiici et adhaerere tenentur " (Enc. *Ad Sinarum gentem,* diei 7 mensis octobris 1954: *A.A.S.,* 47 [1955], pag. 9. Enc. *Ad Apostolorum Principis,* diei 29 mensis iunii 1958: *A.A.S.,* 50 [1958], pp. 610-611) ».

Idemque repetit in pluribus Allocutionibus, verbi gratia: Ad praedicatores quadragesimales (17-2-1942), Ad auditores Rotae Romanae (2-10-1945), et Ad Iuristas catholicos (6-12-1953): « *I Pastori ricevono dal Papa immediatamente la loro giurisdizione e la loro missione* ».

Papa Ioannes XXIII dicit de episcopali consecratione: nulla profecto « oriri potest iurisdictio, cum sine apostolico mandato peracta fuerit » (*A.A.S.,* 50 [1958], pag. 983).

Dicunt aliqui Romanos Pontifices praecitatos loqui de uno tantum exercitio iurisdictionis, non vero de iurisdictione ipsa. Id tamen falsum est, ut patet cuilibet legenti textus. Doctrina ergo de Collegio episcoporum, prout in schemate proponitur, secum fert necessario improbationem plurium Romanorum Pontificum. Quod sane quam absonum sit a quolibet Concilio, nemo non videt.

Si vero admittitur iurisdictionem episcopalem etiam quoad exsistentiam a Papa dependere propter structuram organicam Ecclesiae, tunc non intelligitur haec affirmatio nisi admittatur iurisdictionem epi-

scopalem a Papa dependere ideoque ab ipso in suo esse profluere et per Papam derivare a Christo », sicut docet Pius XII.

Inter scriptores ecclesiasticos adducere liceat Tertullianum, qui clare dicit: « Memento ... Claves eius hic Dominum Petro et *per eum* Ecclesiae reliquisse » (*Scorpiace,* X, 8 - Corpus Christ., II, pag. 1088).

Inter magistros diversarum scholarum catholicarum, qui quidem in hac materia unanimes sunt, audiatur S. Thomas:

« Duplex est in spiritualibus potestas: una quidem sacramentalis, alia iurisdictionalis.

Sacramentalis quidem potestas est quae *per aliquam consecrationem confertur.* Omnes autem consecrationes Ecclesiae sunt *immobiles, manente re quae consecratur*; sicut etiam patet in rebus inanimatis, nam altare semel consecratum non consecratur iterum nisi fuerit dissipatum. Et ideo talis potestas *secundum suam essentiam remanet in homine qui per consecrationem eam est adeptus quamdiu vivit,* sive in schisma sive in haeresim labatur.

Sed quia potestas inferior non debet exire in actum nisi secundum quod movetur a potestate superiori, ut etiam in rebus naturalibus patet, inde est quod tales *usum* potestatis amittunt, ita scilicet quod *non liceat* eis sua potestate *uti.* Si tamen usi fuerint, eorum potestas *effectum habet in sacramentalibus,* quia in his homo non operatur nisi sicut instrumentum Dei. Unde effectus sacramentales non excluduntur propter culpam quamcumque conferentis sacramentum.

Potestas autem *iurisdictionalis* est quae *ex simplici iniunctione hominis confertur.* Et talis potestas *non immobiliter adhaeret.* Unde in schismaticis et haereticis non manet. Unde non possunt nec absolvere nec excommunicare nec indulgentias facere, aut aliquid huiusmodi. *Quod si fecerint, nihil est actum.*

Cum ergo dicitur tales *non habere potestatem spiritualem, intelligendum est* vel *de potestate secunda*; vel, si referatur ad primam potestatem, non est referendum ad ipsam *essentiam* potestatis, sed ad *legitimum usum eius* » (*Summa Theol.,* II-II, q. 39, a. 3c).

In genere potest dici doctrinam schematis, quae affirmat collationem iurisdictionis episcopis in ipsa consecratione episcopali, esse doctrinam destitutam ...[6] fundamento. Quia vero quaedam opiniones, de quibus erat fere concordia inter theologos plurium saeculorum, ex schematibus Commissionis Theologicae expunctae sunt, etiam haec quaestio a fortiori removeri *debet.*[7]

Revera doctrina de collegialitate episcoporum, prout in schemate proponitur, erat ante paucos annos doctrina quam nonnisi paucissimi theologi defendebant, fere omnibus contradicentibus. Et nunc est *ali-*

quorum [8] voluntas quod haec doctrina adeo immatura accipiat Concilii approbationem.

Econtra est alia opinio inter Patres, secundum quam opinionem haec doctrina a Sacrosancta nostra Synodo proponi non potest, nisi prius omnimode certe probetur. Non enim negatur doctrinam contrariam quandam probabilitatem habere, sed negatur illam habere talem certitudinem, qualis requiritur, ut a Concilio proponatur.

3. Schema vult concordare supremam potestatem Papae cum potestate episcoporum. Haec tendentia est laudanda, imo necessaria pro nostro Concilio, quod vult dare nobis doctrinam de episcopis. Sed concordia in schemate non obtinetur.

Nam schema distinguit inter iurisdictionem et eius exercitium et dicit Collegium episcoporum habere habitualiter et modo permanenti, proinde etiam extra Concilium, iurisdictionem universalem in totam Ecclesiam, sed Romanum Pontificem posse impedire exercitium huius supremae potestatis.

Haec affirmatio multis Patribus videtur esse infundata. Nam si episcopi revera in consecratione episcopali accipiunt potestatem activam, i. e. veram iurisdictionem in Ecclesiam universalem (nam potestas in ecclesiam particularem accipitur per Bullam pontificiam) et quidem ab ipso Christo Domino: tunc revera omnes episcopi rite consecrati per ipsam consecrationem intrant, iure divino, in Collegium episcoporum et in ipso Collegio habent ...[9] potestatem con-gubernandi simul cum Papa ...[10] totam Ecclesiam. Quod Christus dedit, Papa auferre non potest. Papa tenetur uti hoc Collegio episcoporum, sicut quidam *Pater revera dixit* [11] in hoc Concilio. Proinde potestas suprema Papae limitatur per Collegium, quia omnis potestas habet ius ad exercitium.

Schema pag. 64, art. 22, num. 37-43 salvare vult libertatem Papae. Et ideo docet Papam posse etiam extra Concilium vocare episcopos ad actionem collegialem vel saltem eorum actionem uti collegialem approbare vel recipere. Ita supponitur potestatem collegialem episcoporum posse esse sine suo exercitio. Sed vera potestas actualis et activa quae non exercetur videtur esse inutilis ...[12]. Ast Deus inutilia non facit. Ergo vel Papa non potest nullum reddere exercitium potestatis supremae collegialis episcoporum, vel potestas episcoporum nulla est nisi a Papa ipsis episcopis tribuatur ...[13].

4. Ideo quidam Patres proposuerunt opinionem secundum quam in consecratione episcopali accipitur a Christo immediate simul cum plenitudine sacerdotii quaedam aptitudo seu potentia passiva, non activa, ad iurisdictionem sacram.

Ista potentia actuatur a Papa per vocationem, approbationem, vel

liberam receptionem actionis collegialis episcoporum sive in Concilio Oecumenico in uno loco coadunato sive extra Concilium. Ista potentia est magni momenti et in ordine gratiae constituere potest titulum exigitivum gratiae episcopalis et in ordine iuridico dicere potest, uti dixerunt quidam Patres, aptitudinem positivam ad iurisdictionem cuius est apta sicut omnis potentia apta est ad actum proprium. Semper tamen ista potentia a Papa actuari debet, idest dari illi qui actu eam non habet.

Solummodo in ista suppositione contradictio inter Supremam et plenam potestatem Papae et potestatem propriam episcoporum evitari potest. Papa nempe semper actu gaudet suprema potestate in totam Ecclesiam, collegium vero episcoporum talem potestatem habet potentialiter semper et actu eam habet quando eius potentia actuatur a Papa.

Tantummodo haec doctrina vere biblica et traditionalis exhibetur, quae salvat sine ambiguitate doctrinam Vaticani I de primatiali potestate Papae, salvat Ecclesiam a periculo dyarchiae, confirmat unitatem Ecclesiae, quae unitas in hodiernis circumstantiis et magnis periculis maxime nobis necessaria esse videtur.

Debeo adiungere quod in Concilio etiam observatum est, quod scilicet per theoriam collegialitatis non recte expositam, limitatur non solum potestas Papae, sed etiam potestas singulorum episcoporum in eorum dioecesibus. Ita verificaretur illud quod Summus Pontifex Paulus VI dixerat in allocutione inaugurali huius sessionis, scilicet limitationem potestatis Papae secumferre limitationem potestatis episcoporum.

Proinde humiliter *propono nomine multorum Patrum,*[14] emendationem textuum schematis loquentium de Collegio episcoporum eiusque potestate. Nam esset omnino quid novum *et inauditum atque extraneum*[15] quod aliqua doctrina quae ante Concilium habebatur minus communis, minus probabilis, minus fundata, ex improviso fiat probabilior, imo certa et matura pro insertione in Constitutione dogmatica conciliari.

Liceat addere opinionem illorum Patrum, quibus humiliter adhaereo, qui putant difficultates principaliores contra textum schematis essentialiter superari posse per insertionem in ipsum textum sequentis vel similis declarationis ...[16]: « Mens Concilii non est dirimere quaestiones disputatas de origine iurisdictionis episcoporum et de natura potestatis collegialis episcoporum, utrum scilicet ista potestas permanenter actu exsistat, necne et ideo istae quaestiones liberae disputationi relinquuntur ».

Nam pro praxi omnes nos unanimes *sumus,*[17] quod actiones *collegiales*[18] episcoporum dari non possunt sine Papa et tales actiones cum Papa et sub Papa dari posse, etiam frequenter, imo et permanenter, si Papae placuerit. Dissensus noster versatur circa quaestionem theoreti-

cam, quae tamen habet valde magnum influxum in praxim, undenam scilicet ...[19] proveniat potestas collegialis episcoporum, utrum nempe ex Christo per Papam, an ex Christo ad episcopos sine Papa. Si ergo hanc quaestionem inter magnos theologos disputatam liberam relinquimus, unanimitas in Concilio obtineri poterit et pax magna inter nos *regnabit.*[20]

III. *De Diaconatu*

Multi Patres locuti sunt atque observationes suas miserunt contra restaurationem diaconatus stabilis, praesertim contra instaurationem diaconatus stabilis uxorati. Certe ex votatione facta die 30 octobris 1963 in hac aula constat longe maiori numero patrum placere ita apparari schema ut opportunitas consideretur instaurandi diaconatum ut gradum distinctum et permanentem sacri ministerii, secundum utilitatem ecclesiae in diversis regionibus.

Cum quaestio sit magis disciplinaris quam dogmatica, ex votatione Patrum, qui respondebunt ad quaestiones propositas in ipsa relatione a Commissione de doctrina fidei et morum, patebit qualis sit mens Concilii de ista quaestione.

Perscrutans interventus Patrum ...[21] in Concilio puto illos Patres qui locuti sunt contra instaurationem diaconatus prae animis habuisse defensionem sacrae legis caelibatus in Ecclesia pro illis qui in maioribus ordinibus constituuntur. Si nempe ab ista lege eximerentur diaconi, tunc forsan haec exemptio esset primus gradus ad debilitandum caelibatum sacerdotalem. Revera populus ita intellexit nostram discussionem de instauratione diaconatus uxorati. Immo prodierunt quidam articuli, scripti etiam a professoribus sacerdotibus catholicis, qui proponunt possibilitatem accipiendi ordinem sacrum presbyteratus sine caelibatu.

Si ergo instaurare Concilio placuerit diaconatum uti ordinem permanentem, melius esset etiam pro istis diaconis praescribere caelibatum, ut ita etiam orthodoxis, immo et ipsis protestantibus demus exemplum, quantum Ecclesia catholica magni facit caelibatum, ut eum praescribat etiam suis diaconis. Nam ...[22] orthodoxi magni faciunt suos monachos et suos episcopos, maxime quia observant vitam caelibem. Immo quidam pater, abbas benedictinus ex Germania, nobis in hac aula ...[23] testatus est etiam protestantes idem sentire de caelibatu.

Sed maximum damnum putant multi patres fore pro Ecclesia catholica et pro sacris vocationibus sacerdotalibus, si Concilium approbaverit, ut etiam iuvenes possint ordinem sacrum diaconatus accipere sine lege caelibatus. Tunc etenim deberemus seminaria pro diaconis iuvenibus

formandis instituere et hoc maximum damnum nostris seminariis inferret...[24]

Addere velim, quod in Jugoslavia ...[25] pro 8 millionibus orthodoxorum in eorum seminariis habentur circa 800 seminaristae, dum pro 6 millionibus catholicorum in Jugoslavia habentur plusquam 3.000 ...[26] seminaristarum. Illi praeparantur pro sacerdotio uxorato ...[27], dum hi ...[28] pro sacerdotio sine uxore. Non est ergo quaestio de uxore, sed de fide viva, quae gignit virgines.

Propterea nil mirum, si quidam episcopus orthodoxus in Jugoslavia ...[29] cohortatus est quendam nostrum episcopum catholicum ad defensionem diaconatus caelibis in Ecclesia catholica. Nam ministri sacri, qui caelibem vitam ducunt, secundum illum episcopum orthodoxum, multo validius resistere possunt impugnationibus contra fidem. Quod experientia nostra quotidie comprobat.

Multi ergo Patres putant talem esse verum realismum supernaturalem.

In oratione: [1] III schematis *de Ecclesia.* [2] quidam etiam. [3] illis Patribus. [4] Contra istam doctrinam schematis habentur graves difficultates. [5] Haec est opinio multorum Patrum et theologorum, quorum mentem sincere refero. [6] certo. [7] deberet. [8] deest. [9] et accipiunt. [10] sub Papa. [11] Patres revera dixerunt. [12] et mortua. [13] et communicetur. [14] proponunt multi Patres. [15] deest. [16] haec est declaratio quam petunt isti Patres. [17] videmur esse. [18] deest. [19] — est quaestio —. [20] poterit regnare. [21] — qui ingenti numero inveniuntur —. [22] fratres nostri. [23] in suo interventu. [24] quod fere omnes Patres dixerunt. [25] — ex mea experientia —. [26] quasi 4.000. [27] (800). [28] quasi 4.000 praeparantur. [29] frater episcopus, homo honestus et pius.

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KÖNIG
Archiepiscopus Vindobonensis

RELATIO DE NN. 18-21

DE EPISCOPIS SUCCESSORIBUS APOSTOLORUM ET DE EPISCOPATU UT SACRAMENTO

Venerabiles Patres,

...[1] In capite tertio nostri schematis, postquam de institutione duodecim apostolorum actum est, transitus fit ad successores Apostolorum qui sunt episcopi. — Quod episcopi in locum Apostolorum successerint,

iam pluries ab Ecclesia catholica solemniter declaratum est (cf. Concilium Tridentinum, in sessione vigesima tertia, in capite IV; cf. Concilium Vaticanum I in sessione quarta, caput III).

Attamen, ut doctrina Ecclesiae maxima qua potest claritate etiam non-catholicis exponatur, Commissio doctrinalis necessarium duxit omnia testimonia quae afferuntur, omnesque textus qui citantur, ita examini critico subiicere ut nihil exinde affirmetur ultra id quod revera in ipsis obiective continetur. Agitur enim de re non tantum maximi momenti, sed etiam — inquantum de successione agitur — multum discussa, non quidem inter catholicos, sed inter historicos et exegetas non catholicos.

Ideo ratione habita omnium emendationum a Patribus propositarum textus in n. 20 — olim n. 13 — non paucas mutationes passus est, sed nihil substantialiter mutatum est eorum, quae a Patribus iam adprobata fuerunt:

Id est in prima paragrapho n. 20 redactio concinnior facta est. — In secunda paragrapho afferuntur quaedam testimonia, tum Scripturae, tum traditionis antiquissimae, quibus constat apostolos non tantum habuisse adiutores in suo ministerio, sed etiam cogitasse de continuatione sui ministerii, per quosdam viros probatos, inter quos, inde a primis temporibus episcopi eminent. — Redactione fere integrali huius paragraphi revera nihil novi invenitur, nisi quod textus modo cautiori adhibentur, et fit progressus ab adiutoribus Apostolorum ad successores eorum.

In tertia paragrapho eiusdem numeri, petentibus multis Patribus, fit statim descriptio munerum episcoporum prout apparet in primis documentis Traditionis. Deinde, facto ut antea parallelismo inter successionem Petri in Romano Pontifice et successionem Apostolorum in episcopis, et ut elementum principale huius numeri vigesimi clare in lucem ponatur, S. Synodus docet episcopos ex divina institutione in locum Apostolorum successisse. Cetera vix mutantur.

Sub n. 21 — olim 14 — agitur de episcopatu ut sacramento. Commissio doctrinalis, rationem habens animadversionum Patrum, primum mutavit ordinem paragraphorum, ut clarius appareat nexus cum iis quae in numero praecedenti affirmantur.

In illa autem paragrapho quae nunc est prima, quaedam mutata sunt ita, ut iam ab initio sermo fiat de Sacerdotio ipsius Christi, iuxta vota plurium episcoporum. Hoc breviter fit cum verbis desumptis ex aliquo sermone S. Leonis Magni, quibus affirmatur praesentia et actio Summi Sacerdotis Christi in pontificibus qui sunt eius ministri. Deinde hoc ministerium vel servitium episcoporum breviter exponitur: in primo loco ponitur munus praedicandi omnibus gentibus verbum Dei deinde mini-

sterium sacramentorum, tandem munus regendi populum Novi Testamenti. Cetera autem in hac paragrapho minoris momenti sunt et potius stilistica vel modum loquendi magis biblicum respiciunt.

Paragraphus quae nunc est secunda profundius mutata est propter duas rationes:

1) Quidam Patres voluerunt ut sacramentalitas episcopatus magis positive affirmetur, quin sub verbis lateat quaedam implicita redarguitio eorum qui hanc sacramentalitatem negaverunt. Ut tali petitioni satis fiat, Commissio theologica censuit incipiendum esse a dono Spiritus Sancti apostolis ab ipso Christo concesso. Deinde agitur de impositione manuum, quae in epistolis pastoralibus describitur et cuius consecratio episcopalis est continuatio — iuxta mentem traditionis. Quibus praemissis, sacramentalitas consecrationis episcopalis verbis claris affirmatur, scil.: « Docet autem sancta Synodus episcopali consecratione plenitudinem conferri sacramenti ordinis ». — Commissio doctrinalis autem censuit hic non agi de definitione solemni.

Pro tali autem doctrina authentice proponenda exstant rationes graves, scil.:

1° argumentum ex liturgia;

2° argumentum ex natura rei, quod illa consecratio episcopalis sit apex sacerdotii;

3° factum historicum validae consecrationis episcopalis sine praecedenti ordinatione presbyterali;

4° quod textus sedulo evitat quaestiones adhuc disputatas inter theologos.

Notandum insuper est die 30 octobris 1963 Patres quaestioni propositae « utrum placeat Patribus ita apparari schema ut dicatur episcopalem consecrationem summum gradum sacramenti Ordinis constituere? » respondisse « placet »: 2123; non placet: 34. — Potius tamen quam « *summus gradus* » sacramenti Ordinis — ut notaverunt multi Patres — episcopatus dicendus est « *plenitudo sacramenti Ordinis* », seu totalitas, omnes partes ordinis includens, et in quo inferiores ordines participant. Qui modus dicendi videtur omnino congruus et ideo in schemate introductus est.

2) Secunda ratio mutandi textum fuit votum permagni numeri Patrum qui petierunt ut explicite dicatur per episcopalem consecrationem conferri tria munera sanctificandi, docendi et regendi. Haec affirmatio ceteroquin continebatur explicite in textu schematis prout propositus fuit in prima sessione Concilii (n. 14, linn. 1-7), et iterum in nota 10 schematis discussi in secunda sessione (Nota 10, p. 34). Cum igitur tam multi Patres hanc additionem petierunt, atque argumenta valida adsint

ad eandem affirmandam, Commissio doctrinalis censuit illam esse retinendam sicuti potestis legere in textu vobis proposito: scilicet « episcopalis autem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi, quae tamen natura sua nonnisi in communione cum collegii capite et membris exerceri possunt ». His verbis, ut patet, fit distinctio inter *munus* et eius *exercitium,* quae distinctio iam ab ipso S. Thoma usurpatur (2^a 2^{ae} q. 39, a. 3), atque patet ex eo quod potestas quae per consecrationem datur numquam avulsa considerari potest ab ecclesiae organismo prout a Christo institutus est.

Cetera quae in novo schemate continentur a textu in secunda sessione discusso parum differunt. Notandum tamen est, de charactere fieri mentionem statim cum gratia Spiritus Sancti (cf. lin. 6, p. 63), iuxta desideria non paucorum Patrum. Attamen character non ponitur ante gratiam, etsi nonnulli Patres hoc petiverint. Commissio potius censuit servandum esse ordinem qui habetur in Concilio Tridentino. In affirmando charactere, verba ita selecta sunt ut abstrahatur a quaestionibus disputatis: utrum nempe sit novus character vel tantum ampliatio characteris presbyteratus, et ita porro.

Adduntur aliqua verba quibus iterum affirmatur relatio ministerii hierarchici Ecclesiae cum Christo Magistro, Pastore et Pontifice, secundum desiderium eorum qui volunt magis explicitam affirmationem totalis dependentiae huiusmodi ministerii a plenitudine potestatis Christi. Episcopos presbyteris superiores esse non explicite effertur, sicut antea fiebat, quia iam satis patet ex eo quod episcopatus est plenitudo sacramenti Ordinis.

Similiter deletur illud quod episcopus non potest rursus laicus fieri, quia eius dignitas modo positivo exprimenda est.

In fine numeri 21 tandem affirmatur quod soli episcopi per sacramentum Ordinis novos electos in corpus episcopale assumere possunt. Ita evitatur quaestio obscura de ordinationibus a presbyteris factis (cf. DENZ.-SCHÖN. n. 1145 et 1290). His ultimis verbis iam fit transitus a consecratione episcopali ad aggregationem in collegium episcoporum, de quo in numero sequente agitur.

Rogamus vos, venerabiles Fratres, ut ea, quae Commissio de doctrina fidei et morum maxima cura ad mentem Patrum redegit vestro suffragio confirmetis.

In oratione: [1] Antequam incipiam praelectionem relationis meae, praemittam quae sequuntur, ad mentem Commissionis doctrinalis ita expressam in sessione feriae VI hebdomadae elapsae: scilicet relationes, quae nunc exhibentur, et quae in fasciculo praeiacenti exstant numero primo, i. e. I, II et III loco, non sunt

relationes maioritatis, sed relationes approbatae a tota Commissione doctrinali. Ita ad mentem Commissionis doctrinalis non exstant relationes maioritatis vel minoritatis. Etiam sic dicta « altera relatio », quae ab exc.mo Franić modo legebatur, non est relatio minoritatis neque ab exc.mo Relatore ita exhibebatur.

Relatio mea respicit n. 20 et n. 21, qui sunt numeri potiores.

EXC.MUS P. D. PETRUS PARENTE
Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

RELATIO DE NN. 22-27

DE COLLEGIO ET MUNERIBUS EPISCOPORUM

Venerabiles Patres,

...[1] Honori et oneri mihi est illud doctrinae caput in hac sacrosancta aula exhibere et illustrare quod, utpote Concilii Vaticani I interrupti carminis continuatio et complementum, huius Concilii Vaticani II quasi cor dici potest...[2]

Agitur enim de nn. 22-27 cap. III schematis De Ecclesia, ubi Collegio Apostolorum, a Christo Domino instituto, Collegium episcoporum succedere ostenditur, quorum quidem sacra dignitas ac potestas, sive personalis sive collegialis, dignoscitur atque iuxta testimonia divinae revelationis sive scriptae sive traditae apte determinatur...[3]

Neminem fugit momentum historicum ac dogmaticum istius doctrinae capitis, quod per se solum Concilii Oecumenici adaequatum obiectum constituere posset...[4]

Textus exhibitus fructus est magni laboris ac tribulationis ob graves rei difficultates, quae superandae erant...[5]

Sola vox « Collegium » non parvum terriculum quibusdam facta est, evocans erroneas vicissitudines Bolgeni, Conciliarismi, Gallicanismi, ...[6] ac proinde timorem ingerens ne, asserta Collegialitate, R. Pontificis Primatus in discrimine poneretur. Commissio Doctrinalis, quae priorem textum fere unanimiter ...[7] approbaverat, quasdam obiectiones et suggestiones ...[8] attente consideravit atque textui illi nonnullas emendationes adici sivit, ut videre est in volumine distributo. Sed nondum quies facta est, unde, profundioris perpensionis causa, statutum est ut in aula simul cum relationibus favorabilibus etiam contrariae legantur...[9]

Praestat ut primo loco textum ipsum ad trutinam revocem, magis sistendo in n. 22, qui est praecipuus; deinde obiectionibus, quae factae sunt vel fieri possunt, quantum possum satis faciam...[10]

I - *De ipso textu*

Imprimis n. 22 origo divina Collegii Apostolorum asseritur illa phrasi « Statuente Domino », ...[11] iuxta Novi Testamenti litteram ac spiritum. Quae quidem interpretatio assensu Pont. Commissionis Biblicae suffragata est (cf. folium adnexum).

Perseverantia autem collegialitatis in successoribus Petri et caeterorum apostolorum logice consequitur ex perennitate Ecclesiae a Christo...[12] promissa; quam quidem perseverantiam documenta non pauca traditionis confirmant (cf. adnotationes sub litt. G n. 22, pag. 89 in vol.).

Deinde fit transitus ad episcoporum Collegii potestatem determinandam. Ut erroneae interpretationis pericula praecaveantur, iam in limine energice asseritur: « Collegium auctoritatem non habet nisi simul cum Romano Pontifice, Successore Petri, ut capite intelligatur ». Et maioris claritatis causa addita sunt verba: « huiusque integra manente potestate Primatus in omnes sive Pastores sive fideles ».

Tertio loco, plena suprema universali R. Pontificis, Vicarii Christi, potestate asserta, gravis enuntiatur propositio: « Ordo autem episcoporum, qui Collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit ... una cum capite suo, Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, subiectum quoque supremae ac plenae potestatis in universam Ecclesiam exsistit ». Ratio subiecti supremae ac plenae potestatis, quae imprimis Romano Pontifici personaliter competit, hic etiam Collegio tribuitur, id est rursus Romano Pontifici et Episcopis ei assidentibus. Quae quidem assertio fundamentum habet in *Mt.* 28, ubi Christus suam ipsius potestatem Collegio Apostolorum simul sumpto contulit. Ad idem suadendum etiam *Mt.* 18 aliquo modo confert, ubi potestas ligandi et solvendi, iam Petro tradita (c. 16), etiam ceteris Apostolis confertur. Collegium episcopale, quod in Concilio Oecumenico concrete elucet, iuxta C.I.C. (can. 228), supremam habet potestatem in universam Ecclesiam.

Ex actis Concilii Vaticani I satis patet resonuisse sententiam illam secundum quam episcopi cum Papa coniuncti supremam ac plenam potestatem participant, cum ipsi in Concilio adsint non ut vicarii vel delegati R. Pontificis, sed ut Iudices et Legislatores authentici potestatem cum R. P. exercentes in universam Ecclesiam...[13]

Non dirimitur quaestio de unitate vel pluralitate subiecti, sed etiamsi sint duo subiecta, inadaequate quidem distincta, unica manet potestas; quae quidem etiam extra Concilium collegialiter exerceri potest, dummodo S. Pontifex, pro suo supremo iure, episcopatum ad actum collegialem invitet et vocet. Neque magni facienda est difficultas contra vocem

« plena », quae potestati tum R. Pontificis solius tum R. P. et episcoporum cum ipso coniunctorum tribuitur.

Fortasse maior est difficultas de voce « suprema », quam tamen C.I.C. tribuit Concilio Oecumenico.

Sed utraque difficultas evanescit si recte consideretur, ut iam innuimus, non duplicem esse potestatem Ecclesiae sed unicam, quam Christus integro Collegio Apostolico (Petro et Apostolis ceteris) contulit.

Neque denegatur, immo explicite asseritur illam supremam potestatem competere R. Pontifici personaliter et super ipsos episcopos, inquantum ipse est Vicarius Christi, unde ianua aperta manet etiam sic dictae potestati *vicariae,* quae est omnino singularis. Ceteroquin Papa potestate pollet habitu et actu, episcopi tantummodo habitu, qui independenter a R. Pontifice, in actum prorumpere nequit.

Nulla igitur conditio, nulla delimitatio per Collegialitatem Primatui R. P. illata, sed agnitio et confirmatio dignitatis episcoporum, ad mentem primaevae Ecclesiae, qui ...[14], vi consecrationis, sacrae potestatis Christi habitualiter participes fiunt ita ut, vocante Papa, cum Papa illam potestatem actu exercere valeant in universam Ecclesiam.

Suprema potestas R. Pontificis integra manet, quae tamen quando episcoporum participatio accedit, sollemnior ac etiam suavior evadit.

Ita Vaticanum II doctrinam Vaticani I non laedit, sed feliciter integrat et complet.

Ceteri numeri (23-27) praecedentis consectaria referunt, nempe de relationibus episcoporum quoad propriam dioecesim et quoad totam Ecclesiam (n. 23); de ministerio episcoporum iuxta missionem a Christo ipsis concreditam (n. 24); et in specie de munere docendi (n. 25); sanctificandi (n. 26) et regendi (n. 27).

De quibus non est ut dicam nisi haec praecipua:

1) Episcopus, ut collegii membrum, etiam extra Concilium, praeter pastoralem sui proprii gregis curam, sollicitudinem quoque de totius Ecclesiae bono in se fovere debet, praesertim vero de Missionibus adiuvandis ad Regnum Dei dilatandum.

2) Episcopi in orbe dispersi, quando unanimes inter se et cum R. Pontifice aliquam veritatem de fide et moribus docent, charismatis infallibilitatis participes fiunt (n. 25).

3) In eodem n. 25 clarius quam in Vaticano I determinatur natura, vis et extensio infallibilitatis R. Pontificis, praesertim quoad eiusdem sententiarum infallibilitatem et absolutam independentiam a quacumque auctoritate, salvo tamen nexu definitionum cum divina revelatione.

4) Potestas regendi proprios subditos episcopis agnoscitur plena

et ordinaria, quae quidem a potestate R. Pontificis nullo modo eliditur vel impeditur, quinimmo corroboratur (n. 27).

5) In toto schemate episcopale munus, praeter rigidam formulationem iuridicam, exhibetur quodam pastorali sensu perfusum, qui episcopum, non ad instar alicuius provinciae praefecti, sed ad imaginem evangelicam Boni Pastoris redigit.

Utinam, approbato schemate, potestas sacra episcoporum, semper R. Pontifici subordinata, minus tamen ligaminibus praepediatur ac liberius exercenda cum fiducia sinatur!

II - *De obiectionibus contra Collegialitatem*

Difficultates moventur:

1) ex praesumpta novitate vocis « Collegium »; at a peritis ostensum est vocem illam, una cum aliis (*Ordo, Corpus*) inde ab antiquis temporibus usitatam esse (*l. c.,* pag. 89 vol.);

2) ex sensu iuridico, qui ad normam iuris romani voci Collegium tribuitur; sed in textu ille sensus minime adoptatus est; etenim vox illa adhibetur una simul cum aliis (*Corpus, Ordo*), qui sensum iuridicum non prae se ferunt; ceteroquin membrorum aequalitas, quam ius pro Collegio postulat, omnino excluditur ob pluries affirmatum munus R. Pontificis ut Collegii Capitis;

3) ex perperam intellecta relatione inter episcoporum Corpus et R. Pontificem, ac si Collegium esset Corpus episcoporum a R. Pontifice avulsum, dum econtra utriusque inseparabilitas pluries et explicite in textu affirmatur; ...[15]

4) ex eo quod in textu asseritur episcopum, vi suae consecrationis, in Collegium inseri ac simul sacrae potestatis subiectum aptum ac particeps constitui; attamen in textu cautum est ne talis antiquae veritatis assertio Primatui R. Pontificis quomodocumque noceat; etenim clare edicitur episcopum in Collegium inseri non tantum consecratione, sed etiam communione cum Capite Collegii et ceteris membris (n. 22, in fine alin. 1); ac praeterea Episcopos potestatem divinitus acceptam absque R. Pontificis nutu ...[16] exercere non posse. Ceterum doctrina Vaticani I de R. Pontificis Primatu, initio cap. III, recolitur atque uti propria huius S. Synodi proclamatur. Denique in numeris examinatis plus quam viginti vicibus mentio fit de Petri eiusque Successorum suprema praerogativa...[17]

At subtilioribus obiectionibus in aula nuper lectis obviandum est. Sane:

a) provocatur ad definitionem Vaticani I de Primatu, ubi dicitur

R. Pontificem non tantum « potiores partes » habere sed totam plenitudinem supremae potestatis.

Resp. Nullibi in textu nostro illa definitio impugnatur; etenim, uti vidimus, *unica* asseritur potestas suprema Papae et episcoporum in Collegio coniunctorum, servata tamen Papae potioritate in quantum est Caput Collegii et Vicarius Christi, cui plenitudo potestatis singulariter competit.

b) Potestas suprema episcoporum etiam extra Concilium Oecume nicum non probatur ex *Mt.* 18 neque ex traditione.

Resp. Partim tantum, uti diximus, probatur illa potestas ex *Mt.* 18 collato cum *Mt.* 16, sed sat bene probatur ex *Mt.* 28...[18]

Traditio primaevae Ecclesiae satis suggerit tamquam fidei regulam consensum episcoporum in docendo una simul cum R. Pontifice. Item attendendum est ad auctoritatem peculiarem synodorum episcopalium et ad alia elementa quae periti in historia *illustrant.*[19]

Pius IX de Immaculata Conceptione, Pius XII de Assumptione sententiam episcoporum in orbe dispersorum rogarunt et magni fecerunt ad dogmata definienda.

Id quod Pius XII docet in Enc. *Mystici Corporis* de derivatione ...[20] potestatis episcopalis a Christo per R. Pontificem, non contradicit textui nostro, ubi illa potestas, etsi a Christo derivata, nonnisi dependenter a R. Pontifice intelligitur tum quoad exsistentiam (propter structuram organicam Ecclesiae ...[21]) tum quoad exercitium...[22]

c) Distinctio inter potestatem eiusque exercitium non consistit.

Resp. Potestas, etiam iurisdictionis, facultas agendi est, quae cum ipso actu exercito confundi nequit. Exempli gratia Sacerdos facultatem absolvendi peccata recipit in s. ordinatione, quam quidem exercere nequit sine episcopi nutu, excepto periculo mortis.

d) Iurisdictio in potentia non concipitur, cum ipsa actum exigat necessario.

Resp. Cf. numerum praecedentem. Episcopi tamen potestate in Ecclesiam universalem donantur vi consecrationis secundum rationem non quidem potentiae oboedientialis, sed potentiae activae vel dispositionis virtualis...[23]

Si in relatione inter episcopos et R. Pontificem quoad potestatem sacram, tum in Concilio tum extra Concilium, difficultatem experimur, mirum non est cum agatur non de humana quacumque societate, sed de Ecclesia Christi, cuius mysterium in doctrina de Corpore Mystico interlucet. Et satis etiam de difficultatibus. Si tempus et licentia mihi concederetur textum nostrum de Collegialitate historice quoque recogitarem, adiuvantibus recentioribus studiis...[24]

Fortasse clarior consequeretur legitimitas et opportunitas doctrinae propositae, quae visionem iuridicam Ecclesiae, inde a saec. XI invalescentem, visione theologica, ad mentem Ecclesiologiae S. Augustini et aliorum Patrum, apte integraret.

Satis sit innuere in Concilio Tridentino conceptum de potestate episcopali in totam Ecclesiam vi ipsius consecrationis, apud multos Patres deprehendi, etiam apud illos qui iurisdictionem episcoporum quoad singulas dioeceses a Papa conferri tenebant. Quae sententia non desideratur in periodo post-tridentina.

Concludo...[25]

Schema nostrum non novis innititur opinionibus, sed puris haustibus Ecclesiologiae Patrum, quae doctrinae paulinae de Corpore Mystico magis adhaeret ideoque menti Christi magis consonare videtur. Ad hanc Ecclesiologiam iam multi redeunt Theologi post Enc. *Mystici Corporis* editam, in qua aspectus iuridicus ac hierarchicus Ecclesiae aspectu supernaturalis vitalitatis ...[26] completur.

Exinde patet ipsam Ecclesiae structuram talem esse, iam in linea ontologica, ut varia elementa indissociabili modo cohaereant iuxta hierarchicam subordinationem, fidelium nempe sacerdotibus et episcopis, episcoporum Papae, Papae Christo. Nulla vita, nulla potestas in tali organismo esse concipitur quae a Christo, Capite invisibili, non profluat ut per Petrum et episcopos usque ad fideles perveniat. Item quoque in *linea operativa.*[27]

Quamvis in hac compagine personae serventur, tamen nemo sibi est, nemo sibi vivit, sed omnes ad unitatem in Christo conspirant.

Itaque nec Christus a Corpore suo Mystico, nec Petrus a Christo Capite, nec Petrus a Collegio episcopali, nec Episcopi a Petro avulsi umquam considerari vel consistere possunt...[28]

In hac mira unitate essendi et operandi, humana et divina, optime inseritur Collegialitas, atque ideo complexa pulchritudo Sponsae Christi refulget.

In oratione: [1] Sinite me relationi meae protestationem praemittere aliquam. In hac sollemni sessione, ego loquor non ut assessor Sancti Officii, sed ut simplex episcopus Thebaidis. Vox igitur clamantis ex deserto, non tamen, spero, in deserto... [2] et debet. [3] iuxta suffragium quasi unanime Patrum conciliarium. [4] Sanctissimus Dominus noster Paulus VI, fel. regnans, in sermone prolato in ipso initio huius sessionis conciliaris, gravissimis et apertis verbis grave onus nobis commisit, nempe expendendi ac dirimendi quaestionem theologicam de episcoporum potestate, quae iam parata erat in Vaticano I. En verba: « Superest ut tractatio de hac doctrina (...) praesertim de natura et munere eorum qui apostolorum sunt successores (...) eiusdem disceptatio, quae in hac ipsa re

vertitur prae ceteris esse videtur maioris momenti atque prudentiae. Haec eadem res in posteritatis memoria peculiarem notam sine dubio tribuet sollemni huic Synodo, historia sane dignae. Eius est quasdam theologicas controversias easque laboriosas dirimere; de Pastorum Ecclesiae natura et (...) munere constituere ». Haec sunt verba Romani Pontificis, quae invitant nos ad dirimendam quaestionem hanc. [5] et quae adhuc circumferuntur etiam modo occulto, quod dolendum est. [6] et alia id genus. [7] iam. [8] humane et. [9] sicut iam factum est. [10] sed non omnia possunt dici in hac aula. [11] et quidem. [12] Domino. [13] Quod quidem maiorem vim sibi vindicat ex eo quod Patres Concilii illius toti erant in tutando Romani Pontificis Primatu. Potest conferri praeclarum opus Patris Betti, *La costituzione dommatica Pastor Aeternus.* [14] episcopi. [15] legatur igitur attente! [16] quomodocumque expresso. [17] in capite quod agit de potestate episcoporum. [18] (S. Matthaeus, cuius festum hodie colimus, adiuvet!). [19] illustrare solent. [20] nempe. [21] per modum societatis ordinatae. [22] Sed documenta pontificia creationem ipsius potestatis in episcopis per R. Pontificem minime iubent sed, dixerim, prohibent. [23] vel actus primi, sicut multi theologi conantur sese exprimere. Contra hanc doctrinam, difficultas conflatur ex illa exaggerata discriminatione duplicis potestatis, ordinis nempe et iurisdictionis, antiquis fere ignotae. Nam verius in Ecclesia generice una est potestas, et quidem sacra, in iure divino fundata, quae in varias species dispescitur secundum obiecta varia ministerii salutis. Nota characteristica iurisdictionis est adsignatio subditorum, quae, in societate ordinata, a Superiore fieri debet. Haec tamen adsignatio, seu missio canonica, uti dicitur, quae nunc fit per R. Pontificem, antiquitus per patriarchas vel per aliquot episcopos fiebat, ut innuitur n. 24. In quocumque casu, missio theologice intelligi debet non ut creatio ipsius potestatis, ut accidit in iure civili, sed ut permittens exercitium potestatis quae sacra est et sacra manet. [24] quae iam prodiere istis diebus, possumus dicere; cito e. g. Alberigo, qui est laicus sed bene scripsit de hac re; P. Beltrams S.I., qui in pluribus articulis hanc rem bene illustravit sub aspectu historico et theologico. [25] Tale est schema quod commissio doctrinalis per me, tuta conscientia vobis iudicandum et adprobandum proponit. Res gravis est. Ideoque vestram ponderationem atque Spiritus Sancti specialem illuminationem postulat. [26] bene. [27] ordine operativo. [28] Non igitur fragmentalismus, sed organica unitas.

Exc.mus P. D. ALOISIUS EDUARDUS HENRIQUEZ JIMENEZ

Episcopus tit. Lamdiensis, aux. Caracensis

RELATIO DE NN. 28-29

De presbyteris et de diaconis

Praenotanda generalia

1) Plures Patres — circiter 226, inter quos PP. Conferentiarum Episcopalium Neerlandicae, Brasiliae, Indonesiae et Venezuelae — postulaverunt ut numerus 15 « De presbyteris et diaconis » immediate

post explanatam doctrinam « De episcopis » reponeretur; sic autem ordo magis logicus obtinetur; dum e contra, locus in priori schemate presbyteris et diaconis adsignatus materiae continuitatem rumpit.

2) Similiter plurimi postulaverunt ut paragraphus de presbyteris amplificaretur, nam presbyteri partes conspicuas in vinea Domini exercent, et latior et profundior de eorum muneribus expositio optanda est, etiam respectu habito ad schema « De clericis ».

3) Series emendationum et votorum Patrum ipsam materiam tractandam indicaverunt. Et has indicationes obsequentes nova redactio confecta est...[1]

In primis formula generalis introductoria de Potestate Sacra quae, vario gradu, variisque subiectis in Ecclesia legitime demandatur, et sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum exercetur ab illis qui iam ab antiquo episcopi, presbyteri et diaconi vocantur.

Deinde indicantur relationes inter presbyteros et Christum Summum Sacerdotem; inter presbyteros et episcopum, inter presbyteros ad invicem et denique ipsorum relationes ad populum Dei.

Ad modum conclusionis insistitur super unitate in corpore presbyterali prosequenda, praesertim nostro tempore.

Breviter sublineare sufficiat huius numeri momentum pro sacerdotum vita spirituali, necnon pro activitate pastorali et utriusque cleri apostolatu.

Textus vero non simpliciter repetit ea quae iam a Concilio Tridentino clarissime de sacerdotio Novae Legis definita fuerunt, et quae Romani Pontifices praesertim recentiorum temporum expresse docuerunt: sed ea in lucem profert quae, nostro tempore maximi sunt momenti pro activitate pastorali et ecclesiae apostolatu.

Ad paragraphum 1[um]. « Potestas sacra tum ordinis tum iurisdictionis, quae ex missione Christi in episcopis residet, vario gradu variisque subiectis in Ecclesia legitime demandatur... ». Textus tamen prior sic sonabat: « Hierarchia, divina ordinatione instituta, constat ex episcopis, presbyteris et ministris ».

Patres quidem huic formulae obiecerunt hierarchiam considerari posse quoad ordinem et quoad iurisdictionem; quoad iurisdictionem vero iure divino in Summum Pontificatum et episcopatum distingui.

In nova vero formula memoratur potestas tum ordinis tum iurisdictionis, quae ex missione Christi in episcopis plene residens, vario gradu aliis ministris demandatur. In textu abstrahitur ab ortu historico presbyterorum, diaconorum, aliorumque ministrorum, necnon de sensu praeciso terminorum, qui in Novo Testamento ad ipsos designandos adhibentur; et asseritur, cum referentia ad Concilium Tridentinum, mini-

sterium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exerceri ab illis qui iam ab antiquo episcopi, presbyteri et diaconi vocantur.

In secunda paragrapho agitur de presbyterorum relatione ad Christum; nempe de presbyteris qui, episcopo subordinati et in « sua potestate » presbyterali et non tantum in potestate « regendi » ab ipso pendent, et qui tamen, vi sacramenti ordinis, ad Christum Summum Sacerdotem necessario referuntur.

Dicitur « vi sacramenti Ordinis secundum imaginem Christi Summi atque Aeterni Sacerdotis ad divinum cultum consecrati ... veri sunt sacerdotes Novi Testamenti ». Quidquid sit historice de nomine, sacerdotis tamen est sacrificia offerre. Cum iam in Novo Testamento et aevo postapostolico Eucharistia ut « sacrificium » intelligatur; et presbyteri, ut rectores communitatis, sint rectores Eucharistiae, sacerdotium ministeriale Novi Testamenti suam propriam dignitatem a Christo institutam ostendit. Functio rectorum communitatis (« presbyteri ») cum functione cultica (« sacerdotes ») coniuncta apparet.

Munus quo sacerdos in persona Christi agit speciatim in cultu Eucharistico exhibetur verbis Tridentini et Encyclicae *Mediator Dei* confirmatur; sed etiam participatio muneris sacerdotalis Christi in praedicatione verbi, in administratione sacramentorum, necnon in oratione et exemplo et, in genere, in pascendo grege apparet.

Tertia paragraphus de relatione ad episcopum.

In textu priore dicebatur episcopum in presbyteros « gratias de suae paternae plenitudinis abundantia transfundere », qui modus loquendi recte a pluribus Patribus minus aptus videbatur, ideo verbis illis penitus sublatis, nova redactio, in secunda alinea confecta est, in qua, ut vidimus, unicus fons sacerdotii presbyterorum in sacerdotio Christi reponitur.

Nunc vero, in tertia alinea, tantum de relatione ad episcopum sermo fit.

« Presbyteri, *ordinis episcopalis providi cooperatores* eiusque complementum et organum » dicuntur, et quamvis diversis officiis mancipati, cum ipso unum presbyterium constituere affirmatur, quod clare liquet ex fontibus antiquitatis christianae.

Deinde respicitur ad sacerdotium prout in Ecclesiis localibus exercetur, quae suo modo imagines sunt ecclesiae episcopalis, et ita fundamentum paroeciae ponitur.

« Sub auctoritate episcopi portionem gregis dominici sibi addictam presbyteri sanctificant et regunt » — et non proprie « *nomine eius* », nempe episcopi, — et hoc faciendo etiam ad *bonum totius Ecclesiae* respicere debent.

Propter hanc, in sacerdotio et missione, participationem relatio eorum ad suum episcopum in oboedientia et fiducia niti dicitur, cui ex parte Praesulis paternus et amicalis affectus respondet.

« Cum hoc corpore episcoporum et presbyterorum etiam sacerdotes religiosi ratione ordinis et ministerii coaptantur et bono totius Ecclesiae pro sua vocatione et gratia inserviunt ».

Multi Patres etiam sacerdotes religiosos commemoratos volunt, ut eorum relatio ad ordinem episcopatus magis appareat; hic sacerdotum regularium in ordine et ministerio coaptatio explicite exhibetur, ut pateat de eorum statu et activitate in dioecesi.

Mens proinde est ut unitas presbyterii in sacerdotibus tam saecularibus quam religiosis exprimatur, eiusque relatio ad unicum sacerdotium et commune ministerium, quod a Christo per Summum Pontificem et reliquos episcopos derivatur.

De relationibus autem iuridice determinatis et *in specie de exemptione,* non videtur hic agendum, cum in schemate dogmatico tantum expectetur de relatione religiosorum ad corpus episcopale, cuius caput est Romanus Pontifex. Unitas autem presbyterii quaestionem de exemptione non tangit.

Ultimae tres alineae sunt novae. In quarta de relatione presbyterorum ad invicem, affirmatur necessitas cooperationis fraternae in re spirituali, pastorali et in ipsis curis materialibus.

In quinta de relationibus *cum fidelibus,* praeter *curam* communem erga fideles in Ecclesia Dei, quae in communitate locali praesens est, etiam curam pro infidelibus evangelizandis, necnon pro baptizatis qui praxim sacramentorum, vel immo aliquando etiam fidem amiserunt, Concilium commendat.

In sexta alinea, per modum conclusionis, unitas prosequenda in corpore presbyterali enixe commendatur.

Numerus 29: De diaconis

Cum de constitutione hierarchica Ecclesiae agitur, de diaconis silere non possumus. Novus textus emendatus proponitur constans duabus alineis, quarum *prima de munere diaconorum* in genere, *altera* vero de restauratione diaconatus permanentis agit. Praesertim de hac altera quaestione disceptatio in Aula valde ampla fuit, ipsius etenim momentum pastorale nemo est qui non videat.

Ad paragraphum 1.

a) Tridentino duce, de diaconis affirmatur ipsos ad sacram hierarchiam pertinere, quamvis in inferiore gradu;

b) Non tamen ad sacerdotium, sed ad ministerium ordinari;

c) Indoles sacramentalis diaconatus, utpote in Traditione et Magisterio fundata, satis in textu, quamquam caute, indicatur: « gratia sacramentali roborati »; ne Concilium paucos illos recentes auctores, qui de hac re dubia moverunt, condemnare videatur.

d) Cum *de officiis* diaconorum ageretur, plures proposuerunt ut enumerentur tanquam explenda « praesertim in absentia sacerdotis »; quae tamen incisa non placuit et de hac re in textu siletur. Etenim diaconi, in actuali disciplina canonica, etiam praesentibus sacerdotibus varia officia in cura pastorali exercere possunt, v. g. quasi per modum probationis, antequam nempe ad sacerdotium promoveantur.

e) Officia diaconorum, in primis *modo generali,* in triplici campo indicantur, scilicet: « in diaconia liturgiae, verbi et caritatis ».

Deinde haec officia magis specificantur, et quaedam occurrunt quae iam in disciplina vigenti diaconis committi possunt; obsequentes tamen votis aliquorum Patrum non solum ius hodie in Ecclesia latina vigens respicere oportet; sed et quaedam ulteriora officia quae, sive in decursu historiae a diaconis suscepta sunt, sive quae iisdem in posterum a competenti auctoritate assignari potuerunt, ut benedictio matrimonialis, assistentia ad funera... Haec vero duo expresse a pluribus Patribus significata fuerunt, quia magni momenti sunt in aedificanda communitate christiana quae sacerdote caret.

Ad paragraphum 2.

In hac alinea tres quaestiones tractantur:

1) De possibilitate restaurationis diaconatus permanentis.

2) De auctoritate competenti quae hanc instaurationem inducere poterit.

3) De quaestione caelibatus. In hac ultima exponenda, nova redactio duplici membro constat, nempe:

a) utrum diaconatus viris maturioris aetatis, etiam in matrimonio viventibus, conferri possit;

b) utrum conferri possit etiam iuvenibus efformandis, quibus non imponeretur lex caelibatus.

In singulis quaestionibus aliquantulum immorari oportet.

Ad 1am) De possibilitate restaurationis diaconatus permanentis:

Pro instauratione locuti sunt quadraginta quinque (45) Patres, nomine tamen septingenti quinquaginta novem Patrum (759), quibus addendus numerus indeterminatus episcoporum Aequatoriae. *Contra* instaurationem vero viginti quinque (25) nomine octoginta duo (82); non omnino clare pro vel contra locuti sunt decem (10).

Post longam et amplam disceptationem in aula, die 30 octobris anni elapsi, quaestio quinta Patribus in aula proposita sic sonabat: « Utrum placeat Patribus ita apparari schema ut opportunitas consideretur instaurandi diaconatum, ut gradum distinctum et permanentem sacri ministerii, secundum utilitatem Ecclesiae in diversis regionibus? ». Responderunt: *Placet*: 1588. *Non placet*: 525.

Omnino observandum est, mentem schematis non esse ut huiusmodi instauratio pro tota Ecclesia praescribatur, sed ut possibilitas et facultas aperiatur futurae evolutioni pastorali, quin ista iam praeiudicetur. Textus itaque nullatenus impedit quominus status diaconatus in regionibus, ubi necessitas restaurationis non vere habeatur, remaneat sicuti nunc est. Et huius possibilis instaurationis, non universalis sed regionalis, tamquam principium unice statuitur necessitas vel utilitas pastoralis, scilicet intuitu boni animarum. Hoc autem omnino memini et ante oculos habere oportet...[2]

Ad 2am) Secunda quaestio vertitur circa auctoritatem competentem, quae hanc restaurationem inducere poterit. Textus prioris redactionis, qui simpliciter indicabat « Praepositos Ecclesiae », nimis indeterminatus aut ambiguus visus est. Ut iam in re liturgica factum est placuit Commissioni hanc auctoritatem coetibus territorialibus episcoporum committere, approbante ipso Summo Pontifice.

Ad 3am) *De quaestione caelibatus,* nempe de possibilitate diaconorum uxoratorum.

Hic etiam summopere prae oculis habere oportet schema non intendere *iubere* ut instituantur diaconi uxorati, nec ubique terrarum, nec pro aliqua regione vel natione; sed tantum intendere vult, si sic placeat Patribus, *ianuam apertam* relinquere, ut hoc institutum *etiam in Ecclesia latina possibile fiat,* ubi illud ad curam animarum necessarium aut utile videatur.

Ut iam dixi, textus emendatus qui de quaestione caelibatus diaconorum agit, duplici membro constat:

1) « Utrum hic diaconatus etiam viris maturioris aetatis, in matrimonio quidem viventibus conferri possit ».

2) « Utrum etiam conferri possit iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus ».

Inutile et fastidiose recolerentur tot argumenta, pro et contra, quae in disceptationibus in Aula prolata fuerunt. Tantum in hac re meminisse iuvabit: Multos fuisse Patres qui priorem hypothesim consideraverunt, indicantes « patres familias », « homines iam coniugatos », « homines maturos », « adultos iam catechistas », « viros probatos et uxoratos »,

« viros adultae aetatis qui experimentum zeli dederint », « viros distinctos et graviores », « probatos et eruditos », « probatos aetate provectos », « viros qui seipsos sustentant »; pauci vero fuisse Patres qui iuvenes, talem vocationem habentes, ad diaconatum efformare vellent non imponendo eis legem caelibatus...[3]

Quoad suffragium ferendum

Textus huius alineae varias suffragationes postulat, nempe:

Prima, de prima phrasi, in qua approbatur principium restaurati diaconatus, scilicet: « Cum vero haec munera, ad vitam Ecclesiae summopere necessaria, in disciplina Ecclesiae latinae hodie vigenti in pluribus regionibus adimpleri difficulter possint, Diaconatus in futurum tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae restitui poterit ».

Secunda, de secunda phrasi, in qua determinatur auctoritas competens « Ad competentes autem varii generis territorialis episcoporum coetus, approbante ipso Summo Pontifice, spectat decernere, utrum et ubinam pro cura animarum huiusmodi diaconos institui opportunum sit ».

Tertia votatio, de primo membro tertiae phraseos: « Supremae Auctoritati competit decernere, utrum hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri possit ».

Quarta votatio: an conferri possit etiam iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus. Notandum est, quod si exitus tertiae suffragationis sit positivus, transire adhuc poterit ad quartam suffragationem, nempe utrum conferri possit iuvenibus sine lege caelibatus.

Si exitus quartae suffragationis sit negativus, adhuc remanet incolumis exitus tertiae suffragationis, et ultima incisa paragraphi « an e contra lex caelibatus etiam pro huiusmodi diaconis firma remanere debeat », evidenter cadunt.

Si tamen tertia et quarta non admittantur, ipso facto statuitur ultima incisa, nempe: « an e contra lex caelibatus etiam pro huiusmodi diaconis firma remanere debeat ». Denique si exitus tertiae suffragationis sit positivus, textus Concilii ita exprimeretur: « Hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri poterit ».

Proinde maxime prae oculis habere oportet pro instauratione diaconatus vere praecipuam esse hanc tertiam suffragationem; nam si reiicitur, nec de iuvenibus practice cogitari potest.

In oratione: [1] ad n. 28 « de presbyteris eorumque relatione ad Christum, ad episcopos, ad presbyterium et ad populum christianum ». [2] Contra hanc

instaurationem quis obiicere possit haec officia ac munera diaconorum etiam a laicis posse exerceri. Sed si ministerium ecclesiasticum, divinitus institutum, diversis ordinibus exercetur, et inter illos exercentes iam ab Aevo Apostolico diaconi adnumerantur, convenit omnino, ut qui nunc ad ministerium Verbi, liturgiae et caritatis pro necessitate Ecclesiae permanenter seligantur, eis manus imponantur, ut ad rectum et fructuosum exercitium ministerii sui gratia sacramentali roborati sint. Ipsos nempe privare non debemus gratiis specialibus, quae per sacramentalem ordinationem conferuntur. [3] Recolere etiam oportet legem caelibatus pro sacerdotibus nullatenus nec theoretice, nec practice in discrimen venire. Pro istis vero *firma et intacta* remanere debet.

Etiam meminisse oportet mentem maioris partis Patrum, qui in aula de hac re disceptarunt non fuisse permittendi iuvenibus iam ad diaconatum ordinatis transire ad nuptias; nec instituendi quasi seminaria pro iuvenibus qui a lege caelibatus liberati ad diaconatum ascendere velint. Sed tantum et unice agitur, quando et ubi, de iudicio competenti Coetus Episcoporum, necessitas vel utilitas pastoralis id exigat, de seligendis viris maturioris aetatis etiam uxoratis, qui fide, caritate, zelo apostolico, necnon in rebus temporalibus sint probati.

Difficile vero, ne impossibile dicamus, videtur quomodo exinde periculum reale contra legem caelibatus oriatur. Timor non apparet fundatus. Quia tamen aliqui Patres diaconatum postulaverunt pro iuvenibus idoneibus quibus non imponatur lex caelibatus, et in Concilio libertas filiorum Dei florescere oportet, etiam eis possibilitas datur ipsorum mentem suffragatione exprimendi, et sic in textu emendato secundum membrum phraseos ponitur.

Ad deminutionem denique vocationum sacerdotalium, quae ab aliquibus Patribus ex instauratione diaconatus timere videtur, animadvertendum sane est theologice longe differre vocationem ad sacerdotium et vocationem ad diaconatum, cum utriusque munera, etsi hierarchica, sint valde diversa.

Iuvat insuper prae oculis tenere, quod caelibatus considerari debet ut vocatio quae ex amore amplectitur, et non tantum veluti onus quae aegre sustinetur. Haec est et sana et, ut ita dicam, unica possibilis spiritualitas caelibatus, quod maximi momenti quidem est pro formatione sacerdotali.

Si vero practice consideretur, notandum est quod, si possibilitas instaurationis diaconatus pro solis viris maturioris aetatis, et quidem iam uxoratis, admittitur, difficultas penitus evanescit.

Moderator: Maximas gratias agimus quattuor relatoribus, pro relatione diligenter et sollerter facta, et praeprimis toti commissioni doctrinali pro labore praesertim in hoc capite tam diligenti et salebroso.

KALENDARIUM

SUFFRAGATIONUM CAPITIS TERTII SCHEMATIS CONSTITUTIONIS DE ECCLESIA

Huiusmodi Kalendarium Patribus distributum fuit in congregatione generali LXXXIII, die 18 septembris 1964.

MENSE SEPTEMBRI 1964

Die 21: suffr. 1, 2, 3, 4, 5, 6.
Die 22: suffr. 7, 8, 9, 10, 11, 12.
Die 23: suffr. 13, 14, 15, 16, 17, 18.
Die 24: suffr. 19, 20, 21, 22, 23, 24.
Die 25: suffr. 25, 26, 27, 28, 29, 30.
Die 28: suffr. 31, 32, 33, 34, 35, 36.
Die 29: suffr. 37, 38, 39.
Die 30: suffr. de integro capite.

Secretarius generalis: Incipient suffragationes circa cap. III schematis *de Ecclesia.*

Hodie omnes sex propositae fieri forsan nequeunt; attamen sequentibus diebus tempus redimemus.

Si Patres favent stare suis locis toto tempore, suffragationes expeditiores fient. Ergo rogamus Patres, ut huic nostro consilio, si ita dicere fas est, satisfaciant.

Legitur igitur textus primae suffragationis. Videatis opusculum, quod distributum est et inscriptum: *Quaesitum circa modum suffragandi schema constitutionis de Ecclesia.* Conferatis paginam quintam [*cf. vol. III, pars I, pag. 396*].

Suffragatio I, n. 18 schematis [*cf. vol. III, pars I, pag. 396-397*]. Placetne, venerabiles Patres, textus qui lectus est, an non placet? Respondeatis, quaeso.

Moderator: Nunc continuabitur disputatio de schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

PATRUM ORATIONES
(*De pastorali episcoporum munere in Ecclesia*)

1

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Concilium Vaticanum II ducere debet ad actionem pastoralem quae populum christianum et alios homines vere et efficaciter attingat. De illa necessitate nos omnes solliciti sumus, immo difficultates illius officii prememur.

Opus autem evangelizandi homines secundum mentem praesentis Concilii certe requirit a nobis episcopis modum novum docendi et regendi ecclesias nostras particulares, figuram novam actionis pastoralis. Sed schema nostrum, quod opportune principia essentialia de actione pastorali episcopi (in cap. II) proponit, tamen, mea opinione, munus episcopale potius intemporale describit et in principiis nimis generalibus sistit.

Itaque observationes proponam illum in finem ut schema nos expresse incitat: ad renovandam conscientiam quam de mundo hodierno habemus; ad quaedam mutanda et aptanda in nostro habituali modo docendi et regendi.

I. *De apta cognitione hominum.* Enixe conscii esse debemus homines, quibus nos praeconium Evangelii proferre debemus, multum differre ab illis temporis nuper elapsi, immo continuo mutari in mundo semper mobili.

Homo hodiernus est homo technicus qui a rebus technicis pendet et in illis vivit cuiusque mens et anima ita noviter conformantur.

Homo ille novo modo se gerit erga rem religiosam et circa auctoritatem quae illam proponit. Spiritu criticismi imbuitur et probatam peritiam exigit ab auctoritate. In materia religiosa considerationem non habet nisi erga ea quae vera et authentica sunt, et propterea confidentiam suam dat eis qui Christi Evangeliique eius testes et humiles ministri facti sunt. Item, omnem formam paternalismi reiiciens, renovatam habet notionem oboedientiae secundum quam proprias responsabilitates capere desiderat.

Itaque schematis textus ne praetereat nos incitare ad homines quibus missi sumus apte cognoscendos. Quod fieri deberet tum per hodierna media investigationis sociologicae, tum mediantibus sacerdotibus et laicis qui apostolatum quotidie exercent, tum etiam per nostram personalem praesentiam inter homines, variis in locis ubi degunt et laborant.

II. *De munere docendi aptando.* Ad nostrum munus docendi aptandum, tria mihi videntur peculiariter opportuna.

a) Tali modo loqui debemus, ut audiri et intelligi possemus. Omnibus autem notum est quantum lingua sic dicta ecclesiastica sit antiquata, artificialis, abstracta, a vita seiuncta, quandoque falsam prudentiam sapiens. Saepe haec est ratio cur in deserto praedicamus.

b) Integrum et authenticum mysterium Christi docere debemus non autem elenchum et indicem earum rerum quae vitandae sunt. In doctrina proponenda res secundariae, ut devotiones peculiares, non usurpentur locum doctrinae essentialis.

c) Sermo noster humilis sit. Ne usurpemur auctoritatem in solvendis problematibus quae ad competentiam Ecclesiae non pertinent. Sedulo et prudenter distinguamus inter doctrinas certas et opiniones theologicas, numquam fidem fidelium onerantes ultra id quod est necessarium. In spiritu humilitatis, e contra, cum sacerdotibus et fidelibus inquiramus cognitionem semper profundiorem Evangelii.

III. *De munere regendi et pascendi renovando.* Ut dioecesis ordinate moderetur, requiritur continua communicatio inter episcopum et fideles sacerdotesque eius.

Nobis enim multi fideles obiiciunt nostram ignorantiam eorum vitae conditionum et eorum difficultatem dialogum instituendi nobiscum. Alia ex parte, mens episcopi saepe ignoratur, quia media apta non adhibentur ut efficaciter omnes attingat. Opportunum ergo apparet ita renovare curiam dioecesanam, ut vivum sit instrumentum totius Ecclesiae dioecesanae; ad hoc autem peculiariter necesse est ius quod Capitulum regit funditus recognoscere.

Denique, ad nostram pastoralem sollicitudinem etiam pertinet renovatio aspectus nostri exterioris coram populo. De vestibus, de insignibus nostris, de appellationibus et de stylo vitae nostrae saepe in hac aula iam locutum est. Forsan praesens decretum pastorale aptus locus esset ubi formularentur, in spiritu humilitatis et paupertatis, principia renovationis in hac materia. Dixi.

Textus additus:

De curia dioecesana (art. 25).

In art. 25, loquitur de duplici coetu efformando ad episcopum adiuvandum: 1) de quodam senatu vel consilio (v. g. capitulo cathedrali), quod curam haberet *dioecesanae administrationis*; 2) de consilio pastorali cui pertinerent ea quae *ad pastoralia opera spectant.*

Haec distinctio quamdam partitionem regiminis dioecesanae proponit: ex una parte regimen *administrativum,* ex alia parte regimen *pastorale.*

Attamen illa distributio regiminis in duo consilia mihi videtur gravia incommoda afferre. Ipsa sua natura separatio difficultates et conflictus gignit qui vel unitatem regiminis frangit vel actionem Episcopi impedit et debilitat. E contra intra eumdem coetum, pacifice et fructuose componuntur diversi aspectus eiusdem gubernii.

Res iuridicae et res oeconomicae (quae sub verbo « administratio » traditionaliter veniunt) sane *distinguendae sunt* a rebus pastoralibus; ab illis autem *separandae non sunt.* Illae enim diversi ordinis sunt ad invicem dependentes ita ut, verbi gratia, ea quae in ordine oeconomico decernuntur consequentia habent in ordine pastorali, et vice versa.

Ergo magni momenti videtur consilia dioecesana quae episcopo assistunt non multiplicare, sed e contra in unum consilium congregare omnes qui diversis sub

aspectibus regimini dioecesis immediate participant. Sane constitutio illius unici consilii, secundum diversitatem conditionum et locorum, diverso modo fieri debet. Praeterea saepe et multis in locis difficilem reformationem Capituli exigere poterit.

Itaque ut episcopi adiuventur et incitentur ad necessarias mutationes operandas in curia dioecesana, sequentia propono:

In art. 25, incitatio ad consilia dioecesana suprema duplicanda in dioecesi vitetur; e contra, textus schematis proponat, propter unitatem et efficacitatem regiminis, ut in unico consilio pastorali coadunentur ii qui, sive in rebus administrativis, sive in rebus pastoralibus, responsabilitatem dioecesanam habent.

In textu schematis proponatur aptatio C.I.C. ita ut removeantur impedimenta iuridica Capituli (v. g. inamovibilitas) quae obstant actioni gubernativae hodie requisitae. Actio enim pastoralis hodierna quoddam « mobilismum » requirit cui respondere nequit Capitulum in sua figura iuridica actuali.

De religiosorum apostolatu in dioecesi (art. 33).

Mihi in genere placent principia quae formulantur in schemate relate ad apostolatum religiosorum in dioecesi. Videntur peculiariter opportuna et consentanea bonae ordinationi apostolatus ea quae pag. 20, n. 3, affirmantur de exemptione religiosorum, nempe exemptionem ordinem Institutorum internum potissimum respicere.

Vellem autem ut ad mentem illius principii emendetur n. 2 eiusdem paginae. Etenim in illo numero dicitur: « Religiosi in externum apostolatum immissi, spiritu religionis propriae imbuti semper sint oportet ».

Haec autem affirmatio mihi videtur ambigua. Significare enim potest Religiosos apostolatum eorum externum exercere debere secundum mentem ipsius eorum religionis. Quod saepe nullo modo convenit. Multo differt doctrina spiritualis (de cetero optima) talis Ordinis a spiritu qui moderari debet motus Actionis Catholicae vel paroeciam.

Ut ergo magnae difficultates vitentur, propono ut illa textus ambiguitas clarificetur.

Secretarius generalis: Legitur II suffragatio, melius: textus II suffragationis. Videatis pag. 6, n. 19 [*cf. vol. III, pars I, pag. 397*].

Quaeritur etiam hic utrum placeat an non placeat hic textus perlectus.

2

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Venerabiles Patres,

In memoriam revocans quae in hac Aula opportune dicta sunt de emigrantium pastorali cura (conferatis art. 18 schematis), liceat proponere ut maximum momentum tribuatur pastoralibus officiis ad negotium migrantium quod spectat, quod fere ubique in dies percrescit, suum in singulis nationibus praebens peculiarem aspectum; dicimus nempe: mi-

grantes ad exteras nationes, migrantes intra eiusdem territorii fines, nomades, maritimos ac fluviales navibus pergrandia flumina percurrentes, et ceteri.

Res hodie tam gravis aestimanda, ob eius varias necessitudines: religiosas scil., morales et sociales, ut non amplius unius dioecesis aut unius provinciae novam curam expostulet, sed concordia studia viresque unitas conferentiarum episcopalium.

Vobis, venerabiles Patres, nota est de hac re provida illa Constitutio Apostolica *Exsul Familia*: post duodecim tamen annos ab illius promulgatione atque actuosa exsecutione, aliquis forsan considerare potest an quaedam normae recognoscendae, quaedam addendae, quae semper novis iugiterque huius temporis increscentibus postulatis satius respondeant.

Quapropter in supracitato n. 18 schematis, pag. 13, lin. 16, tamquam secundum comma hunc vel huic similem textum submisse propono inserendum:

« Commendat Sancta Synodus ut episcoporum conferentiae praesertim nationales urgentioribus migrationum quaestionibus sedulo studeant et aptis instrumentis ac institutionibus, spirituali migrantium curae, concordi voluntate viribusque unitis consulant atque faveant, iuxta normas ab Apostolica Sede statutas vel statuendas, temporum, locorum ac personarum condicionibus apte accommodatas ». Gratias.

EXC.MUS P. D. IOANNES NUER
Episcopus tit. Phatanensis

Propter rationes peculiares, renuntio; sed interventum meum secretariatui generali iam remisi. Gratias.

Textus scripto traditus:

De cura animarum sacerdotum apostaticorum.

1. *Thesis.* Propono ut conditio sacerdotum, qui post ordinationem in vocatione sacerdotali quacumque ex causa perseverare non potuerunt, ita in posterum reordinanda sit ut ipsi regulariter ad Sacramenta accedere, familiam sibi efformare et plena pace cum Matre Ecclesia vivere possint.

2. *Disciplina traditionalis.* Propositio haec ecclesiasticae disciplinae, hucusque vigenti, permultis ex causis opponitur. Existimo enim quod malum pro semetipsis, malum pro societate, malum et pro Ecclesia in actuali situatione retinendi sunt ex-sacerdotes. 1. Malum pro semetipsis. Animadvertendum est quamplures nunc in orbe catholico exstare ex-sacerdotes. Qui omnes, eo quo ex sacerdotali defecerint vocatione, in pessima conditione versantur. Statum clericalem dereliquerunt. Statum matrimonialem inire prohibiti sunt. Si peccant, a paenitentiae Sa-

cramento arcentur. Quid igitur ipsis proponitur? Ut redeant. Si non possunt: ut progrediantur per viam quae ad perditionem ducit. Nunc quaero: an Ecclesia, Mater dulcis, Redemptoris Sponsa tam faciliter perdere patiatur eos qui inter redemptos praedilecti fuerunt. 2. Malum pro societate. Mulierem habent ex-sacerdotes, filios generant, amicos colunt, collaboratores cognoscunt. Omnes sui, suam in unum proclamant poenam. 3. Malum tandem pro ipsa Ecclesia. Ipsi enim, actualibus perplexi anxietatibus, ab Ecclesia reiecti, contra Ecclesiam militant. Societatibus nomini christiano adversis adhaerentes, ipsis ex historia ecclesiastica, quippe qui in ea melius edocti, deteriora afferunt argumenta ad eius albam denigrandam stolam. Et ita, illi qui apostoli bonitatis praeelecti fuerunt, contaminationis magistri efficiuntur. Non enim aliter super terram humanam iustitiam panemque quotidianum obtinere possunt.

3. *Possibilitas et utilitas novationis.* Cur, vero, contraria contrariis non curantur? Malumus et in hoc malum in bono vincere, apostoli Pauli ductu. 1. Caelibatus sacerdotibus perpetue iniunctus a lege mere ecclesiastica pendet. Tunc quidem, quod anteactis temporibus prudenti fortitudine imposuit Ecclesia, nunc materna bonitate obrogare potest. 2. Quod enim hic, Concilii occasione suadetur, historia nobis confirmat. Ecclesia orientalis, traditione suffulta, eum a caelibatu solvit impedimento qui a vinculo sacerdotali solvitur. Ipsa latina Ecclesia, post gallicam revolutionem, exemplum dedit. 3. Non de bono ad malum, sed de sacramento ad sacramentum, i. e. de Ordine ad matrimonium transeunt sacerdotes. De cetero: si matrimonii et sacerdotii compossibilitas admittitur antea, sicut in Ecclesia orientali in qua sacerdotes saeculares nubent, possibilitas permanere potest et postea ut sacerdotali characteri addatur matrimonium. 4. Non obstat illatio: ista concessione et aliis via aperietur ut, relicta sacerdotali disciplina, facilius ad matrimonium convolent. Minime: quia vocatio Dei gratia est; et quidem vocatio sacerdotalis vocationi matrimoniali praefertur. Inde qui vere vocati sunt melius pro peius commutare nolunt. Hoc vocatio religiosa comprobat. Sanctimoniales, e. g., monasteria relinquentes, dispensatione praehabita matrimonium ineunt. Quis nunc diceret quod omnes moniales, propter praefatam possibilitatem, ad matrimonium turmatim convolant? Immo contrarium observatur. Dilatantur monasteria et moniales, debilioribus exutae elementis, meliores reperiuntur. 5. Tandem: ex-sacerdotes, si Ecclesiae amici et filii dilecti permanent, ipsi Ecclesiae quamplurimum proficere possunt quippe qui, ampliori doctrina edocti et virtutis excellentia imbuti, praeclari apostoli veritatis et bonitatis in eorum familia, in societate et in Ecclesia existere possunt. Quod faciat Concilium.

3

Exc.mus P. D. HENRICUS ROMULUS COMPAGNONE
Episcopus Anagninus

Venerabiles Patres,

Sermo mihi est de materia quae continetur in nn. 26-33 nostri schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia...*[1]

Sequentia tantum notare velim.

1. In n. 26 laudabiliter unio sacerdotum dioecesanorum cum suo

episcopo intimior subintelligitur esse quam mere disciplinaris aut iuridica.

At insufficienter exprimitur sive cum dicitur: Sacerdotes dioecesani « unum constituunt presbyterium atque unam familiam, cuius pater est episcopus », sive cum dicitur eorum necessitudines cum episcopo « vinculis potissimum supernaturalis caritatis » inniti debere.

Certo certius fundamentalis ratio unitatis eorum cum suo episcopo consistit in hoc quod *ipsi ut sacerdotes ita se ei plene et stabiliter tradunt ut eorum sacerdotium fiat veluti extensio sacerdotii illius pro omnibus necessitatibus pastoralis ministerii in bonum animarum.*

Hoc deberet expresse dici, ut opinor, quia haec est eorum vocatio in Ecclesia, et haec proinde est propria eorum via ad sanctitatis perfectionem.

Quot bona certe venient Ecclesiae Dei, si sacerdotes dioecesani hoc sibi persuasum habeant non solum theoretice, sed etiam et praesertim practice!

2. In n. 29, omnino placet ut « supprimantur quaelibet iura praesentationis, nominationis vel reservationis » pro paroeciarum provisione. Motivum indicatur in hoc quod « muneris paroecialis tota ratio sit bonum animarum ».

Sed nonne haec ratio valet pro omnibus beneficiis et officiis in Ecclesia, immo pro ipsa Ecclesia in se? Peto igitur quod haec suppressio decernatur relate ad omnia beneficia et officia in Ecclesia. Hac in re exprimo, et libenter meam facio, petitionem cuiusdam venerabilis Patris conciliaris qui hac de causa hoc ipso tempore ob ius patronatus cuiusdam viri saecularis non parvum patitur impedimentum in libero exercitio sui ministerii pastoralis.

3. De promovenda ampliori cooperatione religiosorum in apostolatus operibus sub episcoporum moderamine, nonnulla audivimus in hac aula monita ne ea de causa Instituta religiosa damnum patiantur sive in sua structura interna quae ultra dioeceseon limites evolvitur, sive praesertim in vita religiosa ducenda secundum propriam indolem et proprium spiritum.

De hoc aestimationis signo a Patribus vitae religiosae exhibito intime gavisus sum non solum ut religiosus verum etiam ut episcopus, cum perspectum habeam religiosos tunc tantum bono non effimero ipsarum dioecesium adiumento esse cum vitam religiosam iuxta genuinum spiritum proprii Instituti sincere et intense vivunt.

Verum aliqua notare velim quae, puto, praecipua anxietatis motiva dissipare poterunt; eo vel magis quod ipsemet membrum fui subcommissionis mixtae quae ad redactionem huius textus adlaboravit.

Textus prouti iacet est brevissimum extractum, potius quam compendium, ex accuratissimo et satis amplo schemate quod apparatum fuerat, ceteris remissis ad commissionem de Codicis revisione.

In hoc textu remanserunt quaedam generaliora in quibus vix non unanimis omnino fuit membrorum subcommissionis consensus. Scil.:

1. Providendum omnino est ingravescenti animarum necessitati in mundo hodierno, ob quam innumeri Sacri Pastores enixe petierunt ut omnes Ecclesiae vires amplius et efficacius ad apostolatum concurrant.

2. Praesupponitur quoque religiosos ut tales, propter sui status intimiorem coniunctionem cum Christo et cum Ecclesia, peculiari ratione teneri ad bonum animarum procurandum.

Sed accurate notatur in textu eos imprimis teneri ad illud promovendum « oratione, expiationis operibus et propriae vitae exemplo ».

Relate ad opera exteriora clare distinguitur inter Religiones « quae ex instituto vitam contemplativam profitentur » et alias quae ob indolem propriam et proprium spiritum etiam operibus exterioribus incumbere debent in bonum animarum.

Quantum ad istarum exteriora opera duo supponuntur principia omnino firma et in vita Ecclesiae, ratione quidem prorsus diversa, necessaria: *a*) Munus apostolicum episcopi in territorio suae dioeceseos. *b*) Necessitas conservandi Ecclesiae universae et animarum bono Instituta religiosa in tota sua vitali organizatione et praesertim in integritate indolis seu spiritus proprii, quae a varietate actionis Spiritus Sancti in Ecclesia derivatur.

Ut haec duo principia sarta tectaque maneant, iura et obligationes utriusque partis, episcoporum nempe et religiosorum, debent prudenter contemperari. Ad hoc inservient ponderata praescripta legislationis futurae et, in nostro textu, mutua episcoporum et superiorum religiosorum conspiratio, et quidem in variis gradibus; sicut videri potest in pag. 20, linn. 11-15 et 16-19, et pag. 21, linn. 12-14 et 15-18.

Fateor tamen in textu haberi formulam quam puto nimis indeterminatam et periculosam. Scil. in pag. 20, lin. 28, ubi indiscriminatim dicitur religiosos exemptos in singulis dioecesibus episcoporum iurisdictioni subesse « prout horum pastorale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt ».

Quis cavebit quominus episcopus quispiam in mundo, laudabili quidem zelo pastorali motus, abutatur facultate tali modo amplo et indeterminato expressa? Omnino requiritur ut legislatio futura determinet limites non transgrediendos. Sed interim ad illam legislationem appellare oportet.

Hoc facile potest fieri introducendo in textum verba « *ad normam iuris* » (intelligitur: condendi), ita ut textus legatur in lin. 28: « ... Episcoporum iurisdictioni subsint *ad normam iuris,* prout horum pastorale munus etc. » ...[2]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Post rigorosam contractionem quam primitivum schema passum est, dici vix potest ea quae hic continentur satisfacere multis exspectationibus et postulatis quae de hac re tum commissionibus Concilii praeparatoriis tum ipsis commissionibus conciliaribus missa sunt. Neque omnino perspectum habeo quo sensu et qua vi ea quae, in primitivo schemate inclusa, postea ad commissionem de Codicis reformatione remissa sunt, ut normae aut mere vota sive suggestiones Concilii habenda sint. His perplexitatis motivis quasi per incidens attactis, ea quae in praesenti schemate habentur, et quatenus habentur, substantialiter placent. [2] In hoc consensum habeo Unionis Romae Superiorum Generalium Institutorum Religiosorum.

Secretarius generalis: Communico Patribus exitum I suffragationis:

Praesentes votantes	2.220
Dixerunt *placet*	2.166
non placet	53
Suffragium nullum	1

Ergo textus probatus est. Nunc lego textum III suffragationis [*cf. vol. III, pars I, pag. 398-399*]. Ergo: placet an non placet hic textus?

4

EXC.MUS P. D. AGNELLUS ROSSI
Archiepiscopus Rivi Nigri

Venerabiles Patres,

Nomine loquor centum et octo episcoporum Brasiliae de iis partibus schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* de quibus nunc fit disceptatio.

Duobus schematibus, scil. iis quae titulos praeferebant *de episcopis et regimine dioecesium* et respective *de cura animarum* in unum schema fusis, textus actualis universim sumptus prae anterioribus nobis placet. Aptius enim videtur nobis divisus et melius coaptari menti constitutionis *de Ecclesia.*

Attamen nonnulla videmus quae correctionem indigent. Dociles determinationibus moderatorum, observationes nostras coarctamus ad eas partes de quibus licet nunc disceptare.

Observatio prima exprimit sensum 87 episcoporum et refertur ad pag. 10, linn. 1-5, ubi definitur quid sit dioecesis. Quamvis nobis videatur actualem definitionem non parum anterioribus praestare, suggerimus hanc aliam, quae videtur nobis sub aspectu theologico et logico praeferenda, scil.: « Dioecesis est pars populi Dei in qua una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia integra et plena significatur et praesens efficitur per missionem apostolicam episcopi cum adiutorio sui presbyterii, in communione cum collegio episcopali eiusque capite ».

Observatio altera respondet sententiae 105 episcoporum et refertur ad pag. 16, lin. 30. Favemus inclusioni in textum eorum quae dicuntur in nota 17 relate ad munera vicariorum episcopalium.

Observatio tertia, quae sensum exprimit episcoporum 70, refertur ad pag. 18, linn. 28-31, ubi de parochis ob ingravescentem aetatem impeditis ab officio rite adimplendo.

De istis en sententia nostra:

De parochis invalidis idem prorsus statuatur quod pro invalidis episcopis statutum fuerit. Secundum nostram mentem vero sequens sit providentia pro utroque casu: invalidus ne invitetur neve inducatur quidem ad renuntiationem, sed ut capiti familiae integrum ei sit in medio filiorum suorum postremos vitae suae dies degere. Cum autem bonum animarum id postulet, competens auctoritas coadiutorem ei adiungat cum iurisdictione plena et exclusiva, qui titulari defuncto ipso facto succedat.

Denique iudicio Patrum subiicimus tres observationes quae referuntur ad par. 33, pag. 19-21, ubi de relationibus inter religiosos et Ordinarios locorum agitur:

Et primum quidem, nonaginta octo episcopi optant ut perspicue dicatur pro cuncta opera pastorali in dioecesi respondere unum episcopum, ceteros vero de eius responsabilitate participare.

Deinde totidem episcopi vellent Concilium decernere ut religiosorum opera pastoralia statuantur per conventiones scriptas ab episcopo et superiore signatas.

Denique, secundum opinionem 85 episcoporum, perutile esset statuere ut quotiescumque episcopus et superior religiosus dissentientes nequiverint ad consentionem venire, ad commissionem virorum e conferentiis episcoporum et religiosorum delectorum casum solvendum concredant. Dixi.

[*Consenserunt*] Em.mus P. D. Jaime de Barros Câmara; exc.mi PP. DD. Daniel Tavares Baeta Neves, Helder Pessôa Câmara, Walmor Batu Wichrowski, João Rezende Costa, Eugenio de Araujo Sales, Jorge Marcos de Oliveira, Se-

verino Mariano de Aguiar, José de Medeiros Delgado, Luiz Gonzaga Peluso, Francisco Austregésilo Mesquita, José Lamartine Soares, David Picão, Bernardo José Bueno Mieli, Clemente Isnard, Climerio Almeida Andrade, Felipe Tiago Broers, Manoel Tavares de Araujo, Wilson Laus Schmidt, Martinho Michler, Eliseu Maria Corelli, Altivo Pacheco Ribeiro, Vivente Paulo Araujo Matos, Alfonso Maria Ungarelli, Paulo Hipolito de Souza Liborio, Alberto Etges, José Terceiro de Souza, Tiago Ryan, Giovanni Gazza, José Martenetz, Camillo Faresin, Francisco Zayek, Augusto Petró, João José da Motta e Albuquerque, Bernardo Norker, Armando Cirio, Ladislau Paz, Amadeo Gonzalez Ferrero, José Pedro Araujo Costa, Acácio Rodrigues Alves, José Vicente Tavora, Abel Ribeiro Camelo, Benedito Coscia, João Victor Tiebeek, José Alves Trindade, José Lazaro Neves, Frei Cesario Alexandro Minalli, Avelar Brandão Vilela, Afonso Niehues, Antonio Campelo de Aragão, José Costa Campos, Honorato Piazera, José Maria Pires, Anselmo Pietrulla, José Adelino Dantas, Benedito Zorzi, Oscar de Oliveira, Antonio Macedo, Manoel Pereira da Costa, Salomão Ferraz, Orlando Chaves, Hugo Bressane de Araujo, Hackson Berenguer Prado, José Nicomedes Grossi, Candido Bampi, José Gonçalves da Costa, Aristides Pirovani, João Hoffmann, José Eugenio Correa, Tomas Vaquero, Vicente Zioni, Candido Padim, Antonio Batista Fragoso, Nivaldo Monte, José Bezerra Coutinho, José Mauro Alarçon Santiago, Paulo Rolim Loureiro, José de Aquino Pereira, Milton Correia Pereira, Mario de Miranda Vilas Bôas, José Thurler, Belchior Joaquim da Silva Neto, Augusto Carvalho, Gerardo Ferreira Reis, Alonso Silveira de Mello, Joaquim de Lange, José Brandão de Castro, Geraldo Maria Moraie Penido, João de Souza Lima, Romeu Alberti, Epaminondas Araujo, Ruy Serra, Carlos Eduardo Bandeira de Mello, Waldir Calheiros Novais, Jaime Luiz Coelho, João Marchesi, Miguel D'Aversa, Henrique Gelain, Arcangelo Cerqua, Alberto Ramos, José D'Angelo Neto, Pedro Paulo Koop, Edilberto Dinkelborg, Delfim Ribeiro Guedes, Claudio Colling, Antonio de C. Mayer, Fernando Gomes.

Secretarius generalis: Legitur textus IV suffragationis, quae erit ultima hoc mane. Crastina fient octo suffragationes. Textus igitur hic est: « Sicut autem permanet munus a Domino singulariter Petro ut primo apostolorum concessum et successoribus eius transmittendum, ita permanet munus apostolorum pascendi Ecclesiam, ab ordine sacrato episcoporum iugiter exercendum ». Placetne an non placet hic textus?

5

EXC.MUS P. D. RODULFUS IOSEPH STAVERMAN

Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Kotabaruensis

Venerabiles Patres,

Nomine aliquot Patrum ex Indonesia ac unius ex Sinis, liceat mihi proferre tres observationes ad schema *nostrum.*[1]

1. Prima observatio respicit n. 16 in pag. 12.

Munus regendi et pascendi describitur modo sat traditionalistico: episcopus ut verus Pater et bonus Pastor. Descriptio impressionem archaicam facit. Figura haec respondebat quidem tempore praeterito, sed non est accommodata aetate hodierna. Revera, episcopus debet esse pastor bonus, sed... sacerdotes eius, fideles eius non sunt oves in sensu vero! Episcopus debet esse pater verus, sed... parochi eius, vicarii cooperatores eius, *dioecesani*[2] eius non sunt infantes! Episcopus huius temporis in hoc mundo et in dioecesi sua alio modo stare debet quam praedecessor eius.

Omnia quae requiruntur in moderatore moderno, etiam requiruntur in episcopis huius temporis. Et merito! Fideles serio (vulgo « au sérieux ») haberi volunt a sacerdotibus suis, vicarii cooperatores audiri desiderant a parochis suis et omnes simul ut cooperatores adulti cum propria responsabilitate et cum propria inventione aliquo modo partes habere optant in iis omnibus quae ad salutem animarum aggrediuntur. Episcopus his votis et optatis modernis obsequi debet ac munus regendi et pascendi exercere debet modo his exigentiis accommodato. Hisce conditionibus impletis maiore iure a suis sacerdotibus et fidelibus exspectare potest promptitudinem oboediendi.

Breviter dictum: in n. 16 clare exprimatur munus regendi et pascendi modo moderno exerceri debere.

2. Secunda nostra observatio respicit *regulas 31 et 32 in pag. 12.*[3]

In hoc Oecumenico Concilio aliquoties attentio requisita est pro conditione miserrima in qua versantur sacerdotes sic dicti lapsi. Nunc legitur ...[4]: « Operosa misericordia prosequantur sacerdotes qui in periculo quoquo modo versantur aut in quibusdam defecerunt ». Ex una parte gaudio affecti sumus quia hoc verbum misericordiae locum obtinuit in documento conciliari; ex alia parte dolore capti sumus quia possibilitas realisandi hanc misericordiam operosam nobis fere omnino deest. Omni qua par est modestia rogo an de operosa misericordia loqui possimus usquedum *perpauci* tantum iuvari possunt, et hoc tali modo ut rumores et fabulae fere inevitabiles sint? Sancta Mater Ecclesia misericors est erga omnes et unumquemque, sed — utinam prudenter dicam — videtur Ecclesiam non velle misericordia prosequi filios illos, quorum multi forsan non tam longe a recta via aberravissent, si prius eis manus adiuvans porrecta esset.

Puto ergo largiorem solutionem necessariam esse, solutionem quae vere est signum misericordiae operosae, solutionem quae libera est ab anxietate pro sequelis possibilibus — quae anxietas videtur signum modicae fidei et offensa erga innumerabiles sacerdotes, qui Christo et Ecclesiae de die in diem fideliter serviunt — solutionem dico, quae ac-

commodata est animo fidelium modernorum et ideo sine dubio cum intellectu et reverentia ab eis accipietur.

In solutione huius problematis certe ratio habenda erit differentiarum in diversis regionibus exsistentium. Sed haec ratio non iustificat modum agendi sat rigoristicum in tota Ecclesia. Etiam hoc in casu per applicationem principii decentralizationis inveniri potest solutio regionibus diversis adaptata.

3. Tertia observatio respicit par. 3-4 in pag. 17-19.

Materia alio ordine disponatur ne errores orientur. Sic dicitur: « in animarum cura procuranda primas partes habent sacerdotes dioecesani » ...[5]. Hoc sonat discriminans relate ad sacerdotes religiosos in cura animarum laborantes, quasi essent cooperatores secundi ordinis. Praeterea minus bene concordat cum passu in quo de sacerdotibus religiosis in cura animarum laborantibus dicitur, *et merito quidem*[6]: « vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere dicendi sunt... » ...[7].

Ideo proponimus ut prius tractetur de clero curam animarum exercente absque distinctione clerum dioecesanum inter et clerum religiosum. In quantum enim sacerdotes religiosi in cura animarum laborant, cooperatores sunt episcopi, aequali modo ac sacerdotes dioecesani. Omnes sacerdotes partem habentes in cura animarum unum cum episcopo presbyterium constituunt.

His expositis agatur de discrimine inter dioecesanos et religiosos. Hoc enim discrimen non respicit curam animarum, sed eos qui curam animarum exercent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* [2] ac fideles. [3] coetum parvum inter sacerdotes nostros. [4] in hoc schemate pag. 12, linn. 31-32. [5] (n. 26 pag. 17). [6] deest. [7] (n. 32 pag. 19).

[*Subscripserunt etiam*] N. M. Schneiders, arch. Makassar; Quint. Pessers, praef. ap. Kiangchow; A. Sol, coad. Amboina; N. Geise; N. Verhoeven, ep. Manado; N. v. d. Westen, ep. Pangkalpinang; W. Dumarteau, ep. Bandjarmasin; L. v. Kessel, ep. Sintang; A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; H. Tillemans; J. De Reepe; Tarc. v. Valenberg, ep. tit. Comba; G. Lelegand, praef. ap.; A. Albers, ep. Malang; A. Soegijapranata, arch. Semarang; J. Soudant, ep. Palembang; A. Thijssen, ep. Larantuka; J. Romeijn, ep. Samarinda; A. Hermelink, ep. Tandjungkarang; H. v. der Burgt, arch. Pontaniak; P. Arntz, ep. Bandung; A. v. d. Hurk, arch. Medan; Paul Sani, ep. Denpasar; J. Klooster, ep. Surabaja.

Secretarius generalis: Communico exitum II suffragationis:

Praesentes votantes	2.206
Dixerunt *placet*	2.012

non placet	191
placet iuxta modum (nullum, ergo) .	1
Suffragia nulla	2

Ergo textus est approbatus. Venerabiles Patres, hoc mane, tristis pervenit notitia piissimae mortis exc.mi Leonis Nigris, arch. Philippensis atque secretarii generalis Pontificii Operis de Propaganda Fide. Etiam pro anima ipsius oremus et omen repetamus quod iam fecimus initio huius congregationis pro anima exc.mi Gawlina.

Moderator: Et sic finitur coadunatio hodierna. Proxima congregatio generalis erit feria III, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: De profundis clamavi... etc. Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXXV

22 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS LXXXV

22 septembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Exeant omnes! [*Intervallum*]. Festinent omnes exire!

Venerabiles Patres, heri in sua dioecesi, supremum diem sanctissime obiit exc.mus P. D. Iesus Enciso, ep. Maioricensis. Ut recordamur, exc.mus magnam partem habuit in commissione liturgica et relationem nobis dixit de re liturgica in anteriore sessione. Chorus Angelorum illum accipiat ad aeternam in caelo liturgiam celebrandam! Recitemus *de profundis*.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis...*

Secretarius generalis: Audiatis, Patres venerabiles! Exsequiae exc.mi D. Nigris habebuntur hora 17 huius diei in ecclesia S. Andreae in Hortis seu de fractis. Exsequiae vero exc.mi D. Gawlina habebuntur crastina, hora 16, in ecclesia Duodecim Ss. Apostolorum.

Hanc 85 congregationem generalem moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Prouti dictum est, terminus pro exhibendis summariis quoad schema *de divina revelatione* est dies 25 huius mensis. Statuentibus em.mis moderatoribus, disceptatio hoc ordine fiet:

Imprimis, fiet disceptatio circa prooemium, cap. I, quod inscribitur « de ipsa revelatione », et cap. II, quod inscribitur « de divinae revelationis transmissione »; deinde fiet disceptatio quoad cap. III « de Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione »; denique fiet disceptatio circa cap. IV seu « De Vetere Testamento », cap. V « De Novo Testamento », et cap. VI, quod est ultimum, « De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae ».

Ergo disceptatio veluti in tres partes dispescitur. Et hic ordo servabitur, suo tempore.

Nunc communico Patribus exitum suffragationum heri peractarum quae nondum quoad exitum communicatae sunt.

Suffragatio III habuit hunc exitum:

Inter Patres	2.211
dixerunt *placet*	2.103
non placet	106
placet iuxta modum, ergo suffragium nullum	1
Suffragium nullum	1

Ergo textus est approbatus.

Quarta vero suffragatio hunc exitum dedit:

Inter Patres	2.207
dixerunt *placet*	2.091
non placet	115
Suffragium nullum	1

Ergo textus hic approbatur.

In hac congregatione, venerabiles Patres, suffragationi subicientur illi duo textus qui nondum suffragati sunt heri et etiam sex textus qui erant in programmate hodierno. Ergo erunt octo suffragationes.

Cum hae suffragationes, ut ceterum aliae, tanti sint momenti et omnium nostrum episcoporum, ut in relationibus dictum est, conscientiam quam maxime teneant, rogamini vehementer, venerabiles Patres, ut vestris locis, quantum potis est, stetis toto suffragationum tempore, et caveamus ne vel thermopolii decipula impediat quominus suffragationes rite et bene fiant.

Postquam legero nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa schema quod nunc discutitur, legam primam suffragationem hodiernam, ita ut omnia bene et composite progredi possint.

Nunc lego nomina. Verbum facere postulaverunt circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: exc.mi DD. Ioannes Guyot, ep. Constantiensis in Gallia; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Richardus Guilly, ep. Georgiopolitanus in Guyana Britannica; Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis in Gallia; Paulus Barrachina, ep. Oriolensis-Lucentinus in Hispania; Aemilius Guerry, arch. Cameracensis in Gallia; Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis in Gallia; Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Marius Maziers, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Heribertus Bednorz, ep. tit. Bullensium Regiorum; Michaël Miranda, arch. Mexicanus in Mexico; Ioannes Iriarte, ep. Reconquistensis in Argentina; Villelmus Pluta, ep. tit. Leptimagnensis in Polonia; Leonidas Proaño, ep. Rivibambensis in Aequatore; Samuel Ruiz, ep. Chiapasensis in Me-

xico; Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum in Libano; Augustinus Lopes de Moura, ep. Portalegrensis in Lusitania; Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis in Polonia; Carolus Himmer, ep. Tornacensis in Belgio.

Et nunc proponitur suffragationi Patrum textus V suffragationis; videatis pag. 8: « Proinde docet Sacra Synodus episcopos ex divina institutione in locum apostolorum successisse, tamquam Ecclesiae pastores, quos qui audit, Christum audit, qui vero spernit, Christum spernit et Eum qui Christum misit ».

Placetne vobis, venerabiles Patres, hic textus nunc perlectus, an non placet? Respondeatis, quaeso.

PATRUM ORATIONES

(*de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*)

1

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS IOANNES GUYOT

Episcopus Constantiensis

Venerabiles Patres,

Loqui vellem circa n. 26 schematis, ubi agitur de clero dioecesano. Prima pars interventionis meae tractabit « de sacerdotio presbyterorum » in genere. Secunda in specie « de relationibus inter episcopum et sacerdotes ».

In prima parte loquar in nomine episcopatus Galliae, in secunda parte, nomine proprio.

Prima pars. Insertio in schema nostrum novi textus, in quo agitur *de clero dioecesano,* plene respondet votis a pluribus Patribus in aula expressis, decursu sessionis antecedentis.

De facto, revera gaudemus quod sacerdotium presbyterorum — etiam religiosorum — melius in lucem ponitur, in nova redactione diversorum schematum.

Attamen, intuitu novi progressus, tria proponere intendimus:

1. Optandum esset, ut plenius appareat continuitas inter doctrinam de presbyteratu et doctrinam de episcopatu, qualis in schemate *de Ecclesia* exponitur. Speciatim id quod a Concilio clarius determinabitur, relate ad sacramentalitatem et collegialitatem episcopatus, consequentias uberiores habebit pro sacerdotio secundi ordinis. Si multi presbyteri in diversis regionibus opinantur quod Concilium eos silentio

praeteriit, hoc eo explicatur, quod nec illam continuitatem, nec illas consequentias clare perspiciunt.

2. Cum in textibus nostris proponuntur ad usum sacerdotum normae pastorales, vel exhortationes spirituales, valde oporteret indicare quod rationem profundam, et quasi fontem intimissimum, in ipso sacerdotio ministeriali habent. Non sufficiunt etenim rationes mere iuridicae aut morales neque solum desiderium efficaciorem effectum producendi. Et non sufficit propositio v. g. oboedientiae vel paupertatis sacerdotalis quasi esset laicalis vel monachalis.

3. Textus relativi ad presbyteratum inveniuntur in schematibus a variis commissionibus elaboratis, nempe in schemate *de Ecclesia, de pastorali episcoporum munere, de sacerdotibus, de institutione sacerdotali,* etc. Necessarium esset, ut hi textus meliorem coordinationem et aptiorem compositionem inter se habeant, ita ut cum maxima claritate appareat visio theologica unica, ex qua emanant.

Tria vota ...[1], humiliter *et*[2] instanter committimus benevolentiae summae auctoritatis Concilii ut, tempore opportuno, adimpleantur. Etenim, in hoc mundo hodierno, qui omnes quaestiones denuo movet, et in quo sacerdotes nostri tam multiplicibus ac gravibus difficultatibus obnoxii sunt, magnum levamen in adimpletione propriae missionis sacerdotalis eo magis invenient, quo lucidius conscientiam habebunt valoris et dignitatis huiusmodi missionis, in vera fidei luce.

...[3] Ita cum gaudio eam in effectum deducent apud omnes homines praesertim pauperes dum totaliter in servitium amoris sese dedicant, secundum verba illa S. Augustini: « Sit officium amoris pascere gregem Dei ».

Nunc secunda pars: (nomine meo et sub mea sola responsabilitate). Schema nostrum, in n. 26, bene in lucem ponit realitatem ac necessitatem presbyterii, hoc merito connotat, quod fundamentum presbyterii in ordine theologali sistit, i. e. in vinculo caritatis, quod speciatim datur in sacramento Ordinis.

Quod ad me attinet optarem ut in redactione definitiva textus allusio fieret ad concreta adiuncta cooperationis inter episcopum et sacerdotes suos, in mundo hodierno.

Quod enim sacerdotes hodie cupiunt, in relationibus suis cum episcopo, est quod tales relationes habeantur in mutua fiducia. Exoptant exprimere aperte quod sperant et quod timent, propriam experientiam patefacere, solutiones concretas proponere, atque, in quantum possibile est, cogitata aut incepta ad effectum deducere.

Aliis verbis, sacerdotes nostri minime volunt partem habere tantum simplicis executionis, pro decretis quae « desuper » proveniunt. Coope-

rare exoptant elaborationi actionis pastoralis in dioecesi; adesse volunt elaborationi isti, ut melius deinde collaborare possint.

Nunc autem, talis aptata collaboratio, in sinu presbyterii, supponit, in omnibus gradibus dioeceseos, *stabiles structuras dialogi,* quibus adsit episcopus, sive directe sive indirecte. Dialogus de quo agitur proprie est *dialogus pastoralis* in bonum commune dioeceseos; non ergo reducitur ad contactus individuales vel occasionales inter episcopum et sacerdotes suos, sed aliquid reale efficitur imprimis per sic dictum « laborem in coetu » (travail de groupe — teamwork).

Deficientibus huiusmodi stabilibus structuris hodie, in societate nostra tam mobili et socialisata, impossibile...[4]

In textu scripto tradito: [1] haec. [2] sed. [3] Debet ergo Concilium oecumenicum eis praebere doctrinam cohaerentem de eorum sacerdotio ministeriali, ut iure meritoque gloriari possint sua vocatione. [4] evadit dialogus pastoralis; vel dialogus efficitur quasi « inter surdos ». Quamvis magna sit eorum generositas, episcopus et sacerdotes in discrimen veniunt ambulandi in viis parallelis, quae, ut omnes norunt, solummodo in infinito conveniunt, scil. tardius certo cum de ministerio pastorali agitur...

E contra, si episcopus excitat et sustinet veram collaborationem inter sacerdotes, in variis campis apostolicis, paulatim evanescunt omnia quae animos obnubilant, conceptus unicus de rebus essentialibus in evangelizatione magis ac magis efformatur, et regnum Dei apud omnes melius promoveatur.

Notandum est certius, ad hanc finem attingendam, structuras ipsas — etiamsi pulcherrimas — per se non sufficere. Dialogus pastoralis inter episcopum et presbyteros requirit in cordibus eorum, et spiritum fidei qui omnia illuminat, et abnegationem sui quae omnia purificat, et vitam orationis qui omnia foecundat, et caritatem divinam quae omnia vivificat.

Si tales dispositiones inveniuntur sub influxu mirabili Spiritus Sancti, tunc efficitur, sicut ait schema nostrum, « vera consociatio sacerdotum voluntatis cum episcopi voluntate, quae pastoralem eorum actionem reddit uberiorem ».

Conclusio. Concilium Vaticanum Secundum iam antiquum ritum concelebrationis renovavit quo feliciter manifestatur unitas sacerdotii Christi in dispensatione mysteriorum Dei.

Quod fit in liturgia, nunc debet fieri in vita.

Caritas Christi urget nos, venerabiles Fratres, antiquum presbyterium opportuno modo pro nostris temporibus renovare, quo unitas sacerdotii Christi manifestabitur in tota vita sacerdotum.

Moderator: Exc.me Domine, tempus tuum exhaustum est. Loquatur nunc exc.mus D. Alexander Renard.

Exc. P. D. Renard: Venerabiles Patres...

Secretarius generalis: Sinas, exc.me Domine, ut legam VI suffragationem. Videatis pag. 8, n. 21 [*cf. vol. III, pars I, pag. 399*]. Placetne an non placet, Patres venerabiles?

2

EXC.MUS P. D. ALEXANDER RENARD
Episcopus Versaliensis

Venerabiles Patres,

Aliquas animadversiones de presbyterio, *velim breviter exponere.*[1]

1. Libenter legitur ut sacerdotes una cum episcopo « unum constituunt presbyterium ...[2] cuius Pater est episcopus ». At, expressio « sacerdotes dioecesani » forsan minus felix apparet. Unum enim est sacerdotium: sacerdotium Christi, sacramento Ordinis *ab* [3] episcopis omnibus sacerdotibus, sive regularibus sive saecularibus, communicatum est. Expressio « presbyterium dioecesanum » aptior videtur: complectitur enim in unum omnes sacerdotes qui, in dioecesi, sunt « providi cooperatores Ordinis episcopalis effecti ».

2. Ab ipso Summo Pontifice *in litteris Ecclesiam Suam* [4] feliciter invitati sumus ad meditationem de natura nostra et de munere nostro priusquam ad mundum transimus. In hac mente apparet necessitas sublineandi unionem sacerdotum in presbyterio non esse aliquid accidentale vel superadditum sacerdotio, sed ad ipsam naturam sacerdotii et ad missionem eius pertinere. Hoc presbyterium radicem sumit *in sacramento ordinis.*[5]

Atqui actio sequitur esse: natura sacerdotii elucere debet in vita sive communi sive personali membrorum huius presbyterii.

Episcopus, ad plenitudinem caritatis in servitium hominum, Spiritum Sanctum accepit. Sacerdotes ordinati et missi, ad eamdem gratiam caritatis pastoralis participant [6]: unde sacerdotium et apostolatus concrete exerceri debent in vita quotidiana, inter presbyteros et episcopum, simul ac inter ipsos presbyteros, qualiscumque sit diversitas ministrationum...[7] Inde haec vota propono:

a) Sacerdotes et episcopi, propter unitatem essentialem in eodem sacerdotio, alteri alteris indigent ...[8], ad cognitionem plebis, ad munus pastorale perficiendum, ad vitam sacerdotalem tam spiritualem quam materialem melius disponendam. Sacerdotes saepius oculi et manus episcopi sunt. Semper sunt etiam necessarii cooperatores episcopi, sicut episcopus est illorum necessariae unitatis effector et signum.

b) « Spiritus ubi vult spirat » ...[9], in toto populo Dei et in toto presbyterio: si Spiritus singulari modo episcopum in munere suo assistat, etiam adiuvat sacerdotes qui illum audiunt in oratione et in ministerio. Ideoque eget episcopus experientiae et consilii suorum sacerdotum ad melius suae dioeceseos vitam impellendam...[10]

Conclusio: Aspiciendo presbyterium in lumine fidei, gravia sacerdotalis vitae problemata facilius solventur: cura caritatis fraternae, obedientiae filialis, castitatis et paupertatis, sollicitudo sacerdotum in difficultatibus versantium, atque exoptata multiplicatio vocationum...[11] Utinam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sicut praebetur in n. 26 cap. II schematis velim exponere. [2] atque unam familiam. [3] in plenitudine episcopis et ab ipsis. [4] deest. [5] — secundum ordinem ipsius sacramenti — in sacerdotio. [6] deest. [7] Uno verbo, realitas presbyterii non est primum aliquid ordinis moralis aut practici, sed habet fundamentum in realitate Sacramenti. Hoc schema est valde nimis morale. 3. Vita mutua in presbyterio expressius indicari debet: episcopus enim, ad plenitudinem caritatis in servitium hominum, Spiritum Sanctum accepit. Sacerdotes ordinati et missi, ad eamdem gratiam caritatis pastoralis participant: una cum episcopo et toto presbyterio, hanc missionem exercere debent. [8] ad opus apostolicum. [9] (*Io.* 3, 8). [10] et moderandam. [11] Antiquum presbyterium, nostro tempore adaptatum, in fide exercitum, pignus renovationis erit tam pro Ecclesia quam pro clero dioecesano.

3

EXC.MUS P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY
Episcopus Georgiopolitanus

Loquar nomine meo et nomine 17 aliorum Patrum qui textum subsignaverunt.[1]

Venerabiles Patres,

Schema agit de pastorali episcoporum munere *in Ecclesia.*

Quando in aula discutiebatur constitutio dogmatica *de Ecclesia,* per longum et latum sermo factus est de collegio episcoporum, et non solum de eius potestate sed etiam de eius responsabilitate pro tota Ecclesia.

Sed nunc, dum in sectionibus 32 ss. *cap. II*[2] agitur de collaboratione inter episcopos et religiosos, sermo tantum fit de episcopis ut Ordinariis singularum dioecesium et nulla mentio fit collegii episcoporum nec responsabilitatis eius pro Ecclesia universa.

Tandem *delicata*[3] quaestio de religiosorum exemptione adaequate intelligi nequit, nisi religiosi — saltem ii qui non sunt iuris dioecesani — considerentur tamquam auxiliares collegii episcoporum per caput eius Summum Pontificem, in bonum universae Ecclesiae. Non sufficit ut religiosi considerentur tantum ut adiutores singulorum Ordinariorum in particularibus dioecesibus suis.

Verum est quod pauca verba hac de re habentur in pag. 20 (linn. 25-26), ubi legimus: (*citatio* [4]) « quin immo, ut de illis Summus Pontifex disponere possit pro inceptis in bonum Ecclesiae universae ». Sed meo humili iudicio non satis emphatice tractatur de momento exemptionis pro bono totius Ecclesiae.

Clarius de hac re iam egit exc.mus D. Veuillot in pag. 11 relationis suae: sed nec ibidem explicatur, quomodo per exemptionem totum collegium episcoporum hoc modo per Summum Pontificem adiuvari possit ut satisfaciat obligationi suae erga Ecclesiam universam. A. v.: valor exemptionis explicandus est ex eius functione superdioecesana, ex eius momento universali pro Ecclesia, et praesertim ex eius necessitate pro vita Ecclesiae in missionibus.

In hoc contextu liberum mihi sit, venerabiles Patres, citare exemplum propriae meae dioecesis. Ego, sicut plurimi ex vobis, episcopus sum dioecesis missionariae. Dioecesis mea, sicut dioeceses plurium vestrum, non habet numerum sufficientem sacerdotum indigenarum nec sufficit numerus religiosarum quae in ipso territorio dioecesis meae natae sunt: Ex circa 60 sacerdotibus fere 50 sunt ex familiis religiosis qui ex terris exteris in auxilium nostrum veniunt. Simili modo plus quam dimidia pars religiosarum sunt membra Institutorum Religiosorum super-dioecesanorum et illae quoque aliunde nobis adveniunt: Sine dubio, dioecesis mea sine tali adiutorio inculta esset quoad omnia quae ad fidem nostram spectant.

Sed bene notetis, velim, quod omnes hi validi cooperatores, iam bene formati, ad nos venire possunt, quia sunt ad plenam dispositionem collegii episcoporum per Summum Pontificem, h. e.: quia exempti sunt seu quia non sunt ad dispositionem unius solius episcopi.

Si exemptio hoc modo intelligatur, non est aliquid ullo modo odiosum: e contra, est libertas quae secumfert obligationem oboedientiae erga collegium episcoporum per Caput eius, Summum Pontificem, ad ingens bonum totius Ecclesiae.

Peto proinde ut hae ideae claris et disertis verbis in schemate exprimantur tamquam basis totius quaestionis de religiosorum exemptione.

Ad hunc finem omnino optandum est ut introducantur in documentis Concilii aliqua verba Summi Pontificis Pauli VI, *feliciter regnantis,*[5] in solemni Allocutione die 23 mensis maii huius anni prolata, uti desideratur a multis Patribus.

Iam in relatione (pag. 11) invenitur citatio ex hac Allocutione Summi Pontificis, sed haec citatio non totam mentem eius manifestat. Nam statim post verba in relatione adducta, Summus Pontifex sic prosequitur: « Religiosi enim sodales semper et ubique Romani Pontificis

potestati, utpote Supremo suo Moderatori *in primis* subiciuntur. Instituta igitur Religiosa praesto sunt Romano Pontifici in iis operibus quae *ad bonum Ecclesiae universae* pertinent. Quod autem attinet ad sacri apostolatus exercitium in variis dioecesibus, religiosi sodales subsunt etiam episcoporum iurisdictioni, quibus auxilium praebere tenentur, *salva semper apostolatus natura ipsorum propria* et vitae religiosae necessitatibus »...[6]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] difficilis. [4] deest. [5] deest. [6] Uti patet, inclusio verborum « salva semper apostolatus natura ipsorum propria » omnino necessaria est ad totam mentem Summi Pontificis manifestandam. Concludendo peto, ut in hac re tam delicata et difficili caute procedatur, ne generosa capacitas Institutorum religiosorum in bonum missionum et totius Ecclesiae, pro qua nos episcopi missionarii gratissimi sumus, detrimentum capiat.

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Legitur textus suffragationis VII. Pag 8 [*cf. vol. III, pars I, pag. 400*]. Placetne an non placet hic textus?

4

EXC.MUS P. D. IOSEPH URTASUN
Archiepiscopus Avenionensis

Patres venerabiles,

Ob abundantiam oratorum eiusdem linguae, erat in votis meis non loquendi hodie. Oboedientiae actum et reverentiae facio exc.mo D. subsecretario.[1]

Episcopalis missio supponit gratiam et potestatem a Christo collatam. Gaudent multi Patres, quod hoc decretum commemorat doctrinam sacramentalitatis episcopatus et collegialitatis ...[2], de quibus in constitutione dogmatica *de Ecclesia* agitur et ...[3] Concilium *dat vel*[4] dabit decisiones. Pluribus item placet divisio huius decreti in tria capita, necnon eorum progressus.

Hoc cap. II opportune insistit in muneribus episcopi dioecesani, sive territorium regendum habeat vel non. Vocabulum « *Ecclesia peculiaris* » refertur modo magis pastorali quam iuridico ad clerum et populum uni episcopo concreditum.

Forsitan, non neglectis principiis bene relatis, Sacrosancta Synodus

pressius determinare posset actionem pastoralem successorum apostolorum in nostra aetate.

Scopus interventionis *meae erat*[5] indicare quod episcopi ...[6] contactus confidentes habere debent cum propriis sacerdotibus. *Iam optime dictum*[7]...

In angustiis, in solitudine valde periculosa, sicut inter labores ministerii sacerdotalis, *presbyteri*[8] animum et adiutorium expectant ex corde eorum Patris.

Ceterum, episcopus fortiter adiuvatur a sacerdotibus, non solum quia sunt primi et necessarii collaboratores muneris *pastoralis,*[9] sed etiam quia episcopus et presbyteri membra sunt eiusdem familiae. Pater in suis difficultatibus a filiis consolatur.

...[10] Quoad n. 28, inter parochorum munera designetur unio cum aliis parochis civitatis aut districtus, in primis cum sacerdotibus cooperatoribus, qui sunt sub eius auctoritate sicut cum iis quibus committuntur opera supraparoecialia. Sic erit incitamentum ad formam pastoralem, lingua gallica sic dicta « pastorale d'ensemble », quae fructus producere incipit quando sacerdotes cum laicis adlaborant, praesertim cum militantibus in Actione catholica et in aliis operibus apostolatus ad bonum catholicorum, necnon aliorum fratrum etiam non christianorum.

Cooperatio certe institui debet cum religiosis mulieribus et fratribus, sed principaliter cum sacerdotibus ad Instituta religiosa pertinentibus. In n. 32 melius esset dicere, mea sententia, quod sacerdotes religiosi ad *clerum dioeceseos* pertinent, quam ad *clerum dioecesanum.* Si auxilium afferre debent quam maxime apostolatui Pastoris dioecesani, hic servitiis religiosorum uti debet ratione habita finalitatis specialis uniuscuiusque Ordinis vel Congregationis.

Sic ergo agamus, ut cum auxilio Spiritus Sancti, mundo hodierno testimonium praebeamus amoris paterni et fraterni ...[11], pro ovibus *Christi*[12] et pro aliis ovibus quae adhuc non sunt ex ovili Ecclesiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] episcopalis. [3] tempore opportuno. [4] deest. [5] praesentis est. [6] sicut partes assumunt quoad universam Ecclesiam, sub ductu successoris Petri, et obligationem adlaborandi una cum aliis episcopis eiusdem nationis aut regionis, insuper. [7] In n. 26 pag. 16 agitur de clero dioecesano. Sacerdotes gratiam sacramenti Ordinis ab episcopo recipiunt necnon instructiones doctrinales et practicas, impulsum et incitamenta per litteras et conversationes tam particulares quam collectivas. [8] deest. [9] pastoris. [10] Certe non potest secundum sanam traditionem fieri assimilationem inter collegialitatem episcopalem et unionem presbyterii cum episcopo. Ibi tamen apparet imago et exemplar coniunctionis cleri ex una parte cum episcopo, et ex altera parte cum membris cleri dioeceseos. [11] in Christo. [12] nostris.

Secretarius generalis: Em.me Moderator, sinas ut legam exitum suffragationis et novam suffragationem.

Moderator: Loquaris.

Secretarius generalis: Quoad V suffragationem

votum dederunt	2.248 patres
dixerunt *placet*	2.197 *
non placet	50
votum nullum	nullum, forsan prima vice!

Nunc lego textum suffragationis VIII. Videatis pag. 9: « Episcopalis autem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi, quae tamen natura sua nonnisi in communione cum collegii Capite et membris exerceri possunt ». Placetne, venerabiles Patres, an non placet?

5

EXC.MUS P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Em.mi ac exc.mi Domini, carissimi Observatores et Auditores,

Schema nostrum — ut in prooemio dicitur — intendit pressius determinare pastorale episcoporum munus, attentis conditionibus huius temporis. Et, quamvis in nonnullis suum scopum consequitur, *aliqua* [1] problemata fundamentalia Ecclesiae localis tantum innuit, *alia autem nec* [2] tangit.

I. Ecclesia universalis ...[3] hucusque magis considerata fuit ut societas visibilis et iuridica quam mystica. Ideo necessarium fuit praecipuum locum dare *in Ecclesiae schemate* [4] Corpori Christi mystico ...[5] Sed illa visio Ecclesiae universalis non translata fuit, sicut decebat, *concinne, ad hoc* [6] caput de Ecclesia locali, ut haec *visio* [7] esset veluti cardo et fundamentum solutionis omnium problematum in *Ecclesia.*[8]

Ideo puto in primo numero huius capitis, in 11 scil., dioecesim partem quamdam Dominici gregis debere contemplari ut Corpus Christi mysticum quae per fidem, gratiam et caritatem aedificatur et perficitur in illo qui est Caput, Christus; ita tamen ut ea quae sunt iuridica in forma adiectiva seu incidentali inscribantur, cetera autem in forma substantiva.

Argumenta probativa huius partis trado secretariae generali Concilii.[9]

---

* Re vera suffragia *placet* fuerunt 2.198 [*cf. pag. 249*].

II. N. 26 aggreditur quaestionem maximam: de familia nempe dioecesana. Sed neque hanc structurat iuxta principia theologica, neque eius momentum in dioecesi exponit.

A linn. 8 ad 12, existentiam huius familiae declarat, quatenus sacerdotes « cooperatores ordinis episcopalis et Ecclesiae peculiari incardinati » sunt.

Sed statim schema deberet loqui de fundamento theologico, quod non clare et distincte est explicatum. Communitas enim sacerdotalis non fundatur in utilitate laborandi in communi, neque in angustia multiplicis laboris dioecesani; sed in ipso charactere sacerdotali. Ratione enim huius, quilibet ordinatus associatus manet episcopo proprio. Qua de causa, verba in linn. 15-16 contenta non sunt praecisa. Nam unio cum episcopo non potest dici necessaria ad « actionem uberiorem » — ut schema dicit — sed simpliciter ad actionem apostolicam. *Absque illa unione deficit actio proprie dicta apostolica.*[10]

Data expositione theologica, relationes episcopi ad sacerdotes, sacerdotum ad episcopum et sacerdotum ad invicem clare explicantur. Quibus rite intellectis et applicatis, vere constituetur familia dioecesana.

Sed agendo de episcopo — prima quaestio — ut sua paternitas et amor revera sit et intelligatur, ad omnia problemata debet sese extendere, in quantum possibile est: iustitiam distributivam foveat; munera cum aequitate distribuat; iustitiae socialis sit propugnator etc.

Et inter haec problemata iudico non esse minoris momenti, tam in se quam ob consequentias *pastorales,*[11] organisationem oeconomicam dioeceseos, quae implicat triplicem communicationem bonorum: 1. inter episcopum et sacerdotes, 2. inter sacerdotes ad invicem, 3. inter paroecias.

Nam adhuc hodie dantur diversae categoriae clericorum *et paroeciarum,*[12] ad imaginem Medii Aevi. Sacerdotes sese iudicant ab episcopo dilectos secundum retributionem ob munera collata, et ministeria pure pastoralia paucas relative vocationes inter sacerdotes suscitant.

Ideo necessaria evadit illa communicatio bonorum, supposita et superata iustitia, et quidem incipiendo ab episcopis, ut patet, *et postea inter sacerdotes et paroecias.*[13]

Haec omnia fundamentum habent in Scriptura:

a) Christus enim vitam gerebat communem cum apostolis, ita ut non esset nisi una administratio, ut ita dicam.

b) In communitate primaeva fidelium ita erat cor unum et anima una, ut in Actibus Apostolorum possit dici, ut maxima expressio huius communitatis bonorum, « neque quisquam inops erat inter illos »...[14]

c) Quam doctrinam apostoli seipsis imposuerunt. Petrus enim

dicit in prima epistola: « pascite qui in vobis est gregem Dei... non turpis lucri gratia sed voluntarie »...[15]. Et S. Paulus, quamvis operarius dignus sit mercede sua, laborat pro se et pro suis collaboratoribus ita ut luculenter posset dicere episcopis et presbyteris Ephesi: « argentum et aurum aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis; quoniam ad ea quae mihi opus erant et his qui mecum sunt ministraverunt manus istae »...[16]. Et revera apostolus curavit de Timotheo, curavit de Tito, commendavit legisperitum Zenam, Apollo, *Philemonem*[17] etc. ...[18]

Quare ut magister etiam in hac communicatione bonorum dicere potuerat: « in praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas, sicut scriptum est: qui multum, non abundavit, et qui modicum, non minoravit »...[19]

Quae communicatio bonorum esset optima via ad spiritum paupertatis fovendum inter episcopum et sacerdotes. Inutiliter quaestionem socialem aggredere poterimus felici exitu reali et publico, si inter nos, in Ecclesia Christi, illae differentiae non minuuntur. Et, a fortiori, non possemus loqui de Ecclesia pauperum, si nos ipsi hunc spiritum non habemus et manifestamus in favorem fratrum in inopia laborantium. Praeterea, haec communicatio bonorum, in unoquoque nostrum et sacerdotum, maior vel minor esse potest, gradus admittit, secundum alienas necessitates et uniuscuiusque sanctitatis, ut incipere valeamus et progredere.

Urgenti necessitate de hac re luculenter locutus est Paulus VI, in Encyclica *Ecclesiam suam,* a nobis, episcopis, expostulans assentionis, consilii et exempli adiumentum. Non agitur, enim, de aliquo quod sit in Ecclesiae peripheria, sed — docente ipso Paulo VI — « hoc praeceptum in Sancto Christi Evangelio tam aperte declarari et postulari, tam penitus insidere superno illi consilio, ex quo Dei adipiscendo regno destinamur »...[20]

Quare iudico necessarium de hac communicatione bonorum agi in n. 26, ut consequentia visionis Corporis mystici, et ut illa familia dioecesana, non tantum theoretice concipiatur, sed realiter instituatur.

Quae ad n. 25 referuntur, de curia dioecesana nempe, trado secretariae generali Concilii.[21] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] alia. [2] aut non. [3] historice constat. [4] Ecclesiae ut. [5] sicut factum est in schemate de Ecclesia. [6] ad. [7] conceptio. [8] dioecesi. [9] Ideo existimo: *primam veritatem* clare statuendam, *in primo numero huius capitis* esse visionem dioeceseos ad instar Ecclesiae universalis, imaginem referentis *Corporis mystici Christi. Rationes*:

a) Debet esse maxima concordantia inter Ecclesiam universalem et localem, ita ut haec reducat in praxim quaecumque illa est, intendit et praedicat.

b) Structurae dioecesanae, relationes inter episcopum et sacerdotes, domus paroeciales etc., in organizatione administrativa et iuridica praecipue sese fundabantur. Qua de causa, inutiliter Ecclesia universalis ut Corpus mysticum conciperetur, si Ecclesia localis non secundum hunc conceptum reformatur.

c) Sed primum et ultimum argumentum ex modo sese gerendi Christi cum apostolis provenit:

1. Christus enim, apparens ut amor Patris circa omnes homines, amorem praedilectionis erga apostolos manifestat: gerens cum eis vitam communem, de omnibus cum ipsis participans, nihil sibi reservans ut proprium. Et in ultima coena hoc est argumentum totius sermonis, sic dicti sacerdotalis: amorem inculcat ut expressionem exhaustivam sui apostolatus. Quam unicam doctrinam non debent oblivioni mandare apostoli cum ipsi pastores sint propriae dioeceseos.

2. Et revera haec est figura Ecclesiae primi temporis, expressa in duodecim primis capitibus Actuum Apostolorum. Omnia et singula haec capita sese referunt ad unitatem et caritatem. Iam ab initio duae factiones existebant: hebraeorum nempe et hellenistarum; sed omnes nihilominus confisi erant, ut haec unitas et caritas servaretur, sub actione invisibili Spiritus Sancti et sub actione visibili Hierarchiae.

3. Hanc conscientiam efformaverunt Apostoli in unaquaque ecclesia, ut patet ex epistolis catholicis.

S. Petrus in prima epistola ait: « ante omnia, autem, mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes... » (4, 8). Et in fine, ad omnes apostolos et presbyteros dicit: « seniores, ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior..., pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee..., neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo ».

S. Ioannes, iam episcopus suarum ecclesiarum in Asia minori, intendit demonstrare in sua prima catholica, contra Cerintum, esse veras communitates christianas, seu in Deo formatas, eas quae in caritate fundantur et caritate moventur.

4. S. Paulus, denique, iuxta quem Ecclesia est Corpus Christi mysticum, et omnes unam personam efformamus, concipiebat ecclesias locales ad instar universalis (*1 Cor.* 1, 13; 12, 12-13; *Gal.* 3, 28; *Col.* 3, 11...). Et sic, speciali modo prosequebatur Titum et Timotheum; eos vocat filios carissimos, cum illis convivit et absentes cupit eos videre. Et cum eos constituit episcopos Cretae et Ephesi admonet: Oportet episcopum esse non superbum, non iracundum, non percussorem... (*1 Tim.* 3, 3; *Tit.* 1, 7).

Ideo ad conclusionem huius primae partis pervenio:

In numero 11, primo huius capitis II, in forma adiectiva quae sunt iuridica inscribantur; forma autem substantiva, clare et distincte appareat:

1) ecclesiam localem debere constitui ut Corpus Christi mysticum;

2) ita ut in ea resplendeant unitas, ab omnibus uno animo consequenda, sanctitas, catholicitas et apostolicitas;

3) cuius finis essentialis non est nisi diffusio fidei, gratiae et caritatis, inter catholicos et fratres separatos, ab episcopo, dioecesis capite et patre, una cum suis sacerdotibus.

[10] deest. [11] totius generis. [12] deest. [13] deest. [14] (*Act.* 4, 34). [15] (*1 Pt.* 5, 2-3). [16] (*Act.* 20, 23). [17] deest. [18] (*Tit.* 3, 13). [19] (*2 Cor.* 8, 14). [20] (*A.A.S.*, [1964], pag. 634).

[21] III. Verba quae in numero 25 ad Curiam dioecesanam sese referunt, innuunt necessariam reformationem, et merito quidem; sed quae a linea 31 ad 40 dicuntur, videntur aequivoca, ansam praebendo confusioni.

Curia dioecesana usque ad nostros dies, ratione conceptionis historicae Ecclesiae, erat curia administrativa, vel potius iuridica. Nunc autem, supposito nostro pastorali munere vel servitio, haec enucleanda iudico:

a) Curia dioecesana, tribuentes huic vocabulo historico significationem ampliorem vel universalem, est certe instrumentum episcopi, et quidem praecipuum instrumentum, eius sicuti manus longa.

b) Ideo Curia debet imprimis sese occupare, vel episcopo adiuvare, in rebus specificis et magis propriis Pastoris.

Schema autem, in ultima linea pagellae 16 et in prima subsequentis, affirmat: « Curiam esse episcopi instrumentum, non tantum ad dioecesim administrandam, sed etiam ad opera apostolatus exercenda ». Haec verba « sed etiam » non videntur propria, cum opera apostolatus vel pastoralia sint maioris momenti et praecipua. Curia enim, ope sacerdotum, vel melius Consilii alicuius efformandi, vel alius Vicarii Generalis, debet curare primum de opere pastorali, et secundo de re administrativa.

Haec divisio nihilominus, inter functiones administrativas et apostolatus, fortasse non sit adaequata. Quia, praeterea, quae ad Ius Canonicum referuntur multoties sunt pastoralia et aliquando administrativa. Quare non erit otiosum in schemate enucleare has non sat divisas functiones.

Schema agit in hoc numero de laicis, ad integrandum illud consilium pastorale, et bene quidem. Sed etiam illi partes habere debent in Curia relate ad burocratiam — ut ita dicam — et administrationem oeconomicam. Sacerdotes enim sunt magis necessarii pro apostolatu, fortasse non sint in administratione tam idonei quam laici periti, et necessarium denique iudico fideles posse contemplari quae intra Ecclesiam sunt: ad ipsorum fiduciam, ad maiorem relationem fovendam et ut, illis testibus, tuti nos simus coram omnibus.

Secretarius generalis: Audiatis, Patres venerabiles. In exitu ultimo suffragationis errorem commisi.

Nam *placet* non fuerunt 2.197, uti dixi, sed, ut prostat ex hoc actu subsignato a notariis, sunt 2.198. Ita summa bene se habet.

Nunc communico exitum alterius suffragationis mane peractae.

Suffragium dederunt	2.246	Patres
Dixerunt *placet*	2.201	
non placet	44	
placet iuxta modum, ergo nullum	1	

Textus probatus est. Et nunc lego textum suffragationis IX, pag. 9 [*cf. vol. III, pars I, pag. 400*]. Placet an non placet hic textus?

6

Exc.mus P. D. AEMILIUS MAURITIUS GUERRY
Archiepiscopus Cameracensis

Venerabiles Patres,

Schema nostrum ...[1] bene exponit munus docendi episcopi in sua forma traditionali, scil. secundum modum didacticum, iis mediis adhibitis, quae semper in usu fuerunt et semper necessaria in Ecclesia erunt.

Mihi autem utile videtur, alteram formam indicare in munere docendi episcopi, quae apte respondet exigentiis nostri temporis.

Hac in re tria sunt consideranda:

1. Qualis est forma illa nova docendi?
2. Momentum et efficacitas huius methodi?
3. Quales conditiones in hoc casu ab episcopo requiruntur?

I pars. *Forma nova huius modi docendi.* Agitur essentialiter de *declaratione publica* episcopi, quam profert occasione alicuius eventus in adiunctis actualibus, v. g. aliquis conflictus socialis, actio ad limitandum numerum prolis, factum quod refertur ad pacem inter nationes, vel ad contentiones pro armis augendis, etc.

Pontifex Pius XII exemplum dederat huius methodi pro applicatione hodierna Evangelii et legis naturalis, in suis magnis orationibus ad varias categorias professionales, in quibus accurate perpendebat facta et problemata nostri temporis.

Licet certe sperare, quod methodus illa maius semper momentum in futurum habitura est, quia fundatur in extensione magis ac magis veloci relationum inter Ecclesiam et mundum hodiernum.

II pars. *Momentum et efficacitas huius formae docendi.*

1. Constituit pro episcopo occasionem asserendi *praesentiam Ecclesiae ad homines nostri temporis,* et manifestandi sollicitudinem eius maternam relate ad eorum problemata humana, necnon ad eorum difficultates sive materiales sive spirituales. Ex hoc explicatur fama universalis Encyclicae *Pacem in Terris.*

2. Constituit pro episcopo occasionem opportunissimam verba *faciendi ad non-catholicos suae dioeceseos,* et manifestandi existentiam et divitias doctrinae socialis Ecclesiae. Hoc in casu veram actionem missionariam plene exercet.

3. Constituit pro episcopo occasionem optimam *Iesum Christum annuntiandi,* necnon propositum Dei revelandi, in ordine ad salutem universi mundi. Tunc exponere potest quomodo ordo temporalis, quanquam

ab ordine spirituali distinguatur, ab eo tamen non seiungitur. Quinimmo, tunc docendi sunt homines quomodo in hoc ordine temporali Christum invenire possunt et debent, et ex fide vivere, quae caritate imbuitur, per integrum decursum eorum vitae humanae.

III pars, tandem. *Conditiones quae ex parte episcopi requiruntur.*

1ª conditio. Episcopus habere debet *cognitionem accuratam* facti socialis (in suis radicibus, causis et consequentiis), praesertim adhibitis informationibus quae obtineri possunt a laicis hac in materia peritis, vel a theologis speciali doctrina pollentibus.

2ª conditio. Prudentia supranaturalis, ut interveniat tantum in casibus opportunis, postquam omnes consequentias perpenderit, et omnia semper in luce superiori considerando, et ante omnia sese ab omni passione politica liberando. Interventio eius unice tanquam exigentia muneris sui pastoralis apparere debet, in quantum sua responsabilitas episcopalis id requirit.

3ª conditio. Amor ardens erga omnes, etiam si aliquam iniustitiam denunciare debet, eo modo ut sola caritas Christi elucescat in suo modo agendi et loquendi.

4ª conditio. Humilitas, dum non praesumit omnia sapere, sed promptus est ad attente audiendum, priusquam proferat quodcumque verbum.

5ª conditio. Audacia, quia scit quod in discrimen exponit omnem suam responsabilitatem, et promptus esse debet ad sacrificium propriae famae, quia revera agitur de sua missione evangelizationis.

6ª tandem. Claritas in expositione, quae fieri debet terminis simplicibus, quos omnes intelligere possint, ad illustrandam doctrinam evangelicam, in firmissima theologia fundatam, et maturius meditatam, in unione cum Christo, et in subiectione Spiritui Sancto.

Votum: Mihi optandum videtur, ut mentio fiat in schemate nostro ...[2] huius novae formae docendi pro episcopo, scil. per modum declarationis publicae occasione alicuius eventus vitae actualis, ut ita Christus praedicetur et exhibeatur in suo conatu ad homines inquirendos per decursum totius eorum vitae humanae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cap. II). [2] (V, 13).

Secretarius generalis: En exitum suffragationis VII:

Inter	2.240	Patres
dixerunt *placet*	2.117	
non placet	123	

et nullum votum nullum.

Ergo textus est probatus. Nunc lego textum suffragationis X, pag. 9, n. 22: « Sicut statuente Domino, S. Petrus et ceteri apostoli unum collegium apostolicum constituunt, eadem ratione Romanus Pontifex, successor Petri, et episcopi, successores apostolorum, inter se coniunguntur ». Placetne, venerabiles Patres, an non placet haec propositio?

7

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE
Episcopus Anneciensis

Venerabiles Patres,

Duas animadversiones vellem vestro sapienti iudicio proponere ex comparatione nn. 16 et 26 ortas et menti multorum hodiernorum sacerdotum adaptatas.[1]

Prima animadversio. Amplior desideratur expositio curae pastoralis episcopalis circa sacerdotes: amplior quoad extensionem, amplior quoad spiritum.

a) Quoad extensionem: ...[2] Si valde commendandum videtur, quod fit in n. 16, ut sollicitudo pastoralis episcopi extendatur ad conditiones spirituales, intellectuales ac etiam materiales suorum sacerdotum, si opportunus fit sermo de exercitiis spiritualibus diuturnioribus, de institutione continuata, durante tota vita sacerdotali in rebus doctrinae sacrae et scientiae socialis ac pastoralis, ad latiorem campum progredi debemus in textu conciliari: *etenim* [3] ad curam episcopalem essentialiter pertinet ita ordinandi et coordinandi laborem sacerdotum ne quidam sentiant se nimio obrutos esse labore pastorali, dum alii videantur sibi ipsis insufficienti labori sacerdotali addictis. Pariter ad curam episcopalem pertinet quaerendi et omnimode favendi prudentem simul ac audacem evolutionem formarum atque structurarum vitae pastoralis sacerdotum, ut magis aptentur necessitatibus evangelizationis hodiernae. Talis extensiva comprehensio curae episcopalis exprimi in nostro textu deberet et sic nutriretur apud quosdam, et quidem generosos sacerdotes, lassitudine vel depressione pastorali obnoxios, spes fundata praesentiae sacerdotalis efficacis in mundo hodierno. Hae gravissimae quaestiones de aequilibrio vitae sacerdotalis in proprio labore deque quodam gaudio in isto labore pro ...[4] sacerdotibus intime connectuntur cum spiritualitate cleri dioecesani. Et hoc pertinet in primis ad munus pastorale episcoporum.

b) Amplior expositio curae ...[5] episcopalis quoad spiritum quo imbuenda est.

Duae notae memorandae essent. Notae huius spiritus, quem dixit exc.mus Guyot, de mutua cooperatione, addere vellem notam istam: de spiritu magis universali.[6]

Optime schema nostrum incipit loquendo de cura episcopi quoad Ecclesiam universalem. Sed quando tractatur de cura episcopi quoad Ecclesiam particularem, videtur schema amisisse hunc respectum universalem. At quaestio ponitur: Estne possibile regere Ecclesiam particularem quin tota illa Ecclesia et imprimis sacerdotes dioecesani se sentiant participes curae universalis episcopi proprii?

Secunda animadversio. Amplior desideratur explicatio cooperationis sacerdotum dioecesanorum in cura episcopali. Quae explicatio in n. 26 duo puncta tangere deberet:

1. Non sufficit, ut ait textus, pag. 17, linn. 14-16, ut caritas supernaturalis animet voluntatem quamdam consociationis voluntatis sacerdotum cum voluntate episcopi ut ipso facto actio pastoralis reddatur uberior. Necesse esset mentionem faciendi *operositatis*[7] boni iudicii pastoralis concordis cum iudicio episcopi eiusque presbyterii. Unusquisque nostrum cognoscit quosdam, ut ita dicitur, supernaturales sacerdotes, qui semper sese dicunt oboedientes et sunt frequenter extra viam. Ex altera parte periculosum est pro efficacitate nostri textus si voluntas episcopi dicitur solus finis consociationis cum episcopo pro sacerdote.

2. Non sufficit, ut ait textus pag. 17, lin. 18, ut sacerdotes dioecesani hortentur in sollicitudine boni spiritualis universae dioecesis. Invitandi sunt *etiam*[8] ad participandam sollicitudinem ordinis episcopalis in Ecclesiam universalem.

Conclusio. Emendationes his animadversionibus consentaneas trado secretariae generali ...[9]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Cogitando de magna exspectatione nostrorum sacerdotum circa Concilium et ea quae dicet et faciet Concilium de sacerdotali munere in Ecclesia, contuli duos numeros nostri schematis maxime inter se connexos: n. 16 scil., de regimine episcoporum, et n. 26 de clero dioecesano, quibus desiderantur intimior connexio ac quaedam mutationes, ut melius respondeatur menti ac quaestionibus hodiernis sacerdotum. [2] Nam. [3] nam. [4] nostris. [5] pastoralis. [6] Fas sit duas notas memorare quae hunc spiritum aptius exprimerent: spiritus magis cooperativus; spiritus magis universalis. Spiritus magis cooperativus inter episcopum et presbyteros suos. Non sufficit loqui de cura episcopi circa sacerdotes, explicitius loquendum est de cura cooperante episcopi cum sacerdotibus. Relationes inter episcopum et sacerdotes eo intimiores fient quo in eodem labore mutuam operam sibi praestant. Necessitas cooperationis non tantummodo in numero de sacerdotibus affirmanda est, sed tanquam modus exercendi curam episcopalem dicenda est. Spiritus magis universalis. [7] ope-

rositas. [8] deest. [9] Ad n. 16, in fine lin. 30. Curent insuper episcopi ut in communi pastorali labore cum presbyteris unumquemque cooperatorum nitentur vocare in plenam responsabilitatem. Faveant talem coordinationem laboris pastoralis atque adaptionem necessitatibus hodiernis, ut spes fundata afferatur sacerdotibus praesentiae efficacis in mundo hodierno. Aperiant mentem presbyterorum cooperationi cum ordine episcopali universo. Ad n. 26, pag. 17, lin. 15, post verbum « cum episcopi voluntate » et ante « eorundem actionem » inseratur « et iudicii pastoralis concordia cum orientationibus episcopi ». Ad n. 26 lin. 18, post verba « universae dioecesis » et ante « sollicitos » inseratur: « et Ecclesiae universalis Ordini episcoporum una cum Papa commissae ».

Secretarius generalis: Proponitur textus suffragationis XI [*cf. vol. III, pars I, pag. 401*]. Placetne an non placet haec propositio?

Nunc lego exitum suffragationis VIII:

Patres qui suffragium tulerunt sunt	2.247
Dixerunt *placet*	1.917
non placet	328
placet iuxta modum	1
Suffragium nullum	1

Ergo textus est probatus.

8

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Bhopalensis

Venerabiles Fratres,

...[1] Inter problemata hucusque magis ventilata est habitudo inter episcopos et clerum regularem. Quae hucusque de hac re audivimus aut unius aut alterius tantum partis positionem astruebant. Quidam vindicaverunt religiosorum ius ad exemptionem et autonomiam, tum in bonum vitae religiosae, quae est secundum quid finis in se, tum in bonum universalis Ecclesiae. Alii vindicant necessitatem apostolatus melius animandi et aptius coordinandi, quod quidem ampliorem episcoporum potestatem in religiosos requirit. Thesis ponitur et antithesis. Nonne ad synthesim pervenire debemus et possumus? ...[2]

Ex utraque parte vera proferuntur. Iure timent religiosi ne non satis ratio habeatur spiritus institutorum, in quibus solent ut ita dicam permanere prophetici, charismatici viri, ut fuit Bernardus, Franciscus Assisiensis, Vincentius a Paulo. Non sine fundamento in re timent ne, ut verbo sat crasso sed quod quandoque auditur utar, sub dictatura cuiusdam papae dioecesani cadant...[3]

Ex altera parte iure conqueruntur episcopi familias religiosas saepe modo nimis individualistico apostolatum exercere, quaedam inutilia et obsoleta facere, non satis inter se et cum clero dioecesano cooperari, ad quasdam formas necessarias curae animarum difficile quandoque adduci.

Proinde ex utraque parte vera dicuntur, legitima postulantur, iustae querelae proferuntur. Utraque pars ergo ab altera compleatur, ab altera se corrigi sinat.

Quomodo fiet istud? Refugiendo a quaerendis aut urgendis privilegiis, evolvendo sensum responsabilitatis communis in munere evangelisandi et salvandi mundum.

Concrete loquamur. Cum anno praeterito de conferentiis episcopalibus sermo fieret, in postulatione mea sequentia dixi: « Per conferentias omnium cooperationem fovere volumus. Atqui magna pars cleri, immo portio semper crescens, e religiosis constat. Hi semper pro magna parte, et quandoque pro maiore, ferunt pondus diei et aestus. Sicut in Concilio Oecumenico praepositi generales maiorum ordinum et congregationum vocem deliberativam habent, sic oportet ut pleno iure membra conferentiae episcopalis sint, aut membra permanentis consilii superiorum maiorum, aut, si numerus episcoporum exiguus est, saltem eorum praeses ».

Fortasse plerisque vestrum non videtur usque eo eundum esse. Ceteroquin aliae formae contactus possibiles sunt. Sed ubique stabilis quidam organismus existat, vera et efficaci potestate praeditus, ut est Commissio mixta episcoporum et superiorum religiosorum, qua fraterno spiritu cooperatio foveatur. Sic et religiosi non nimis a singulis episcopis pendebunt, quod maxime, et quidem merito timent; et cuiusdam nationis aut regionis episcopatus religiosorum operositate efficacius uti poterit, quod his temporibus prorsus necesse est.

Sic, seposita omni mutua diffidentia et inani sollicitudine prestigii, communi conatu procedi poterit, ad Dei gloriam et bonum animarum. Itaque postulamus ut quae in fine pag. 21 sub lin. 6 breviter dicuntur, forma magis definita et maiore instantia statuantur...[4]

Hoc unum denique. De collegialitate quasi ad satietatem audivimus. De collegialitate disceptationes unum saltem effectum inducant: quod in Ecclesia crescat sensus communitatis. In Christo et per Spiritum unum sumus. Missio Christi opus *nostrum* est. Minus audiatur « meum et tuum, frigidum hoc verbum », ut quidam Pater Ecclesiae scripsit. Magis dicatur « nostrum ».

Si viget hic spiritus fraternus, habitudo reciproca religiosorum et episcoporum optima erit. Si non viget, quid leges proderunt?

Sed nunc episcopis dicendum est: humano modo, secundum leges sanae psychologiae procedamus, quas leges naturae gratia Corporis mystici non tollit sed perficit. Fraterna caritas supponit ut ex utraque parte concedatur quid et accipiatur. Paternum regimen ut auctoritas libertatis rationem habeat et ita porro.

Nunc rogo vos, Fratres carissimi: ponimusne in religiosis sufficientem confidentiam? Ut exemplum dem: Cur in consilio dioecesano plerumque dioecesium adsunt solummodo sacerdotes saeculares? Etiam *religiosi adhibendi essent, et forsitan, etiam, ut mihi videtur, aliqui laici.*[5]

Si volumus unamquamque classem christianorum vere apostolicam fieri, si volumus Ecclesiam dynamicam esse et necessitatibus huius temporis aptatam, omnes in caritate, in mutua confidentia, et in vera responsabilitate conspirare debent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Em.mus Praeses commissionis et exc.mus relator ostenderunt schema hoc esse imprimis pastorale. Sub ductu episcoporum debet Ecclesia vivere, agere, munus et missionem exercere. Utique solutio problematum in luce cuiusdam orientationis doctrinalis semper quaerenda est. Alienus sit a nobis superficialis empirismus. Sed nonne absonum est exspectare donec omnes quaestiones theologicae disputatae suffragio quodam auctoritativo solvantur antequam de modo concreto ministerii episcopalis exercendi decernamus, immo disceptemus. Hoc Concilium non est coetus quidam academicus. Urget, anget nos bonum animarum. Missioni nostrae concretae et problematibus concretis attendamus. [2] Nescio num ad rem pertineat, sed liceat mihi dicere quantum mihi intersit ut ad sanam synthesim perveniatur. Ex utraque parte involvor, nempe ut ipse ad congregationem religiosam pertinens, et ut episcopus dioecesis missionariae clero saeculari commissae. [3] Quaecumque sit origo historica et iustificatio theologica exemptionis, patet eam pro apostolatu universalis Ecclesiae magna emolumenta habere. Religiosi sunt ut ita dicam reserva strategica Ecclesiae; ipsi quasi soli vera mobilitate pollent. Sine eis missiones v. g. impossibiles fuissent. [4] Nam quae hic dicuntur et etiam paragrapho superiore, nempe: « Episcopi et superiores religiosorum statis temporibus conveniant ad negotia tractanda quae universum apostolatum in territorio spectant », non possunt permanere pia quaedam exhortatio, cuius exsecutio uniuscuiusque bonae voluntati relinquitur. [5] laici adhibendi essent, a fortiori religiosi.

Secretarius generalis: En exitum suffragationis IX:

Patres praesentes votantes	2.243
Dixerunt *placet*	2.085
non placet	156
Suffragia nulla	2

Textus ergo placuit. Et nunc lego textum suffragationis XII, quae erit ultima hoc mane [*cf. vol. III, pars I, pag. 401*]. Placetne an non placet, venerabiles Patres, hic textus?

9

EXC.MUS P. D. MARIUS MAZIERS

Episcopus tit. Augustopolitanus in Phrygia, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

Cap. II decreti munera episcopi in propria dioecesi determinat, sed in hoc non satis habetur ratio, ut mihi videtur, consequentiarum spiritualium doctrinae de sacramentalitate episcopatus, quae nexum intimissimum introducit inter episcopos et ipsum Christum Dominum. Sicut ait S. Leo Magnus, « in episcopis adest in medio credentium Dominus Iesus Christus ». Nunc autem in nostro textu episcopus nimis exclusive exhibetur in relatione ad propriam dioecesim ei concreditam, tamquam ad aliquid iam organizatum et institutum, et non sufficienter exhibetur in relatione ad Christum, cuius apostolus et testis esse debet.

Ergo necessaria mihi videtur esse nova paragraphus, in qua episcopus describeretur tamquam testis Christi in medio hominum huius temporis, et quidem ob sequentes rationes:

1. In Sacra Scriptura videmus quomodo Christus apostolos suos tamquam *testes* in universum mundum mittit: « *Eritis mihi testes* » [1]; Petrus et ceteri apostoli audacter coram populo conveniunt, in quantum testes fuerant et ipsi Resurrectionis Iesu Christi...[2]

2. Ministerium hoc testimonii magis in lucem ponit fontem profundissimum vitae pastoralis episcopi. Non enim sumus tantum praecones alicuius doctrinae, nec directores alicuius institutionis; sed testes sumus alicuius personae, quae est Christus; signum sumus praesentiae Christi. Sive loquimur, sive sacramenta subministramus, sive communitatem christianam pascimus, haec omnia in nomine Iesu Christi facimus. Ex hoc consequitur in conscientia nostra personali, et in conscientia actionis nostrae pastoralis magna humilitas, *et modum servitii.*[3]

3. Mundus hodiernus, in quo vivimus, requirit tale testimonium; etenim agitur de mundo illo, qui magna in parte Deum personalem ignorat, qualis in Christo manifestatus est; mundus ergo minime connexionem videt inter Ecclesiam et Christum Dominum; in Ecclesia solum videt aspectum organizationis, apparentiam alicuius institutionis, cuius duces sumus nos episcopi.

...[4] Nunc autem episcopus imprimis est, qui testimonium Iesu Christi affert in communitate credentium; oculi omnium ergo ad eum convertuntur, tanquam ad testem principalem resurrectionis Christi et verae vitae christianae.

4. Ex his omnibus sequitur quomodo definire oportet, saltem summatim, exigentias talis testimonii, ex parte episcopi, in mundo hodierno; exigentiae scil. in sua vita personali et in sua activitate pastorali.

a) In sua vita personali episcopus memor esse debet quod ex modo vivendi potiusquam loquendi testimonium reddere potest coram fidelibus et infidelibus. In hoc autem momentum speciale habet virtus paupertatis, ut ait Summus Pontifex Paulus VI in Encyclica *Ecclesiam suam*.

« Confidimus (ait Summus Pontifex) fore ut vos, qui cum auctoritate aestimatis et enuntiatis eximias illas impulsiones, quas divinus Paraclitus in sancta Ecclesia excitat et movet, exponatis quomodo pastores et fideles eloquium suum vitaeque institutum ad paupertatis praeceptum conforment, Paulo Apostolo exhortante: Hoc sentite in vobis quod et in Christo Iesu ...[5] ».

Quaeramus ergo quomodo exhortationi illae Summi Pontificis responsum faciemus.

b) In sua vita pastorali episcopus hoc in mente tenere debet quod fundamentum testimonii est praesentia; episcopus ergo non amplius ...[6] personam gerere debet alicuius, qui a longe spectabatur. Hisce nostris temporibus stare debet in medio credentium, et etiam in medio infidelium. Praesentia haec secumfert attentionem quam maximam ad omnes quaestiones, quae hodie in mente hominum agitantur; ad eventus quibus constituitur vita quotidiana omnium; sub hac conditione tantum poterit praeconium evangelicum ab omnibus audiri in tempore opportuno.

Testimonium praeterea dialogum supponit; haec via et hoc momentum dialogi clare indicantur in supra citata Encyclica *Ecclesiam Suam*. Numquid ergo conveniens esset, in textu nostro melius et fortius ponere in lucem illum valorem dialogi in missione pastorali episcopi?

Duae formae dialogi mihi videntur maximi momenti in vita pastorali episcoporum huius temporis: ex una parte dialogum oecumenicum cum fratribus christianis a nobis separatis et ex altera parte cum omnibus hominibus qui in mundo hodierno Deum vivum ignoscunt et etiam negant.

Propter has omnes rationes aliquid addendum textui nostro proponere vellem, quod secretariatui tradere intendo, ut melius sic appareat in decreto nostro munus speciale episcopi tanquam testis Iesu Christi coram mundo hodierno. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque

ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 8). Matthias proprie ideo adiunctus est numero apostolorum, quia testis fuerat resurrectionis Christi (*Act.* 1, 22). [2] In ipsis verbis apostoli S. Ioannis audimus expressionem vivam testis ocularis, qui omnia refert quae vidit, et audivit et etiam contractavit: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, et vita manifestata, et vidimus, et testamur, et annunciamus vobis » (*1 Io.* 1, 1-2). [3] ad exemplum apostoli, qui ait: « Paulus, servus Iesu Christi, vocatus apostolus » (*Rom.* 1, 1). « Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, evangelizare investigabiles divitias Christi » (*Eph.* 3, 8). [4] Mundus autem ille magis ac magis accipit testimonium vitae personarum quae coram eo tanquam praecones veritatis adveniunt. [5] (*Phil.* 2, 5). [6] (sicut olim).

Nova paragraphus proposita post n. 18:

In adimpletione huius modi missionis pastoralis, debet episcopus sese praebere coram omnibus hominibus tanquam Christi testis qui enim praesens est, agit et loquitur in nomine Domini.

Verba ergo eius Evangelium annuntiant, sed sit vita eius potius quam verba testimonium Evangelii Christi, speciatim per spiritum paupertatis.

Cum omni populo suo testes debet esse Christi praesertim coram illis qui a longe distant ab Ecclesia Dei.

Propterea, habitualiter vivere debet quasi in statu dialogi non solum cum membris familiae catholicae sed etiam et magis cum omnibus fratribus seiunctis et cum omnibus qui Deum quaerunt.

10

Exc.mus P. D. HERIBERTUS BEDNORZ

Episcopus tit. Bullensium Regiorum, coad. c.i.s. Katovicensis

Venerabiles Patres,

Magni momenti est apostolatus laicorum, attamen maioris momenti est cura animarum novo spiritu apostolico sacerdotum et episcoporum vivificata.

Magni momenti est schema *de apostolatu laicorum,* sed maioris momenti est schema *de cura animarum* quod proh dolor specialem ab alio schemate editionem non habebit.

Renovatio Ecclesiae enim primum a renovata cura animarum dependebit et deinde ab apostolatu laicorum.

In connexu cum hac affirmatione humiliter propono emendationem, quae potuerit adiungi ad cap. II, n. 28, lin. 20 schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

In cura animarum agitur non tantum de optima solutione singularum quaestionum, sed praeprimis de mentalitate, de modo sacerdotis sese gerendi et adimplendi officia pastoralia.

De istis rebus non loquitur Concilii schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* In schemate isto allatae sunt quidem singulae obligationes pastorales praesertim episcopi et parochi, principalium in dioecesi seu paroecia pastorum, sed deest in ipso principale axioma, mens seu idea dominans, quae totius mundi pastores ad fructuosum laborem pastoralem incitet.

Videtur nobis coaetaneam et futuram curam pastoralem praeprimis spiritu missionario et non tantum conservativo praeditam esse debere. Agitur enim non tantum de conservando Ecclesiae statu possidendi seu de salvandis tantum catholicis Ecclesiae fidelibus, sed Ecclesiae interesse debet, ut iterum animetur et profundior reddatur vita religiosa tepidorum catholicorum, quorum non parvus numerus invenitur in urbibus et in industriae centris.

Sacerdos solus sine socio laborans non assequetur tam sublimem et difficilem finem laboris pastoralis, sed si sacerdotes in coetibus uniti et apostolico spiritu inflammati erunt, eo facilius et fructuosius munus ipsis commissum adimplebunt. Optime hoc sciunt sacerdotes religiosi, quorum laboris effectus in unitate et coordinato conatu invenitur. Quod etiam sacerdotes dioecesani prae oculis habere debent. Inter sacerdotes in cura animarum occupatos vita communis fovenda est ad spiritum missionarium excitandum et exercendum. Insimul animarum pastores conservare debent sensum personalis responsabilitatis, qui nihil commune habet cum stylo individualistico vitae sacerdotalis et laboris pastoralis.

Animarum pastores spiritu missionario inflammati cum sociis uniti laborantes obviam ibunt omnibus hominibus bonae voluntatis, catholicis et acatholicis, credentibus et immo ipsis atheis, nam finis curae animarum est bonum animarum omnium et non tantum quarundam personarum, quod docent, et demonstrant verba et exempla ultimorum Summorum Pontificum, videlicet Ioannis XXIII et Pauli VI. Pastores animarum, qui non timent sese appropinquandi omnibus hominibus bonae voluntatis, multa ab eis edocent docendo ipsos nova methodo de thesauro veritatis et Christi amoris. Ad officium istud rite adimplendum erunt sacerdotes idonei, si in cura animarum clarescent multiformi propria initiativa pastorali, observatis de cetero iuxta mentem Ecclesiae servandis.

Sacerdotes non exspectabunt inde passive tantum mandata Curiae Dioecesanae vel Sedis Apostolicae, sed potius ostendent propriam prudentem inventionem pastoralem hic et nunc occurrentibus conditionibus accommodatam. Si a laicis exspectamus quam maximum spiritum apostolatus, eo vel magis eum exspectare debemus ex parte sacerdotum,

animarum pastorum, qui ad modum agricolae evangelici seminare debent pro posse ubique semen veritatis evangelicae.

Itaque proponimus: *ad cap. II n. 28, pag. 18, linea 20.*

Coaetanea et futura cura animarum praeprimis spiritu missionario et non tantum conservativo praedita esse debet.

Agitur enim non tantum de salvandis fidelibus Ecclesiae, sed etiam de omnibus hominibus bonae voluntatis, quibus pastores obviam ire debent ad modum agricolae evangelici qui pro posse ubique semen veritatis evangelicae seminat. Ad hunc finem assequendum inter sacerdotes in cura animarum occupatos vita communis fovenda est ad spiritum missionarium excitandum et exercendum. Dixi. Gratias.

11

Exc.mus P. D. MICHAEL DARIUS MIRANDA Y GÓMEZ
Archiepiscopus Mexicanus

Venerabiles Patres,

Loquor nomine Consilii Episcopalis Americae Latinae, nomine contracto *iam bene noto* [1] C.E.L.A.M.

Valde placet quod in cap. II n. 15 schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* episcopis exhortatio fiat ut vocationes non tantum sacerdotales sed etiam vocationes religiosas et vocationes missionarias quam maxime foveant: magna enim et urgens est necessitas ut in pluribus dioecesibus praesertim in America Latina numerus augeatur sacerdotum et religiosorum sive virorum sive mulierum necnon idoneorum laicorum utriusque sexus, qui apte et fructuose actuosam conferant opem ad bonum fidelium promovendum.

In schemate propositionum *de institutione sacerdotali* n. 2 et in schemate propositionum *de religiosis* n. 19 expresse agitur de vocationibus sacerdotalibus vel religiosis magnopere fovendis et curandis; sed expedit et requiritur ut singuli episcopi in sua quisque dioecesi, diversa incepta sollerter excitare et praecipue *coordinare curent,* quibus tum privati tum etiam piae uniones vel familiae religiosae fovere satagant vocationes sacerdotales et vocationes religiosas. Dedecet enim et non parvum nocumentum affert si veluti certamen habeatur in candidatis inquirendis et alliciendis ad statum clericalem prae statu religioso vel ad religiosum prae statu clericali eligendum et ad eiusdem statum religiosi unum institutum alii vel ceteris omnibus anteponendum.

Episcopi est vigilare ne abusus in hac materia irrepant, et prudenter

ac paterne curare ut concors actio fiat ad opus vocationum sacerdotalium et ad opus vocationum religiosarum promovendum, ita ut pueri et puellae rite cognoscere valeant quaenam sit propria natura, quinam proprius finis specialis, quaenam praecipua propria media ad ipsum finem assequendum uniuscuiusque familiae religiosae cuius propriae domus sitae sint in territorio dioecesis, sicque singuli candidati deliberate eligere queant seminarium vel institutum religiosum quod propriae indoli propriisque dotibus seu facultatibus melius respondeat.

Papa Pius XII, qui iam anno 1941 *Opus Pontificium vocationum sacerdotalium* condiderat, apud S. Congregationem de Seminariis et de Universitatibus Studiorum constitutum, anno 1955 etiam *Opus Pontificium religiosarum vocationum* condidit atque apud S. Congregationem de Religiosis constituit ut in christifidelibus voluntas excitetur fovendi, tuendi iuvandique ad statum clericalem et ad perfectionis christianae status vocationes recta de dignitate ac utilitate praefatorum statuum notitia pervulgetur.

Itemque fideles ex omnibus orbis partibus in communionem precum ac piorum exercitiorum *vocantur* [2] ad finem dictorum operum assequendum. Commendantur inter plura praesertim annua celebratio diei vocationum sacerdotalium et religiosorum itemque Congressuum convocatio, in quibus hoc argumentum tractetur. Quae omnia aptius et fructuosius abs dubio fient si ipse episcopus in sua dioecesi opera peculiaria et cetera incepta utilia promovere ac inter se colligare satagat aptiora etiam adiumenta proponendo ut optatus finis melius obtineatur.

Nomine ergo Consilii Episcopalis Americae Latinae enixe rogo ut in Directorio Pastorali Episcoporum, expresse commendetur hoc *munus coordinandi* in propria dioecesi opera vocationum sacerdotalium et religiosorum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] vocentur.

12

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH IRIARTE

Episcopus Reconquistensis

Fratres,

Initium sumo a n. 3, ultima paragraphus, cuius textus originalis Ioanni XXIII debetur: « ... attentis condicionibus hominum consociationis, quae, nostra hac aetate, ad novum fertur rerum ordinem, pres-

sius determinare intendens pastorale episcoporum munus... », et loqui vellem de nn. 11-18.

Opinor quod illae « condiciones hominum consociationis », vi quarum, haec consociatio « nostra hac aetate, ad novum fertur ordinem », in figura episcopi indicant mutationem tam integram saltem atque profundam ut illam productam a transitu de medioevali aetate ad modernam, de episcopo feudali domino ad episcopum postridentinum.

Non agitur quidem de condicionibus omnibus omnium temporum episcopis communibus, ut puta pietas vel zelum, quae tam necessariae sunt hodierno episcopo quam suo tempore fuerunt episcopo Concilio Nicaeno assidenti vel episcopo in Revolutione gallica.

Non agitur itidem de notis illis a circumstantiis loci dependentibus: episcopus in domiciliis operariorum iuxta *Boucle de la Seine* diversus est ab episcopo in silvis Amazoniae et ab episcopo in novis nationibus nuperrime ad politicam independentiam venientibus.

Agitur vero de notis communibus omnibus episcopis nostri temporis, in illis quidem etiam communibus « condicionibus hominum consociationis » fundatis, quae a sociologia nobis docentur ut incrementum vitae socialis et internationalis, pluralismus, urbanismus, hominum promotio in omni ordine, personalismus, populorum atque hominum categoriarum accessus ad aetatem adultam, etc., etc.

Ista sociologica elementa fortem influxum habebunt in illud nostrum triplex munus, de quo in nn. 12-18. At omnis mutatio in hoc ordine erit aliquid pure extrinsecum nisi exigeret a nobis mutationem valde profundam in *personali nostro modo vivendi* (style de vie). Dicerem quod agitur revera de inveniendo loco sociologico episcopi hodierni.

De hac mutatione in nostro modo vivendi episcoporum loqui vellem.

Mutatio quidem sat implicata et multiplex, constans elementis inaequalis momenti: non valeo ergo nisi aliqua innuere ad illustrationem puncti ut ducar hoc modo ad conclusionem quae est obiectum voti.

Hodiernus episcopus profunde mutare debet distributionem *temporis sui*: cum nempe tenetur cognoscere realitatem vitae implicatissimam, *ut hodie dictum est,*[1] atque a sua experientia ecclesiastica non parum remota; maximam partem temporis tribuere debebit studio audiendi, discendi, notitiam hauriendi, plus quam loquendi atque dandi studio. Plus temporis, specifico suo muneri regendi, quam paternae sed prope infinitae curae rerum particularium dare debebit, quamvis in his aliquamdiu caritas episcopi manifestari solebat. Plus temporis dicabit etiam studio rerum quotidie variarum atque a religione proprie dicta remotarum. Indiget nova distributione temporis pro studio orandi, hodie plus

quam antea necessario, sed a modis traditionalibus diverso, quia hi passim nequeunt adhiberi. Ut his omnibus satisfaciat requiret ordinationem severam atque fini consonam rerum suarum agendarum (agenda), dies in quibus fugam capiet a sua episcopali domo *forsan,*[2] tempora destinata situationibus non praevisis; unusquisque viam suam inveniet.

Hodiernus episcopus profunde mutare debet *modum activitatis suae*: forsitan minus tribuet activitati directae, cum sacrificio festorum atque ministeriorum, catecheseos et confessionum, carissima quidem nostro sacerdotali cordi, sed nostrarum dioecesium fraudatio, quippe quae mallent ut nos efficacitatem nostram multiplicemus opere nostrorum sacerdotum, nostrarum organizationum *laicorum*,[3] atque nostri sensus realitatis in conversatione cum iis qui apud nos vere militant ...[4], cum non catholicis, cum iis qui longe a nobis sunt.

Noster loquendi modus, ut heri dictum est, radicitus mutari debet: noster enim populus sinceritati addictus, assuefactus simplici, non involuto loquendi modo, passim subridet, aut taedio afficitur, aut reapse non intelligit amplitudinem sat implexam nostri traditionalis sermonis.

Auctoritas quidem episcopi eadem hodie est ac semper, eius autem exercitium esse debet clare diversum: voluntarie ac libere presbyterio et laicis adultis communicatum, plus debet convictionem gignere quam sese imponere, quin possit tamen episcopus sese a cruce subtrahere assumendi nempe responsabilitatem ultimae decisionis.

Haec auctoritas nostra heri fulciebatur et sustentabatur a complexu quodam externarum rerum quae hodie nullo vigent momento: hae res possunt adhuc forsitan admirationi esse, quibusdam placere, immo et ab aliquibus defendi; nunquam tamen habent iam, vel fere nunquam, positivum sensum religiosum; non auxilium praebent ut proclametur verbum nostrum; neminem eo ducunt ut confiteatur Deum esse magnum, Deum esse bonum.

Hoc vero manu nos ducit ut passione aliqua vehementi quaeramus responsionem ad quaestionem *nuper citata*[5] nobis propositam a Papa Paulo VI in encyclica *Ecclesiam suam*: « ... Scil. confidimus fore ut vos... exponatis quomodo pastores et fideles eloquium suum vitaeque institutum ad paupertatis praeceptum conformet... ». Revera, indefectibilem exigentiam primae Beatitudinis modum novum assumere debet qui moveat nos ad revidendum habitum nostrum et domum nostram; nostram formam itinera sumendi et vivendi, ut simus in primis fideles verbo Christi, deinde ne abalienemus fratres nostros ab Ecclesia et pastoribus de quibus ipsi possent credere, cum vel citra veritatem, quod sunt divites.

Non agitur de theatrali aliquo effectu (coup de théatre), neque iuvat

ignorantes esse difficultatum historicarum prima facie invincibilium, vinctae tamen et quam felici exitu ab audacia plena evangelicae intuitionis Ioannis XXIII.

Moderator: Exc.me Domine, certe admonitio tua ad nos optima est, sed loquaris potius ad schema.

Orator: *Existimo loqui de n. 3. Sed lego votum*[6]: In exercendo suo munere de quo in nn. 11-18 meminerit episcopus necessariam esse profundam adaptationem suae vitae rationis, quae simul amplectatur modum distribuendi tempus suum, activitatem, auctoritatem, sermonem, relationes suas interpersonales, atque praesertim simplicitatem et paupertatem suam, citra quod modificationes introductae in suo pastorali munere, non erunt nisi formulae technicae cuiusdam pure exteriores. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] laicarum. [4] (militantes). [5] deest. [6] Agitur vero simpliciter de hoc ut « Dei potius auxilio et animi bonis quam caducis humanis subsidiis fidamus » (*Ecclesiam Suam*). Hoc omne quod nostrum modum vivendi (style de vie) constituit: ordo temporis, activitas, sermo, bonorum usus, cum hominibus conversatio, exigit a nobis revisionem valde audacem, valde profundam, valde sinceram, uno verbo: valde difficilem. Difficilem sane quia dolore non caret aliquem vivendi modum abiicere; difficilem etiam quia semper valet cantus sirenarum se nostris auribus insinuare ut dicat nobis: « semper ita factum est », « nostri fideles ita volunt », quamvis antea illo modo factum est quia totus contextus vitae diversus erat, et quamvis « nostri fideles » illud 1% forse repraesentent cui accessus ad nos patet et quod nullo pacto exprimit sensum multitudinis ovium nostrarum in officiniis laborum (usines), in universitate, in palaestra ludorum. Quia nempe firmiter credo talem mutationem essentialem esse pro « aggiornamento » quod Concilium nostrum prosequitur, sequentem textum propono addendum post n. 18.

Secretarius generalis: Nunc distribuetur Patribus relatio super declarationem de libertate religiosa schematis decreti *de Oecumenismo*. Supra quam declarationem instituetur disceptatio inde a crastina.

Nunc lego exitum suffragationum reliquarum mane factarum. Exitus circa suffragationem X:

Patres praesentes	2.243
Dixerunt *placet*	1.918
non placet	322
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	2

Suffragatio XI:

Patres votantes	2.213
Dixerunt *placet*	1.898
non placet	313
placet iuxta modum	1
Suffragium nullum	1

Suffragatio XII et ultima pro hoc mane:

Patres praesentes votantes	2.205
Dixerunt *placet*	2.114
non placet	90
Suffragium nullum	1

Ergo omnes tres textus, quorum suffragationes lectae sunt, approbati fuerunt a congregatione generali.

13

EXC.MUS P. D. VILLELMUS PLUTA
Episcopus tit. Leptimagnensis

Loquor nomine episcoporum Poloniae. Meae animadversiones e duabus constant partibus.

Prima pars, generalis.[1] Certe non est meae intentionis defendere prius schema *de cura animarum* qua tale. Nobis enim notum est partes illius schematis adnexas esse schemati praesenti ...[2] atque Directorium pastorale praevisum esse. Attamen, *sublato schemate de cura animarum,*[3] Concilium ...[4] debet promulgare si minus singulare et proprium decretum de cura, tamen saltem aliquam de cura animarum *declarationem generalem et summariam,* quae totum opus pastorale *in Ecclesia*[5] theoretice et practice inspiret.

2) Talis declaratio nobis videtur necessaria aut saltem valde utilis ...[6] ob rationes sequentes:

a) Concilium nostrum solemniter promulgatum est qua pastorale. Mirum esse videtur Concilium pastorale non declarare quid et qualiter sentiat *in genere* et principaliter de obiecto, quod est sua nota specifica, *ut ita dicam, suum nomen proprium.*[7]

b) Sacerdotes nostri curae animarum addicti certe exspectant a Concilio expressam adprobationem et aestimationem quotidiani et quam perlaboriosi operis pastoralis, quod saepe cum tam magno zelo ipsi perficiunt...[8]

Vox Concilii laude adprobans et extollens quotidianum opus pastorale nostros fatigatos fratres consolabit, confortabit et nobiscum fraterne coniunget, quod non est parvi momenti pro unione cleri cum episcopo, a qua unione tam multum opus pastorale dependet...[9]

c) Nova disciplina theologiae pastoralis, quae recens nascitur, quaerens sua fundamenta vere theologica ...[10] a Concilio exspectat indicia et directiones ad « aedificationem Corporis Christi »...[11] in *nostris* temporibus...[12]

d) Denique ipsum opus pastorale Ecclesiae exigit aliqua *generalia* principia pro praxi quotidiana...[13]

Conclusio primae huius partis.[14] Concilium velit promulgare declarationem pastoralem, in qua haec inveniantur:

1. In ea promulgandum est primo maximum momentum, quo in Ecclesia hodierna quotidianum opus pastorale gaudet.

2. Inculcanda est *in ea declaratione,*[15] necessitas coordinandi omnes conatus in Ecclesia et promovendi cooperationem omnium in hunc finem praesertim, ut superetur primum, radicale, generale et magis ac magis commune periculum et malum nostri temporis in eo consistens, quod in homine hodierno evanescit ille sensus numinis, illa aptitudo ad Deum atque ipsum desiderium salutis et gratiae. Tale malum *enim*[16] non inveniebatur in mundo paganorum tempore S. Pauli!

Hic sensus numinis et hoc desiderium salvationis est essentiale fundamentum et condicio naturalis omnis *evangelizationis aut reevangelizationis*[17] mundi, sive opere missionario, sive catechistico sive denique apostolatu laicorum peragendae. Sine hoc radicali fundamento theologia moderna et scientifica nec kerygmatica aliquid valet! Ergo tum theologia tum eiusdem modernae disciplinae auxiliatrices exhortandae sunt et obligandae ad studia profundiora et investigationes, quarum profundiores cognitiones hoc malum superare adiuvent.

3) Denique declarandus est in *illa declaratione*[18] stylus modernus hodierni operis pastoralis nempe: hoc opus debet esse omnino dynamicum, i. e. expugnans, semper missionarium et non solummodo conservans et defendens statum quo. Sine tali stylo impossibile erit instituere in praxi paroeciali quodcumque opus apostolatus laicorum, si ipse pastor animarum *in paroecia*[19] non erit apostolicus. Si tamen talis proposita declaratio conciliaris censeatur inutilis, haec omnia nunc proposita inserenda sunt nostro praesenti schemati *de munere pastorali* — uti propria signa, indicia et directiones episcopalis et sacerdotalis muneris in genere...[20]

Secunda pars[21]. ...[22] Decretum *conciliare*[23] potest et debet quosdam campos curae speciali modo insistere, quatenus actualis vitae necessitas

eos demonstrat. Secundum schema *nostrum* [24] episcopi consulere debent bono fidelium. Et maximum bonum nostrorum fidelium proculdubio est *sanum matrimonium* et *firma familia.* Re ipsa de hoc sermo erit in schemate *de praesentia Ecclesiae in mundo hodierno,* sed sub alio aspectu.

Hoc maximum bonum non solum Ecclesiae sed etiam totius generis humani versatur in mortali periculo. Ergo inter obiecta curae animarum tum episcoporum tum sacerdotum hoc bonum debet esse *primum!* Omitto permulta alia problemata huius materiae pastoralis, unum tamen praecipue adfero: nempe hoc commune scelus imprimis nationum — ut aiunt — in civilisatione excultarum, quod est occisio vitae conceptae, scelus patratum millies et millies de facto et iam de lege. Certo non sine fundamento ex parte summae auctoritatis nostrae Ecclesiae ultimo investigationes de hac re sunt peractae, uti omnes scitis! Concilium pastorale non potest tacere de hac re!

Defectus, peccata, immo scelera in hac materia *vitae* plus nocent Ecclesiae ...[25], quam quaevis theoretica propaganda atheistica ...[26]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] I. Et primo *in genere*: sublato schemate de cura animarum, inter decreta Concilii omnino deerit aliquod documentum proprium et singulare curam animarum Ecclesiae in genere spectans. II. Secundo in specie: In schemate nostro de munere episcoporum debet esse amplius sermo de cura familiarum. Ad I. Ad evitandam falsam opinionem iam a priori declaro. [2] de munere episcoporum. [3] deest. [4] maximae auctoritatis Ecclesiae institutio. [5] deest. [6] esse. [7] Prius schema non erat perfectum sed portabat suum nomen proprium « de cura animarum in Ecclesia ». [8] (Verum est in schemate *de Ecclesia* perpulchra inveniri verba de sacerdotio, sed in schemate *de munere pastorali episcoporum* in n. 26 non sunt nisi verba piae admonitionis, quae congruunt potius spiritualibus exercitiis). [9] immo ipse vigor nostrae Ecclesiae. [10] (conficiens tam pretiosa manualia), certe. [11] i. e. Ecclesiae Dei. [12] Generalis vox Concilii in hac materia sancte inspiret tam laudabiles conatus nostrorum theologorum. [13] eo magis quod in mundo hodierno Ecclesia nostra ubique fere in eisdem conditionibus suum opus perficit. [14] Concludo. [15] deest. [16] deest. [17] christianizationis vel rechristianizationis. [18] ea. [19] deest. [20] ergo uti emendatio schematis in genere. [21] Ad II. Et nunc emendatio in specie. [22] (Sane quidem decretum conciliare non debet esse manuale theologiae pastoralis; ergo non debet loqui de omnibus rebus respicientibus curam animarum, attamen). [23] deest. [24] n. 16. [25] nostrae. [26] Ergo in schemate *de cura animarum* prudenti sed gravissimo modo inculcari debet omnibus pastoribus *cura* familiarum, una *cum opere* catechistico uti *primum officium,* quamquam eius singula in aliis schematibus proferri possunt.

14

Exc.mus P. D. LEONIDAS PROAÑO VILLALBA
Episcopus Rivibambensis

Venerabiles Patres,

Humanitas nostri temporis multum ab hoc Oecumenico Concilio sperat; non quidem magnam collectionem decretorum, sed principia vitam renovantia novamque actitudinem intellectus et voluntatis erga vitam hodiernam.

Episcopi, primi inter omnes, tenemur obligatione renovationis: humanitas spectat ab hoc Concilio novam imaginem episcopi.

Hac de causa, magni momenti est studium schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Permittatis mihi, Patres, quasdam observationes exponere:

1. In cap. II servandus est ordo recte in n. 11, lin. 9 indicatus: « Singuli episcopi... oves suas in nomine Domini pascunt, munus docendi, sanctificandi et regendi in eas exercentes ». Hic ordo est enim logicus; insuper, intra supra enumerata munera, omnia in hoc capite exposita comprehenduntur.

2. Eadem ratione, e titulo n. 16, auferendum est verbum « pascendi », quia verbum hoc, quod iam apparet in n. 11, videtur in sua significatione includere munera docendi, sanctificandi et regendi. Etenim, pascit qui docet, qui sanctificat, qui regit.

3. Adhaereo Patribus qui iam locuti sunt de cognitione ovium, et quidem de cognitione non tantum individuali, sed potius sociologica. Vita, enim, religiosa est etiam phaenomenum sociale aliis phaenomenibus socialibus coniunctum.

4. Notetur tamen hic non agi de mera et frigida cognitione sociologica. Cognitio ovium est fructus amoris patris, realitates concretas penetrare cupientis, ut viam, veritatem et vitam magis consentaneas praefatis realitatibus, melius ipsis edocere possit.

5. Nihil dicitur in schemate de modo quo, in praxim, deducendae sunt et fovendae relationes interpersonales. Prae oculis habendae sunt observationes quorumdam sacerdotum et fidelium, quae aliquando veritate nituntur. Ipsi affirmant nos episcopos inaccessibiles esse, circumdatos tantum a parvo coetu, qui realitatem laudibus nobis occultat; affirmant nos nimis inhaerere signis exterioribus superioritatis, signa quae ipsi duces temporales iam dereliquerunt ut populo suo propinquiores sint. Inde affirmant difficile esse verbum nobis dicere et observationes suas aperte nobis pandere. Unde, nova mens necessaria est, non quidem

ut vanam « popularitatem », ut dicunt, quaeramus, sed ut munus nostrum oves cognoscendi melius adimpleamus, simplicitate, humanitate, propinquitate erga sacerdotes et fideles omnes, exempla perlucida sequentes Summorum Pontificum Ioannis XXIII et Pauli VI.

6. Haec omnia exigunt a nobis permanentem attentionem ad dialogum et dispositionem animi patienter audiendi, humiliter discendi et caritative colloquendi. Nec timeamus criticam; immo, grati simus erga eos qui mentem suam ita nobis pandunt; ipsis foveamus fiducia nostra. Critica iuvat in cognitione defectuum in cura nostra pastorali. Melior est critica coram nos prolata quam quae longe a nobis profertur saepe, quia occasionem offert mutuae comprehensionis.

7. Hoc modo, existimo auctoritatem non minuere, sed crescere et firmari. Regere non est solummodo iubere. Regere idem est ac ducere. Et, ad bene ducendum, praeter cognitionem rerum et hominum, necessaria est conscientia propriae limitationis nostrae, ut consilia ab aliis humiliter petamus; necessaria est ars inquietudinem suscitandi circa problemata communi concursu inventa atque generositatem fovendi in servitio Dei et hominum; necessarius est virilis sensus responsabilitatis et decisionis, ut actio fortiter perficiatur et traditiones, iam inoperantes vel nocivae, definitive rumpantur.

8. Cognitio ovium non idem esse mihi videtur ac gaudiosa illa contemplatio parvi fidelium coetus, neque illa alia ingenua contemplatio magnarum congregationum, in quibus non omnes qui adsunt vere fideles sunt. Ergo, multitudinem ovium « quae non sunt ex hoc ovili » quaerere debemus. Iterum in hac materia, ut docet Summus Pontifex Paulus VI in novissima Encyclica *Ecclesiam suam,* dialogus in praxim deducendus est, bene distinguendo catholicos secundum suam fidem non viventes, fratres christianos non catholicos et non credentes.

Exercitium dialogi, in hoc casu, iuvabit episcopum in acquirenda actitudine magis missionaria et apostolica et in liberatione ab actitudine tranquillae satisfactionis in solo exercitio iurisdictionis.

Summatim, Patribus haec proponere audeo:

Servetur, in redigendo cap. II schematis *de pastorali episcoporum munere,* ordo insinuatus n. 11, lin. 9.

Auferatur a titulo n. 16 eiusdem capitis verbum « pascendi » et scribatur tantum: « Episcoporum munus regendi ».

Addatur in ipso n. 16 cognitionem sociologicam ut medium adimplendi obligationem cognoscendi oves.

Locum detur in redigendo n. 16 suggestioni circa relationes interpersonales, accessibilitatem, promptitudinem ad dialogum, atque circa innovatum conceptum auctoritatis.

Haec ...[1] iuvabunt, spero, in exaranda imagine episcopi nostri temporis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] omnia.

15

EXC.MUS P. D. SAMUEL RUIZ GARCIA
Episcopus Chiapasensis

Venerabiles Patres conciliares,

Descriptio n. 16 schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* contenta, qua episcopus describitur veluti *Pater* ac *Pastor* gregis, tali modo videtur concepta ut potius imaginem iam fortasse temporis acti quam vera hodierna lineamenta episcopi nobis depingat, sub luce scil. mundi hodierni sese celerrime evolventis et exigentis inde mutationem urgentem methodi pastoralis nostrae.

Non quod imago episcopi *Patris ac Pastoris* iam obsoleta nec amplius valida censenda sit, sed quod sub nova luce — plane dicam — minus individualistica sit interpretanda, eo consilio ut quam citius a mundo cognoscatur et contempletur ille novus episcopus typus in nostro Concilio delineandus. Nostram conabimur cogitationem explanare:

a) Omnibus clare patefacit Americam Latinam paene innumeris mutationibus, faciem eius non adhuc vetustam radicitus transformantibus, his praecipue in diebus esse subiectam. Ut de aliquibus tantummodo fiat sermo, memorare iuvat:

1) explosionem sic dictam demographicam, qua decursu decem tantummodo annorum, eius populatio in 50 milliones accreverit, dum interim in adaequata proportione numerus sacerdotum nullo modo augetur et dum ex altera parte haec populatio, praeprimis agricola, modo archaico terram ipsammet colens pro familia quotidie numerosiore, quaerit in urbibus novum laborandi vivendique genus;

2) phaenomenon urbanismi et migrationum massivarum, quo gradatim impossibile redditur munus singulas cognoscendi oves, et quo oves ipsae, ad tempus e vigili pastoris cura transfugae, post temporis tractum iterum apparent sed infirmitatibus proh dolor spiritualibus afflictae;

3) viarum communicationum augmentum cum consequenti etiam evolutione in structuris oeconomicis, quibus si ex una parte populationes antea inter se inconnexae in consortium nationis integrantur, ex altera quoque parte, uno quasi anhelitu, immature vestimentis

tranquillae vitae patriarchalis exuuntur, ut sibi non aptis vitae operariorum induantur;

4) mutationes in re politica, quae uno tractu vitam integram modumque agendi ac cogitandi totius cuiusdam nationis pervolvunt.

b) Nunc vero, communis quasi denominator horum omnium problematum praecise in hoc reponitur quod, non modo paroeciae cuiusdam ambitum exundant, sed ab ipso flumine dioeceseos singulae extraripant, plurimas circumdantes zonas seu regiones damnose inundantes.

c) Inde revera colligitur quod omnino insufficienter, immo prorsus irrationabiliter episcopus quidam procederet si munus *regendi ac pascendi* suam dioecesim, ad cognitionem individualisticam suarum ovium, suorumque sacerdotum, utrorumque necessitates sedulo quidem, sed solummodo quoque coangustaret.

Exoptandum igitur est ut in praefato n. 16 schematis *de pastorali episcoporum munere,* eo modo pastoralis episcoporum actio describatur qualiter praemissae et promissa in fine istius schematis prooemii pag. 6 lin. 4 ad finem recitabatur, hoc est, sicuti exigunt condiciones hominum consociationis, « quae, nostra hac aetate, ad novum fertur rerum ordinem ». Ita ut clare appareat, vel ad ipsas quoque proprias hoc tempore regendas oves, omnino necessarium esse attentionem vertere, non tam praecipue ad singularum ovium cognitionem, quam ad detegendum potius illa « sociologica facta » appellata, quae, in longinquis fortasse regionibus oborta, lethalem vel frugiferum exercent in propriam dioecesim influxum, atque ideo requiri episcoporum consortium ubi talia facta communiter habentur ut illic praesens Christus efficiatur ubi historiae mutatio exigit.

Et nonne ita haberetur pulcherrimum et incontroversum fortasse exemplum applicationis illius collegialitatis doctrinae, tam laborioso partu, a nobis, venerabiles Patres, in hoc Concilio edita? Locutus sum.

[*Subscripserunt etiam*] Ernestus Corripio A., ep. Tampicensis; Iesus Alba Palacios, ep. Tehuantepecensis; Alfonsus M. Sanchez, ep. Papantlensis; Arturus Szymanski R., ep. tit. Cerasuntinus; Fidelis, ep. Chilapensis.

16

Exc.mus P. D. IGNATIUS ZIADÉ
Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres, dilectissimi Observatores ac Auditores,

Hoc novum schema in genere, etiam in suis partibus quae desumptae sunt ex schemate *de cura animarum,* valere videtur praesertim de

Ecclesiis ritus latini. Aliunde altera commissio accurate praeparavit schema decreti *de Ecclesiis orientalibus*. Liceat igitur proponere ut fructus laborum utriusque commissionis ita colligantur ut in fine Concilii teneamus omnes unicum decretum de munere pastorali continens principia universalia.

Num enim esset munus pastorale episcopi diversae naturae sub sole orientis? Talis discriminatio videtur non evangelica et iam desueta. Opus est quidem ...[1], adhuc certare ut Ecclesia acquirat in quibusdam elementis essentialibus ius existendi in sua forma orientali; sed quamdiu considerantur Ecclesiae orientales quasi exceptiones in Ecclesia, catholicitas nondum apparebit...[2]

Porro omnes nos simul efficiamur unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, sicut omnes illud profitemur et significamur in sacra Liturgia.

Itaque propono quod *utrumque schema redeat ad expositionem generalem de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* ita ut valeant illa principia pro quacumque Ecclesia particulari, sive latina sive orientali. Deinde *differantur applicationes particulares ad commissionem postconciliarem*. Sic in futuro elaborari poterit novus Codex iuris canonici in quo agatur, *in 1^a^ parte,*[3] de iure constitutivo communi Ecclesiae, *in secunda vero*[4] de iure particulari Ecclesiarum localium, sive latinarum sive orientalium.

Quoad principia universalia, v. g., in n. 11, pag. 10, optandum est quod *fundamenta theologica muneris pastoralis* clarius ac fusius tractentur, sine tamen ulla repetitione cum constitutione *de Ecclesia.*

1. Munus pastorale non est quidam empirismus pragmaticus sed energia Spiritus Sancti in pastoribus defluens. Hic expectata est *theologia eucharistica et pneumatologica Ecclesiae localis* ad mentem S. Ignatii Antiocheni, tam traditionalis apud orientales quam vivida apud orthodoxos.

Recte dicitur quidem, linn. 1 ss., « dioecesis est pars quaedam dominici gregis quae episcopo concreditur », sed hoc iuridice tantum exprimitur. Cur, venerabiles Patres, in textibus huius Concilii, mens iuridica quasi semper sensum mysterii obscurat? Antequam fit pars iuridica dominici gregis, dioecesis est Ecclesia localis quae non est pars quaedam Ecclesiae universalis sed potius signum visibile et efficax quo tota Ecclesia praesens hic et nunc efficitur. Sicut Corpus Domini in sacra Liturgia rumpitur sed non dividitur atque totus est in unaquaque hostia, ita tota Ecclesia in unaquaque Ecclesia locali.

2. Abhinc sequitur munus episcopi ut *signum unitatis* Ecclesiae localis. « Episcopus in Ecclesia et Ecclesia in episcopo » ut ait S. Cypria-

nus ...[5]. Per illam enim Corpus Christi invenitur hic et nunc, sponsa Christi salvatur hic et nunc. Hoc significatur per convivium paschale circa episcopum. Ideo unum corpus cum pluribus capitibus aut una sponsa cum pluribus sponsis esset quid monstruosum, ut ait Innocentius III. ... quod revera invenitur saepe saepius. Solutionem proponere nequeo; principia tantum revoco. Una sedes plures sedentes accipere non potest. Episcopus ordinatur ad plebem viventem. Scrupulum habetur ad decorandos plures episcopos titulares eodem titulo Ecclesiae defunctae. Cur non iam invenitur idem scrupulum quando agitur de Ecclesia vivente?

Hoc schema quidem quamdiu solutionem proponit ubi tractat passim de « *vicario episcopali* ». Haec solutio magis convenire videtur ad Ecclesias latinas, vel potius ad eas ubi viget ritus unicus. Ubi vero coexistunt plures communitates rituales, praeferenda est solutio « *episcopi personalis* ».

Communitas ritualis enim indiget episcopo, pleno sensu.

a) Ex una parte, ratio ritus est primario liturgica et spiritualis, secundario tantum iuridica. Ideo exigitur signum sacramentale eius unitatis, quod est episcopus.

b) Ex altera parte, ratio insertionis episcopi in ecclesia locali adhuc est liturgica, per sacramentum ordinis in hoc ritu, hic et nunc.

Ideo proponendi sunt episcopi personales cum auctoritate unius episcopi dioecesani, tum in oriente tum in occidente, quandocumque catholicitas dioeceseos id requirit.

Conclusio. Optatur fusio brevior schematum *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* ac *de Ecclesiis orientalibus,* modo praedicto, ita ut via sternatur ad ius constitutivum commune Ecclesiae in quo unitas et catholicitas mysterii Ecclesiae magis ac magis effulgeant. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] proh dolor. [2] ac fratres nostri orthodoxi ut in margine aestimabuntur. [3] 1. [4] 2. [5] (*Epist.* 68, 8).

17

Exc.mus P. D. AUGUSTINUS IOACHIM LOPES DE MOURA
Episcopus Portalegrensis-Castri Albi

Venerabiles Patres,

Circa n. 15 (pag. 11 *et 12* [1]) pauca, magis ad innuendum quam ad declarandum vestro iudicio ...[2] committam.

1. Initio huius par. *15* [3] invitantur episcopi ut in memoriam revocent sui sacerdotii plenitudinem perfectionemque.

Certissime, omnes nos hanc invitationem grato animo accipimus, sed etiam parati sumus, *et nunc iam collegialiter,*[4] ad profitendum ...[5] memoriam plenitudinis sacerdotii nostri nulla unquam oblivio delebit.

2. Cum in textu laudato asseritur episcopum esse vitae liturgicae dispensatorem, moderatorem, promotorem et custodem tamquam ab extrinseco administratorem episcopum apparere videtur.

Desideratur, ni fallor, id quod, in hac enumeratione officiorum, primatum tenere oportet quia ab intrinseco procedit: revera, episcopus, munere sanctificandi fungens, maxime est Pontifex in persona Christi Sacrificium Eucharisticum celebrans, presbyterio suo ac plebe sancta in communitate fidei sibi adunatis, ut totus grex, cuius est pastor, mysterium paschale participet, in gratia Christi crescat et fructificet necnon mortis et resurrectionis Domini testis fidelis, etiam coram iis qui foris sunt, exhibeatur.

In hoc munere pontificali exercendo, meo humili iudicio, potestas vicaria vere non datur ita ut id quod episcopus dioecesanus celebratione liturgica agit vere insubstituibile, incommunicabile, proprium, *immo inter episcopalia officia quaecumque eminentissimum* [6] dicendum est.

Sic clare *lucet* [7] episcopum sacerdotem magnum sui gregis vere esse, « a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet », sicut nostra Sancta Synodus in constitutione *de sacra Liturgia ...*[8] docet.

3. Ideo, si licet, etiam postulaverim imprimis ut in luce ponatur quod si « nihil sine episcopo », eminenter, sine episcopo tota actio liturgica fieri non posse; consequenter, in celebrationibus liturgicis dioeceseos relatio ad episcopum toti communitati oranti appareat.

4. Quod in hoc numero de variis speciebus vocationum consecrationis Deo in servitium Ecclesiae insinuatur, forsitan magis convenienter inseri posset in textu sub n. 12 exarato, ubi de munere docendi agitur, quia omnibus compertum est, hisce praesertim temporibus, vocationes praecipue a sic dicta orientatione vocationali initium, personae humanae vere accommodatum, sumere, id quod ad munus docendi evidenter pertinere nemo non videt. Dixi. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] venerabiles Patres. [3] deest. [4] deest. [5] unanimiter. [6] omnino. [7] elucet. [8] (cap. I n. 41).

18

EXC.MUS P. D. IOSEPH GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

Exc.mus P. D. ANTONIUS BARANIAK, arch. Posnaniensis: Ut heri ab exc.mo secretario generali annuntiatum fuit, inter oratores super schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* erat quoque inscriptus arch. Ioseph Gawlina qui tamen nocte obiit. Proinde votum ab eo confectum, « de emigratione » nunc proferam.

Venerabiles Patres, illustrissimi Hospites,

Loquendum mihi est de cura spirituali emigrantium nomine episcoporum Poloniae et Lithuaniae.

Secundum Lactantium: « Religio sola est in qua libertas domicilium collocavit ».

Nunquam anteactis saeculis tot migrati, expulsi, deportati, patriam relinquere coacti sunt quam ultimis lustris. Est enim emigratio non solum libera et oeconomica, sed etiam coacta, immo politica, de qua loquitur Encyclica *Pacem in terris.*

Ultimis vero temporibus gravitas quaestionis de qua agitur etiam aucta, immo crescitura est ratione sic dicti « mercatus communis », quando nempe migrantes nec tessera (passaporto) nec aliis indigebunt limitationibus et formalitatibus.

Iucundum est mihi maxima cum gratitudine et reverentia sublineare gloriosum spiritum pastoralem episcopatuum variarum nationum, eorumque in emigratos liberalitatem, qua permultorum exsulum fidem et animas salvaverunt. Optime enim intellexerunt, quod exsules qui linguae, nationis, religionis, libertatis causa oppressi erant, multo tenacius haec bona colunt et servant quam qui nunquam ob ea vexati sunt.

Gratias igitur Summis Pontificibus omnibusque episcopis benevolis pro praestita exsulibus magnanimitate agimus necnon pro eorum comprehensione, quod emigrati cum antiqua patria et praesertim cum episcopis communionem fovere student, Ecclesiae in patria oppressae adiutorium praestando, secundum illud S. Thomae Aquinatis: « post Deum est homo maxime debitor parentibus et Patriae; unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu ad pietatem pertinet cultum parentibus et Patriae » (II-II, qu. 101, a. 1.).

Peculiaris situatio nostrae aliarumque nationum Europae orientalis inducit nos ad revocanda in mentem B.mi Patris Ioannis XXIII, liber-

tatis et pacis gloriosi praeconis, illuminata verba, scil.: « Homini cuilibet iure integrum esse debet in civitatis suae finibus vel tenere vel mutare locum; ... neque ex eo quod quis certae cuiusdam reipublicae est civis, is ullo modo vetatur esse membrum humanae familiae, neque civis universalis illius societatis et coniunctionis omnium hominum communis » ...[1].

Quoad autem sic dictas « minoritates » nationales profert Encyclica *Pacem in terris*: « Immo vero iustitiae praeceptis apprime respondet, a reipublicae moderatoribus efficacem dari operam provehendis humanis condicionibus civium stirpis numero inferioris, nominatim quod attinet ad eorum linguam, ingenii cultum, avitas consuetudines, opera et incepta in re oeconomica ».

Profugis denique politicis et emigratis, eorumque tristissimae sorti, Papa Ioannes ea quae sequuntur destinavit verba — certo perpetuae tradenda memoriae:

« Id profecto ostendit, quarumdam nationum principes plus nimio circumscribere iustae libertatis fines, intra quod singulis civibus liceat vitam agere homine dignam; immo in huius exempli civitatibus quandoque vel ipsum libertatis ius aut in dubium vocatur aut etiam plane tollitur ».

« Propter hanc causam abs re non erit hoc loco homines ad illud revocare principium, huiusmodi profugos dignitate ornatos esse, iisque personae iura esse agnoscenda. Quae iura profugi amittere non potuerunt, propterea quod nationis suae civitatis sint destituti » ...[2].

Emigratio evadit tamquam « Ecclesia sui generis ac proprie singularis, nobilis et delicata », quapropter ...[3] Papa Ioannes XXIII studio commissionis « de episcopis et de dioecesium regimine » quattuor committere dignatus est quaestiones, quarum una « de emigrantibus » agit cum adnexo commentario Papae: « Media apta expendantur quae emigrantibus auxilium praestent ad fidem moresque integre servandos ».

Quaestio haec in ultima redactione schematis conciliaris in aula proferendi ad duo verbula (« uti sunt quamplurimi migrantes ») reclusa est, quod nec intentioni Summi Pontificis nec bono migrantium nec laudatae magnanimitati episcoporum congruere videtur.

Demandationem enim totius complexus quaestionum ad Directorium conficiendum emigrati eorumque fratres dolenter interpretantur, quia de imposita « singulari sollicitudine episcoporum » de qua loquitur par. 18, quoad *hanc* materiam delicatam in ipso *textu decreti* conciliaris quasi nullum relinquetur vestigium.

Cum autem omnes Patres favorabiles sint sorti emigratorum, non videtur adrogans neque vana humilis petitio nostra, ut par. 18 sequen-

tia addantur verba, scil.: « Sedulo instructiones et normae serventur quae ab Apostolica Sede statutae sunt vel statuendae de spirituali praefatorum fidelium coetuum cura, eaeque, quatenus opus sit, pressius determinentur pleniusque compleantur et temporum conditionibus accommodentur ...[4] ».

« Praesertim vero accurate exsecutioni mandentur praescripta de Commissione episcoporum, de Comitatibus dioecesanis, de Subcomitatibus paroecialibus constituendis, de paroeciis personalibus vel missionibus erigendis, de iure quod emigratis et alienigenis competit deque sacerdotibus seu missionariis aptis et idoneis ad huiusmodi apostolatus officium addicendis ita ut actio pastoralis in bonum eorundem fidelium coetuum ubique efficacior evadat et coniuncta procedat ».

Praetermittam cetera ne longior fiam.[5]

...[6] Haec vox erat posthuma eximii pastoris animarum — nuperrime demortui — qui multum in vita pertulit et operae non pepercit plurimosque labores impendit pro fratribus in emigratione et exilio positis, quorum sortem et ipse per longissima tempora divisit.

Consolatione affecti sumus profunda quod Vir Dei, tanti nominis inter suos et in mundo universo, tam eximium meruisset funebre elogium ex ore exc.mi secretarii generalis Concilii Oecumenici Vaticani II et quod Patres conciliares in S. Petri Basilica congregati sub ductu em.mi card. Praesidis preces pro eius requie beata ad Deum peramanter fudissent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Litt. Enc. *Pacem in terris, A.A.S.*, 55 [20 apr. 1963], pp. 263, 283, 285, 296). [2] « Iamvero inter humanae personae iura illud etiam recensendum est, licere cuique se in eam nationem conferre, ubi aptius se posse speret sibi atque suis necessariis prospicere. Quare rei publicae moderatorum officium est alienos venientes excipere, et, quantum suae communitatis sinit non fucatum bonum, eorum proposito favere, qui forte novae societati sese velint aggregare ». [3] dulcis memoriae. [4] (S. Pius X, Motu Proprio *Iampridem*, 19 martii 1914: *A.A.S.*, 6 [1914], p. 174; Pius XII, Const. Ap. *Exsul Familia*, 1 aug. 1952: *A.A.S.*, 54 [1952], p. 652; *Leges Operis Apostolatus Maris*, auctoritate Pii XII conditae, 21 nov. 1957). [5] Adiungere audeo petitionem ultimam. Cum tempora in quibus Providentia Divina nos Evangelium Christi praedicare mandavit, quodammodo epochae migrationum gentium in initio Medii Aevi assimilantur et numerus migrantium in *quibusdam regionibus maiorem* partem fidelium constituat, summa cum reverentia Patribus propono, ut ad ipsum schema conciliare addatur, ut pro unaquaque natione, ex qua emigrantes tanti sunt numeri in aliquo statu, ut metropolim in normalibus conditionibus, si essent simul, constituere possint, assignetur a S. Sede (si Beatissimo Patri placuerit) Visitator Apostolicus ex illorum natione. Cum iam habentur episcopi pro emigrantibus orientalibus, nulla iusta videtur ratio, cur emigrantes latini, quorum

cura pastoralis non potest fieri efficax nisi a sacerdotibus eiusdem nationis exerceatur, in peiori conditione spirituali habeantur. Status Foederati Americae Septemtrionalis iam optimum, imitandum exemplum statuerunt.

Venerabiles Patres, liceat mihi concludere imagine similitudinis: In angulo cuiusdem diversorii stabat vetus instrumentum musicum. Corruptum, discrepans, dissonum, pulvere coopertum, omnibus erat ludibrio et irrisioni. At venit aliquando homo musicus, qui oculis eruditis instrumentum cum amore inspexit, examinavit, chordasque remissas ita contendit, ut denuo fidibus melodiam dulcisonam concineret, imperiosam, sanctam. Obstupuere tunc omnes auresque erexere irrisores, fidicinem tam pulchras cantilenas ex obsoleto instrumento elicientem cernentes.

Instrumentum hoc nostra emigratio est: nonnunquam deserta, irrisa, fidicines artifices autem sunt venerabiles Patres, qui diebus nostris gloriam vel *humillimae* personae humanae proclamantes, praesertim *exsules* paterno corde adamatos sublevatosque consolantur et efficiunt, ut nunc *variis* linguis unum hymnum unamque symphoniam gloriae Dei canant.

Ne cesset terra circumsonare gloria laudeque Dei magnanimitateque Pastorum animarum.

[6] « Defunctus adhuc loquitur ».

19

Exc.mus P. D. CAROLUS M. HIMMER

Episcopus Tornacensis

Dilectissimi Fratres,

Parcite mihi et miserere mei quia nova vice ultimus sum.

Duo verba tantum. Prius verbum, nomine proprio; secundum, nomine episcoporum Belgii.

Animadversionem quae mihi videtur alicuius momenti, afferre vellem circa n. 16 huius nostri schematis. In hoc numero, optime recolitur officium pastoris oves suas bene cognoscendi sed, ut iam dictum est, non satis explicitatur una ex notis characteristicis quas haec cognitio in hodiernis conditionibus secum ferre debet, scil. nota sociologica.

Quia plures de hoc iam locuti sunt et ut voluntati em.mi moderatoris respondeam — et hoc quidem libenter facio —, argumenta non evolvam. Mea intentio erat evolvere, enucleari characteres huius transformationis hodiernae prout exigunt hi characteres ex parte pastoris cognitionem ovium typi omnino novi. Hodie affero tamen partem primi argumenti et alia argumenta non dicam. Perveniam immediate ad conclusiones.

Hodie sub impulsu progressus technici *accessus ad vitam culturalem* non amplius reservatur quibusdam privilegiatis sed *aperitur* omnibus hominibus et speciatim *massis popularibus.*

Propter innumeras causas ordinis socialis, puta media communicationis, concentrationem multorum, speciatim operariorum in civitatibus atque in ambitu laboris et ludorum, plurimae oves nostrae subditae sunt illi potentissimo, permanenti atque profundo influxui sociologico. Hic influxus, ceterum non necessario malus, est magna realitas a qua abstrahi nequit.

Haec autem omnino nova conditio ovium exigit ex parte pastoris cognitionem, ut dixi, non tantum novam sed revera alterius prorsus ordinis. Non sufficiunt amplius ad cognoscendas oves contactus individuales et visitationes familiarum. Si vere efficaciter oves nostras docere et pascere volumus, omnino oportet ergo ut per inquisitiones serias, immo scientificas (inchieste sociologiche) eorum modum cogitandi, sentiendi et vivendi attingamus, scrutando omnes causas sociales in eis quotidie agentes.

Unde instanter proponitur ut in n. 16 inseratur hoc additum: « Sint episcopi in medio suorum etc. ... boni pastores qui cognoscunt suas oves non solum per contactus individuales et familiarium visitationes sed recurrendo etiam ad media specifica investigationis sociologicae ».

Et nunc nomine episcoporum Belgii, unum verbum circa n. 33 ubi agitur de apostolatu religiosorum in dioecesibus. In hoc numero, iure meritoque principia stabiliuntur de apostolatu religiosorum in dioecesibus, in 4) affirmatur quod sequitur: « Omnes religiosi, exempti et non exempti, Ordinariis locorum subduntur etc. ... ».

Aestimamus expressam quoque mentionem faciendam esse de scholis catholicis. Sane moderatio scholarum catholicarum quae a religiosis erectae sunt, ad ipsos religiosos pertinet, sed in eadem facienda subduntur praescriptis quae episcopus, totius apostolatus in dioecesi ordinator, statuenda aestimaverit ut omnium scholarum in dioecesi debita habeatur coordinatio et ad bonum commune ordinatio.

Propterea proponitur ut in textum addantur post verba « ... catecheticam institutionem et liturgicam efformationem » haec verba « scholas catholicas ». Gratias.

Textus scripto traditus:

Animadversionem quae mihi videtur alicuius momenti, afferre liceat circa n. 16, pag. 12, linn. 15-19.

Optime hic recolitur officium pastori incumbens oves suas bene cognoscendi sed non satis explicitatur una ex notis characteristicis quas haec cognitio in hodiernis conditionibus secum ferre debet, *nota* scilicet *sociologica*. A. v. haec paragraphus non videtur satis correspondere scopo ceterum explicite declarato in prooemio huius schematis in quo (pag. 6, linn. 5-7) annuntiatur descriptio muneris pastoralis *episcopi hodierni,* i. e. temporibus Concilii Vaticani II. Aetate enim

nostra, sicut ibi optime notatur, « conditiones hominum consociationis ad novum fertur rerum ordinem ».

Neque est necessarium diutius insistere in hoc facto ubique terrarum perceptibile, transformationis profundae et rapidissimae mundi hodierni, quae praesertim a termino secundi belli mundialis semper progreditur et adhuc progressura est.

Ut scribebat card. Suhard, arch. Parisiensis, anno 1947: « Bellum non est ut ita dicam intermezzo (entr'acte) sed epilogum constituit. Coincidit cum cessatione alicuius mundi (elle marque la fin d'un monde). Simultanee aetas quae incipit post istud bellum similitudinem habet alicuius prologi (prooemii): est veluti praefatio relate ad tragediam alicuius mundi qui est in fieri ».

Tres sunt characteres huius actualis transformationis mundi quos ibi indicare vellem prout exigunt ex parte pastoris, cognitionem ovium typi omnino novi ac antea, scil. typi sociologici.

1us character. Hodie sub impulsu progressus technici *accessus ad vitam culturalem* non amplius reservatur quibusdam privilegiatis sed *aperitur* omnibus hominibus et speciatim *massis popularibus* (masses populaires).

Propter innumeras causas ordinis socialis, puta media communicationis, concentrationem multorum, speciatim operariorum in civitatibus atque in ambitu laboris et ludorum (loisirs), plurimae oves nostrae subditae sunt illi potentissimo, permanenti atque profundo influxui sociologico. Hic influxus, ceterum non necessario malus, est magna realitas a qua abstrahi nequit.

Haec autem omnino nova conditio ovium exigit ex parte pastoris cognitionem gregis pariter novam et revera alterius prorsus ordinis. Non sufficiunt amplius ad cognoscendas oves contactus individuales et visitationes familiarum. Si vere efficaciter oves nostras docere et pascere volumus, omnino oportet ergo ut per inquisitiones serias, immo scientificas (inchieste sociologiche) eorum modum cogitandi, sentiendi et vivendi attingamus, scrutando omnes causas sociales in eis quotidie agentes.

2us character. Praeterea haec actualis evolutio mentium et morum hanc notam prae se fert quod sit *rapidissima* atque *valde mobilis.* Ex quo etiam inferendum est quod haec informatio nostra sociologica debeat manere sufficienter *actualis,* non attendens tantum ad eventus (événements) sed ad contextum socialem in qua hi eventus locum habent.

Secus periculosum est quod, verbi gratia occasione alicuius eventus uti conflictus socialis, interventus episcopi non satis attendat ad ipsam problematicam quaestionis et ad mentalitatem eorum qui hoc conflictu tanguntur, immo noceat veritati et Ecclesiae exinde grave damnum inferat. Quomodo Ecclesia posset esse praesens mundo qui tam celeriter transformatur, si cognitio nostra ad superficiem « realitatis socialis » remaneret!

3us character. Hodiernae mentalitates modo efficaci attingi nequeunt sine recursu ad *media collectiva.* Patet ex iam dictis et valet etiam pro actione Ecclesiae. Proinde etsi apostolatus individualis sacerdotum et laicorum semper requiratur et absolute indispensabilis est, omnes formae sociales apostolatus et coordinatio earum in sic dicta pastorali collectiva (pastorale d'ensemble) a nostris temporibus specialiter exiguntur.

Sed iterum haec ordinatio ab episcopo vel a Conferentia episcopali formarum aptarum apostolatus indolis socialis atque praesertim Pastoralis collectivae

modo valido confici nequit nisi *post praeviam analysim* et *inquisitionem sociologicam* serio peractam.

Concludo. 1. Ad progressum hac in re fovendum consentiendum est voto iam emisso in hac aula ab exc.mo Držečnik, episcopo Mariborensi in Jugoslavia, qui petebat introductionem cursus sociologiae pastoralis in facultatibus theologicis.

2. Proponitur instanter ut in n. 16 inseratur hoc additum: « Sint episcopi in medio suorum ... boni pastores qui cognoscunt suas oves non solum per contactus individuales et familiarum visitationes sed recurrendo etiam ad media specifica investigationis sociologicae ».

Hoc quia agitur de cognitione alterius omnino generis quae hodie a nulla alia suppleri potest.

3. Addatur etiam in n. 16 vel in proximo 17 necessitas pro episcopis promovendi instituta investigationis socio-pastoralis sive dioecesana, sive regionalia, sive nationalia. (Haec instituta non sunt confundenda cum institutionibus statisticarum religiosarum).

Textus additus: Nomine episcoporum Belgii.

In n. 33, in quo iure meritoque principia stabiliuntur de Religiosorum in dioecesibus apostolatu, ad 4) affirmatur quod sequitur: « Omnes religiosi, exempti et non exempti, Ordinariis locorum subduntur in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, ad varia apostolatus opera necnon ad status clericalis decorem spectant ».

Aestimant perplures episcopi expressam quoque mentionem faciendam esse de scholis catholicis. Sane moderatio scholarum catholicarum quae a religiosis erectae sunt, ad ipsos religiosos pertinet, sed in eadem facienda subduntur praescriptis quas episcopus, totius apostolatus in dioecesi ordinator, statuenda aestimaverit ut omnium scholarum in dioecesi debita habeatur coordinatio et ad bonum commune ordinatio. Re quidem vera scholae catholicae sunt forma apostolatus, cuius ordinatio ab episcopo pendet et eidem subiicitur. Ne autem aliquod subsistat dubium, de scholis catholicis, de subiectione religiosorum iis episcopi praescriptis quae earundem visitationem et coordinationem respiciunt expressum verbum requiritur. Itaque proponitur ut textus mutetur sequenti modo: « ... catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, *scholas catholicas aliaque apostolatus opera...* ».

Moderator: Postquam Patres, qui nomen tempestive dederunt, locuti sunt, finietur discussio de praesenti schemate « De pastorali munere episcoporum ». Restat solummodo unus Pater qui loqui vult de numeris 18 bis et ter, qui his solummodo diebus noti facti sunt Patribus. Et si qui Patres nomine saltem 70 Patrum loqui velint, dent subito nomen secretariatui generali.

Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXXVI
23 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS LXXXVI

23 septembris 1964

S. Andreae capite super altare reposito, Summus Pontifex orationem dicit:

Summus Pontifex: Ora pro nobis, Sancte Andrea!

Patres: Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Summus Pontifex: Oremus.

Maiestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus: ut, sicut Ecclesiae tuae beatus Andreas Apostolus exstitit praedicator et rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor. Per Christum Dominum Nostrum.

Patres: Amen.

Deinde Missa celebratur. Qua finita, omnes sedent et auscultant homiliam:

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KÖNIG

Archiepiscopus Vindobonensis

Beatissime Pater,
Patres venerabiles,
Observatores et Auditores,

« Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis ». His verbis liturgiae hodiernae, in quibus summa laus Apostoli continetur, salutant eum — hic per eius insignem reliquiam praesentem — salutant eum apostolorum successores fratresque qui undique convenerunt.

Sollemnem enim diem agimus, Patres venerandi, in quo apostolus opus sibi a Christo commissum inter nos renovat; tamquam fundamentum enim fratribus suis totius Ecclesiae a Domino positus, fratres qui a longe convenerunt in suis celebrandis laudibus et in mutua dilectione hodie coniungit.

Vicissitudines enim harum apostoli reliquiarum perpendenti mirum

apparet divinae Providentiae consilium. Cum enim maximae calamitates christianis orientis gentibus imminerent atque Ecclesiarum divisio fere consummata haberetur, Thomas Paleologus, urbis Patras in Graecia princeps, pretiosum B. Andreae reliquiarum depositum, quod iam a saeculis in sua urbe venerabatur, servari cupiens illud ad communionis christianae centrum, sepulcrum scil. B. Petri, detulit, Summoque Pontifici Pio II servandum commisit.

Qui Pontifex illud reliquiarum depositum apud pontem Milvium die 21 aprilis anno 1462 accipiens, apostolum Andream his verbis alloquebatur:

« Advenisti tandem, o sacratissimum et adoratissimum S. Apostoli caput; ad fratrem tuum Apostolorum principem confugisti exsulans. Non deerit germanus tuus tibi. Restitueris in solio tuo cum gloria, volente Domino. Licebitque aliquando dicere: " O felix exilium quod tale reparet auxilium ". Interea temporis cum tuo germano aliquamdiu commoraberis et pari honore cum eo potieris ».

Ita Pius Papa II Andream apostolum illis diebus salutavit.

« O felix exilium ». Haec prophetica verba hodie implentur, dum apostoli reliquiae, tamquam pignus et signum caritatis, communi christianorum gaudio, secundum Pii II promissa cum gloria suo solio restituuntur.

Qui quidem felix dies, in quo apostoli exilium terminatur, divina disponente Providentia, ex humili Papae Pauli VI feliciter regnantis consilio Terram Sanctam visitandi ortus est. In illo enim itinere, cuius gesta omnium retinet memoria, orientis fideles simul et non christiani Petri successorem intimius cognoscere et diligere coeperunt, dum et ipse ingenti erga illos motus caritate omnes quodammodo amplexus est.

Huius caritatis pignus reale Ecclesiae Graeco-Orthodoxae tradere cupiens, Summus Pontifex apostoli Andreae pretiosas reliquias Ecclesiae Patrensi in manibus eius Metropolitae restituere decrevit.

Nos vero omnes in episcopatu fratres suae caritati socians, ipse B.mus Pater in medio nostrum reliquias afferre et venerari primus hodie dignatur, pro qua gratia omnium nostrum liceat gratum proferre animum nostrosque pandere sensus.

Reliquiarum quidem terminatur commoratio in hac augusta Basilica at animi nostri ab illis non separantur. Illas tradentes caritatem significamus atque testamur simulque firmum exprimimus desiderium et spem consummatae unitatis. Utinam fiat sepulcrum apostoli protoclyti communis omnium christianorum venerationis et orationis sanctuarium!

Tu vero, apostole, quem Dominus in odorem suavitatis dilexit, qui tuo labore dissitas quoque Russorum terras nuntio evangelico illumi-

nasti atque effuso sanguine dilectionem tuam Christo probasti, nos omnes, Pontificem Nostrum Paulum, episcopos in Concilio congregatos eorumque sacerdotes atque fideles omnes eorum curae commissos, seiunctos fratres omnesque ad quos Christus apostolos suos direxit, illius dilectionis redde participes qua Christus te in odorem suavitatis dilexit.

Crucem Domini, in cuius exaltatione haec Concilii sessio initium habuit, fac nos illa devotione amplecti quae tuis illustratur verbis: « O bona Crux, diu desiderata, et iam concupiscenti animo praeparata, securus et gaudens venio ad te, ita ut tu exsultans suscipias me discipulum Eius qui pependit in te ».

B. apostoli Petre et Andrea, orate pro universo populo christiano, ut fiat pax et vera concordia inter omnes gentes!

Post egressum Summi Pontificis, Patres orationem *Adsumus* recitant, et secretarius generalis monet: *Exeant omnes cum omni festinatione.*

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Venerabiles Patres, uti videtis, concessum est hodie viris technicis imaginibus luce exprimendis in hac aula aliquamdiu permanere.

Hanc 86 congregationem generalem moderatur em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

In hac congregatione prosequetur disceptatio circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Sunt duo tantum Patres, qui loqui postulaverunt. Deinde fit transitus ad schema *de Oecumenismo,* scil. ad discutiendam declarationem *de libertate religiosa.*

Pariter, durante hac congregatione generali, prosequentur suffragationes circa cap. III schematis *de Ecclesia.*

Heri, uti comperire potuistis, suffragationes rite et celeriter factae sunt. Meritum est Patrum, qui suis locis semper bene steterunt; quod fore confidimus ut hodie etiam eveniat!

En igitur nomina eorum qui loqui postulaverunt circa schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: exc.mi DD. Carolus Greco, ep. Natchitochensis (Alexandrinus) in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Raphaël Gonzalez Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania.

Deinde circa declarationem *de libertate religiosa* loqui postulaverunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Ferdinandus Quiroga, arch. Compostellanus in Hispania; Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Richardus

Cushing, arch. Bostoniensis in Stat. Foed. Amer. Sept.; Ioseph Maria Bueno, arch. Hispalensis in Hispania; Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Stat. Foed. Amer. Sept.; Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Stat. Foed. Amer. Sept.; Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chilia; Alfridus Ottaviani; exc.mi DD. Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide; Aemilianus Čekada, ep. Scopiensis in Iugoslavia; Petrus Cantero, arch. Caesaraugustanus in Hispania; Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis in India; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Ioseph Lopez, ep. Tudensis-Vicensis in Hispania; Antonius de Castro, ep. Camposinus in Brasilia; Ioannes Canestri, ep. aux. Cardinalis Vicarii de Urbe; Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis in Germania; Marcellus Lefebvre, arch. sup. gen. Congregationis S. Spiritus; Ioseph Buckley, sup. gen. Societatis Mariae; Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Petrus Nierman, ep. Groningensis in Hollandia.

Uti nostis, venerabiles Patres, tribus sequentibus diebus sollemnia celebrabuntur in ecclesia S. Andreae de Valle in honorem S. Andreae. Horis pomeridianis, sacra reliquia deferetur privatim in illam ecclesiam; et crastina, feria V scil., habebuntur mane Sanctae Missae, et vespere, hora 18, oratio per em.mum card. Ioannem Urbani, patr. Venetiarum, et benedictio Eucharistica impertita ab em.mo card. Villelmo Theodoro Heard. Feria VI, nempe die 25 septembris, vespere, eadem hora, scil. 18, habebitur oratio per em.mum card. Ernestum Ruffini, arch. Panormitanum, et benedictio Eucharistica impertita ab em.mo card. Decano, Eugenio Tisserant. Sabbato autem, 26 septembris, hora 10, habebitur Missa sollemnis, et profectus Commissionis specialis Pontificiae ad deferendam sacram reliquiam in Graeciam. Omnes Patres humanissime ad has functiones invitantur.

Nunc lego textum suffragationis XIII. Videatis pag. 10 [*cf. vol. III, pars I, pag. 401*]. Venerabiles Patres, placetne haec declaratio an non placet? Respondeatis, quaeso.

Moderator: Loquatur exc.mus D. Raphaël Gonzalez Moralejo, ep. aux. Valentinus in Hispania, et ad microphonium accedat exc.mus ...

Secretarius generalis: Loquatur exc.mus Greco, qui primus est in ordine.

1

EXC.MUS P. D. CAROLUS P. GRECO

Episcopus Alexandrinus

Em.mi ac exc.mi Patres conciliares,

Loquar ut praeses in nomine coetus episcoporum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis pro Confraternitate Doctrinae Christianae.[1]

I. Omnes scimus nullum munus in Ecclesia esse tam grave, tam necessarium, tam fundamentale pro vita Ecclesiae animarumque salute quam munus docendi doctrinam christianam. Multa et optima dicuntur de hoc officio in schemate *de pastorali episcoporum munere,* praesertim nn. 12, 13, 14, 17. Immo breviter loquitur in n. 14 de praeparatione *catechistarum vel docentium*[2] pro opera tradendi doctrinam. Attamen schema omnino silet de penuria luctuosa *catechistarum,*[3] quae penuria agitat Ecclesiam et eam magno dolore et nimia *anxietate*[4] afficit; schema nullam solutionem ponit vel suggerit huius problematis. Schema praeterea videtur sedule vitare mentionem de *sodalitio* illo praeclarissimo laicorum quod Ecclesia ipsa fundavit et per vocem, fortem et tempestivam, Summorum Pontificum, institui mandavit et adhuc mandat ad adiuvandos episcopos et sacerdotes in munere docendi. Sicut omnes scimus, ista associatio laicorum dicitur *Confraternitas Doctrinae Christianae.* Ecclesia *utique*[5] praescripsit solutionem. Utinam acciperetur!

II. Inserendo nomen huius associationis laicorum in hoc schemate, Concilium Vaticanum II hunc fontem inexhaustum catechetarum ...[6] poneret in honore, vigore et praxi ubique terrarum ad solvendam penuriam *docentium*[7] ad magnum Ecclesiae incrementum et gaudium et copiosam salutem animarum.

III. Haec confraternitas, iam diu ab Ecclesia praecepta, *et unica ad hoc munus ab Ecclesia praecepta,*[8] est coetus paroecialis laicorum, qui a clero coadunantur ac mente et corde praeparantur ad ea omnia quae ad munus docendi doctrinam christianam spectant. Habet programmata pro omni aetate et necessitate *programmatis.*[9]

IV. Cum numerus sacerdotum, fratrum et sororum — inspecto praesertim quotidiano incremento christifidelium — de die in diem decrescat, cumque instructio religiosa sit fundamentum fidei et salutis, nemo est qui non videat quod laicorum confraternitas Doctrinae Christianae est indispensabilis pro vita, vigore ac dilatatione Ecclesiae *hodiernis diebus.*[10]

Cum multa de hoc schemate iam dicta sunt ab ill.mo archiepiscopo S. Antonii, pergam ad conclusionem.[11]

XIII. Mihi non adfuit tempus attingendi ingentem numerum Patrum conciliarium qui cognoscunt et fovent Confraternitatem in dioecesibus suis, sed certus prorsus sum quod eorum sensus exprimam cum humillime peto praeclarissimos Patres conciliares ut faveant insertioni nominis Confraternitatis in schemate, immo etiam introducant eam et foveant in suis dioecesibus, si iam non fecerint.

Omissio Confraternitatis Doctrinae Christianae in hoc schemate est denegatio magni adiumenti episcopis et sacerdotibus in munere docendi, et est quasi contemptus, *in aliquo sensu,*[12] erga Summos Pontifices et Sacras Congregationes quae ...[13] ad hos usque dies *fortiter*[14] iusserunt et *maxime*[15] commendaverunt Confraternitatem Doctrinae Christianae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] catechetarum. [3] docentium catechetarum. [4] anxietudine. [5] deest. [6] seu docentium. [7] deest. [8] deest. [9] instructionis religiosae comparanda, incipiens cum parentibus neonatorum et attingens pueros catholicos, praesertim qui scholas non religiosas seu publicas (uti dicunt) frequentant; adultos quoque catholicos qui instructione religiosa indigent (et sunt fere omnes), et non-catholicos atque catholicos lapsos, qui ad Christum et Ecclesiam ducuntur, vel saltem benevole erga Ecclesiam disponuntur. Et reapse maximo est auxilio ad opus conversionis perficiendum. [10] ubique terrarum. [11] V. Haec confraternitas maxime diffusa nunc est in singulis dioecesibus Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, in dioecesibus canadensibus, in permultis dioecesibus Americae Latinae, in Africa, India, Insulis Philippinis et in aliis.

VI. Ut Praeses coetus episcopalis pro confraternitate in Statibus Foederatis Americae, habeo communicationes cum multis episcopis multisque in regionibus. Permulti episcopi mihi declaraverunt se non potuisse dioeceses efficaciter regere et ad finem cum proventu perducere, praesertim in munere docendi, sine adiumento confraternitatis.

VII. Confraternitas ita cognita et probata, facile est declarare eam esse aptissimum, efficacissimum ac opportunissimum medium impertiendi doctrinam christianam; facile etiam est intelligere quare episcopi et sacerdotes qui confraternitatem sciunt et sedule adhibent declarent futurum Ecclesiae esse in Confraternitate Doctrinae Christianae, i. e., in adiutorio quod membra istius associationis praestant episcopis et parochis.

VIII. Itaque, cum ista confraternitas laicorum sit tam necessaria in Ecclesia, mirum non est quod Summi Pontifices iam a saeculo decimo sexto, sed praesertim praesenti saeculo, commendarint immo iusserint institutionem confraternitatis in omni mundi paroecia.

IX. Tempus non permittit nisi ut legam de uno tantum Pontifice, Sancto Pio X, qui in decreto *Acerbo Nimis* praescripsit: « In omni mundi paroecia instituatur

canonice Confraternitas Doctrinae Christianae, uti prima omnium societatum. Per confraternitatem, parochi inveniunt magnum adiumentum pro instructione catechetica a personis laicis... ». Praescriptiones huius decreti postea in Codicem Iuris Canonici insertae sunt, praesertim in canonem septingentesimum decimum primum. Alii Summi Pontifices huius saeculi, et nuper Beatissimus Pater feliciter regnans, Paulus Papa VI, et Sacra Congregatio Concilii, multa ediderunt tam in laudando quam in praescribendo Confraternitatem.

X. In fine litterarum quas Sacra Congregatio de Seminariis die 7 martii huius anni omnibus episcopis transmisit, circa praeparationem candidatorum ad sacerdotium, invenitur haec sententia: « Nobis placeret addere verbum de Confraternitate Doctrinae Christianae, quae est associatio officialiter commendata ab Ecclesia pro omni dioecesi et paroecia. Summi Pontifices frequenter de ea locuti sunt et Sacra Congregatio Concilii ipsi officialiter dedit regulas et constitutiones, etc. ».

XI. Venerabiles Patres, dubitari non potest ex decretis, litteris et commendationibus Summorum Pontificum et Sacrarum Congregationum, necnon ex fructibus gloriosis confraternitatis in permultis dioecesibus et paroeciis ubi viget et floret, esse mentem et voluntatem Ecclesiae ut Confraternitas Doctrinae Christianae, mandato ecclesiastico, instituatur in omni dioecesi et paroecia, ut maximum adiumentum episcopis et parochis in munere summi momenti docendi doctrinam christianam et conversiones faciendi.

XII. Addi potest quod Commissio Conciliaris, quae de catechesi agebat, unanime suffragium dedit ut Confraternitas Doctrinae Christianae in schemate nominetur. [12] deest. [13] valide et constanter. [14] deest. [15] deest.

Textus additus:

1. In schemate *de pastorali episcoporum munere* optima continentur (in nn. 12, 13, 14, 17) de munere et de necessitate catecheticae institutionis, sed non fit mentio, nisi modo generali et modo minime persuasivo, de mediis ad instructionem comparandam pro iis omnibus, qui ea indigent. Schema videtur sedulo et religiose evitare mentionem de coetu vel sodalitio illo praeclarissimo, quod Ecclesia per vocem Summorum Pontificum, praesertim hoc saeculo, tempestive et fortiter institui iussit ac adhuc iubet, i. e., de Confraternitate Doctrinae Christianae.

2. Haec Confraternitas est coetus paroecialis laicorum, qui a clero coadunantur ac mente et corde praeparantur ad ea omnia quae ad munus docendi fidem catholicam spectant; ac proinde sub regimine et vigilantia cleri illud munus maximi quidem momenti pro Ecclesia et animarum salute fideliter ac magno cum proventu adimplere possunt et de facto adimplent.

3. Haec Confraternitas ab Ecclesia praescripta habet programmata pro omni aetate ac necessitate instructionis religiosae, incipiens cum parentibus neo-natorum et attingens pueros catholicos, praesertim qui scholas non religiosas seu publicas (uti dicunt) frequentant, adultos quoque catholicos, qui instructione religiosa indigent (et sunt fere omnes), et non catholicos atque catholicos lapsos, qui ad Christum et Ecclesiam ducuntur, vel saltem benevole erga Ecclesiam disponuntur. Reapse maximo est auxilio ad opus conversionis perficiendum. Cum numerus sacerdotum, fratrum et sororum, inspecto praesertim quotidiano incremento christifidelium, de die in diem decrescat, cumque instructio religiosa sit fundamentum fidei et salutis: « fides ex auditu », dicit S. Paulus, nemo est qui non videat

quod Confraternitas Doctrinae Christianae est indispensabilis pro vita, vigore et dilatatione Ecclesiae ubique terrarum.

4. Utique Confraternitas Doctrinae Christianae est magno auxilio parochis et episcopis in munere ac missione divina impertiendi institutionem religiosam: « Euntes docete omnes gentes », et permulti sunt parochi et episcopi, qui declaraverunt ac declarant se non potuisse paroecias et dioeceses efficaciter regere et ad finem cum proventu perducere sine adiumento Confraternitatis.

Confraternitas ita cognita et probata, facile est declarare eam esse aptissimum, efficacissimum et opportunissimum medium propagandi doctrinam christianam; facile etiam est intelligere quare episcopi et sacerdotes, qui Confraternitatem sciunt et sedulo adhibent in munere docendi, declarent futurum Ecclesiae esse in Confraternitate Doctrinae Christianae.

5. Haec Confraternitas maxime diffusa est in singulis dioecesibus civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, in dioecesibus canadensibus et in permultis dioecesibus Americae Latinae, in Africa, India, Insulis Philippinis et in aliis. Experientia teste, conspicuum est laicos multa conferre posse pro Christo et Ecclesia per Confraternitatem Doctrinae Christianae.

6. Quae cum ita sint, mirum non est quod Summi Pontifices iam a saec. XVI, et uti iam diximus, praesertim praesenti saeculo, commendarint immo iusserint institutionem Confraternitatis in omni mundi paroecia.

a) S. Pius V, a. 1571, in constitutione *Ex debito* mandavit ut Confraternitas Doctrinae Christianae institueretur pro instructione puerorum ac adultorum.

b) Papa Benedictus XIV, in decreto *Etsi minime,* die 2 februarii 1742, decrevit quod viri et mulieres Confraternitatis Doctrinae Christianae deberent adiuvare episcopos et parochos in opere efformationis religiosae.

c) S. Pius X edidit viginti et unum documenta maiora circa instructionem religiosam; sed legislatio specifica de Confraternitate Doctrinae Christianae invenitur in decreto *Acerbo nimis,* quod direxit ad omnes mundi episcopos. Praescriptiones huius decreti postea in Codicem Iuris Canonici insertae sunt a Summo Pontifice, praesertim in can. 711. Sequentia verba indicant naturam praescriptivam decreti circa Confraternitatem Doctrinae Christianae et eius institutionem in omni paroecia: « In omni mundi paroecia instituatur canonice Confraternitas Doctrinae Christianae. Per Confraternitatem parochi, praesertim in locis ubi adest sacerdotum penuria, inveniunt magnum adiumentum pro institutione catechistica a personis laicis... ».

d) Opus Confraternitatis Doctrinae Christianae recepit supremam vim his diebus in decreto ex S. Congregatione Concilii, die 15 februarii 1935, sub auctoritate Papae Pii XI, qui statuit: « In omni paroecia... instituatur Confraternitas Doctrinae Christianae, uti prima omnium societatum, secundum can. 711 ». Insuper a S. Congregatione Concilii adiungitur quaestio in relatione respondenda: « An Confraternitas Doctrinae Christianae instituta sit in omni paroecia et quodnam adiumentum praebeat parochis in tradenda institutione catechistica? ».

e) Pius Papa XII et Papa Ioannes multa ediderunt in laudem Confraternitatis Doctrinae Christianae. Pius Papa XII scripsit: « In vestra Ecclesia (Am. Septemtr.) inter Adsociationes laicorum sunt quae sibi acquisiverunt gloriam perennem, scil., Actio Catholica et Confraternitas Doctrinae Christianae ». In litteris episcopo Buffalensi transmissis, occasione Congressus Internationalis Confraternitatis, scripsit idem Summus Pontifex: « Noster Sanctus Predecessor felicis memo-

riae, S. Pius X, mandavit ut in omni paroecia institueretur Confraternitas Doctrinae Christianae. Hoc sapiens mandatum sui Patroni caelestis uti thema Congressus seligendo, Confraternitas demonstravit quod cognoscit servitium efficax quod laicatus, zelans et bene praeparatus, potest reddere episcopis et clero in munere vitali docendi veritates religiosas ».

f) Papa Ioannes, felicis memoriae, episcopo praesidi Coetus Episcopalis Confraternitatis Doctrinae Christianae pro America Septemtrionali, haec inter alia scripsit: « Confraternitas Doctrinae Christianae est forma maxime necessaria et maxime pretiosa apostolatus laicorum », et em.mo principi card. Amleto Ioanni Cicognani, uti suo a latere Legato ad Congressum Internationalem Confraternitatis apud Dallas scripsit: « Optamus ut Congressus habeat effectus salutares etiam extra limites Statuum Foederatorum eo fine quod Confraternitas, tam saepe a Supremis Pontificibus commendata, longe lateque cognoscatur et instituatur ubique terrarum ».

g) Et B.mus Pater, feliciter regnans Paulus Papa scripsit eidem praesidi Confraternitatis iam citato: « Congressus Catechisticus apud Dallas habitus dedit magnum vigorem conatibus iam bene notis Confraternitatis, et iam hodiernis diebus Omnipotens Deus nobis permisit aspicere multos effectus pretiosos. Oramusque ut fructus abundantiores eveniant e conatibus membrorum Confraternitatis Doctrinae Christianae, quibus amanter impertimus nostram paternam benedictionem ».

h) In fine litterarum quas S. Congregatio de Seminariis die 7 martii huius anni episcopis transmisit, circa praeparationem candidatorum ad sacerdotium, invenitur haec sententia: « Nobis placeret addere verbum de Confraternitate Doctrinae Christianae, quae est organisatio officialiter commendata ab Ecclesia pro omni dioecesi et paroecia. Summi Pontifices frequenter de ea loquuti sunt et Sacra Congregatio Concilii ipsi officialiter dedit regulas et constitutiones... ».

Dubitari non potest ex decretis, scriptis et commendationibus Summorum Pontificum et Ss. Congregationum, necnon ex experientia gloriosa multorum dioecesium et paroeciarum in multis mundi regionibus, esse mentem et voluntatem Ecclesiae ut Confraternitas Doctrinae Christianae, mandato ecclesiastico, instituatur in omni mundi paroecia, uti maximum adiumentum episcopis et parochis in munere summi momenti docendi doctrinam christianam et conversiones faciendi.

Addi potest quod commissio conciliaris quae de catechesi agebat, unanime suffragium dedit ut Confraternitas Doctrinae Christianae in schemate nominetur.

Mihi non adfuit tempus attingendi ingentem numerum Patrum Conciliarium, qui cognoscunt et fovent Confraternitatem in dioecesibus, sed certus sum quod eorum sensum exprimam cum humillime peto praeclarissimos Patres conciliares ut foveant insertioni nominis Confraternitatis Doctrinae Christianae in schemate, immo etiam introducant eam et foveant in suis dioecesibus.

Secretarius generalis: Exeant omnes photographi.

2

EXC.MUS P. D. RAPHAEL GONZALEZ MORALEJO

Episcopus tit. Dardanius, aux. Valentinus

Venerabiles Patres conciliares,

Gratias agens em.mis moderatoribus quia licentiam loquendi mihi concesserunt quamvis eam petivi hesterna die, liceat mihi aliqua dicere de n. 18 ter extra schema nobis recenter dato.[1]

Plene[2] adhaereo iis quae sub *hoc numero*[3] a competenti commissione rite et perspicue addita sunt schemati *de pastorali episcoporum munere* circa libertatem in episcoporum nominatione. Agitur enim de quaestione momentosa, iam in sessione II huius Concilii a nonnullis Patribus proposita, quae in praesenti schemate adhuc a multis desiderabatur. Eo vel magis quod schema, dum nihil dicebat de nominatione episcoporum, tamen sub n. 29 quaestionem parallelam proponebat: « de parochorum nominatione, remotione et renuntiatione ».

Libertas de qua agitur sub n. 18 ter merito vindicatur, quasi « ius proprium, peculiare et per se exclusivum » competenti auctoritati ecclesiasticae, quoad omnes laicos qui, quocumque modo, iura aut privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis ad episcopatus officium hucusque usi sunt vel in posterum usurpare voluerint.

Sed liceat mihi, qui hanc ipsam libertatem in altera sessione plane et sincere postulavi, in ista tertia, veritatem in caritate et aequitate prosequendo, vobis animadvertere quam longe distet usus hucusque habitus horum privilegiorum quae ipsa Ecclesia concessit ad aliqua gubernia catholica, ab abusibus illis quibus nonnulli laici, Ecclesiae auctoritatem et libertatem conculcare ausi sunt.

Cum vero Patres conciliares iam clare et quasi unanimiter mentem suam satis aperuissent circa doctrinam catholicam de episcoporum collegio atque de eius relationibus cum Romano Pontifice, Successore Petri et totius collegii Capite, opportunum censeo aliqua addere iis quae sub n. 18 ter recte proponuntur.

Videtur mihi in textu a competenti commissione proposito, quaestioni de episcoporum nominatione non satis provisum fuisse. Etenim sub n. 18 ter, criterium ut ita dicam mere negativum continetur.

Sed cum reformatio Ecclesiae, quae in hoc Concilio Vaticano II intenditur, ex declarationibus Summorum Pontificum Ioannis XXIII et Pauli VI, omnibus Patribus Concilii consentientibus, incipere debeat ab ipsis institutionibus Ecclesiae, necesse est, mea quidem humili sen-

tentia, ut clarius in textu nostro appareant criteria positiva quibus Ecclesia, doctrinam de eius constitutione hierarchica in praxim applicando, providere intendit ad rectam nominationem episcoporum. Sic faciendo, exemplum et incitamentum praebebit laicis illis a quibus libertatem vindicat. Immo et libentius ab omnibus accipientur ea quae « de parochorum nominatione, remotione et renuntiatione » sub n. 29 statuuntur.

Hinc, firmiter stabilita potestate primatiali Romani Pontificis, quaedam proponuntur.

Criteria vero positiva quibus huiusmodi propositiones nituntur, ullo modo tangere intendunt ea quae de nominatione episcoporum in Ecclesiis orientalibus sarta tectaque per tot saecula servantur.

Propono igitur ut textui a commissione confecto haec addantur: « In nominatione vero episcoporum interventio habeatur competentis conferentiae episcopalis, audiatur presbyterium eius dioeceseos cuius pastor est eligendus, nec praetermittatur opinio laicorum ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Libenter. [3] n. 18 ter.

Secretarius generalis: Audiant Patres! Em.mus D. card. Decanus, praeses, rogat ut hac feria quarta Quattuor Temporum consilium Ss. Domini sancte servetur de ieiunio et abstinentia faciendis.

Aliud rogat secretarius generalis. In centro mechanographico prostabant ad tredecim regesta continentia nomina Patrum iuxta praecedentiam. Nunc cum multo labore tria tantum inventa sunt. Si ergo quis ea abstulerit ad videnda nomina, ad capiendas notitias, rogatur ut ad suam sedem reportet, quia illa regesta sunt necessaria etiam pro labore nostro secretariae generalis. Gratias.

Et nunc lego textum suffragationis XIV: « Dominus Simonem ut petram et clavigerum Ecclesiae posuit, eumque Pastorem totius sui gregis constituit; illud autem ligandi ac solvendi munus, quod uni Petro datum est, collegio quoque Apostolorum, suo Capiti coniuncto, tributum esse constat ». Placetne an non placet haec propositio?

Moderator: Et nunc transitus fit ad schema *de Oecumenismo,* ubi *de libertate religiosa.* Loquatur nunc relator qui nobis dabit relationem super declarationem de libertate religiosa, exc.mus D. Aemilius De Smedt, ep. Brugensis in Belgio.

[5]

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA DECRETI

DE OECUMENISMO *

1. [*Prooemium*]. UNITATIS REDINTEGRATIO inter universos christianos promovenda unum est ex praecipuis Sacrae Oecumenicae Synodi Vaticanae Secundae propositis.[1] Una enim atque unica a Christo Domino condita est Ecclesia, plures tamen christianae Communiones sese ut Iesu Christi veram haereditatem hominibus proponunt; discipuli Domini diversa sentiunt et per diversas ambulant vias, ac si Christus Ipse divisus sit (cf. *1 Cor.* 1, 13). Quae sane divisio et aperte voluntati Christi contradicit, et scandalo est mundo atque sanctissimae causae praedicandi Evangelium omni creaturae affert detrimentum.

Dominus vero saeculorum, qui propositum gratiae suae erga nos peccatores sapienter et patienter prosequitur, novissime in christianos inter se disiunctos animi compunctionem et desiderium unionis abundantius effundere incepit. Qua gratia permulti ubique homines permoti sunt atque inter fratres quoque nostros seiunctos amplior in dies motus, Spiritus Sancti fovente gratia, exortus est ad omnium christianorum unitatem assequendam. Hunc autem unitatis motum, oecumenicum nuncupatum, participant qui Deum Trinum invocant atque Iesum confitentur Dominum et Salvatorem, nec modo singuli seiunctim, sed etiam

---

* In initio fasciculi continentis schema usque ad declarationem alteram legitur: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Aprilis, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

Declaratio altera seu De Iudaeis et non Christianis *una cum* Relatione *quam primum transmittetur* ».

in coetibus congregati, in quibus Evangelium audierunt quosque singuli Ecclesiam dicunt esse suam et Dei. Omnes tamen, etsi diverso modo, ad Ecclesiam Dei unam et visibilem adspirant, quae sit vere universalis et ad universum mundum missa ut mundus ad Evangelium convertatur et sic salvus fiat ad gloriam Dei. [5]

Haec igitur Sacra Synodus ea omnia laeto animo considerans, cum iam doctrinam de Ecclesia declaraverit, desiderio unitatis inter omnes Christi discipulos restaurandae permota, catholicis omnibus proponere vult adiumenta, vias ac modos quibus ipsi possint huic divinae vocationi et gratiae respondere.

NOTAE

[1] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iunii 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 511, 516.

IOANNES XXIII, Motu Proprio *Superno Dei nutu,* 5 iunii 1960: *A.A.S.,* 52 (1960), p. 436. Instituitur Secretariatus ad christianorum unitatem fovendam.

IOANNES XXIII, Const. Apost. *Humanae Salutis,* 25 decembris 1961, qua Concilium Oecumenicum Vaticanum II indicitur: *A.A.S.,* 54 (1962), p. 9.

PAULUS VI, in *Alloc.* ad Patres Conciliares habita, 29 septembris 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 852.

CAPUT I [6]

DE CATHOLICIS OECUMENISMI PRINCIPIIS

2. [*De Ecclesiae unitate et unicitate*]. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quod Filius Dei unigenitus a Patre in mundum missus est, ut homo factus, totum genus humanum redimendo regeneraret atque in unum congregaret.[1] Qui antequam seipsum in ara crucis hostiam immaculatam offerret, Patrem pro fidelibus oravit, dicens: « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus quia tu me misisti » (*Io.* 17, 21), et in Ecclesia sua Eucharistiae mirabile sacramentum instituit, quo unitas Ecclesiae et significatur et efficitur. Discipulis suis novum mutui amoris mandatum dedit [2] atque Paraclitum Spiritum promisit [3] qui, Dominus et vivificans, cum eis maneret in aeternum.

Exaltatus autem in cruce et glorificatus Dominus Iesus Spiritum promissum effudit, quo Novi Foederis populum, qui est Ecclesia, in unitatem fidei, spei et caritatis vocavit et congregavit, sicut docet Apostolus: « Unum corpus et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.* 4, 4-5).

[6] Etenim « quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis... Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 27-28). Spiritus Sanctus, qui credentes inhabitat totamque replet atque regit Ecclesiam, miram illam communionem fidelium efficit et tam intime omnes in Christo coniungit, ut Ecclesiae unitatis sit Principium. Ille divisionem gratiarum et ministrationum operatur,[4] variis muneribus Ecclesiam Iesu Christi ditans « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » (*Eph.* 4, 12).

Ad hanc autem sanctam suam Ecclesiam ubique terrarum usque ad consummationem saeculi stabiliendam, Christus munus docendi, regendi et sanctificandi Collegio Duodecim concredidit.[5] Inter eos Petrum elegit, super quem post fidei confessionem Ecclesiam suam aedificare decrevit; cui claves regni caelorum promisit [6] atque, post maioris dilectionis professionem, universas oves in fide confirmandas [7] et in perfecta unitate pascendas commisit,[8] Ipso Christo Iesu summo angulari lapide [9] et pastore animarum nostrarum [10] in aeternum manente.

Iesus Christus per Apostolorum eorumque successorum fidelem Evangelii praedicationem sacramentorumque administrationem, et per
[7] gubernationem in dilectione, Spiritu Sancto operante, populum suum crescere vult eiusque communionem perficit in unitate: in confessione unius fidei, in regiminis pastorum fraterna concordia, nec non in divini cultus communi celebratione.[11]

Ita Ecclesia, unicus Dei grex, tamquam signum levatum in nationes,[12] Evangelium pacis ministrans toti generi humano,[13] peregrinatur in spe ad patriae supernae metam.[14]

Hoc est unitatis Ecclesiae sacrum mysterium, in Christo et per Christum, Spiritu Sancto munerum varietatem operante. Huius mysterii supremum exemplar et principium est in Trinitate personarum unitas unius Dei Patris et Filii in Spiritu Sancto.

3. [*De habitudine fratrum seiunctorum ad Ecclesiam catholicam*]. In hac una et unica Dei Ecclesia iam a primordiis scissurae quaedam exortae sunt,[15] quas ut damnandas graviter vituperat Apostolus; [16] posterioribus vero saeculis ampliores natae sunt dissensiones, et Communitates haud exiguae a plena communione Ecclesiae catholicae seiunctae sunt, quandoque non sine hominum utriusque partis culpa. Qui autem nunc in talibus Communitatibus nascuntur et fide Christi imbuuntur, de separationis peccato argui nequeunt, eosque fraterna reverentia et dilectione amplectitur Ecclesia catholica. Hi enim qui in Christum credunt et baptismum rite receperunt, in quadam cum Ecclesia catholica communione, etsi non perfecta, constituuntur. Profecto, ob discrepantias

variis modis vigentes inter eos et Ecclesiae catholicae fideles tum in re [7] doctrinali et quandoque etiam disciplinari tum circa structuram Ecclesiae, plenae ecclesiasticae communioni opponuntur impedimenta non pauca, quandoque graviora, ad quae superanda tendit motus oecumenicus. Nihilominus, iustificati per fidem in baptismate, Christo incorporantur,[17] ideoque christiano nomine iure decorantur et a filiis Ecclesiae catholicae ut fratres in Domino merito agnoscuntur.[18]

Insuper ex elementis seu bonis, quibus simul sumptis ipsa Ecclesia aedificatur et vivificatur, quaedam immo plurima et eximia exstare possunt extra visibilia Ecclesiae catholicae saepta: Verbum Dei scriptum, vita gratiae, fides, spes et caritas, aliaque interiora Spiritus Sancti dona ac visibilia elementa: haec omnia, quae a Christo proveniunt et ad Ipsum conducunt, ad unicam Christi Ecclesiam pertinent.

Non paucae etiam christianae religionis actiones sacrae apud fratres a nobis seiunctos peraguntur, quae, variis modis secundum diversam condicionem uniuscuiusque Ecclesiae vel Communitatis, procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt atque aptae dicendae sunt quae ingressum in salutis communionem pandant.[19]

Proinde ipsae Ecclesiae [20] et Communitates seiunctae, etsi defectus [8] illas pati credimus, nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt. Iis enim Spiritus Christi uti non renuit tamquam salutis mediis, quorum virtus derivatur ab ipsa plenitudine gratiae et veritatis quae Ecclesiae concredita est.[21]

Attamen fratres a nobis seiuncti, sive singuli sive Communitates et Ecclesiae eorum, unitate illa non fruuntur, quam Iesus Christus iis omnibus dilargiri voluit quos in unum corpus et in novitatem vitae regeneravit et convivificavit, quamque Sacrae Scripturae et veneranda Ecclesiae Traditio profitentur. Per solam enim catholicam Christi Ecclesiam, quae « generale auxilium salutis » est, omnis salutarium mediorum plenitudo attingi potest.[22] Uni nempe Collegio apostolico cui Petrus praeest credimus Dominum commisisse omnia bona Foederis Novi, ad constituendum unum corpus Christi in terris, cui plene incorporentur oportet omnes, qui ad populum Dei iam aliquo modo pertinent. Qui populus, durante sua terrestri peregrinatione, quamvis peccato obnoxius remaneat, in Christo iugiter crescit et a Deo, secundum Eius arcana consilia, suaviter ducitur, usquedum ad totam aeternae gloriae plenitudinem in caelesti Ierusalem laetus perveniat.

4. [*De Oecumenismo*]. Cum hodie in pluribus orbis partibus, Spiritu Sancto afflante,[23] oratione, verbo et opere multi conatus fiant accedendi ad illam plenitudinem unitatis, quam Iesus Christus vult, haec

[8] Sancta Synodus cunctos fideles catholicos hortatur ut, signa temporum agnoscentes, operi oecumenico sollerter participent.

Per « Motum oecumenicum » intelliguntur activitates et incepta, quae pro variis Ecclesiae necessitatibus et opportunitatibus temporum ad christianorum unitatem fovendam suscitantur et ordinantur, ut sunt: primum, omnes conatus ad eliminanda verba, iudicia et opera, quae fratrum seiunctorum condicioni secundum aequitatem et veritatem non respondeant, ideoque mutuas cum ipsis rationes difficiliores reddant; dein, in conventibus christianorum ex diversis Ecclesiis vel Communitatibus in spiritu religioso ordinatis, « dialogus » inter peritos apte instructos initus, in quo unusquisque suae Communionis doctrinam profundius explicat eiusque characteres perspicue praesentat. Per hunc enim dialogum veriorem utriusque Communionis doctrinae vitaeque cognitionem et magis aequam aestimationem omnes acquirunt; tum etiam illae Communiones eam consequuntur ampliorem collaborationem in quibusvis officiis ad bonum commune ab omni conscientia christiana postulatis, et in oratione unanimi, sicubi licet, conveniunt. Denique omnes suam fidelitatem voluntati Christi circa Ecclesiam examinant at- [9] que, ut oportet, opus renovationis nec non reformationis strenue aggrediuntur.

Quae omnia, cum a fidelibus Ecclesiae catholicae sub Pastorum vigilantia prudenter et patienter perficiuntur, ad bonum aequitatis et veritatis, concordiae et collaborationis, fraterni animi et unionis conferunt; ut hac via paulatim, superatis obstaculis perfectam communionem ecclesiasticam impedientibus, omnes Christiani, in una Eucharistiae celebratione, in unius unicaeque Ecclesiae unitatem congregentur quam Christus ab initio Ecclesiae suae largitus est, quamque inamissibilem in Ecclesia catholica subsistere credimus et usque ad consummationem saeculi in dies crescere speramus.

Patet igitur nullam adesse oppositionem, quamvis natura sua distinguantur, inter hanc actionem oecumenicam et apostolatum reconciliationis ac praeparationis eorum singulorum qui in Ecclesiam catholicam ingredi desiderant, cum utrumque sit opus a Spiritu Sancto inspiratum.

Fideles catholici in actione oecumenica sine dubio de aliis solliciti sint oportet, pro illis orando, de rebus Ecclesiae cum illis communicando, primos gressus ad illos movendo. In primis vero ipsimet sincero attentoque animo ea perpendere debent, quae in ipsa Familia catholica renovanda et efficienda sunt, ut eius vita fidelius et clarius testimonium reddat de doctrina institutisque a Christo per Apostolos traditis.[24]

Quamvis enim Ecclesia catholica omni a Deo revelata veritate et

omnibus instrumentis gratiae ditata sit, tamen membra eius non omni [9] quo par est fervore inde vivunt, ita ut vultus Ecclesiae fratribus a nobis seiunctis et universo mundo minus affulgeat atque regni Dei incrementum retardetur. Quapropter Catholici omnes ad perfectionem christianam tendere debent[25] atque, pro sua quisque condicione, eniti ut Ecclesia, humilitatem et mortificationem Iesu in corpore suo portans,[26] de die in diem mundetur et renovetur, donec Christus eam sibi exhibeat gloriosam, non habentem maculam aut rugam.[27]

In necessariis unitatem custodientes, omnes in Ecclesia, secundum munus unicuique datum, cum in variis formis vitae spiritualis et disciplinae, tum in diversitate liturgicorum rituum, immo et in theologica veritatis revelatae elaboratione, debitam libertatem servent; in omnibus vero caritatem colant. Hac enim agendi ratione ipsi veri nominis catholicitatem simul et apostolicitatem Ecclesiae in dies plenius manifestabunt.

Ex altera parte necessarium est Catholicos cum gaudio agnoscere et aestimare bona vere christiana, a communi patrimonio promanantia, quae apud fratres a nobis seiunctos inveniuntur. Divitias Christi et dona Spiritus Sancti agnoscere in vita aliorum, qui pro Christo testimonium ferunt, quandoque usque ad sanguinis effusionem, aequum et salutare [10] est: Deus enim semper mirabilis est et mirandus in operibus suis.

Neque est praetereundum, quaecumque a Spiritu Sancto in cordibus fratrum seiunctorum efficiuntur, eadem ad nostram quoque aedificationem conferre posse. Quodcumque vere christianum est, numquam germanis fidei bonis adversatur, immo semper efficere potest ut perfectius ipsum mysterium Christi et Ecclesiae attingatur.[28]

Attamen divisiones christianorum impedimento Ecclesiae sunt quominus ipsa ad effectum deducat plenitudinem catholicitatis sibi propriam in iis filiis, qui sibi quidem baptismate appositi, sed a sua plena communione seiuncti sunt. Immo et pro ipsa Ecclesia difficilius fit plenitudinem catholicitatis sub omni respectu in ipsa vitae realitate exprimere.

Haec Sacra Synodus cum gaudio advertit participationem fidelium catholicorum in actione oecumenica in dies augeri, eamque Episcopis ubique terrarum commendat, ut eadem promoveatur sollerter, et prudenter ab ipsis dirigatur.[29]

NOTAE

[1] Cf. *1 Io.* 4, 9; *Col.* 1, 18-20; *Io.* 11, 52.
[2] Cf. *Io.* 13, 34.
[3] Cf. *Io.* 16, 7.
[4] Cf. *1 Cor.* 12, 4-11.
[5] Cf. *Mt.* 28, 18-20, collato *Io.* 20, 21-23.

[10] [6] Cf. *Mt.* 16, 18, collato *Mt.* 18, 18.

[7] Cf. *Lc.* 22, 32.

[8] Cf. *Io.* 21, 15-18.

[9] Cf. *Eph.* 2, 20.

[10] Cf. *1 Petr.* 2, 25.

CONC. VATICANUM I, Constitutio *Pastor Aeternus,* 1870 (cf. *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Herder [1962] p. 787).

[11] LEO XIII, Epist. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-1896), p. 710: « Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam: item qui perinde habent atque institutum quoddam humanum cum temperatione quadam disciplinae ritibusque externis, at sine perenni communicatione munerum gratiae divinae, sine rebus iis, quae haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testentur. Nimirum alterutram esse posse Iesu Christi Ecclesiam tam repugnat, quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniunctio ».

[12] Cf. *Is.* 11, 10-12.

[13] Cf. *Eph.* 2, 17-18, collato *Mc.* 16, 15.

[11] [14] Cf. *1 Petr.* 1, 3-9.

[15] Cf. *1 Cor.* 11, 18-19; *Gal.* 1, 6-9; *1 Io.* 2, 18-19.

[16] Cf. *1 Cor.* 1, 11 sqq.; 11, 22.

[17] DENZ. 696.

[18] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* (1959), p. 515: « Sinite fratres et filios dulci vos desiderio appellemus; ... Eos igitur omnes, qui a Nobis seiuncti sunt, tamquam fratres verbis alloquimur S. Augustini dicentis: " Velint, nolint, fratres nostri sunt. Tunc esse desinent fratres nostri, si desierint dicere: Pater Noster " (S. AUG., *In Ps. 32, Enarr. II,* 29: *PL* 36, 299) ».

In eadem Encycl. pp. 516-517: « Quamobrem ad omnes fratres ac filios Nostros, qui ab hac Beati Petri Cathedra disiuncti sunt, haec repetimus verba: Ego sum... Ioseph, frater vester ».

[19] Cf. quoad Communitates orientales dissidentes:

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram*: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 515.

PIUS XII, *Alacre Studium*: *A.A.S.,* 37 (1945), p. 600.

Mgr. CH. JOURNET: « La transmission ininterrompue de l'exercice valide du pouvoir d'ordre à l'intérieur des Eglises dissidentes est un témoignage émouvant des profondeurs de la volonté salvifique de Dieu, qui, en continuant de dispenser de cette manière les grâces de contact de son sacrifice et de ses sacrements... nous révèle son étonnant dessein de commencer en quelque sorte à former l'Eglise en dehors de l'Eglise... » (*L'Eglise du Verbe Incarné,* I. La Hiérarchie Apostolique, 2ème édit., Desclée, 1955, p. 652). Auctor citat circa illam quaestionem L. BILLOT, *De Ecclesia Christi,* Romae 1921, p. 339.

Quoad omnes Communitates christianas dissidentes:

Cf.: LEO XIII, Epist. *Longinqua Oceani,* 6 ian. 1895: *A.S.S.,* 27 (1894-1895), p. 399.

LEO XIII, Epist. Encycl. *Caritatis studium,* 25 iulii 1898: *A.S.S.,* 31 (1898-1899), p. 11.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Lux veritatis,* 25 dec. 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 510. [11]
J. GRIBOMONT, O.S.B., *Du Sacrement de l'Eglise et de ses réalisations imparfaites,* in *Irenikon,* 22 (1949), pp. 356-357.

[20] In traditione ecclesiastica nomen « Ecclesiae » Communitatibus orientalibus dissidentibus *saepe* et *constanter* attribuitur: cf. sequentia documenta Ecclesiae:

1074-1075: S. GREGORIUS VII loquitur de « Ecclesia Constantinopolitana » (*PL* 148, 385-387) et de « Ecclesia orientali » (*PL* 148, 399-400).

1095: URBANUS II inter fines expeditionis Sacrae Crucis « liberationem Ecclesiarum orientalium » enumerat (ita VILLEY, *La Croisade,* p. 81).

1215: CONC. LATERAN. IV loquitur de « Graecorum Ecclesia » (MANSI 22, 989). Ita et GREGORIUS IX (MANSI 23, 58 A, C, E et 59, B et C).

1274: CONC. LUGDUN. II. Etsi hic non agitur de Ecclesiis orientalibus adhuc separatis, suum valorem habet id quod in fine professionis fidei Michaelis Palaeologi dicitur: « Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit: quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva » (MANSI 24, 70 A s.).

1439: CONC. FLORENT.: In Definitione *Laetentur caeli,* 6 iul. 1439 legitur: « sublatus est enim de medio paries qui occidentalem orientalemque dividebat Ec- [12]
clesiam » (*Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Herder [1962], p. 500).

1848: PIUS IX, in Litt. ad Orientales, *In Suprema,* 6 ian. 1848, haec habet: « num ipsa haec Sanctae et Apostolicae Ecclesiae unitas in tanta illa vestrarum Ecclesiarum divisione, inveniri possit » (*Pii IX P. M. Acta,* vol. I, p. 85).

1867: PIUS IX, in *Alloc.* in Concistorio circa patriarchatum Ciliciae Armenorum, 12 iul. 1867, observat quod schisma orientale « ipsas Ecclesias ab unitate catholica iamdiu misere seiunxit et separavit... Etsi vero aliquae ex illis Ecclesiis ad catholicam unitatem... redierint... » (*A.S.S.,* 3 [1867], p. 345).

1868: PIUS IX, *Arcano divinae Providentiae,* titulum habet: « Litterae apostolicae Pii IX ad omnes episcopos Ecclesiarum Ritus Orientalis communionem cum Apostolica Sede non habentes ». Aliquoties quoque in ipsa epistola Communitates illae separatae « Ecclesiae » vocantur (*A.S.S.,* 4 [1868], pp. 129-131).

1894: LEO XIII, Epist. Apost. *Praeclarae gratulationis,* 20 iun. 1894, loquitur de « Ecclesiis orientalibus » et dicit: « redintegrata nobiscum communione, mirum profecto quanta Ecclesiis vestris dignitas, quantum decus, divino munere accedit » (*A.S.S.,* 26 [1893-1894], p. 709).

1898: LEO XIII, Litt. Apost. *Cum divini Pastoris,* 25 maii 1898, titulum sequentem habet: « Litterae apostolicae de erectione Archisodalitatis precum et piorum operum pro reditu Ecclesiarum dissidentium ad catholicam unitatem... » (*Leonis XIII P. M. Acta,* 18 [1898], p. 49).

1907: S. C. INDULGENTIARUM dicit: « Ad impetrandam optatam inter Ecclesiam Catholicam et Ecclesias ab hac dissidentes unionem ».

1912: S. PIUS X, Const. Apost. *Tradita ab antiquis,* 14 sept. 1912, haec habet: « pax Ecclesiae graecae cum latina » (*A.A.S.,* 4 [1912], p. 610).

1920: BENEDICTUS XV, Litt. Encycl. *Spiritus Paraclitus,* 15 sept. 1920, dicit: « Atque utinam his monitis obsequantur orientales in primis Ecclesiae, quae iam nimium diu a Petri Cathedra verso sunt animo » (*A.A.S.,* 12 [1920], p. 421).

[12] 1924: PIUS XI, in *Alloc.* in Concistorio, 18 dec. 1924, « de Orientis Ecclesiarum doctrinis institutisque... » (*A.A.S.*, 16 [1924], p. 491).

1928: PIUS XI, Litt. Encycl. *Mortalium animos,* 6 ian. 1928, loquitur de acatholicorum actione « ad consociandas christianas Ecclesias » (hic autem « Ecclesia » magis sumi videtur in sensu sociologico (*A.A.S.*, 20 [1928], p. 9).

1944: PIUS XII, Litt. Encycl. *Orientalis Ecclesiae decus,* 9 april. 1944, pluries Communitates orientales separatas « Ecclesias orientales » vocat (*A.A.S.*, 36 [1944], pp. 129 ss.).

1945: PIUS XII, Litt. Encycl. *Orientales omnes Ecclesias,* 23 dec. 1945, agit de Communitatibus separatis (patet ex *A.A.S.*, 38 [1946], p. 33) et dicuntur quandoque « societates » (p. 59), quandoque « Ecclesiae », v. g. p. 56: « Cum dissidente Ecclesia coniunctio »; insuper: *A.A.S.*, 38 (1946), pp. 35, 36, 42, 45, 46, 47, 48.

1953: PIUS XII, Litt. Encycl. *Orientales Ecclesias,* 15 dec. 1952: *A.A.S.*, 45 (1953), p. 5: agitur hic de Communitatibus separatis.

1961: IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Aeterna Dei sapientia,* 21 nov. 1961: *A.A.S.*, 53 (1961), p. 790, dicit: « Atque illud tot christianarum ex oriente Ecclesiarum, ad memoriam insignium, ab Apostolica Sede discidium, posteriore tempore natum... ».

1963: PAULUS VI, in sermone apud monasterium Cryptoferratense habito,
[13] 18 aug. 1963, loquitur de Ecclesiis Orientalibus seiunctis (*L'Osservatore Romano,* 19-20 aug. 1963).

1963: PAULUS VI, in *Alloc.* ad Patres Conciliares habita, 29 sept. 1963, *A.A.S.*, 55 (1963), p. 859, verba in lingua graeca prolata.

1964: PAULUS VI in sermone ad Bethlehem habito, 6 ian. 1964, dicit: « Nous saluons avec beaucoup de respect et d'affection les illustres et vénérés Chefs des Eglises distinctes de la Nôtre, réunis ici » (*A.A.S.*, 56 [1964], p. 176).

[21] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram*: *A.A.S.*, 51 (1959), p. 511; cf. quoque: *Alloc.* eiusdem Summi Pontificis, occasione « Horae Sanctae » in Basilica Vaticana, 5 iunii 1959: *L'Osservatore Romano,* 7 iunii 1959; eiusdem S. Pontificis *Alloc.* ad moderatores dioecesanos Act. Cath. Italicae: *L'Osservatore Romano,* 10-11 aug. 1959; eiusdem S. Pontificis Litt. Encycl. *Grata recordatio,* 26 sept. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), pp. 677-678.

[22] S. C. S. OFFICII, *Epist.* ad R. J. Cushing, Archiepiscopum Bostoniensem, 8 aug. 1949: « Idem autem suo modo dici debet de Ecclesia, quatenus generale Ipsa auxilium salutis est ». « Quandoquidem ut quis aeternam obtineat salutem, non semper exigitur ut reapse Ecclesiae tamquam membrum incorporetur, sed id saltem requiritur, ut eidem voto et desiderio adhaereat » (*The American Ecclesiastical Review,* 127 [oct. 1952], p. 308).

[23] S. C. S. OFFICII, Instr. *De motione oecumenica,* 20 dec. 1949: *A.A.S.*, 42 (1950), p. 142.

[24] IOANNES XXIII, *Allocutio* Capitulo Generali Congregationis Ss.mi Sacramenti (*L'Osservatore Romano,* 30 iunii 1961): « Dobbiamo respingere le facili illusioni, giacchè, quando fosse attuato l'ideale completo, sarebbe veramente l'ora beata di chiudere tutte le nostre porte e case, ed avviarci, in coro osannante, al Paradiso. Ci vorrà molto, invece, prima che tutte le nazioni del mondo si rendano perfettamente conto del Messaggio Evangelico; ed inoltre occorrerà non lieve fatica a far cambiare mentalità, pregiudizi di quanti hanno un passato dietro

di sè; e bisognerà pure, in qualche modo, esaminare ciò che il tempo, le tradizioni, gli usi hanno cercato di inserire, sovrapponendosi alla realtà e alla verità. Resta, però, intatto e ardente, il voto di rispondere all'anelito di unità enunciata dal Divino Maestro, e tutto il nostro impegno perchè, un giorno, i popoli d'ogni latitudine siano stretti con i dolcissimi vincoli dell'unico Credo della Chiesa Santa di Dio ». [13]

[25] Cf. *Iac.* 1, 4; *Rom.* 12, 1-2.

[26] Cf. *2 Cor.* 4, 10; *Phil.* 2, 5-8.

[27] Cf. *Eph.* 5, 27.

[28] Cf. Pius XI, in Audientia 9 ianuarii 1927 (Federazione Universitaria Cattolica Italiana), *L'Osservatore Romano,* 10-11 ian. 1927: « Ma anche ai cattolici manca talvolta la pietà fraterna, perchè manca la conoscenza. Non si conosce tutto quello che c'è di prezioso, di buono, di cristiano in questi frantumi dell'antica verità cattolica. I massi staccati da una roccia aurifera, sono auriferi anch'essi. Le venerabili cristianità orientali conservano una tale veneranda santità di cose, che meritano non solo tutto il rispetto, ma anche tutta la simpatia ».

[29] S. C. S. Officii, Instr. *De Motione oecumenica*: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 147.

Caput II [14]

DE OECUMENISMI EXERCITIO

5. Ad totam Ecclesiam sollicitudo unionis instaurandae spectat, tam ad fideles quam ad pastores et unumquemque secundum propriam virtutem afficit, sive in vita christiana quotidiana sive in theologicis et historicis investigationibus. Haec cura fraternam coniunctionem inter omnes christianos existentem iam quodammodo manifestat, atque ad plenam perfectamque unitatem secundum Dei benevolentiam conducit.

6. [*De Ecclesiae renovatione*]. Cum omnis renovatio Ecclesiae[1] essentialiter in aucta fidelitate erga vocationem eius consistat, ea procul dubio ratio est cur motus versus unitatem contendat. Ecclesia in via peregrinans vocatur a Christo ad hanc perennem reformationem qua ipsa, qua humanum terrenumque institutum, perpetuo indiget;[2] ita ut si quae, pro rerum temporumque adiunctis, sive in moribus, sive in ecclesiastica disciplina, sive etiam in doctrinae enuntiandae modo — qui ab ipso deposito fidei sedulo distingui debet — minus accurate servata fuerint, opportuno tempore recte debiteque instaurentur.[3]

Haec igitur renovatio insigne obtinet momentum oecumenicum. Varii autem illi modi vitae Ecclesiae, per quos haec renovatio iam efficitur — ut sunt motus biblicus et liturgicus, praedicatio Verbi Dei atque catechesis, laicorum apostolatus, vitae religiosae novae formae, matrimonii spiritualitas, doctrina et activitas Ecclesiae in re sociali, — tamquam

[14] pignora et auspicia quaedam sunt habenda, quae futuros oecumenismi progressus fauste portendunt.

7. [*De conversione cordis*]. Oecumenismus veri nominis sine interiore conversione non datur. Etenim ex novitate mentis,[4] ex sui ipsius abnegatione atque ex caritatis liberrima effusione proficiscuntur et maturescunt desideria unitatis. Ideo a Spiritu divino imploranda nobis est gratia sincerae abnegationis, humilitatis et mansuetudinis in serviendo, atque fraternae in alios animi liberalitatis. « Obsecro itaque vos », ait Apostolus gentium, « ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 1-3). Exhortatio haec illos prae-
[15] sertim spectat, qui ad sacrum ordinem eo consilio evecti sunt, ut continuetur missio Christi, qui inter nos « non venit ministrari, sed ministrare » (*Mt.* 20, 28).

De culpis etiam adversus unitatem valet testimonium S. Ioannis: « Si dixerimus quoniam non peccavimus: mendacem facimus eum, et verbum eius non est in nobis » (*1 Io.* 1, 10). Humili igitur prece veniam petimus a Deo et a fratribus seiunctis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Meminerint omnes christifideles se christianorum unionem eo melius promovere, immo exercere, quo puriorem secundum Evangelium vitam degere studeant. Quo enim arctiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu unientur, eo intimius atque facilius mutuam fraternitatem augere valebunt.

8. [*De oratione unanimi*]. Haec cordis conversio vitaeque sanctitas, una cum privatis et publicis supplicationibus pro christianorum unitate, tamquam anima totius motus oecumenici existimandae sunt et merito oecumenismus spiritualis nuncupari possunt.

Sollemne enim est catholicis frequenter ad illam orationem convenire pro Ecclesiae unitate, quam Salvator Ipse in pervigilio mortis a Patre flagranter precatus est: « Ut omnes unum sint » (*Io.* 17, 21).

In quibusdam peculiaribus rerum adiunctis, cuiusmodi sunt precationes quae « pro unitate » indicuntur, atque in oecumenicis conventibus licitum est immo et optandum, ut catholici cum fratribus seiunctis in oratione consocientur. Communes eiusmodi preces perefficax sane medium sunt gratiae unitatis impetrandae et genuina significatio vinculorum, quibus catholici cum fratribus seiunctis adhuc coniunguntur: « ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20).

Attamen communicationem in sacris considerare non licet velut me- [15] dium indiscretim adhibendum ad christianorum unitatem restaurandam. Quae communicatio a duobus principiis praecipue pendet: ab unitate Ecclesiae significanda, et a participatione in mediis gratiae. Significatio unitatis plerumque vetat communicationem. Gratia procuranda quandoque illam commendat. De modo concreto agendi prudenter decernat auctoritas episcopalis, attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum et personarum.

9. [*De fratrum mutua cognitione*]. Fratrum seiunctorum animum cognoscere oportet. Ad hoc necessario requiritur studium, quod secundum veritatem et animo benevolo peragendum est. Catholici debito modo praeparati acquirant necesse est meliorem cognitionem doctrinae et hi- [16] storiae, vitae spiritualis et cultualis, psychologiae religiosae et culturae, quae fratribus propria est.[5] Ad id assequendum multum iuvant ex utraque parte conventus ad theologicas praesertim quaestiones tractandas, ubi unusquisque « par cum pari » agat,[6] dummodo qui in illis partem habent sub praesulum vigilantia, vere periti sint.[7] Ex tali dialogo etiam clarius innotescet, quae sit revera Communionis catholicae condicio. Hac via et seiunctorum fratrum mens melius cognoscetur eisque fides nostra aptius exponetur.

10. [*De oecumenica institutione*]. Sacrae theologiae institutiones et aliae disciplinae praesertim historicae tradantur oportet sensu oecumenico, ut usque accuratius rerum veritati respondeant.

Multum enim interest futuros pastores et sacerdotes pollere theologia hoc modo adamussim elaborata, non polemica, in iis imprimis, quae fratrum seiunctorum erga Ecclesiam catholicam relationes spectant.

A sacerdotum enim formatione necessaria institutio ac formatio spiritualis fidelium et religiosorum quam maxime pendet.

Etiam catholici missionalia opera in iisdem terris ac alii christiani incumbentes hodie praesertim cognoscant oportet quaestiones et fructus, quae ex oecumenismo in eorum apostolatu oriuntur.

11. [*De modo exprimendi et exponendi doctrinam fidei*]. Modus ac ratio fidem catholicam exprimendi nullatenus obstaculum fieri debet dialogo cum fratribus. Integra doctrina lucide exponatur omnino oportet. Nil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur et eius sensus genuinus et certus obscuratur.[8]

Simul fides catholica et profundius et rectius explicanda est, modo et sermone qui etiam a fratribus seiunctis possit vere comprehendi.

[16] Insuper in dialogo oecumenico theologi catholici, doctrinae Ecclesiae inhaerentes, una cum fratribus seiunctis investigationem peragentes de divinis mysteriis, cum veritatis amore, caritate et humilitate progredi debent. Sic via sternetur qua per fraternam hanc aemulationem omnes incitentur ad profundiorem cognitionem et clariorem manifestationem investigabilium divitiarum Christi.[9]

12. [*De cooperatione cum fratribus seiunctis*]. Coram omnibus gentibus christiani universi fidem in Deum unum et trinum, in Filium Dei incarnatum, Redemptorem et Dominum nostrum profiteantur et communi conatu in mutua aestimatione testimonium reddant spei no-
[17] strae, quae non confundit. Cum hodiernis temporibus in re sociali cooperatio latissime instauretur, omnes prorsus homines ad communem operam vocantur, potiore vero ratione ii, qui in Deum credunt, maxime autem omnes christiani utpote Christi nomine insigniti. Omnium christianorum cooperatio coniunctionem illam qua iam inter se uniuntur vivo modo exprimit atque Christi Servi vultum in pleniorem lucem ponit. Cooperatio haec, in non paucis nationibus iam instaurata, magis magisque perficiatur oportet, in regionibus praesertim, ubi evolutio socialis vel technica peragitur, sive in dignitate personae humanae recte aestimanda, sive in bono pacis promovendo, sive in sociali Evangelii applicatione prosequenda, sive in scientiis et artibus spiritu christiano provehendis, sive etiam in cuiusvis generis remediis adhibendis contra nostrae aetatis aerumnas, cuiusmodi sunt fames et calamitates, analphabetismus et inopia, penuria habitationum et non aequa bonorum distributio. Hac cooperatione, omnes qui in Christum credunt facile addiscere possunt, quomodo alii alios melius cognoscere et pluris aestimare queant atque ad unitatem christianorum via sternatur.[10]

NOTAE

[1] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iunii 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 511: « Quae quidem suavissima spes iam Nos duxit vehementerque excitavit ad propositum illud publice enuntiandum, Oecumenicum videlicet cogendi Concilium, ad quod sacrorum Antistites, de gravibus religionis rebus tractaturi, ex universo terrarum orbe convenient, ea praesertim de causa, ut ad Catholicae Fidei incrementum et ad rectam christiani populi morum renovationem deveniatur, utque ecclesiastica disciplina ad nostrorum temporum necessitates rationesque aptius accommodetur ».

INNOCENTIUS III, *Sermo VI in Concilio Generali Lateranensi* habitus: *PL* 217, 674: « Ego autem illius invoco testimonium, qui testis est in caelo fidelis, quod non carnali sed spirituali desiderio desideravi hoc pascha manducare vobis-

cum: non propter commoditatem terrenam, aut gloriam temporalem, sed propter reformationem universalis Ecclesiae, ad liberationem potissimum Terrae Sanctae: propter quae duo principaliter et praecipue hoc Sacrum Concilium convocavi » (cf. etiam *PL* 216, 824). [17]

Conc. Lateran. V, Const. Sess. XII, 16 martii 1517: « Leo episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio. Constituti iuxta verbum prophetae, meritis licet imparibus, super gentes et regna, officii nostri debitum decenter exequimur, cum universi status ecclesiastici, ac universalis ecclesiae, eorumque negotiorum reformationem per nos utiliter factam innovamus... » (*Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Herder 1962, pp. 626, 39; 627, 3).

[2] Paulus VI, *Alloc.* ad Curiam Romanam, die 21 sept. 1963: *A.A.S., 55* (1963), p. 797: « ... perenne riforma, di cui la Chiesa stessa, in quanto istituzione umana e terrena, ha perpetuo bisogno ».

[3] Ioannes XXIII, *Concilium Oecumenicum Vat. II* sollemniter inchoatur: [18]
A.A.S., 54 (1962), p. 792: « Est enim aliud ipsum depositum fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eaedem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia ».

[4] Cf. *Eph.* 4, 24.

[5] Pius XII, Litt. Encycl. *Sempiternus Rex,* 8 sept. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 642: « Explanat profecto iter, quo assequenda est huiusmodi meta, tranquillior sine ira et studio indagatio, qua magis quam exactis aetatibus vetera gesta retexi atque perpendi nunc solent ».

[6] S. C. S. Officii, Instr. *De motione oecumenica*: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 145.

[7] *Ibid.,* p. 145: « Ad colloquia autem inter theologos catholicos et acatholicos mittantur tantummodo sacerdotes, qui, scientia theologica et firma sua adhaesione ad principia et normas hac in re ab Ecclesia statutas, ad illa vere idoneos se probaverint ». Haec debent fieri « singulari prorsus Ordinariorum vigilantia » (*Ibid.,* p. 144).

[8] *Ibid.,* p. 144: « Cavendum est enim ne spiritu, qui « irenicus » hodie dicitur, doctrina catholica — sive de dogmate sive de veritatibus cum dogmate connexis agatur — studio comparativo et desiderio vano assimilationis cuiusdam progressivae variarum professionum fidei ita conformetur vel quodammodo accommodetur doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae detrimentum patiatur vel eius sensus genuinus et certus obscuretur ».

[9] Cf. *Eph.* 3, 8.

Paulus VI, *Alloc.* ad Observatores, die 17 oct. 1963 habita: *L'Osservatore Romano,* 19 oct. 1963: « Vérité divine qu'il faut sans cesse s'efforcer d'approfondir pour la mieux posséder et en vivre plus pleinement. " Chercher pour trouver, et trouver pour chercher encore "; cette phrase de s. Augustin... nous concerne tous: un vrai chrétien ne connait pas l'immobilisme ».

[10] S. C. S. Officii, Instr. *De motione oecumenica*: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 145: « Permittuntur conventus cum acatholicis, quando agitur de via, qua collatis viribus principia fundamentalia iuris naturae vel religionis christianae defendantur contra colligatos hodie Dei inimicos vel agitur de ordine sociali redintegrando aliisve id genus quaestionibus ».

[19]

Caput III

DE ECCLESIIS ET DE COMMUNITATIBUS ECCLESIALIBUS A SEDE APOSTOLICA ROMANA SEIUNCTIS

13. Ad duas praecipuas scissionum categorias inconsutilem tunicam Christi afficientium oculos convertimus.

Primae earum in Oriente evenerunt, sive contestatione dogmaticarum formularum Conciliorum Ephesini et Chalcedonensis, sive, posteriore tempore, per solutionem ecclesiasticae communionis inter Patriarchatus orientales et Sedem Romanam.

Aliae dein, post amplius quattuor saecula, in ipsa occidentali Ecclesia ortae sunt ex eventibus qui sub nomine Reformationis communiter veniunt. Exinde a Sede Romana plures Communiones sive nationales sive confessionales se seiunxerunt. Inter eas, in quibus traditiones et structurae catholicae ex parte subsistere pergunt, praeeminet Communio anglicana.

Hae tamen diversae divisiones inter se valde differunt non solum ratione originis, loci et temporis, sed praesertim natura et gravitate quaestionum ad fidem et structuram ecclesiasticam pertinentium.

Quam ob rem, haec Sancta Synodus, nec conditiones diversas diversorum coetuum christianorum parvipendens, neque superstites, non obstante divisione, nexus inter eos praeteriens, ad prudentem actionem oecumenicam exercendam sequentes considerationes proponere decernit.

I - *De Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione*

14. [*De mente atque historia Orientalium propria*]. Ecclesiae Orientis et Occidentis per non pauca saecula suam propriam viam, fraterna tamen communione fidei et vitae sacramentalis coniunctae, secutae sunt, Sede Romana moderante iuxta communem consensum, si dissentiones circa fidem vel disciplinam inter eas orirentur.[1] Sacrosanctae Synodo gratum est, inter cetera gravis momenti, omnibus in mente revocare non paucas in Oriente particulares seu locales Ecclesias ab ipsis Apostolis originem duxisse. Proinde apud Orientales praevaluit atque praevalet sollicitudo et cura servandi fraternas illas in fidei caritatisque communione necessitudines, quae inter Ecclesias locales, ut inter sorores, vigere debent.[2]

[20] Praetermittendum pariter non est Ecclesias Orientis proprium ab origine habere thesaurum, ex quo plura in rebus liturgicis, in traditione

spirituali et in ordine iuridico Ecclesia Occidentis deprompsit. Neque [20] illud parvi faciendum est fundamentalia dogmata christianae fidei de Trinitate et de Verbo Dei, ex Virgine Deipara incarnato, in Conciliis oecumenicis in Oriente celebratis definita esse. Ad hanc fidem servandam illae Ecclesiae multa et passae sunt et patiuntur.[3]

Tradita autem ab Apostolis haereditas diversis formis et modis acceptata est et inde ab ipsis Ecclesiae primordiis hic et illic varie explicata ob diversitatem quoque ingenii et vitae conditionum. Quae omnia, praeter causas externas, propter defectum mutuae comprehensionis et caritatis separationibus ansam praebuerunt.

Quamobrem Sacrosancta Synodus omnes quidem, sed praesertim eos exhortatur qui in instaurationem plenae communionis inter Ecclesias orientales et Ecclesiam catholicam incumbere intendunt, ut debitam considerationem habeant de hac peculiari condicione nascentium crescentiumque Ecclesiarum Orientis et de indole relationum, quae inter eas et Sedem Romanam ante separationem vigebant atque rectam de his omnibus existimationem sibi efforment. Haec accurate servata ad dialogum intentum summopere conferent.

15. [*De Orientalium traditione liturgica et spirituali*]. Omnibus quoque notum est quanto cum amore christiani orientales liturgica Sacra peragant, praesertim celebrationem eucharisticam, fontem vitae Ecclesiae et pignus futurae gloriae, qua fideles cum episcopo uniti accessum ad Deum Patrem habentes per Filium Verbum incarnatum, passum et glorificatum, in effusione Sancti Spiritus, communionem cum Sanctissima Trinitate consequuntur, « divinae consortes naturae » (*2 Petr.* 1, 4) effecti. Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis, Ecclesia Dei aedificatur et crescit,[4] et per concelebrationem communio earum manifestatur.

In cultu hoc liturgico Mariam semper Virginem, quam Oecumenica Synodus Ephesina sollemniter Deiparam Sanctissimam proclamavit ut vere et proprie Christus Filius Dei et Filius Hominis secundum Scripturas agnosceretur, Orientales pulcherrimis hymnis magnificant et multos quoque Sanctos, inter quos Patres universalis Ecclesiae, collaudant.

Cum autem illae Ecclesiae, quamvis seiunctae, vera sacramenta habeant, praecipue vero, vi successionis apostolicae, sacerdotium et Eucharistiam, quibus arctissima necessitudine adhuc nobiscum coniunguntur, quaedam communicatio in sacris, datis opportunis circumstantiis, non solum possibilis est sed etiam suadetur.

In Oriente quoque inveniuntur divitiae illarum traditionum spiri- [21] tualium, quas praesertim monachismus expressit. Ibi enim inde a glo-

[21] riosis sanctorum Patrum temporibus floruit spiritualitas illa monastica, quae dein ad occidentales partes manavit et ex qua religiosum latinorum institutum tamquam e suo fonte originem duxit ac deinceps novum vigorem identidem accepit.[5] Quapropter enixe commendatur ut Catholici accedant ad has spirituales Patrum Orientalium divitias quae hominem totum ad divina contemplanda evehunt.

Ditissimum Orientalium patrimonium liturgicum et spirituale cognoscere, venerari, conservare et fovere omnes sciant maximi esse momenti ad plenitudinem traditionis christianae fideliter custodiendam et ad reconciliationem orientalium et occidentalium christianorum perficiendam.

16. [*De Orientalium propria disciplina*]. Praeterea a primis iam temporibus Ecclesiae Orientis disciplinas proprias a Sanctis Patribus atque Synodis, etiam Oecumenicis, sancitas sequebantur. Cum autem unitati Ecclesiae minime obstet, immo decorem eius augeat et ad missionem eius implendam non parum conferat quaedam morum consuetudinumque diversitas, uti supra memoratur, Sacra Synodus sollemniter, ad omne dubium tollendum, declarat Ecclesias Orientis, memores necessariae unitatis totius Ecclesiae, ius et officium habere se secundum proprias disciplinas regendi, utpote indoli suorum fidelium magis congruas atque bono animorum consulendo aptiores. Perfecta huius traditionalis principii observantia, non semper quidem servata, ad ea pertinet quae ad unionem restaurandam tamquam praevia condicio omnino requiruntur.[6]

17. [*De indole propria Orientalium in divinis tractandis*]. Quae supra de legitima diversitate dicta sunt, eadem placet etiam de diversa theologica doctrinarum enuntiatione declarare. Etenim in veritatis revelatae exploratione methodi gressusque diversi ad divina cognoscenda et confitenda in Oriente et in Occidente adhibiti sunt. Unde mirum non est quosdam aspectus mysterii revelati quandoque magis congrue percipi et in meliorem lucem poni ab uno quam ab altero, ita ut tunc variae illae theologicae formulae potius inter se compleri dicendae sint quam opponi. Ad traditiones theologicas authenticas Orientalium quod attinet, agnoscendum est eas eximio quidem modo in Sacris Scripturis radicatas esse, vita liturgica foveri et exprimi, viva apostolica traditione scriptisque Orientalium Patrum ac spiritualium auctorum nutriri, ad
[22] rectam vitae institutionem, immo ad christianam veritatem plene contemplandam tendere.[7]

Totum hoc patrimonium spirituale ac liturgicum, disciplinare ac theo-

[22] logicum in diversis suis traditionibus ad plenam catholicitatem et apostolicitatem Ecclesiae pertinere haec Sancta Synodus declarat, gratias agens Deo quod multi orientales Ecclesiae catholicae filii, qui hoc patrimonium custodiunt et illud purius pleniusque vivere cupiunt, iam cum fratribus traditionem occidentalem colentibus in plena communione vivunt.

18. [*Conclusio*]. His omnibus bene perspectis, haec Sacrosancta Synodus sollemniter renovat id quod a Sacris praeteritis Conciliis nec non a Romanis Pontificibus declaratum est, nempe ad communionem et unitatem restaurandam opus esse « nihil ultra imponere oneris quam necessaria » (*Act.* 15, 28). Vehementer etiam exoptat ut ad eam paulatim consequendam omnes conatus exinde intendant in variis institutis et formis vitae Ecclesiae, praesertim oratione et fraterno dialogo circa doctrinam et muneris pastoralis urgentiores aetatis nostrae necessitates. Eodem modo Pastoribus et fidelibus Ecclesiae catholicae commendat necessitudines cum eis qui non iam in Oriente, sed procul a patria vitam degunt, ut fraterna collaboratio cum eis in spiritu caritatis et secluso omni spiritu contentiosae aemulationis crescat. Quod si hoc opus toto animo promoveatur, Sacrosancta Synodus sperat fore ut, sublato pariete occidentalem orientalemque Ecclesiam dividente, unica tandem fiat mansio angulari firmata lapide, Christo Iesu, qui faciet utraque unum.[8]

II - *De Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus in Occidente seiunctis*

19. [*De propria harum Communitatum condicione*]. Ecclesiae et Communitates ecclesiales, quae vel in gravissimo illo rerum discrimine, quod in Occidente iam ab exeunte medio aevo initium sumpsit, vel posterioribus temporibus ab Apostolica Sede Romana separatae sunt, cum Ecclesia catholica peculiari affinitate ac necessitudine iunguntur ob diuturnam populi christiani vitam praeteritis saeculis in ecclesiastica communione peractam.

Cum hae vero Ecclesiae et Communitates ecclesiales propter diversitatem originis, doctrinae et vitae spiritualis non tantum a nobis, sed etiam inter se non parum differant, eas aeque describere opus perdifficile est, quod hic aggredi non intendimus.

Quamvis motus oecumenicus et desiderium pacis cum Ecclesia catholica nondum ubique invaluerint, spes nobis est fore ut in omnibus sensus oecumenicus et mutua aestimatio paulatim crescant.

Attamen agnoscendum est inter has Ecclesias et Communitates atque [23] Ecclesiam catholicam magni ponderis discrepantias adesse, non tantum

[23] indolis historicae, sociologicae, psychologicae, culturalis, sed imprimis interpretationis revelatae veritatis. Quo autem facilius, non obstantibus illis differentiis, dialogus oecumenicus instaurari possit, in sequentibus quaedam efferre volumus quae fundamentum huius dialogi atque incitamentum esse possunt ac debent.

20. [*De Christo confitendo*]. Mens nostra eos imprimis christianos respicit, qui Iesum Christum ut Dominum et unicum mediatorem inter Deum et homines palam confitentur ad unius gloriam Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti.[9] Non leves scimus quidem existere discrepantias a doctrina catholicae Ecclesiae etiam de Christo Verbo Dei incarnato et de opere redemptionis, proinde de mysterio ministerioque Ecclesiae et munere Mariae in opere salutis. Laetamur tamen videntes fratres seiunctos in Christum tamquam fontem et centrum communionis ecclesiasticae intendere. Desiderio tacti unionis cum Christo compelluntur ad unitatem magis magisque quaerendam atque etiam ad testimonium fidei suae ubique apud gentes reddendum.

21. [*De Sacrae Scripturae studio*]. Sacrarum Scripturarum amor et veneratio ac prope cultus fratres nostros ad constans et sollers Sacrae Paginae studium adducunt: Evangelium « virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum, et Graeco » (*Rom.* 1, 16).

Spiritu Sancto movente, in ipsis Sacris Scripturis Deum inveniunt sibi loquentem in Christo, a prophetis praenuntiato, Verbo Dei pro nobis incarnato. In iis vitam Christi contemplantur et ea quae Divinus Magister ad salutem hominum docuit et peregit, mysteria praesertim mortis eius et resurrectionis.

At cum christiani a nobis seiuncti auctoritatem divinam Sacrorum Librorum affirmant, aliter ac nos — diversi quidem diverse — sentiunt de habitudine Scripturas inter et Ecclesiam, in qua secundum fidem catholicam magisterium authenticum peculiarem obtinet locum in Verbo Dei scripto exponendo et praedicando.

Nihilominus Sacra Eloquia in ipso dialogo eximia sunt instrumenta in potenti manu Dei ad illam unitatem adipiscendam, quam Salvator omnibus hominibus exhibet.

22. [*De vita sacramentali*]. Baptismi Sacramento, quandocumque iuxta Domini institutionem rite confertur ac debita animi dispositione accipitur, homo vere Christo crucifixo et glorificato incorporatur atque
[24] ad vitae divinae consortium regeneratur iuxta illud Apostoli: « consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis » (*Col.* 2, 12).[10]

Baptismus igitur vinculum unitatis sacramentale constituit vigens [24] inter omnes qui per illud regenerati sunt. Attamen baptismus per se dumtaxat initium et exordium est, quippe qui totus in acquirendam tendit plenitudinem vitae in Christo. Itaque baptismus ordinatur ad integram fidei professionem, ad integram incorporationem in salutis institutum, prout ipse Christus illud voluit, ad integram denique in communionem eucharisticam insertionem.

Communitates ecclesiales a nobis seiunctae, quamvis deficiat eorum plena nobiscum unitas ex baptismate profluens, et quamvis, praesertim propter Sacramenti Ordinis defectum, plenam realitatem Eucharistiae non servaverint, tamen, dum in Sancta Coena mortis et resurrectionis Domini memoriam faciunt, vitam in Christi communione significari profitentur atque gloriosum Eius adventum exspectant. Quapropter doctrina circa Coenam Domini et cultum et Ecclesiae ministeria obiectum dialogi constituat oportet.

23. [*De vita cum Christo*]. Christiana horum fratrum conversatio fide in Christum alitur, baptismatis gratia et Verbo Dei audito fovetur. Manifestatur quidem in oratione privata, in meditatione biblica, in familiae christianae vita, in cultu communitatis ad laudem Dei congregatae. Ceteroquin cultus eorum nonnumquam elementa conspicua communis antiquae liturgiae prae se fert.

Fides qua Christo creditur fructus edit in laude et gratiarum actione pro beneficiis divinitus acceptis; accedit vivus iustitiae sensus et sincera caritas in proximum. Haec autem operosa fides haud pauca etiam instituta ad miseriam spiritualem et corporalem sublevandam, ad iuventutis educationem excolendam, ad sociales vitae condiciones humaniores reddendas, ad pacem universim constabiliendam protulit.

Quod si inter christianos multi non semper eadem ratione atque catholici Evangelium in re morali intelligunt neque easdem solutiones difficiliorum hodiernae societatis quaestionum admittunt, nihilominus ut nos volunt verbo Christi ut fonti christianae virtutis haerere et apostolico oboedire praecepto: « Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per Ipsum » (*Col.* 3, 17). Hinc dialogus oecumenicus de morali Evangelii applicatione initium sumere potest.

24. [*Conclusio*]. Sic post breviter expositas condiciones, quibus exerceri contingit actio oecumenica, et principia quibus moderanda est, [25] fidenter oculos ad futura convertimus. Haec Sacrosancta Synodus hortatur fideles, ut a quavis levitate vel imprudenti zelo se abstineant, quae

[25] vero progressui unitatis nocere possint. Eorum enim oecumenica actio non potest esse nisi plene sincereque catholica, fidelis nempe veritati, quam ab Apostolis et Patribus accepimus, et consentanea fidei, quam Ecclesia catholica semper professa est, ac simul in eam plenitudinem tendens, qua Dominus decursu temporum Corpus Suum vult augeatur.

Haec Sacrosancta Synodus instanter exoptat ut filiorum Ecclesiae catholicae incepta cum inceptis fratrum seiunctorum coniuncta progrediantur, quin Providentiae viis ullum ponatur obstaculum et quin futuris Spiritus Sancti impulsionibus praeiudicetur. Insuper se consciam esse declarat hoc sanctum propositum reconciliandi christianos omnes in unitate unius unicaeque Ecclesiae Christi humanas vires et dotes excedere. Quapropter spem suam in oratione Christi pro Ecclesia, in amore Patris erga nos, in virtute Spiritus Sancti penitus ponit. « Spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (*Rom.* 5, 5).

NOTAE

[1] Cf. G. L. Hertling, S. I., *Communio, Chiesa e Papato nell'antichità cristiana,* Romae 1961.

Cf. quoque G. Bardy, *La théologie de l'Eglise de Saint Clément de Rome à Saint Irénée,* Paris 1945.

[2] Leo XIII, Litt. Apost. *Orientalium Dignitas,* 30 nov. 1894: *A.S.S.,* 27 (1894-1895), p. 258: « Inde enimvero, dum sua praecipuis Orientis Ecclesiis apostolica origo testatior constat, apparet simul et enitet earumdem cum Romana usque ab exordiis summa coniunctio ».

[3] Leo XIII, Litt. Apost. *Orientalium Dignitas*: *A.S.S.,* 27 (1894-1895), p. 257: « Apud illas enim, inita benignissimo Dei consilio humanae redemptionis primordia, celeriter ad ea properavere incrementa, ut laudes apostolatus et martyrii, doctrinae et sanctitatis primo honore floruerint, primam saluberrimorum fructuum laetitiam ediderint. Ex illis autem perampla beneficiorum vis in ceteros late populos mire profluxit ».

[4] Cf. S. Ioann. Chrysost., *In Ioannem Homelia XLVI,* M. G. 59, 260-262.

[5] Iam tempore Patrum S. Benedictus in Regula sua momentum fontium monasticorum Orientalium agnoscit et commendat, inter quos expresse nominat Vitas Patrum nec non Regulam Sancti Basilii.

Cf. etiam Pium XII, Iis qui interfuerunt Conventui studiorum de Monachato virorum Orientalium, Romae habito (in allocutione 11 aprilis 1958): *A.A.S.,* 50 (1958), pp. 282-286, praesertim p. 285: « Le monachisme oriental, en effet, bien qu'ayant conservé de précieux caractères spécifiques, est à l'origine des autres
[26] formes de monachisme chrétien, et son influence, ainsi que Nous le notions à l'instant, se retrouve plus ou moins dans tous les grands ordres religieux ».

[6] Leo XIII, Litt. Apost. *Orientalium Dignitas*: *A.S.S.,* 27 (1894-1895), p. 258: « Praestantissimum id esse existimamus ad incolumitatem disciplinae Orientalium

propriae, cui valde semper tribuimus animum curasque adiicere... Siquidem in rituum orientalium conservatione plus inest quam credi possit momenti. Augusta enim, qua varia ea rituum genera nobilitantur, antiquitas, et praeclaro est ornamento Ecclesiae omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmat ». [26]

Leo XIII, Motu proprio *Auspicia rerum,* 19 martii 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-1896), p. 589: « Quippe rei catholicae valde nimirum interest eam omnibus tolli ac dilui opinionem, quae quosdam ex Orientalibus antehac tenuit, perinde ac si ipsorum iure, de privilegiis, de rituali consuetudine vellent Latini detractum quidquam aut deminutum ».

[7] Pius XII, Litt. Encycl. *Orientalis Ecclesiae decus,* 9 apr. 1944: *A.A.S.,* 36 (1944), pp. 137-138: « Itemque aestimatione debita ea omnia amplectatur oportet, quae Orientalibus gentibus fuere peculiare veluti patrimonium, a maioribus tradita; simul quae ad sacram Liturgiam et ad Hierarchicos Ordines spectent, simul etiam quae ad ceteras christianae vitae rationes pertineant, modo eadem cum germana religionis fide rectisque de moribus normis penitus concordent. Sit enim necesse est singulis universis orientalis ritus populis in rebus omnibus, quae a sua cuiusque historia a suoque cuiusque ingenio atque indole pendent, legitima libertas, quae tamen a vera et integra Iesu Christi doctrina non discrepet ».

[8] Cf. Conc. Florent., *Laetantur Caeli,* 1439 (cf. *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Herder 1962, p. 500).

[9] Cf. *Nouvelle Delhi* 1961, Ed. Delâchaux et Niestlé, Neuchâtel-Paris (1962) p. 147.

[10] Cf. *Rom.* 6, 4.

Declaratio Prior [29]

DE LIBERTATE RELIGIOSA

SEU

DE IURE PERSONAE ET COMMUNITATUM AD LIBERTATEM IN RE RELIGIOSA

25. Huius declarationis momentum neminem fugit, qui attendere velit, quantum recta libertatis religiosae consideratio conferat ad contactus et relationes sereno et pacato animo instaurandos inter christianos; huiusmodi enim consideratio est condicio omnino necessaria ut dialogus oecumenicus haberi possit.

26. [*Natura libertatis religiosae describitur*]. Homines ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati officium et honorem habent ut, secundum dictamen conscientiae, voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur. Inde exoritur ius ad libertatem religiosam in societate, vi cuius homines religionem suam privatim et publice exercere valent nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt. Haec libertas religiosa postulat ut in humana societate condi-

[29] ciones necessariae promoveantur, in quibus omnes, vel singillatim vel in coetibus religiosis coniuncti, vocationi divinae libere et integre respondere possint.

Per libertatem religiosam homo a Dei potestate nullo modo emancipatus est, quasi falsum et verum posset aeque aestimare, vel ab omni erga Summum Numen obligatione solutus esset, vel ipsi officium non incumberet rectam sibi de rebus religiosis conscientiam formandi, vel sibi pro libito statuere valeret utrum et in qua religione Deo servire velit.

His prae oculis habitis, Sacra Synodus, dum hominum a Deo dependentiam affirmat, libertatem simul in societate circa res religiosas ab omnibus ubique terrarum agnoscendam et observandam esse hac declaratione manifestare intendit.[1]

27. [*Munus Ecclesiae*]. Ecclesia catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), impensa cura adlaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1) et omnes unanimes, uno ore honorificent Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi.[2]

[30] Obsecrat igitur Ecclesia a filiis suis « primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4). Insuper ipsos hortatur ut, in sapientia ambulantes ad eos, qui foris sunt,[3] « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7) lumen vitae diffundere satagant auxiliis naturae et gratiae quibus ipse Dominus usus est, praedicatione nempe doctrinae, exemplo vitae et testimonio perhibito veritati,[4] etiam usque ad sanguinis effusionem.

28. [*Ad amplectendam fidem nemo cogatur*]. Dum vero discipuli Christi in statu viae sunt, cum officio veritatem annuntiandi et defendendi coniunctam semper et ubique habent obligationem agendi amanter, prudenter et patienter cum hominibus qui in erroribus circa fidem versantur. Etenim ab ipsis agnoscendus et admittendus est modus suavis et humanae naturae aptatus, quo Deus homines sensim ad suum amorem allicit. Respiciendum igitur est et ad officia erga verbum vivificans, quod praedicandum est, et ad iura personae et ad mensuram gratiae, quae a Deo tribuuntur homini qui ad fidem libere admittendam invitatur.

Haec est ratio cur Ecclesia filios suos hortatur ut, veritatem facientes

in caritate,[5] semper curent ut, dum homines ad fidem veram adducere [30] conantur, ab ipsis assensus ne detur nisi cum plena libertate et sine animi reprehensione. Error reiciendus est, veritas praedicanda, intellectus illustrandus.[6] In annuntianda autem veritate ab omni directa vel indirecta coactione abstinendum est.[7]

Ecclesia catholica praecipit ne ullus invitus cogatur ad amplexandam fidem catholicam. Quae traditionalis norma Ecclesiae[8] pro unaquaque persona valet et ab ipsa natura actus fidei postulatur. Homo enim a Salvatore redemptus et « in adoptionem filiorum per Iesum Christum » (*Eph.* 1, 5) vocatus, revelationi divinae adhaerere non potest nisi ex una parte Pater traxerit eum[9] et ex altera rationabile ac liberum Deo praestiterit fidei obsequium.

29. [*Religiosa personae libertas in societate*]. Libertatem religiosam non tantum a christianis et pro christianis, sed ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis in societate humana observandam esse Ecclesia catholica asserit.[10]

Vocatio enim divina, quae homini iter ad Deum et ad salutem in Deo assequendam aperit atque praescribit, maximam revera personae humanae dignitatem constituit. Quapropter in sociali convictu libertas [31] sequendi hanc vocationem sine ulla imposita vel impediente coactione cum maximum et unicuique proprium bonum tum aliarum libertatum fundamentum ac tutelam constituit, atque ideo ab unoquoque tamquam verum strictumque ius erga eos quibuscum vitam degit habenda et observanda est.

Huius autem vocationis hominis seu integrae necessitudinis ad Deum norma est lex divina, quae est aeterna, obiectiva, absoluta, universalis. Unusquisque ergo tenetur ad hanc Dei ordinationem omni studio recte cognoscendam ut se libere ei conformare valeat.

Homo tamen dum his in terris vitam degit, voluntati Dei obtemperare potest tantummodo prout legem divinam sui ipsius conscientiae dictamine percipit, et finem suum ultimum obtinere nequit nisi iudicium conscientiae sibi prudenter efformando eiusque dictamen fideliter sequendo. Ideo qui conscientiae suae sincere oboedit, ipsi Deo, etsi quandoque confuse vel inscie, oboedit et honore dignus aestimandus est. Si quis igitur, quantumvis conatus sit recte videre quid Deus in concreto ab ipso petat, in erroneam interpretationem incidat, nullus homo nec ulla humana potestas ius habet illum inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen.

Quum libertas religiosa elemento essentiali privaretur et inanis evaderet, si publice exerceri non posset, ab Ecclesia catholica vindicatur non

[31] tantum libertas opinionis, nec tantum libertas adimplendi ritus propriae religionis, sed verum propriumque personae ius ad servanda et testanda officia sua privata et publica erga Deum et homines, sive singulares sive collective sumptos, ad totam scilicet vitam suam secundum postulata suae religionis ordinandam in re familiari, educativa, culturali, sociali, caritativa et in aliis humanae vitae activitatibus.[11]

Exercitium iurium in re religiosa propter naturam socialem hominis limitatum est et eam mensuram excedere non potest sine qua nec dignitas essentialis personae humanae illaesa maneret, nec re vera possibilis esset societas hominum qui, utpote libero arbitrio praediti et sequelis peccati originalis contaminati, errare possunt. Id exercitium limitari non licet nisi in quantum graviter contradicit fini societatis, qui constat complexu earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possunt plenius et expeditius consequi [12] ac simul fideliter observare inalienabilia iura a Deo hominibus in communi tributa.

Si igitur in sensus religiosi manifestationibus usus inveniantur perversi, qui personae dignitati et iuribus aliorum clare noceant, populorum rectores secundum prudentiae regulas iis obstent oportet.[13]

Contra vero, publicae rei moderatoribus nefas est imponere civibus [32] professionem vel reiectionem cuiuscumque religionis tamquam condicionem, qua plene vel partialiter vitae nationali et civili participare possint. Pariter haec libertas religiosa offenditur damnatione ad paenas propter rationes religiosas; atque etiam laeditur quando, religionis causa, peragitur spoliatio bonorum, privatio rerum quae ad vitam decentem requiruntur, negatio aequalitatis socialis et nationalitatis, recusatio accessus ad actus civiles et exercitii iurium fundamentalium quae, hodie praesertim, concorditer et universaliter agnoscuntur.[14]

Publicae rei moderatores ex alia parte tenentur ius personae ad libertatem in re religiosa efficaciter tueri ipsumque apte promovere.[15] Reipublicae enim proprium est personae iura non tantum agnoscere et observare, sed etiam eorum exercitium facilius reddere et impedire quominus hominibus huiusmodi iura exercentibus difficultates ponantur.[16]

30. [*Libertas coetuum religiosorum in societate*]. Ius ad libertatem religiosam, quod singulis personis competit, etiam coetibus agnoscendum est. Hi enim constituuntur libera personarum voluntate, imperante conscientia; praeterea requiruntur sociali hominum natura et dignitate, ut ipsi religionem revera vivere possint.

Ipsis igitur, intra supra dictos limites a fine societatis imponendos, ius competit ut secundum proprias leges sese regant, Deum cultu publico honorent, membra sua in vita religiosa exercenda adiuvent et do-

ctrina sustentent easque insitutiones promoveant, in quibus membra [32]
inter se adiuvent ad vitae activitates secundum sua principia religiosa ordinandas.

Homines ergo qui, iuxta dictamen conscientiae suae in Ecclesia catholica fidem suam profiteri volunt, a rei publicae moderatoribus exspectare possunt et debent ut suae Ecclesiae libertas religiosa agnoscatur. Ipsi enim ius habent vivendi in societate quam libera voluntate elegerunt, quaeque ex ipsorum animi persuasione, a Deo volita et a Christo fundata est tamquam institutio sine qua integra vita christiana dari non potest, quandoquidem ad essentiam vitae christianae pertinet ut vivatur in populo seu in communitate instrumentis salutis praedita.

His perpensis, haec Sacra Synodus declarat vim quamlibet ad religionem ipsam delendam sive in toto genere humano, sive in aliqua regione, sive in determinato coetu religioso, manifestissime et gravissime laedere voluntatem Creatoris et Salvatoris hominum, atque ipsa sacra personae humanae et familiae gentium iura.

Ius pariter coetibus religiosis competit ut sincerae honestaeque propagationi seu annuntiationi religionis studeant, vitato tamen « proselytismo » quippe qui mediis impropriis et inhonestis utatur. Illi coetus impediri nequaquam possunt quominus rationes suae religionis pro- [33]
ponant, ut apud auditores persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum Communitati adsocient.

Civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes civium cum Creatore ac Salvatore suo possident, ideoque non possunt Communitates religiosas temporalibus finibus reipublicae subordinare. Quo magis autem societas civilis propitias suppeditat condiciones ad vitam religiosam fovendam, eo magis ipsa fruetur bonis quae undequaque proveniunt ex fidelitate hominum erga vocationem suam divinam.

31. [*Libertas religiosa praesenti aetate*]. Postquam Sacra Synodus hac sua declaratione affirmavit personae humanae et Ecclesiae aliarumque Communitatum religiosarum ius ad libertatem religiosam in societate ubique et ab omnibus observandum esse, omnes huius aetatis homines denique adprecatur ut considerent quantopere libertas religiosa in praesentibus adiunctis agnoscenda et defendenda sit.[17]

Manifestum enim est genus humanum magis magisque in dies unum fieri, arctiores fieri relationes quibus homines diversae culturae et religionis inter se connectuntur, augeri apud omnes conscientiam propriae cuiusque responsabilitatis, rem publicam ob ipsam etiam iuridicam sui regiminis configurationem ineptam esse ad iudicia de veritate circa rem

[33] religiosam ferenda. Pacifica cohabitatio et iusta concordia in Familia humana hodie ut cum maxime dari non possunt, nisi ubique terrarum suprema et sanctissima Dei vocatio atque suprema hominum iura et officia ad vitam religiosam libere in societate ducendam observentur. Faxit igitur Deus et Pater omnium ut Familia humana, diligenter servata sociali libertate religiosa in societate, per gratiam Christi et virtute Spiritus Sancti adducatur ad superiorem illam ac perennem libertatem « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 5, 1).

NOTAE

[1] Modo suo oecumenico decretum proponit altam doctrinam IOANNIS PP. XXIII in Litt. Encycl. *Pacem in terris*. Duo sunt praecipua capita doctrinae:

1) « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (*A.A.S.,* 55 [1963], p. 269);

2) huic iuri officium respondet illud agnoscendi et colendi; quod officium incumbit *a*) omnibus aliis hominibus (*ibid.,* p. 264), et maxime *b*) rei publicae curatoribus (*ibid.,* pp. 273-274).

Doctrinam hanc sui praedecessoris fel. record. apertis verbis sanxit PAULUS VI glor. regn.: « Ob huiusmodi dolores quanta afficimur tristitia, et quam vehementer dolemus, cum cernimus in quibusdam territoriis religiosam libertatem, sicut alia
[34] praecipua hominis iura, opprimi eorum principiis et artibus, qui opiniones a suis diversas de re politica, de hominum stirpibus, de cuiusvis generis religione non tolerant. Dolemus praeterea tot adhuc iniurias alicubi iis esse illatas, qui religionem suam honeste ac libere profiteri velint » (*Allocutio* ad Patres Concilii Oecumenici Vaticani II, 29 sept. 1963: *A.A.S.,* 55 [1963], pp. 855-856).

Haec porro doctrina proponitur ut terminus hodiernus longioris evolutionis tum in doctrina catholica de dignitate personae humanae tum in Ecclesiae pastorali sollicitudine pro hominis libertate. In hac evolutione principium continuitatis est ipsa haec doctrina atque sollicitudo. Principium vero progressus est duplex distinctio, quae ab Ecclesia lentius facta est, quaeque a IOANNE PP. XXIII clare tandem est affirmata. Primo, distinguendum est inter falsas ideologias, quas vocant, et incepta atque instituta, quae ordinem civilem et politicum contingunt ut haec, quatenus cum rectae rationis praeceptis congruant, probari possint, illis ideologiis falsis constanter reiectis (cf. *ibid.,* p. 300). Deinde, distinguendum est inter errores religiosos et personam humanam bona fide errantem, ut iura, quae ad dignitatem libertatemque humanam pertineant, adhuc agnosci et coli debeant, illis ipsis erroribus immutabiliter denegatis (cf. *ibid.,* pp. 299-300).

His accedit, quod rerum eventus continuo mutabilis occasionem praebuit veri nominis progressus in doctrina Ecclesiae in eiusque sollicitudine pastorali, ut his diebus ad amplissimum humanae libertatis patrocinium suscipiendum Ecclesia obstringatur, quod est explendum et doctrina magisteriali et omnium fidelium actuositate (cf. *ibid., fere passim*). Etenim IOANNES PP. XXIII, una cum veritate, iustitia, caritate, etiam libertatem effert, utpote quae est his nostris temporibus omnis bene ordinatae civitatis necessaria consuetudo (cf. pp. 266, 268, 279, 297,

301). Quod utique est in documentis Ecclesiae simul novum quid, simul traditioni [34]
alte catholicae quid consentaneum quam maxime.

Enimvero sicut olim, ita hodie, ab Ecclesia damnatur libertas conscientiae illa, quam praedicaverunt rationalismi fautores, hoc fundamento innixi, quod individua conscientia exlex est, ut nullis sit normis obnoxia divinitus traditis. Damnatur etiam hodie, sicut olim, libertas cultus illa, cuius principium est indifferentismus religiosus, ex radice relativismi doctrinalis deductus. Neque minus hodie, quam olim, damnatur illa separatio Ecclesiae a Statu, quae dicitur, quam proponit theoria rationalistica de iuridica omnicompetentia Status, secundum quam Ecclesia intra ipsum organismum Status incorporetur necesse est, ut sit potestati statali subiecta. Integram plenamque vim suam retinent hae damnationes olim latae, quia inconcussum manet earum principium, quod est doctrina catholica de hominis dignitate et sollicitudo catholica pro veri nominis libertate. Dignitas enim hominis in hoc reponitur, quod soli Deo vivo et vero serviat, et libertas hominis in hoc maxime manifestatur, quod hoc servitium sit liberum, ad rectam normam propriae conscientiae praestitum.

Ast hoc idem principium nostris his temporibus ad novas ducit conclusiones, quas efformare coeperunt Romani Pontifices recentiores. Periculum enim non iam adest, ne falsi nominis libertas dignitati humanae iniuriam faciat, quod olim accidit. Novum adest periculum, ne libertatis humanae omne genus nova quadam tyrannide obruatur, pereunte primo libertate religiosa quod absit. Pro sua ergo aucta sollicitudine curaque erga hominis dignitatem, doctrinam traditionalem novo modo, nostris temporibus accommodato, aptaverunt recentiores Romani Pontifices. Collocant enim inter iura hominis praecipua ius ad liberum exercitium reli-
gionis in societate, iuxta dictamina conscientiae rectae, sive vera sit conscientia [35]
sive errore veritatis aut impari rerum sacrarum cognitione bona fide capta (cf. *Pacem in terris, A.A.S.,* 55 [1963], p. 299). Eamdem doctrinam eamdemque, quae ei subest, sollicitudinem proponit praesens *Decretum de Libertate Religiosa.*

[2] Cf. *Rom.* 15, 6.

[3] Cf. *Col.* 4, 5.

[4] Cf. *Io.* 18, 37.

[5] Cf. *Eph.* 4, 15.

[6] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 299-300: « Omnino errores ab iis qui opinione labuntur semper distinguere aequum est, quamvis de hominibus agatur, qui aut errore veritatis aut impari rerum cognitione capti sint, vel ad sacra ad optimam vitae actionem attinentium. Nam homo ad errorem lapsus iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam umquam personae dignitatem amittit, cuius ratio est semper habenda. Praeterea in hominis natura numquam facultas perit et refragandi erroribus et viam ad veritatem quaerendi. Neque umquam hac in re providentissimi Dei auxilia hominem deficiunt. Ex quo fieri potest, ut si quis hodie vel perspicuitate egeat, vel in falsas discesserit sententias, possit postmodum, Dei collustratus lumine veritatem amplecti ».

[7] Cf. PIUS XII, *Alloc.* ad Praelatos auditores ceterosque officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 394, ubi citatur a R. P. *Pro Memoria* Secretariae Status ad Legationem Yugoslaviae ad Sanctam Sedem: « D'après les principes de la doctrine catholique, la conversion doit être le résultat, non pas de contraintes extérieures mais de l'adhésion de l'âme

[35] aux vérités enseignées par l'Eglise catholique. C'est pour cela que l'Eglise catholique n'admet pas dans son sein les adultes, qui demandent à y entrer ou à y faire retour, qu'à la condition qu'ils soient pleinement conscients de la portée et des conséquences de l'acte qu'ils veulent accomplir ». IDEM, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 243: « At si cupimus non intermissam eiusmodi totius mystici Corporis comprecationem admoveri Deo, ut aberrantes omnes in unum Iesu Christi ovile quam primum ingrediantur, profitemur tamen omnino necessarium esse id sponte libenterque fieri, cum nemo credat nisi volens. Quamobrem si qui, non credentes, eo reapse compelluntur ut Ecclesiae aedificium intrent, ut ad altare accedant, sacramentaque suscipiunt, ii procul dubio veri Christifideles non fiunt; fides enim, sine qua « impossibile est placere Deo » (*Hebr.* 11, 6), liberrimum esse debet « obsequium intellectus et voluntatis » (CONC. VAT., *Const. de fide catholica,* cap. 3). Si igitur aliquando contingat, ut contra constantem Apostolicae huius Sedis doctrinam, ad amplexandam catholicam fidem aliquis adigatur invitus, id Nos facere non possumus quin, pro officii nostri conscientia, reprobamus ».

[8] LACTANTIUS, *Divinarum Institutorum,* lib. V, 19: ed. S. Brandt et G. Laubmann, *CSEL* 19, p. 463; *PL* 6, 614 (cap. 20): « Non est opus vi et iniuria, quia religio cogi non potest, verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas ».

Op. cit.: *CSEL* 19, p. 464; *PL* 6, 614: « Itaque nemo a nobis retinetur invitus — inutilis est enim Deo qui devotione ac fide caret — et tamen nemo discedit ipsa veritate retinente ».

Op. cit.: *CSEL* 19, p. 465; *PL* 6, 616: « Nihil est enim tam voluntarium
[36] quam religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, iam sublata, iam nulla est ».

S. AMBROSIUS, *Epistola ad Valentinianum Imp.,* Ep. 21: *PL* 16, 1047: « Dei lex nos docuit quid sequamur, humanae leges hoc docere non possunt. Extorquere solent timidis commutationem, fidem inspirare non possunt ».

S. AUGUSTINUS, *Contra litteras Petiliani,* lib. II, cap. 83: ed. M. Petschenig, *CSEL* 52, p. 112; *PL* 43, 315; cf. C. 23, q. 5, c. 33 (ed. Friedberg, col. 939): « Augustinus respondit: Ad fidem quidem nullus est cogendus invitus; sed per severitatem, immo et per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari ».

S. GREGORIUS MAGNUS, *Epistola ad Virgilium et Theodorum Episcopos Massilliae Galliarum,* Registrum Epistolarum, I, 45: ed. P. Ewald et L. M. Hartmann, *MGH Ep. 1,* p. 72; *PL* 77, 510-11 (lib. I, ep. 47): « Dum enim quis piam ad baptismatis fontem non praedicationis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans inde deterius moritur, unde renatus esse videbatur ».

Epistola ad Iohannem Episcopum Constantinopolitanum, Registrum Epistolarum, III, 52: *MGH Ep. 1,* p. 210; *PL* 77, 649 (lib. III, ep. 53); cf. D. 45, c. 1 (ed. Friedberg, col. 160): « Nova vero atque inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem ».

CONC. TOLET. IV, c. 57: MANSI 10, 633; cf. D. 45, c. 5 (ed. Friedberg, col. 161-162): « De Iudaeis hoc praecepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; *cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurare.* Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma iustitiae: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti oboediens periit, sic vocante gratia

Dei, propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi... ». [36]

CLEMENS III, *Litterae Decretales*: X, V, 6, 9, ed. Friedberg col. 774: « ... Statuimus enim ut nullus Christianus invitos vel nolentes Iudaeos ad baptismum (per violentiam) venire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur; quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire... ».

INNOCENTIUS III, *Epistola ad Arelatensem Archiepiscopum*, X., III, 42, 3: ed. Friedberg, col. 646: « ... Verum id est religioni Christianae contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam Christianitatem aliquis compellatur... ».

« Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur » *C.I.C.*, c. 1351. Ut patet ex textu supra citato, haec norma canonica ex S. Augustino provenit. Inde excerpta in *Decretum* et postea in *Codicem* translata est.

[9] Cf. *Io.* 6, 44.

[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*, 11 aprilis 1963: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 260-261: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri ». Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus*, 24 dec. 1942: *A.A.S.*, 35 (1943), p. 19, ubi inter « iura fundamentalia personae » hoc etiam collocatur: « il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa ». Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge*, 14 martii 1937: *A.A.S.*, 29 (1937), p. 160: « Der gläubige Mensch hat ein unverlierbares Recht, seinen [37]
Glauben zu bekennen und in den ihm gemässen Formen zu betätigen. Gesetze, die das Bekenntnis und die Betätigung dieses Glaubens unterdrücken oder erschweren, stehen in Widerspruch mit einem Naturgesetz ». Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum*, 20 iunii 1888: *Acta Leonis XIII*, 8 (1888), pp. 237-238: « Illa quoque magnopere praedicatur, quam conscientiae libertatem nominant; quae si ita accipiatur ut suo cuique arbitratu aeque libeat Deum colere, non colere, argumentis, quae supra allata sunt, satis convincitur. Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior, eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara ».

[11] Commemoranda est hoc loco expositio constitutionalismi, qui dicitur, a IOANNE XXIII data in Litt. Encycl. *Pacem in terris*, 11 aprilis 1963, cf. *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 278-279, in contextu totius documenti. Est enim huiusmodi constitutionalismus, qui sane religioni christianae plurimum debet, doctrina de iuridiciali et politica civitatis compositione secundum quam « potestas publica suapte natura ad tutandum communitatis bonum spectat, cuius princeps officium est agnoscere honestos libertatis fines eiusque iura sarta tecta servare » (*ibid.*, pp. 285-286). Immo ad constitutionalismum vero sensu christianum pertinet illud quod praedicavit LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae*, 10 ianuarii 1890: *A.A.S.*, 22 (1889-90), p. 396: « Dubitari vero salva fide non potest, istiusmodi regimen animorum Ecclesiae esse assignatum uni, nihil ut in eo sit politicae potestati loci; non enim Caesari, sed Petro claves regni caelorum Iesus Christus commendavit ». Agit

[37] igitur ultra vires, et rem sacram, quae homo est, maxime violat potestas publica, quando sese regimini animorum vel curae animarum immiscet.

[12] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 417: « ... debent qui publicae rei praesunt compertam habere rectam de communi omnium bono notionem, quae summam complectitur earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possint plenius atque expeditius consequi ». Cf. etiam IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 273.

[13] Quod attinet ad intolerantiam religiosam ex parte potestatis publicae, suprema principia tradit PIUS XII, Alloc. *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 35 (1953), pp. 798-799: « Può darsi che in determinate circostanze Egli (Dio) non dia agli uomini nessun mandato, non imponga nessun dovere, non dia persino nessun diritto d'impedire e di reprimere ciò che è erroneo e falso? Uno sguardo alla realtà dà una risposta affermativa ». Et, allato exemplo divinae providentiae, pergit: « Quindi l'affermazione: Il traviamento religioso e morale deve essere sempre impedito, quanto è possibile, perchè la sua tolleranza è in se stessa immorale, non può valere nella sua incondizionata assolutezza. D'altra parte, Dio non ha dato nemmeno all'autorità umana un siffatto precetto assoluto e universale, nè in campo della fede nè in quello della morale. Non conoscono un tale precetto nè la comune convinzione degli uomini, nè la coscienza cristiana, nè le fonti della rivelazione, nè la prassi della Chiesa ».

[14] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 295-396, ubi, quibusdam defectibus non obstantibus, commendatur Professio Universalis Iurium Humanorum, die 10 dec. 1948 a Foederatarum Na-
[38] tionum Coetu Generali rata habita: « Nihilominus Professionem eandem habendam esse censemus quemdam quasi gradum atque aditum ad iuridicialem politicamque ordinationem constituendam omnium populorum, qui in mundo sunt. Siquidem ea universis prorsus hominibus solemniter agnoscitur humanae dignitas personae, atque iura cuivis homini asseruntur veritatem libere quaerendi, honestatis sequendi normas, iustitiae officia usurpandi, vitam exigendi homine dignam, alia deinceps cum hisce coniuncta ».

[15] Iuri ad libertatem religiosam, sicut ceteris naturae iuribus, respondet officium in aliis hominibus: cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 aprilis 1963: *A.A.S.,* 55 (1963), p. 264: « Quibus probatis, consequens est etiam, ut in hominum consortione unius hominis naturali cuidam iuri officium aliorum hominum respondeat; officium videlicet ius illud agnoscendi et colendi ». Hoc officio praecipue tenetur potestas publica: « Verum cum nostra hac aetate commune bonum maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistere putetur, tum praecipue in eo sint oportet curatorum rei publicae partes, ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque officiis facilius fungi possit » (*ibid.,* pp. 273-274). Et citatur PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 1 iunii 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), p. 200: « Inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut, facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum ».

[16] Quod pertinet ad dignitatem illam civilem, secundum quam dignitas humana in publicum prodit; cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1944: *A.A.S.,* 37 (1945), p. 14: « In un popolo degno di tal nome il cittadino sente in se stesso la coscienza della sua personalità, dei suoi doveri e dei suoi diritti, della

propria libertà congiunta col rispetto della libertà e della dignità altrui ». Hoc loco commendat Romanus Pontifex etiam illud « ideale di libertà e di uguaglianza » (*loc. cit.*), quod in Statu democratico, iuxta sana rationis principia ordinato, obtineat necesse est, quodque postulat, ut hominis ius in societate ad liberum exercitium religionis plene agnoscatur, colatur, defendatur, provehatur. [38]

[17] Cf. Pius XII, *Alloc.* ad Praelatos auditores ceterosque officiales administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946: *A.A.S.*, 38 (1946), p. 393: « I sempre più frequenti contatti e la promiscuità delle diverse confessioni religiose entro i confini di un medesimo popolo hanno condotto i tribunali civili a seguire il principio della " tolleranza " e della " libertà di coscienza ". Anzi vi è una tolleranza politica, civile e sociale verso i seguaci delle altre confessioni, che in tali circostanze è anche per i cattolici un dovere morale ».

Insuper, ad Communitatem internationalem quod attinet, cf. Pius XII, Alloc. *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 35 (1953), p. 797: « Gli interessi religiosi e morali esigeranno per tutta la estensione della Comunità (dei popoli) un regolamento ben definito, che valga per tutto il territorio dei singoli Stati sovrani membri di tale Comunità delle nazioni. Secondo le probabilità e le circostanze, è prevedibile che questo regolamento di diritto positivo verrà enunciato così: Nell'interno del suo territorio e per i suoi cittadini ogni Stato regolerà gli affari religiosi e morali con una propria legge; nondimeno in tutto il territorio della Comunità degli Stati sarà permesso ai cittadini di ogni Stato-membro l'esercizio delle proprie credenze e pratiche etiche e religiose, in quanto queste non contravvengano alle leggi penali dello Stato in cui essi soggiornano ». Secundum Romanum Pontificem, cives catholici et Status catholici moderatores possunt ex conscientia eiusmodi legi consentire.

Declaratio altera *

DE IUDAEIS ET DE NON CHRISTIANIS

32. [*De communi patrimonio Christianorum cum Iudaeis*]. Ecclesia Christi libenter agnoscit fidei et electionis suae initia iam apud Patriarchas et Prophetas, iuxta salutare Dei mysterium, inveniri. Confi- [7]

* In fasciculi initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis die III mensis Iulii, anno MCMLXIV.

Hamletus Ioannes Card. Cicognani
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita. in redactione definitiva tollentur ».

[7] tetur enim omnes christifideles, Abrahae filios secundum fidem (cf. *Gal.* 3, 7), in eiusdem Patriarchae vocatione includi et in populi electi exitu e terra servitutis salutem Ecclesiae mystice praesignari. Quare nequit Ecclesia, nova in Christo creatura (cf. *Eph.* 2, 15) et populus Novi Foederis, oblivisci se continuationem esse populi illius, quocum olim Deus ex ineffabili misericordia sua Antiquum Foedus inire dignatus est, et cui revelationem in Libris Veteris Testamenti contentam concredere voluit.

Neque obliviscitur Ecclesia ex populo Iudaico Christum natum esse secundum carnem, natam esse Christi Matrem, Mariam Virginem, et natos esse Apostolos, Ecclesiae fundamentum et columnas.

Verba quoque Apostoli Pauli semper habet et habebit prae oculis Ecclesia de Iudaeis « quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa » (*Rom.* 9, 4).

Cum igitur tantum patrimonium Christiani ex Iudaeis acceperint, Sacra haec Synodus mutuam utriusque cognitionem et aestimationem, quae et studiis theologicis et fraternis colloquiis obtinetur, omnino fovere vult et commendare, atque insuper, sicut iniurias hominibus ubicumque illatas severe reprobat, ita etiam odia et vexationem contra Iudaeos deplorat et damnat.

Memoria insuper dignum est adunationem populi Iudaici cum Ecclesia partem spei christianae esse. Ecclesia enim, docente Apostolo Paulo (cf. *Rom.* 11, 25), fide inconcussa ac desiderio magno accessum huius populi exspectat ad plenitudinem populi Dei, quam Christus instauravit.

Ideo curent omnes ne, sive in catechesi impertienda et Verbi Dei praedicatione sive in quotidianis colloquiis, populum iudaicum ut gentem reprobatam exhibeant, neve aliud quid dicant aut faciant, quod animos a Iudaeis alienare possit. Caveant praeterea ne Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur.

33. [*Omnes homines Deum ut Patrem habent*]. Dominus Iesus omnium hominum Patrem esse Deum, sicut iam Scripturae Veteris Te- [8] stamenti statuunt et ipsa innuit ratio, luculenter confirmavit. Nequimus vero Deum omnium Patrem vocare vel orare, si erga quosdam homines, ad imaginem Dei creatos, fraterne nos gerere renuimus. Ita enim arcte connectuntur habitudo hominis ad Deum Patrem et eiusdem habitudo hominis ad homines fratres, ut omnis negatio humanae fraternitatis negationem ipsius Dei, apud quem non est acceptio personarum (cf. *2 Par.* 19, 7; *Rom.* 2, 11; *Eph.* 6, 9; *Col.* 3, 25; *1 Petr.* 1, 17), secumferat vel ad eam ducat. Nam prius mandatum cum altero ita coalescit, ut nobis nequeant dimitti debita nostra, nisi nosmetipsi ex corde debitoribus

nostris dimittamus. Iamvero in Lege Veteri dicitur: « Numquid non [8] Pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum? » (*Mal.* 2, 10); idque in Nova Lege clarius affirmatur: « Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum » (*1 Io.* 4, 20-21).

Hac caritate erga fratres nostros compulsi, magna cum observantia consideremus opiniones et doctrinas quae quamvis a nostris in multis discrepent, tamen in multis referunt radium illius Veritatis quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Sic amplectamur imprimis etiam Musulmanos qui unicum Deum personalem atque remuneratorem adorant et sensu religioso atque permultis humanae culturae communicationibus propius ad nos accesserunt.

34. [*Omnis species discriminationis damnatur*]. Fundamentum ergo tollitur omni theoriae vel praxi quae inter hominem et hominem, inter gentem et gentem discrimen quoad humanam dignitatem et iura exinde dimanantia inducunt.

Abstineant ergo necesse est omnes bene cordati homines et praesertim Christiani a quavis hominum discriminatione aut vexatione propter stirpem eorum, colorem, condicionem vel religionem. At contra christifideles Sacra Synodus ardenter obsecrat ut « conversationem inter gentes habeant bonam » (*1 Petr.* 2, 12) si fieri potest, quod in eis est, cum omnibus hominibus pacem habeant (cf. *Rom.* 12, 18); immo eisdem praescribit ut diligant, non tantum proximum suum, sed et inimicos, si quos se habere censeant, ita ut vere sint filii Patris qui in caelis est et qui solem suum oriri facit super omnes (cf. *Mt.* 5, 44-45).

[11]

APPENDIX

RELATIO

CIRCA RATIONEM QUA SCHEMA ELABORATUM EST

I. INTRODUCTIO.

Schema decreti De Oecumenismo, quod hic denuo proponitur emendatum est iuxta observationes perdurante secunda periodo Concilii Vaticani Secundi a Patribus exhibitas supra textum schematis typis impressum mense aprilis 1963 et eiusdem Patribus distributum.

Iam ante initium secundae periodi multi Patres observationes et emendationes supra illud schema ad Secretariatum Concilii in scriptis miserunt.

Per disceptationes in congregationibus generalibus, ultra duas hebdomadas protractas, mens permultorum Patrum sive de motu oecumenico in genere sive de schemate decreti De Oecumenismo clarius patefacta est.

Denique secunda iam clausa periodo, plurimi Patres respondendo petitioni Eminentissimi Praesidis Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam nec non Excellentissimi Secretarii Generalis Concilii, die 2 decembris 1963 publice prolatae, ulteriores animadversiones in scriptis miserunt. Omnium quae usque ad initium sessionis plenariae Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam (die 27 februarii - die 7 martii) ad nos pervenerunt, in emendatione textus ratio habita est.

Ante secundam Concilii periodum ultra sexaginta animadversiones a Patribus sive personaliter sive collective missae sunt; ab inita disceptatione publica usque ad diem 27 februarii observationes n. 471, oraliter et scripto, factae sunt, inter quas 75 erant nomine plurimorum Patrum. Quae, secundum ordinem schematis dispositae, sex volumina comprehendunt:

Vol. 1 (animadversiones ante disceptationem prolatae), pag. 102;
Vol. 2 (de schemate in genere), pag. 124;
Vol. 3 (de capitibus I et II), pag. 341;
Vol. 4 (de capite III), pag. 144;
Vol. 5 (de habitudine ad Iudaeos), pag. 72;
Vol. 6 (de libertate religiosa), pag. 280.

Ex hisce Patrum disceptationibus illud clare emerget: agnitio mentis momentique schematis, ob necessitatem ut catholici efficaciter suam partem habeant in illo motu oecumenico qui, impulsu Spiritus Sancti, de die in diem per mundum latius se extendit.

Secretariatus per varios gradus ad animadversiones et emendationes considerandas progressus est. In primis, textus earum integri, post dispositionem eorum secundum argumenta et partes schematis factam, ad omnia membra

et peritos Secretariatus missi sunt. Postea per tres hebdomadas studio accurato submissi sunt peritorum demandatorum non solum a Secretariatu sed a Commissione quoque Orientali, quae pro tertio schematis capite apparando atque perficiendo multum adlaboravit, adhibitis etiam peritis Commissionis de doctrina Fidei et Morum, qui periti omnes communi labore novum textum praeparaverunt. Denique, in sessione plenaria Secretariatus omnia haec, videlicet et animadversiones et textus a peritis propositus, ad disceptationem admissa sunt ita ut novus textus, qui nunc Concilio proponitur, a Patribus Secretariatus adlaboratus sit et scrutinio secreto ab eisdem unanimiter acceptatus. [12]

Principium generale quod emendationi textus constanter praelucebat, id idem erat quod pluries iam a Romanis Pontificibus Ioanne XXIII et Paulo VI nec non a permultis Patribus conciliaribus enuntiatum est, scilicet: Ecclesia catholica, desiderio unitatis inter omnes Christi discipulos restaurandae permota atque fidelis veritati quam ab Apostolis et Patribus accepit et consentanea fidei quam ipsa semper professa est, se laeto animo vertit ad omne illud efficiendum per quod, gratia Dei opitulante, unitas tam desiderata obtineri possit.

Methodus ad textum revidendum adhibita haec fuit:

1) Textus typis impressus et a Patribus die 21 novembris 1963 per 1.966 vota contra 86, tamquam basis ulterioris disceptationis in Concilio approbatus, non mutatus est nisi Patres in animadversionibus ita petierunt.

2) Si emendationes a Patribus conciliaribus propositae vel necessariae vel utiles videbantur ad textum perficiendum vel melius intellegendum, inductae sunt, mutatione etiam longiore aliquando non exclusa.

3) Insuper, quando fieri poterat aliae emendationes introductae sunt per mutationem vel additionem paucorum tantum verborum, dummodo ipsis harmonia generalis textus prioris ne laederetur.

4) Quaedam autem mutationes vel additiones propositae locum in schemate non obtinuerunt sive quia obiectum eorum cum contento vel indole pastorali nostri Schematis consonare non videbatur, sive quia ad directorium a Secretariatu exarandum potius remittendae erant.

In memoriam quoque revocandum est, solummodo prima tria capita prima suffragatione recepta in congregationibus generalibus ad singula disceptata esse. Capita autem IV et V, scilicet de habitudine ad Iudaeos et de Libertate religiosa, neque suffragationi neque disceptationi propriae subiecta sunt. Tria prima capita igitur nunc ad ultimum iudicium et suffragationem praesentantur. Quamquam de cap. IV et V disceptatio publica locum nondum habuit, animadversiones de his duobus capitibus a Patribus in scriptis datae tam numerosae et graves erant, ut textum iam ante tertiam periodum recognoscere opportunum visum sit. Sperandum est sic disceptationem faciliorem reddi et viam ad textum definitivum parandum sterni.

[13] II. ANIMADVERSIONES RESPICIENTES SCHEMA IN GENERE.

Cum multae animadversiones Patrum non respiciant singula capita schematis, sed potius schema in genere, in hac parte colliguntur et ordinantur, ut clarius eluceat, quae sit mens Patrum et quid ab ipsis ad textum emendandum postuletur et proponatur.

Laudibus schema in genere (praetermissis hic laudibus singulis partibus tributis) explicitis verbis amplificant 92 Patres, ex quibus septem nomine etiam plurium aliorum loquuntur.

Animadversiones Patrum res sequentes spectant:

1) titulum principalem schematis,
2) prooemium addendum,
3) structuram schematis,
4) argumentum in textu tractatum,
5) terminologiam in textu adhibitam,
6) mentionem « bonae fidei » requisitae in Christianis non-catholicis,
7) directorium oecumenicum conficiendum.

1. *De titulo principali Schematis.*

De titulo praeiacente haec obiectata sunt:

— vocem « oecumenismus » a multis Catholicis non intelligi;

— hanc vocem esse novam (« neologismum ») et in sensu hic accepto nondum universaliter admissam;

— titulum non exprimere modum, quo Ecclesia catholica unitatem Christianorum promovet.

Loco tituli « De Oecumenismo » sequentes propositi sunt:

« De Oecumenismo catholico ».

« De Christianorum unitate promovenda ».

Quamvis praesertim secundus ex his titulis propositis omnino aptus censendus sit, visum tamen est Secretariatui retinendum esse titulum « De Oecumenismo » et quidem propter rationes sequentes:

— vox « oecumenismus » iam satis usitata est et usus eius in dies invalescit;

— quibus nondum familiaris est, haec vox facile explicari potest;

— quamquam titulus « De Oecumenismo » solus et absolute sumptus non exprimat modum catholicum actionis oecumenicae, evidens est, cum de decreto conciliari Ecclesiae catholicae agatur, intelligendum esse oecumenismum iuxta principia catholica. Quod ceteroquin titulo primi capitis explicitis verbis enuntiatur;

— cum hoc schema sub titulo « De Oecumenismo » iam ubique notum sit, valde inconveniens esset relinquere hunc titulum; sic nempe suspicium oriretur Ecclesiam catholicam abesse velle ab opera in toto mundo christiano ad unitatem restaurandam suscepta et hanc voluntatem in ipsa sua terminologia manifestare.

2. *De prooemio praemittendo.* [14]

Plures Patres optabant ut textui schematis praeponatur aliquod prooemium, quo iam in initio decreti clare appareat ratio eius et obiectum proprium.

Iuxta consilia a Patribus proposita Secretariatus prooemium exaravit. Nisus est, ne hoc prooemium longius quam res ipsa requirit fiat. Ex altera parte tamen nimia brevitas evitanda erat, ne res dicendae obscurarentur. Rogamus Patres, ut hoc prae oculis habeant, si ipsis hoc prooemium fortasse primo aspectu nimis amplum apparet. Ceteroquin additio prooemii permisit, ut textus capitum in quibusdam locis brevior reddatur, ne quid inutiliter repetatur.

3. *De structura Schematis.*

Compluribus Patribus materia in tribus primis capitibus modo non satis logico et cohaerente exposita esse videbatur. Mutando ordinem quorundam membrorum textus Secretariatus desiderio legitimo horum Patrum satisfecisse censet.

Non vero putavimus votis illorum Patrum satisfacere posse, qui proponebant, ut duo prima capita prioris textus in unicum caput conflarentur; nam haec capita de duabus rebus bene distinctis quamvis inter se connexis agunt, scilicet de principiis oecumenismi (cap. I) et de eius exercitio practico (cap. II). Curavimus ne inutiles repetitiones fiant.

4. *De argumento Schematis.*

De argumento in schemate tractando sive de ambitu materiae eius sententiae diversae immo inter se oppositae a Patribus prolatae sunt.

A) Relate ad caput IV prioris schematis (de Iudaeis):

a) alii Patres censent in schemate non esse agendum de Iudaeis, cum oecumenismus sit actio ad unitatem inter Christianos promovendam. Secundum plures Patres de habitudine Christifidelium ad Iudaeos tractandum esset vel in constitutione « De Ecclesia » (de populo Dei) vel in aliquo decreto proprio distincto ab aliis decretis.

Secundum nonnullos Patres Concilium nihil omnino de Iudaeis dicere deberet.

b) Aliis videtur necesse esse, si de Iudaeis agitur, sermonem fieri etiam de aliis religionibus non-christianis, immo de Atheismo moderno.

Plures postulant, ut specialis mentio fiat de Mahumetanis.

c) Alii putant propter necessitudinem particularem populi Antiqui Foederis cum Ecclesia textum de Iudaeis retinendum esse in schemate De Oecumenismo sive ut caput IV sive tamquam appendicem schematis.

B) Relate ad caput V prioris schematis (de libertate religiosa):

a) aliis Patribus videtur textum de libertate religiosa retinendum esse in ipso schemate De Oecumenismo, cum agnitio libertatis religiosae ad fundamentum omnis oecumenismi pertineat.

[15] Secundum plures Patres textus de libertate religiosa constituere deberet caput proprium schematis De Oecumenismo, secundum nonnullos in forma breviori inserendus esset primo capiti schematis, ubi agitur de principiis oecumenismi.

b) Alii censent textum de libertate religiosa, qui pro oecumenismo certe magni momenti est, sed problema oecumenicum excedit, proprium decretum a decreto De Oecumenismo distinctum constituere debere.

Omnibus sententiis et rationibus bene perpensis Secretariatus ad conclusiones sequentes pervenit:

A) Relate ad quaestionem de Iudaeis:

1) Cum motus oecumenici in sensu stricto accepti finis proprius sit redintegratio unitatis inter Christianos, textus decreti ipsius De Oecumenismo restringendus est ad quaestionem de unitate inter omnes baptizatos restauranda.

2) Textus de Iudaeis, qui a Secretariatu iuxta proposita a pluribus Patribus in scriptis data emendatus et in formam breviorem redactus est, omnino retinendus esse videtur tum propter rationes intrinsecas et gravitatem rei tum propter exspectationem in toto mundo manifestatam.

3) Cum ex una parte peculiaris necessitudo Ecclesiae cum populo Veteris Foederis vigeat — ratione communis historiae salutis, patrimonii Scripturarum, originis Christi, Apostolorum, Ecclesiae ex populo iudaico —, ex altera parte oecumenismus sensu stricto sumptus nonnisi Christianos respiciat, textus de Iudaeis coniunctus quidem sit cum textu De Oecumenismo, non vero tamquam caput decreti, sed in forma appendicis eius.

4) In hoc appendice mentio fiat habitudinis Christianorum ad homines aliarum religionum non-christianarum et in specie ad Mahumetanos.

B) Relate ad quaestionem de libertate religiosa:

Textus de libertate religiosa, iuxta proposita multorum Patrum in scriptis data mutatus et emendatus, propter gravitatem quaestionis nequit reduci ad tam brevem formam, ut inseri possit capiti primo schematis De Oecumenismo, sed debet esse caput proprium huius schematis.

Post sessionem plenariam Secretariatus mense februario et martio habitam Commissio de coordinandis Concilii laboribus optavit, ut tum textus de Iudaeis tum textus de libertate religiosa tamquam « Declarationes Concilii » distinctae a Decreto De Oecumenismo edantur et in declaratione de Iudaeis mentio quoque fiat de aliis religionibus non-christianis (Litterae Commissionis de coordinandis Concilii laboribus die 18 mensis aprilis 1964 datae). Secretariatus brevem huiusmodi textum composuit atque textui de Iudaeis addidit et nunc examini Patrum conciliarium duas commemoratas declarationes submittit.

5. *De terminologia in textu adhibenda.*

Quod terminologiam prioris textus spectat, duplicis generis observationes a pluribus Patribus factae sunt.

a) Aliquibus Patribus visum est in pluribus textus locis terminos adhibitos non esse satis praecisos et adhibendas esse expressiones doctrinales magis accuratas et determinatas. [16]

b) Pluribus Patribus terminus « Communitates » adhibitus in priori textu ad designandas Communitates seiunctas ex separatione occidentali ortas non esse sufficientem, cum sit terminus profanus, quo non exprimitur agi de Communitatibus religiosis christianis, quarum elementa ecclesiastica ipsis conferunt indolem vere ecclesialem.

Ex his Patribus alii postulant, ut adhibeatur terminus « Communitates ecclesiales », alii desiderant, ut illae Communitates simpliciter vocentur Ecclesiae, sicuti usus communis fert.

Secretarius post diligens examen harum observationum haec respondenda esse censuit et his responsis textum accommodavit:

Ad *a*) Ubi ipsa res exigit, doctrina, quae ut fundamentum actionis oecumenicae consideranda est, terminis praecisis et ambiguitatem excludentibus exprimenda est et in textu reformato revera sic exprimitur. Prae oculis vero habendum est decretum De Oecumenismo habere indolem pastoralem, quae generatim non admittit usum terminologiae dogmaticae scholasticae, praesertim etiam quia oecumenismus est aliquis motus et non systema clausum et undequaque absolutum. Quapropter in expositione schematis modus loquendi potius descriptivus et sermo pastoralis adhibendi sunt, quod nullatenus significat terminologiam decreti esse vagam et nebulosam.

Ad *b*) Praetereundum non est Coetus ex divisione occidentali ortos non esse tantum summam seu congeriem Christifidelium individuorum, sed constitui elementis socialibus ecclesiasticis, quae ipsi ex communi patrimonio conservant et quae ipsis characterem vere ecclesialem conferunt. In his Coetibus unica Christi Ecclesia, quasi tamquam in Ecclesiis particularibus, quamvis imperfecte, praesens et mediantibus elementis ecclesiasticis aliquo modo actuosa est.

Notandum insuper est inter Communitates seiunctas esse quasdam Communitates, scilicet Veterum Catholicorum, quae propter sacramentum validum ordinis et validam Eucharistiam, quibus gaudent secundum solidam doctrinam theologicam ab omnibus Catholicis acceptam, similiter ac Communitates orthodoxae nominandae sunt Ecclesiae. Ex altera parte Coetus Christianorum existunt, qui ipsi respuunt nomen Ecclesiae.

His omnibus perpensis Secretariatui visum est ad designandos Coetus, ex divisione occidentali ortos, omnes simul sumptos, adhibendam esse duplicem expressionem quae sola totam realitatem complexam reddit, scilicet « Ecclesiae et Communitates ecclesiales ».

6. *De « bona fide » postulanda in non-Catholicis.*

Aliqui Patres postulabant, ut in textu explicite dicatur in fratribus seiunctis « bonam fidem » requiri.

Secretariatui unanimiter visum est mentionem « bonae fidei » nullatenus

[17] esse necessariam. Nam sicut bona fides et recta intentio apud Catholicos, tum ministros sacros tum fideles, ultro praesumitur, quando fidem suam profitentur et Missam aliasque actiones sacras peragunt, donec contrarium probetur, similiter apud fratres seiunctos bona fides et recta intentio in suis professionibus et actionibus sacris peragendis praesumenda est, nisi aliud manifestum sit. Quod confirmatur experientia eorum innumerabilium Catholicorum, qui cotidie cum Christianis non-catholicis vivunt et collaborant et pietate et fervore multorum ex ipsis aedificantur. Praesumptio bonae fidei et rectae intentionis est fundamentum omnis operis oecumenici.

7. *De Directorio oecumenico conficiendo.*

Multis Patribus normae ad oecumenismum exercendum in schemate exhibitae non satis concretae esse videbantur. Plures Patres explicite directorium aliquod oecumenicum a Secretariatu exarandum optabant, quod accuratius describat habitudinem Catholicorum erga fratres separatos.

Non videtur opportunum inserere ipsi schemati regulas omnino concretas pro habitudine et actione oecumenica Catholicorum; indoles decreti conciliaris postulat, ut praebeantur tantum principia generalia oecumenismi. Secretariatus praeparat autem, ut iam in Relatione in secunda periodo Concilii proposita annuntiatum est, aliquod directorium oecumenicum generale, quod regulas magis concretas continebit. Cum vero conditiones singularum nationum et regionum valde inter se differant, auctoritatum competentium regionalium erit adaptare directorium conditionibus et necessitatibus territorii sui.

III. De Capite I.

A) *De Capite I in genere.* Plures Patres votis suis optabant, ut multa elementa doctrinalia in primum caput introducantur, dum aliis Patribus visum est doctrinam in textu expositam omnino sufficere.

Rogat Secretariatus, ut prae oculis habeatur decretum De Oecumenismo non esse constitutionem dogmaticam, sed decretum pastorale, quod niti potest et debet doctrina in Constitutione dogmatica « De Ecclesia » fuse exposita et in decreto De Oecumenismo non repetenda. Secretariatui neque necessarium neque utile videtur iterum proponere totum tractatum dogmaticum de Ecclesia. Sufficiens ei videtur efferre principia aliqua theologica, quibus in lucem ponatur unitas illa quam Christus pro Ecclesia sua voluit.

Ne fiat integer tractatus theologicus, in capite primo elementa doctrinalia praecipua unitatem Ecclesiae spectantia modo tantum compendiario, nihilominus, ut nobis videtur, sufficienter claro proponuntur. Evidens est tam Catholicis quam fratribus separatis haec elementa accipienda et interpretanda esse iuxta doctrinam integram Ecclesiae catholicae multoties iam et variis modis declaratam. Quod principium interpretationis, iam in priori schematis textu enuntiatum, in nova hac redactione efficacius adhuc exprimitur.

Ad omnem ambiguitatem excludendam utile visum est emendationes [18] quasdam afferre, quae doctrinam catholicam de beato Petro eiusque successoribus nec non de unitate in Ecclesia catholica iam existente et de habitudine fratrum seiunctorum ad unicam Christi Ecclesiam clarius quam in priori textu exhibeant. Quibus emendationibus aliquorum Patrum votis satisfecisse putamus.

B) *De numero 2* (pp. 6-7). In linea octava paginae sextae addita est vox « Eucharistiae » et quidem propter ambiguitatem prioris textus. Aliqui Patres nempe vocem « sacramentum » ad « Ecclesiae » referri putaverunt. Verum est expressionem « mysterium unitatis » ad designandam Ecclesiam in traditione catholica inveniri. Hoc autem in loco non agitur de mysterio seu sacramento Ecclesiae, sed de sacramento Eucharistiae, ut nunc ex textu emendato clarius elucet. Operatio Eucharistiae in unitate Ecclesiae efficienda in linea sequenti perspicue exhibetur.

In nova hac redactione (pag. 6, linn. 18-24) expresse declaratur opus Spiritus Sancti in vita Ecclesiae, in eius unitate efficienda, in variis gratiis et muneribus conferendis. Hac ampliore additione respondetur votis multorum Patrum, qui postulabant, ut fusius et magis explicite de Spiritu Sancto et de eius influxu in oeconomia salutis sermo fiat.

Multi Patres animadversiones fecerunt de textu prioris redactionis, in quo institutio muneris et potestatis Apostolorum et in specie sancti Petri exponitur (pag. 7, linn. 22-30). Quamvis ex una parte, ut iam dictum est, non tota doctrina catholica de Ecclesia et hierarchia eius in schemate explicanda est, ex altera parte certe omnis ambiguitas evitari debet. Quapropter in textu haec principia maioris momenti in lucem ponenda sunt: 1) Christus Ecclesiam suam iam pro hoc mundo ut societatem visibilem fundavit. Ecclesia ergo non est res quae non nisi in futuro, id est in fine huius aevi existet. 2) Christus munus docendi, regendi et sanctificandi Collegio Duodecim concredidit. 3) Christus Petrum elegit super quem Ecclesiam suam aedificavit, cui tradidit claves regni caelorum et munus — non dominationis, sed amoris — omnes in Ecclesia pascendi in unitate perfecta. 4) Petrus munus ab ipso Christo accepit, ita tamen, ut Christus maneat lapis angularis totius aedificii et pastor animarum in aeternum. 5) Modus exprimendi has veritates potius biblicus quam scholasticus esse debet. 6) Ubi textus biblici potestatem Petri spectantes citantur, nostri non est intrare in quaestiones inter theologos agitatas de ordine historico promissionis et collationis huius potestatis et de relationibus mutuis inter illos textus vigentibus. Secundum haec principia textus schematis emendatus est (cf. pag. 6, linn. 25-32 novae redactionis).

C) *De numero 3* (pp. 7-8). In hoc numero explicite de scissuris sermo fit, quae decursu temporis in Ecclesia ortae, atque clare exprimitur magnum damnum, quod ex separationibus promanat.

Dicendum deinde est non tantum de singulis Christianis ab Ecclesia catholica seiunctis, sed maxime etiam de Communitatibus, in quibus vivunt.

[19] Fatendum quidem est Communitates separatas non posse esse pro membris suis media salutis ratione separationis, sed eo tantum quod elementa unicae Christi Ecclesiae in ipsis conservata ad ordinem salutis pertinent.

In pagina 7, linn. 30-35 textus emendatus proponitur, in quo planius quam in priore textu momentum illorum elementorum et operatio Christi et Spiritus Sancti per ea enuntiatur, atque clare affirmatur ea virtutem habere ex gratia et veritate Ecclesiae concreditis.

Considerata diversitate Communitatum non-catholicarum elenchus completus omnium elementorum ecclesiasticorum earum fieri nequit. Neque facienda est distinctio inter varias Communitates in hoc articulo, in quo de principiis generalibus agitur.

Pluribus Patribus schema aliquo modo deficere visum est in expositione 1) necessitatis Ecclesiae ad salutem; 2) fidelitatis Ecclesiae in fide et doctrina proclamanda; 3) unitatis in Ecclesia iam existentis. Quapropter in pagina 8 nova pericopa inserta est (linn. 12-19), qua periculum falsi irenismi excludi et omnis aequivocatio evitari videtur.

D) *De numero 4* (pp. 8-10). Plures Patres meliorem dispositionem materiae huius articuli atque definitionem oecumenismi magis completam desiderabant. Ut his votis satisfiat, Secretariatui conveniens visum est reformare textum totius articuli. Definitio oecumenismi vero stricte dicta secundum genus et differentiam specificam dari nequit, cum oecumenismus sit motus a Spiritu Sancto excitatus, cuius progressum futurum definire non possumus, etsi certum sit Spiritum Sanctum conducere hanc motionem versus unitatem omnium Christianorum in unica Christi Ecclesia redintegrandam. Descriptio autem in textu emendato talis exhibetur, ex qua notae essentiales oecumenismi facile cognosci possunt. Elementa huius definitionis descriptivae, quae in priore textu dispersa per totum articulum inveniebantur, in novo textu initio articuli colliguntur, additis aliquibus aliis elementis et omnibus melius dispositis. Post descriptionem oecumenismi in genere exponuntur principia iuxta quae fideles catholici motui oecumenico participare debent.

Animadvertendum est oecumenismum omnino perperam intelligi, si consideratur tamquam nova tactica ad facilius obtinendas conversiones. Certe etiam apostolatus reconciliationis singulorum ut opus Spiritus Sancti agnoscendus est et operi oecumenico nullatenus opponitur. Ille apostolatus tamen a motu oecumenico, qui alium finem habet alteriusque naturae est, essentialiter distinguitur. Quae omnia in proprio inciso in textum emendatum introductum concinne dicuntur (pag. 9, linn. 12-16).

IV. De Capite II.

A) *De Capite II in genere.* Patres de capite II in genere perpaucas animadversiones fecerunt quae potius eos demonstrabant textui proposito consentire. Maior enim numerus animadversionum vel emendationum singula quaedam respiciunt.

B) *De singulis in Capite II*: Quae animadversiones Patrum res sequentes praesertim spectant: [20]

1) modum loquendi de renovatione Ecclesiae, naturam necessitatemque huius renovationis,
2) confessionem culparum contra unitatem,
3) communicationem in sacris,
4) cooperationem cum aliis Christianis.

1. *De renovatione Ecclesiae.* In primum incisum huius numeri additio sat protracta inserta est (n. 6, pag. 14, linn. 9-15) qua sententiae multorum Patrum respondetur ut reformatio de qua heic agitur, non tantum ad christianas personas adtineat sed ad ipsam Ecclesiam in vita eius externa: in humanis institutis, in munere pastorali, in modo exprimendi doctrinam.

2. *De confessione culparum.* Multi Patres instanter petierunt ut explicite sermo fiat de quadam confessione culparum contra unitatem. Eis igitur satisfacere voluit Secretariatus novo inciso exarato (pag. 15, linn. 4-13) ad mentem illius quod S. P. Paulus VI dixit in Allocutione ad Patres Concilii Vaticani II habita cum altera periodus inchoaretur die 29 mensis septembris 1963: « Si quae culpa ob huiusmodi separationem in nos admittenda sit, veniam humili rogatu a Deo petimus, ... ». In conscriptione autem huius paragraphi satius visum est cum quadam moderatione procedere ut variarum hac de re sententiarum Patrum ratio habeatur.

3. *De communicatione in sacris.* A non paucis Patribus id quod in priore textu dicebatur de quavis communicatione in cultu officiali seponenda durius atque infaustissime expressum aestimatur; immo non deerant illi qui positivam quandam doctrinam circa communicationem in sacris postulaverunt. Quapropter incisum novum (pag. 15, linn. 29-36) confectum est quo principium generale, omnes Communitates christianas spectans, congeste enuntiatur. Ex hoc verum principio quod in recto ad ipsam communicationem in sacramentis respicit, oblique autem ad omnes actiones sacras vel ad quamcumque orationis participationem, potius norma generalis indicatur. Ceterum condicio specialis Orientalium accuratius consideratur in Capite III (pag. 20, linn. 36-40) et in nn. 26-29 Schematis De Ecclesiis Orientalibus.

4. *De cooperatione cum aliis Christianis.* Prima sententia numeri 12 ab uno Patre proposita est quae Secretariatui visa est difficultates nonnullorum Patrum feliciter solvere circa periculum falsi proselytismi, aliorumque permultorum desideria explere quibus testimonium quoddam commune a Christianis reddendum est coram hodierno mundo.

Ceterum ne quis timeat ea quae ibi dicuntur de omnibus Communitatibus Christianorum nimio optimismo laborare circa doctrinam, cum modo indicentur illa quae omnibus palam communia sunt, cum insuper cetera in quibus Christiani circa rem moralem socialemve dissentiunt in alio numero (n. 23, pag. 24, linn. 31-38) dilucide innuantur quippe quae in dialogo oecumenico disputanda erunt.

[21] C) *De animadversionibus emendationibusque a Patribus propositis quae locum invenire non potuerunt.*

Quidam Patres animadversiones vel emendationes vel additiones proposuerunt quae ad singula accedebant magis particularia. Earum quidem in nova conscriptione capitis rationem habere non potuit Secretariatus, inter quas numerantur v. gr. institutio diei poenitentiae pro unitate, vel diei unionis praecepto omnibus impositi, vel orationis pro unitate post missam. Quae omnia magis directorium a Secretariatu conficiendum spectant aut ad auctoritatem episcopalem singulorum locorum pertinent.

V. De Capite III.

A) *De Capite III in genere.* Tres praecipuae quaestiones a Patribus relate ad caput III motae sunt:

1) Utrum de Ecclesiis Orientis et de Communitatibus occidentalibus tractandum sit in uno eodemque capite an in duobus capitibus distinctis.

2) Utrum textui capitis tertii praeponendum sit aliquod prooemium.

3) Utrum mentio facienda sit muneris Ecclesiarum orientalium catholicarum in opere oecumenico.

1. *De tractatione separata vel coniuncta Orientalium et Occidentalium.* Ad hanc quaestionem duae opiniones inter se valde discrepantes a pluribus Patribus prolatae sunt:

a) Nonnullis Patribus problema unitatis restaurandae cum Ecclesiis orientalibus tantopere a problemate unionis cum Communitatibus ex scissione occidentali ortis differre videbatur, ut secundum eos de unoquoque eorum in duobus capitibus distinctis nostri schematis vel in diversis schematibus tractandum esset. Timebant insuper aliqui Patres, ne fratres orthodoxi aegre ferrent, si de ipsis in eodem capite cum Protestantibus ageretur, cum sic in aestimatione Ecclesiae catholicae quodammodo Protestantibus assimilari viderentur.

b) Alii Patres e contra distinctionem inter Ecclesias orientales et Communitates occidentales factam in priore textu nimiam esse existimabant, quae speciem duplicis oecumenismi prae se ferret. Timebant insuper ne talis distinctio suspicionem moveat Ecclesiam romanam orthodoxas Ecclesias ab opere oecumenico coniuncto cum aliis non-Catholicis amovere velle.

Re sat difficili mature perpensa, Secretariatus ad sequentes conclusiones pervenit:

a) Habitudo Ecclesiae catholicae erga fratres seiunctos non tantum determinari debet fine intento, qui revera unicus est, unitas nempe omnium Christianorum in unica Christi Ecclesia, sed etiam doctrina et structura uniuscuiusque Communitatis separatae, quae ad doctrinam et structuram Ecclesiae catholicae magis vel minus accedere possunt.

b) Patet Ecclesias orientales sub hoc respectu valde differre a Communitatibus ex Reformatione protestantica ortis, ratione nempe doctrinae fidei, cultus liturgici, vitae sacramentalis, structurae hierarchicae.

c) Opportunum propterea visum est Ecclesiis orientalibus in schemate nostro considerationem particularem tribuere. [22]

d) Ex altera parte negandum non est nexus vigere inter diversos respectus oecumenismi, quatenus et orientales Ecclesias et occidentales Communitates spectat, cum ratione consequentiae eventuum, qui post scissionem inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias Orientis in ulteriores separationes in Occidente influxum habuerunt, tum ratione affinitatis nonnullarum quaestionum theologicarum controversarum, tum denique communis participationis in variis inceptis oecumenismi.

e) Quapropter opportunum visum est hos duos aspectus oecumenismi in uno eodemque quidem capite amplecti, quo eorum affinitas significatur, unumquemque autem horum aspectum ita in partibus distinctis tractare, ut cum ex rebus dicendis tum ex modo exponendi clare appareat diversa aestimatio ab Ecclesia catholica facta.

2. *De prooemio praeponendo.* Plures Patres optabant, ut textui huius capitis praemittatur aliquod prooemium, ne abrupte sermo fiat de Ecclesiis orientalibus.

Huic desiderio Secretariatus satisfacere intendit prooemio proposito, in quo brevitatis causa solum principium geographicum et historicum adhibetur ad distinctam considerationem orientalium et occidentalium Ecclesiarum Communitatumque inducendam. Revera primae separationis in Oriente et priore tempore evenerunt, aliae vero in Occidente et posteriore tempore. Hoc distinguendi modo autem nullatenus contenditur differentias inter Communiones Orientis et Occidentis ad rationes geographicas et historicas reduci posse. Rationes profundiores differentiae in ipso textu utriusque partis huius capitis exponuntur.

Ut aequo desiderio aliquorum Patrum satisfiat, in prooemio mentio fit explicita Communionis anglicanae propter rationes ibidem indicatas.

Claritatis causa in prooemio breviter etiam indicatur tum necessaria distinctio tum interna connexio duarum partium huius capitis.

3. *De munere Ecclesiārum orientalium catholicarum in opere oecumenismi.* Plures Patres ex Oriente, postquam gratum animum expresserunt de debita mentione Ecclesiarum orientalium tam catholicarum quam seiunctarum in schemate facta, conquesti sunt quod in schemate nihil dicatur de munere peculiari Ecclesiarum orientalium catholicarum in opere oecumenismi. Qua animadversione quaestio valde difficilis movetur, ut ex sequentibus elucet.

Etenim in quibusdam locis Orientales seiuncti aegre ferunt cum existentiam tum actionem Ecclesiarum orientalium catholicarum, aliquando etiam necessitatem supprimendi has Ecclesias suggerentes, quod quidem et theologice et practice admitti nequit.

In aliis locis e contra necessitudines inter utramque Ecclesiam orientalem, catholicam scilicet et orthodoxam, mutua aestimatione et amore nutriuntur

[23] ita ut usque ad opus et consilium coniunctum, etiam in campo pastorali, perventum sit.

Quae cum ita sint, Secretariatui visum est specificam participationem Catholicorum orientalium in opere oecumenismi in schemate commemorandam quidem esse, sed ita, ut simul testimonium explicitum reddatur de duplici eorum fidelitate: erga successorem Petri nempe, super quem Christus Ecclesiam aedificavit et aedificat, nec non erga traditiones proprias orientales, quae thesaurum Ecclesiae Christi numquam abalienandum et signum manifestum catholicitatis eius constituunt. Quae omnia in textu reformato explicite declarantur.

In votis est, ut ope dialogi cum fratribus orientalibus seiunctis sensim omnes praeiudicatae opiniones amoveantur ita ut Catholici orientales in omnibus locis maiorem in dies partem in opere reconciliationis habere possint.

B) *De Parte I Capitis III.*

Secretariatui opportunum visum est iuxta vota multorum Patrum textum primae partis capitis tertii in quibusdam mutare et emendare, ut res propositae accuratius declarentur. Praecipuae emendationes in sequentibus nominantur.

1) Aliqua elementa numeri 12^{i} prioris textus translata sunt in prooemium. Alia cum elementis numerorum 13^{i} et 14^{i} prioris textus coniuncta sunt. In novo textu ergo in numero 14° inveniuntur elementa ex dictis tribus numeris prioris textus.

2) Claritatis causa pro designandis Ecclesiis in Oriente existentibus sequens terminologia usurpata est. Nomen « Ecclesiae Orientis » praescindit a facto separationis et Ecclesias catholicas et seiunctas simul designat. Nomen « Ecclesiae orientales » in numeris huius capitis semper designat Ecclesias orientales seiunctas. Haec terminologia ex rationibus practicis usurpata, qua repetitiones fere infinitae adiectivi « seiunctae » evitantur, nullatenus praeiudicare vult ius Ecclesiarum orientalium catholicarum, quo sibi vindicent titulum « Ecclesiae orientales » sine addito.

In eodem numero 14° novus textus, ut nobis videtur, condicionem peculiarem Ecclesiae Orientis atque causas, quae ad separationem conducebant, meliore ordine logico exponit.

3) Secundum vota permultorum Patrum, quorum aliqui textum concretum proponebant, in novo textu mentio explicita Eucharistiae fit et momentum eius peculiare pro Ecclesia aedificanda et perficienda commemoratur (cf. numerum 15um, pag. 20, linn. 28-30).

Celebratio enim verae Eucharistiae ab episcopo valide consecrato peracta, qua unitas discipulorum Christi significatur et efficitur, thesaurus est pretiosissimus etiam fratrum orientalium a nobis seiunctorum, quo unio nobiscum promoveri atque perfici potest et debet.

4) Immo praetermittendum non erat in textu emendato, ut plures Patres merito animadvertebant, Ecclesias orientales, iuxta mentem et constans iudi-

cium Ecclesiae catholicae, vi successionis apostolicae semper servavisse vera [24]
sacramenta.

5) Cum multi Patres conciliares ex Oriente affirmaverint Catholicos orientales propter aliquam communicationem in sacris cum fratribus seiunctis non fieri pronos ad indifferentismum, et cum ex altera parte aliqui Patres asseveraverint scandalum esse fratribus seiunctis, si omnis communicatio in sacris prohiberetur, necessarium duxit Secretariatus pro Catholicis orientalibus applicationem specificam proponere principii generalis de communicatione in sacris in capite tertio enuntiato (cf. pag. 20, linn. 36-40; cf. etiam Schema Decreti *De Ecclesiis Orientalibus,* nn. 26-29). Auctoritatis competentis erit stabilire normas practicas pro singulis locis et casibus.

6) Multi Patres optabant, ut clarius et fortius enuntietur ius Orientalium sese regendi secundum proprias disciplinas. Talis declaratio, quae non est intelligenda ut mera concessio, sed ut agnitio principii fundamentalis, nunc invenitur in numero 16° textus reformati (cf. pag. 21, linn. 14-26). Sic principium iam pluries a Romanis Pontificibus enuntiatum nunc sollemniter a Concilio declaratur. Quod perutile videtur ad illud principium in praxim ubique deducendum.

7) Nova redactio numeri 17[i] proposita melius videtur praecavere periculum indifferentismi, quod a pluribus Patribus timebatur. Finis enim huius numeri est indicare legitimitatem methodorum diversarum in exploratione expositioneque veritatis revelatae, firma semper manente substantia ipsius veritatis revelatae. Ceterum in hoc numero clarius in mentem revocatur Orientem et Occidentem ex communi haereditate haurire explicationes theologicas, quas sibi uterque proprias vindicat.

8) Nonnulli Patres conclusionem magis concretam numeri 18[i] desiderabant et aliqui proposita determinata commendabant (v. gr. studia specialia, renovationem institutionis clericorum, commissiones permanentes et alia). Secretariatui visum est de his et similibus rebus concretis potius in directorio parando esse agendum. Nova tamen redactio nititur mentibus illud imprimere, quo illa proposita exitum bonum pro unitate fovenda consequi poterunt.

C) *De Parte II Capitis III.*

Titulus huius partis mutatus est secundum principium in parte secunda huius Relationis enuntiatum, ubi agitur de Ecclesiis et de Communitatibus ecclesialibus. Communitates, de quibus in hac parte agitur, non iam ut in priore redactione « inde a saeculo decimo sexto exortae » vocantur, sed « in Occidente seiunctae ». Quae expressio dictis in parte I melius correspondet et simul rei veritati magis congrua videtur.

Secundum emendationes a pluribus Patribus propositas, servata huius partis structura, novus expositionis modus nunc proponitur. Aliarum Communitatum descriptionem dare minime voluimus; potius quattuor puncta in textu elaborata, scilicet Christi confessio (n. 20), Sacrorum Librorum studium (n. 21), vita sacramentalis (n. 22), vita cum Christo (n. 23), ex una parte

[25] elementa omnibus Christianis communia in lucem ponunt, ut fundamentum sint pro dialogo cum fratribus seiunctis. Ex altera parte, tamquam pars huius dialogi in unoquoque numero breviter indicantur illae doctrinae, de quibus dissensus existit inter fratres seiunctos et nos.

1. *Ad numerum 19um*. Aliqui Patres de difficultatibus ex proselytismo non-catholico et mente anti-oecumenica aliquarum Communitatum ortis sollicitudinem suam exprimebant. Quapropter novum incisum in hoc numero insertum est (pag. 22, linn. 36-38), in quo spes exprimitur fore ut sensus oecumenicus in omnibus crescat. Cum autem decretum dirigatur ad solos Catholicos, locus hic non est exhortationi formali ad fratres seiunctos, ut abstineant a proselytismo.

Etiam ultimum incisum huius numeri novum est. Ut facilis optimismus excludatur et qualiscumque confusio vitetur, graves discrepantias inter Christianos non-catholicos et catholicos in re dogmatica adesse affirmatur. Sequentes numeri pro parte sua praecipuarum differentiarum mentionem faciunt.

2. Secundum principium generale supra memoratum, in *numero 20°* notantur inter Ecclesiam catholicam et fratres seiunctos differentiae quoad doctrinam de Verbi Dei incarnatione et opere Verbi Dei incarnati, atque de munere Mariae in opere salutis.

3. *Antiqua* redactio *numeri 21i* de Sacrae Scripturae studio difficultati locum dedit dicens, Sacram Scripturam esse « velut medium » ad dialogum instaurandum. Putamus textum emendatum hanc difficultatem auferre. In nova redactione etiam clarius enuntiatur locus magisterii Ecclesiae in Scripturis explicandis. Evidens est novum textum, etiam si clarius affirmet communem Christianorum in Scripturis haereditatem ut fundamentum dialogi, ac differentiam circa habitudinem inter Scripturas et Ecclesiam, tamen doctrinam completam de auctoritate Scripturarum conficere non intendisse.

4. Quia plures Patres aliquam mentionem facere volunt de Eucharistia, novum incisum (pag. 24, linn. 11-18) compositum est in quo, post deficientiam essentialem in Eucharistiae celebratione apud Communitates occidentales enuntiatam, indicatur voluntas earum significandi plenam cum Christo communionem nec non annuntiandi mortem Domini donec veniat. Quae elementa positiva ut fundamentum dialogi inservire possunt.

5. In *numero 23°* nova paragraphus (pag. 24, linn. 31-38) indicat quasdam differentias Catholicos inter et non-Catholicos relate ad graves quaestiones in re morali, de quibus dialogus verbo Dei revelato innisus instituendus erit.

6. *Conclusio* — (numerus 24) accipienda est ut conclusio trium capitum, non mere ut conclusio huius partis. Summarie igitur indicantur principia generalia ex quibus totum opus oecumenicum inspirationem suam trahere debet, nempe fidelitas erga fidem catholicam nobis per Ecclesiam traditam nec non fidelitas erga impulsionem Spiritus Sancti qui omnes Christianos ad unitatem a Christo volitam adquirendam movet. Quae unitas, ut donum Altissimi pretiosum, ab ipso Deo ardenter speratur.

RELATIO [26]

SUPER DECLARATIONEM DE LIBERTATE RELIGIOSA

Postquam omnes observationes et emendationes attente examinatae sunt, Secretariatus in novam redactionem inseruit illas quae momentum libertatis religiosae pressius enucleant vel evolvunt sub proprio schematis aspectu, nempe de iure personae et communitatum ad libertatem in re religiosa.

Hae autem in textum Declarationis « *De libertate religiosa* » insertae emendationes ad quinque puncta principaliora reduci possunt.

1. *Notio libertatis religiosae clarius exprimitur.* Necessarium prorsus est accurate et exacte, quantum id fieri potest, explicare terminum « *Libertas religiosa* » prouti in hac declaratione usurpatur. Id enim quam maxime confert ad praecavendas confusiones et fallaces conclusiones quae in genuino sensu declarationis minime adsunt nec inde deduci possunt.

Quapropter in initio novae redactionis ponitur nova paragraphus (n. 26) in qua semel pro semper accuratius indicatur, quid in nostro contextu terminus « *Libertas religiosa* » significet et quid non significet. Quaedam igitur propositiones veteris textus, quae ambiguitati ansam praebere poterant, omissae sunt.

Distinguere oportet libertatem in relatione ad Deum et libertatem in relatione ad homines. Scopus schematis non est ex professo tractare de habitudine hominum ad Deum neque de ipsa natura libertatis sed de habitudine hominum ad homines, i. e. de iuribus, in re religiosa, vigentibus sive inter homines vel singillatim sumptos vel in coetibus religiosis coniunctos, sive inter homines tamquam cives relate ad respectivos rei publicae moderatores. Fundamentum horum iurium consistit in strictissima obligatione observandi dignitatem humanam seu sequendi legem Dei prout in conscientia sincere formata percipitur. Haec omnia in caeteris inducunt obligationem nullatenus impediendi eiusmodi liberam vocationis Dei sequelam. Libertas sequendi propriam in re religiosa conscientiam, in hominum consortio et conviventia est maximum unicuique personae proprium bonum, ideoque verum et strictum ius personale. Ipsa igitur divina vocatio, quae summam personae humanae dignitatem constituit, est tamquam nervus quo tota haec argumentatio roboratur et permeatur.

2. *Explicitiore modo indicantur iura coetuum religiosorum.* Novus textus agit non solum de libertate religiosa uniuscuiusque personae singularis sed etiam explicite de libertate communitatum religiosarum; omnibus enim communitatibus vere competit libertas religiosa in rebus quae spiritualem hominum vitam fovere possunt (n. 30).

3. *Principium limitabilitatis in iurium exercitio accuratius explicatur.*

a) *Limitatio ex fine societatis.* Ut possibiles abusus a publicae rei moderatoribus et a civibus evitentur, novus textus clarius tractat de principio secundum quod exercitium iurium in re religiosa legitime limitari potest.

[27] Asseritur principium limitationis esse finem societatis, qui constat complexu earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possunt plenius et expeditius consequi (IOANNIS XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra* et *Pacem in terris*). Ideo munus auctoritatis publicae in re religiosa est conciliare et harmoniam stabilire inter exercitium iurium in uno et exercitium eorundem iurium in alio, ita ut exercitium iurium unius non sit obstaculum pro exercitio iurium alterius (n. 29, pag. 31, lin. 29; pag. 32, lin. 13).

b) *Limitatio quoad propagationem religionis.* Nova accedit distinctio: Sedulo enim distinguendum est inter ius ad religionem sincere honesteque annuntiandam et inter abusum huius iuris, qui habetur quando quis mediis inhonestis utitur in propagatione suae religionis (n. 30, pag. 32, lin. 38; pag. 33, lin. 3).

4. *Momentum divinae legis effertur.* Textus reformatus explicitius excludere intendit omne periculum subiectivismi nec non subsequentis indifferentismi, et ideo omnimoda claritate effert strictas exigentias veritatis obiectivae. Asserit enim vocationis hominis normam esse legem divinam, quae est aeterna, obiectiva, absoluta et universalis, quaeque sola integram perfectamque ad Deum necessitudinem indicat (n. 29, pag. 30, lin. 38; pag. 31, lin. 8). Homo autem tenetur hanc Dei ordinationem et omni studio recte cognoscere et sese ei libere conformare (n. 29, pag. 31, linn. 9-10; n. 26, linn. 18-19).

5. *Accedunt argumenta ex praesenti condicione humana desumpta.* Perutile videtur argumenta speculativa pro libertate religiosa agnoscenda complere etiam argumentis desumptis ex hodiernae vitae condicionibus, quae rem reddunt urgentiorem: videlicet ex arctioribus relationibus inter homines diversae culturae et religionis, ex adaucta conscientia responsabilitatis personalis, ex evolventibus structuris iuridicis institutionum civilium ut hodie invaluerunt (n. 31).

Hucusque de emendationibus sermo erat, quae noviter secundum Patrum placita in schema introductae sunt. Sequitur nunc summarium totius Schematis reformati.

SUMMARIUM

Breviter describitur natura libertatis religiosae, quatenus religio in societate exercetur (n. 26):

a) Vocatio divina ut fundamentum argumentationis (linn. 6-9);

b) Definitio descriptiva (linn. 9-12); consequentiae (linn. 12-15);

c) Quid libertate religiosa non significatur (linn. 16-21);

d) Intentio ac propositum (linn. 22-25).

I. *Ecclesia catholica et Libertas religiosa* (*numeri 27-28*). Ecclesiae munus:

a) oratio pro omnibus et cultus; omnibus Evangelium annuntiare (n. 27);

b) amanter, prudenter et patienter agere cum hominibus qui in erroribus circa fidem versantur (n. 28, linn. 11-20); ab omni directa vel indirecta coactione abstinere (linn. 21-26) propter ipsam naturam actus fidei (linn. 27-33). [27] [28]

II. *Religiosa personae libertas in societate* (n. 29): Observanda est ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis (pag. 30, linn. 34-37):

a) probatur ex vocatione divina seu ex personae humanae dignitate (pag. 30, lin. 38 ad pag. 31, lin. 6);

b) vocationis divinae normae est lex divina (pag. 31, linn. 6-10);

c) iura personae rectam sive veram sive erroneam conscientiam sequentis (linn. 11-20);

d) tota comprehensio libertatis religiosae (linn. 21-28);

e) principium limitabilitatis in iurium exercitio statuitur ex fine societatis (linn. 29-37);

f) officia quae ad publicae rei moderatores pertinent

1° de reprimendis perversis manifestationibus sensus religiosi (linn. 38-40);

2° de non faciendo discrimine propter religionem (lin. 41 ad pag. 32, lin. 8);

3° de libertate religiosa tuenda et promovenda (linn. 9-13).

III. *Libertas coetuum religiosorum in societate* (n. 30):

a) probatur ex libera personarum voluntate et sociali hominum natura (linn. 14-18);

b) ius ad sese regendum secundum proprias leges (linn. 19-24);

c) vindicatur libertas religiosa in societate pro Ecclesia catholica (linn. 25-32);

d) quaelibet iniuria contra religionem ipsam illata damnatur (linn. 33-37);

e) vindicatur ius ad religionis propagationem, vitatis mediis inhonestis et impropriis (lin. 38 ad pag. 33, lin. 3);

f) mutua relatio inter societatem civilem et coetus religiosos (linn. 4-10).

IV. *Libertas religiosa praesenti aetate* (n. 31): Praecipue in praesentibus adiunctis libertas religiosa agnoscenda et defendenda est (linn. 11-16). Argumenta desumuntur:

a) ex arctioribus relationibus inter homines diversae culturae et religionis (linn. 17-19);

b) ex adaucta conscientia responsabilitatis personalis (linn. 19-20);

c) ex evolventibus structuris iuridicis institutionum civilium (linn. 20-22).

Conclusio: Cohabitatio pacifica in universali Familia humana hodie dari non potest sine libertate religiosa in societate. Haec libertas religiosa servata tendit in superiorem libertatem filiorum Dei (linn. 22-29).

NOTA

[28] De altera Declaratione, quae « De Iudaeis et de non-Christianis » inscribitur, post ea quae in Relatione super Schema Decreti de Oecumenismo sub II, 4 dicta sunt, atque attenta eiusdem elaboratione post sessionem Commissionis de Concilii laboribus coordinandis, nihil amplius in praesenti dicendum esse Secretariatui videtur.

2 – RELATIO

SUPER DECLARATIONEM « DE LIBERTATE RELIGIOSA » SCHEMATIS DECRETI « DE OECUMENISMO »

EXC.MUS P. D. AEMILIUS IOSEPH DE SMEDT
Episcopus Brugensis

Venerabiles Patres, honorabiles Periti ceterique cuncti,

Scimus omnes quantopere schemata huic sacro coetui praesentata, ad perfectiorem formam reducuntur quando a Patribus conciliaribus collegialiter examinantur. Patrum animadversionibus verbo et scripto datis schemata de Sacra Liturgia, de Ecclesia et de Pastorali Episcoporum munere quasi per ignem transierunt et facta sunt monumenta insignia. Discussionibus conciliaribus inest virtus specialis. Nam, ut nuper Paulus VI nobis in inaugurali sermone dixit: « Spiritus hic adest ».

Beneficio talis discussionis conciliaris gaudere nondum potuit schema quod vobis hodie in nova redactione praesentatur. Verum est quod non minus quam 380 scriptae observationes et emendationes ad secretariam generalem missae sunt et a secretariatu ad Christianorum unitatem fovendam accuratissime examinatae fuerunt, ut videre potestis in Relatione circa rationem qua schema elaboratum est (cf. schema Decreti de Oecumenismo, Declaratio altera, p. (11) 51 et p. (26) 66). Earum auctoribus ex imo corde gratias agimus. Ipsis debentur mutationes quibus, ut cum gaudeo accepimus, textus multis Patribus iam minus imperfectus apparet. Praesens autem nova redactio, de qua ad vos referimus, adhuc in multis est perficienda. Ut novistis omnes, numquam in Oecumenico Concilio de libertate religiosa tractatum est. Problema novum est et materia perdifficilis. Textus Summorum Pontificum de hac re sub alio aspectu et in aliis condicionibus socialibus problema attingunt. Redactores cupiunt et petunt in arduo suo labore illuminari a Spiritu Sancto mediantibus emendationibus quae a vobis sive in aula sive in scriptis propositum iri sincere sperant.

Ut hoc conciliare examen stimuletur, liceat nobis vobis hodie indicare articulos nostri textus qui nobis adhuc videntur forsitan perficiendi aut explicandi. Nonnumquam enim redactoribus ipsis visum est se nondum invenisse formam accuratam; ex altera parte pluries in iam receptis observationibus circa novum textum indicantur partes quae meliorem expressionem invenire debent.

Ante omnia forte supervacaneum non est breviter in memoriam revocare quae dicta sunt in relatione tantum typis impressa (quae invenitur in appendice libelli: « Schema Decreti de Oecumenismo — Declaratio altera — De Iudaeis et de non-Christianis »). Ibi in paginis 26 et 27 indicantur quinque aspectus sub quibus, rogantibus Patribus, conati sumus textum meliorem reddere. Sunt sequentia:

1) Notio libertatis religiosae clarius exprimitur iuxta illa quae hic in aula dicta sunt.

2) In novo textu modo explicitiori indicantur iura, quae coetibus religiosis competunt.

3) Accuratius examinatur utrum, quando et secundum quam mensuram admitti potest quod externum exercitium libertatis religiosae ad certos limites restringatur.

4) Ut melius vitetur omne periculum subiectivismi et indifferentismi, pressius ostenditur quod homo, in efformanda sua conscientia, debet serio inquirere quid statuatur lege divina qua omnes semper tenentur.

5) Profundius ostenditur cur in praesenti condicione societatis humanae observatio libertatis religiosae specialiter urgenda sit.

* * *

Sub his quinque aspectibus textus noster, ni fallimur, iam melius votis Patrum respondet, sed remanent difficultates, quas breviter vestris cogitationibus submittere audeo.

1. *De ipsa voce: libertas religiosa*

Sunt qui dubitant de ipsa formula « libertas religiosa » et putant nos in hac materia agere non posse nisi de « tolerantia religiosa ».

Nonne tamen observandum est quod libertas religiosa est terminus qui modernam et bene determinatam significationem obtinuit in hodierno vocabulario? In hoc pastorali Concilio Ecclesia dicere intendit quid ipsa iudicet de hac re quam communiones ecclesiales, gubernia, institutiones, publicistae, iurisperiti nostri temporis designant hoc vocabulo. Si sermonem dirigimus ad societatem modernam, debemus uti suo modo loquendi.

Agimus igitur de libertate religiosa tamquam de notione formaliter iuridica, quae enuntiat ius quod fundatur in natura personae humanae, quod ab omnibus observandum est et quod eo modo agnoscendum est in lege fundamentali (Constitutio Statuum, cum garantiis iuridicis) ut fiat commune civile ius. Eius agnitio, protectio et promotio oppignorari debet a societate in genere et speciatim a guberniis.

Si quod permanet dubium, tolli potest facto quod ultimi Summi Pontifices terminum libertatis religiosae adhibent. Sic v. g. recenter S. P. Paulus VI: « ... L'Eglise, vous le savez, se préoccupe aussi d'un problème un peu différent, mais qui n'est pas sans affinité avec l'objet présent de vos recherches: celui de la liberté religieuse. C'est là une question dont l'importance et l'ampleur sont telles que le Concile œcuménique en a été saisi. On peut légitimement attendre sur ce point la promulgation d'un texte qui sera de grande portée non seulement pour l'Eglise, mais pour tous ceux — et ils sont innombrables — qui se sentiront concernés par une déclaration autorisée en cette matière » (*L'Osservatore Romano,* 18 aprilis 1964).

2. *Declaratio nostra est pastoralis*

Quaenam est genuina natura huius declarationis: pastoralis an doctrinalis? A Secretariatu petita est praeparatio documenti pastoralis, quod et facere voluimus. Duplex tamen periculum vitandum videbatur: declaratio de re tam difficili et conscientiam respiciente nec potuit limitari ad indicanda quaedam pure practica, nec potuit induere formam mere iuridicae expositionis. Hac de causa breviter exposuimus rationes doctrinales quibus in materia libertatis religiosae innitendum esse videtur...[1]

3. *De logica structura textus propositi*

Cum nonnulli Patres opinentur structuram novi textus nec claram nec logicam esse, eam breviter explanamus.

— N. 25 est brevis introductio facta quando haec declaratio erat caput V schematis de Oecumenismo. Nunc deleri potest.

— N. 26 est mera descriptio, seu definitio terminorum. Nihil formaliter affirmare vel probare intendit, sed data est quia multi Patres petierunt ut inde ab initio clare diceretur quid et quid non significet terminus: libertas religiosa.

Tunc sequuntur quattuor partes:

— 1) in nn. 27-28 agitur de re domestica. Synodus membris Ecclesiae Catholicae Romanae exponit qualis debet esse eorum modus sese

gerendi erga catholicos et erga non-catholicos in materia diffusionis fidei. Haec dicuntur i. a. ut non-catholici videant Ecclesiam Catholicam Romanam a filiis suis exigere ut ipsi semper observent libertatem religiosam aliorum. Tali praevia affirmatione facta, sinceritas nostra in subsequentibus declarationibus efficacius apparebit.

— 2) in secunda parte (n. 29) adstruitur et explicatur ius ad libertatem religiosam quod individualis persona possidet et quod agnosci debet tum ex parte aliarum personarum tum ex parte societatis humanae tum ex parte gubernii status in quo vivit.

— 3) in tertia parte (n. 30) sub iisdem respectibus examinatur ius ad libertatem religiosam quod possident coetus religiosi.

— 4) in quarta demum parte (n. 31) insistitur in facto quod genus humanum, « aetatem puerorum » egressum et, in dies magis magisque unificatum, pacificam cohabitationem et pacem invenire non potest nisi sincere agnita libertate religiosa.

4. *De emendationibus propositis*

Nunc quoad aliquos numeros indicabimus quaedam quae Patribus conciliaribus videntur minus clara.

a) *Explanatio terminorum* (pag. 29, n. 26, lin. 9). *Inde exoritur.* Ut antea dictum est, in hoc numero agitur tantum de definitionibus. Intentio redactionis non est affirmare totum fundamentum iuris ad libertatem religiosam unice inveniri in libertate conscientiae. Dici posset: « Cum quo connectitur ».

b) *De ultimo fundamento libertatis religiosae* (pag. 30, n. 29, lin. 38). Examinatur quid fine finaliter sit fundamentum in quo libertas religiosa fundetur. Est natura personae humanae sicut a Deo creata est. Inter diversos aspectus (points de vue) sub quibus hoc fundamentum illuminari potest, in textu nostro elegimus vocationem naturalem uniuscuiusque hominis.

Affirmatur hic quod ius ad libertatem religiosam fundatur in facto quod unaquaeque persona humana, ducente conscientia sua, oboedire debet vocationi seu voluntati divinae. Si omnium Creator eam vocat ut determinato modo agat, acquirit ius agendi et nemo vel nulla institutio possidet ius eam prohibendi ne sese ad Deum ordinet. Terminus « vocatio » hic praefertur termino « ordinatio » seu « necessitudo ad Deum » quia eo adhibito clarius apparet quomodo sit fundamentum veri strictissimique iuris. Ut patet, agitur de vocatione quae naturae visceribus inscribitur, sed hoc termino adhibito porta manet simul aperta ad fundandas in eo exigentias ordinis supernaturalis pro fidem habentibus.

c) *De efformanda conscientia* (pag. 31, n. 29, linn. 7-10). In efformanda sua conscientia unusquisque sincere examinare debet quid, in concreto suo casu, lege divina exigatur ab ipso. Ut expositio sit completa, addendum videtur fidelem catholicum qui in Ecclesiam credit, in formanda sua conscientia agere non posse ac si Deus Ecclesiae suae auctoritatem doctrinalem non dedisset. Proinde, antequam libere agat, debet inquirere quid de determinato puncto Ecclesia doceat, ut sese Deo per Ecclesiam docenti libere conformare possit.

d) *De limitatione libertatis religiosae* (pag. 31, n. 29, linn. 29-37). Ad difficillimum problema de limitatione libertatis religiosae solvendum iam non directe appellamus ad bonum commune, sed profundius ad finem a Deo societati datum. Bene notetur quod societate hic non significatur status vel gubernium, sed obiectivus ille ordo qui datur et requiritur ut homines « plenius et expeditius » suam perfectionem attingere possint atque fideliter observare possint iura a Deo hominibus in communi tributa.

...[2] Non videtur possibile invenire formulationem qua non abuti possit potestas publica si est malae voluntatis...[3]

e) *De iure ad propriam convictionem cum aliis communicandam* (pag. 31, n. 29, lin. 24). Quaeritur quomodo ex libertate conscientiae oriatur ius naturale strictum ad propagandam in societate civili religionem obiective falsam. Responderi potest personam humanam de facto privari iure sequendi suam conscientiam, si externum testimonium, conscientia sua postulatum, perhibere impeditur.

f) *De publicae rei moderatoribus* (pag. 31, n. 29, linn. 41 et sq.)...[4] Termino « *publicae rei moderatoribus* » intenditur gubernium quatenus partem boni communis gerendam habet iuxta legem (Constitutio, leges particulares, amendement).

5. *De charactere laicali sed non laicistico potestatis publicae*

Ex iis quae in textu dicuntur de officiis publicae potestatis in hac materia (pag. 33, linn. 4-10; 20-21) immerito concluderetur rem publicam secundum nos debere esse neutralem, hoc sensu ac si deberet esse ad minus « separata » seu indifferens erga religionem. E contra potestates publicae oportet de facto indirecte faveant vitae religiosae quam cives iuxta dictamen suae conscientiae ducunt (agitur enim de valore supremo tum in vita individuali tum in vita sociali civium); ut omnia autem recte procedant, tenendum est quod a Statu vel gubernio nulla possidetur capacitas ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda, ad sese directe ingerendum in ea quae directe vitam religiosam civium spectant,

vel ad vitam coetuum religiosorum finibus suis subordinandam. Potestatibus publicis character laicalis agnoscendus est; laicismus qui erga religionem offensivus est, ipsissima lege naturali publicis potestatibus districte prohibetur.

* * *

In tota hac materia ab omnibus agendum est cum ea benevolentia, ea moderatione, ea consideratione personae humanae quarum nobis imaginem dedit ipse Christus Dominus, cuius ceteroquin in terris Vicarius recenter in Encyclicis litteris *Ecclesiam suam* (pp. 38-39), descripto exemplo Christi, haec de dialogo praeclara verba scripsit: « Eodem modo munus Nostrum, quamvis veritatem certam et salutem necessariam nuntiet, nullam tamen praeferet externae coercitionis rationem; immo contra, legitimas vias humanae comitatis, intimae persuasionis, communisque colloquii inibit; atque salutis donum praebebit, uniuscuiusque sive privati hominis sive civis salva libertate ».

Commissio nostra est instrumentum in manibus Concilii. A vobis omnibus adiuti et Spiritus Sancti lumine ducti, conabimur textum declarationis de libertate religiosa prudenter et cum debito moderamine perficere, ut et ipse fiat documentum dignum huius Oecumenici Concilii.

In oratione: [1] Hae rationes doctrinales, secundum quosdam Patres, adhuc theologice magis examinari deberent. [2] Iis qui dicunt etiam sub hac formula aliquod gubernium abuti posse respondemus. [3] Hoc est impossibile! [4] eorumque officiis circa libertatem religiosam.

Moderator: Gratias agimus relatori et commissioni. Loquatur nunc secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis XIII:

Praesentes votantes	2.224
Dixerunt *placet*	1.927
non placet	292
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	4

Ergo textus est approbatus. Nunc lego textum suffragationis XV. Videatis pag. 11: [*cf. vol. III, pars I, pag. 402*]. Placet an non placet?

3 – PATRUM ORATIONES

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Concedite mihi ut quaedam illustrare audeam, dum id tantum intendo, ut declaratio, tam opportuna, disceptationi nostrae nunc subiecta, sit expleta et perfecta.

1. Titulus quo declaratio inscribitur: « Libertas religiosa », etsi recte intelligi possit — ut exc.mus relator demonstrare conatus est — timeo ne pluribus male sonet. Etenim cum vera religio sit necessario una, ea non admittit, per se, libertatem contrarietatis vel specificationis, quae proprie dicitur.

Quapropter ne ulla praebeatur occasio ambiguitati, pro praefata inscriptione hanc substituerem: *De libertate profitendi religionem* vel *De libero religionis exercitio* ...[1] eo vel magis quod in textu agitur tantummodo de externa religionis manifestatione.

2. Sine dubio opportunum est a Concilio Oecumenico solemniter confirmari personae humanae dignitatem, utpote a Deo creatae *ad imaginem et similitudinem suam* ...[2] atque pretiosissimo Christi sanguine redemptae; cui dignitati proinde maxime repugnat quaevis iniusta violentia; homo enim intelligentia et voluntate praeditus cum sit, natura sua ipsa liber est. Idcirco Ecclesia catholica, sublimem hanc personae humanae dignitatem, secundum Christi doctrinam et exemplum, plene agnoscens, vim hominibus cuiuscumque stirpis et religionis, religionis causa illatam, semper damnavit.

Iam Tertullianus ignominiam « irreligiositatis » inurebat violentiae religiosae ...[3]: « Humani iuris et naturalis potestatis est — inquit — unicuique, quod putaverit, colere ». « Sed nec religionis est cogere religionem, quae sponte suscipi debeat, non vi »...[4] Et S. Augustinus animose asserit: « Homo credere non potest nisi volens »...[5]

Attamen, gravissimo quaestionis momento perspecto, ad difficultates praecavendas et dissentiones — quantum fieri potest — impediendas, oportet ut vocabula adhibeantur clara et certa.

Quapropter ab initio libertas plane describenda est comparate cum veritate, adeo ut fons libertatis, quae proprie dicitur, appareat *veritas*: quod principium Iesus, unus Magister noster, enuntiavit dicens: « Veritas liberabit vos »...[6] Hoc idem postea S. Paulus explanavit dicens: « Ubi spiritus Domini (scil. Spiritus veritatis ...[7]), ibi libertas »...[8]

Deus enim, qui summa veritas est, sine ullius erroris admixtione, liberrimus est.

Exinde consequitur ut etiam libertas religiosa a veritate seiungi nequeat. Cum autem veritas in omni rerum ordine una sit et indivisa, vera religio non potest esse nisi una, ad quam solam per se ius pertinet libertatis, ius nempe veritatis proprium, quod nulli potestati abolere licet.

Si vero fit transitus ad vitam quam hisce in terris ducimus, innumeris tentationibus obnoxii *cum simus,*[9] saepe peccatis gravati et erroribus obumbrati, ad bono communi humanae consortionis consulendum, utique necessaria est pro omnibus *tolerantia,* patiens et benevola, sicut nos docet divina Providentia quae omnes ad sanctitatem vocat et quod bona sunt praecipit, sed simul multa mala, quae impedire posset, et certe non approbat, tolerat *et*[10] sinit ut eveniant.

Distinctio, quam supra dixi, requiritur omnino ne Concilium Oecumenicum multis hominibus videatur nihil plus, ad religionem quod attinet, expostulare quam observantiam Articuli 18 Declarationis Universalis de hominis iuribus ab O.N.U. approbatae die 10 decembris 1948. Etiam articulus ille libertatem religiosam sancit; ast, dum maximum conatum exprimit, equidem laudabilem, pro populorum diversas religiones profitentium civili concordia, evidenter redolet indifferentismum agnosticum.

3. Porro maxime me sollicitant et angunt quae ad publicae rei moderatores et civiles potestates diriguntur.

Legimus in pag. 32 linn. 9-13: « Publicae rei moderatores ... tenentur ius personae ad libertatem in re religiosa efficaciter tueri ipsumque apte *promovere.* Reipublicae enim proprium est personae iura non tantum agnoscere et observare, sed etiam eorum exercitium *facilius* reddere et impedire quominus hominibus huiusmodi iura exercentibus difficultates ponantur ».

Et paulo inferius linn. 19 ss. invenimus: « Ipsis igitur (nempe cuiusvis religionis asseclis), ius competit ut secundum proprias leges sese regant, Deum *culto publico* honorent, etc. ». Cuius amplissimi iuris exercitium — ut declaratur in pag. 31, linn. 33-34 — « limitari non licet, nisi in quantum *graviter* contradicit fini societatis », nimirum si personae dignitati et iuribus aliorum clare noceat.

Subinde in pag. 33, linn. inde a 17 usque ad 22 legimus: « Manifestum enim est... rem publicam ob ipsam etiam iuridicam sui regiminis configurationem *ineptam esse* ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda ».

Quibus verbis aperte excluditur — ni fallor — rem publicam ha-

bere posse religionem propriam quam, servata pro ceteris religionibus tolerantia, peculiariter foveat ac protegat.

Si huiusmodi principia, universe enuntiata, semper et ubique servanda essent, plures Conventiones a Sancta Sede cum variis nationibus initae, e. g. cum Republica Italica anno 1929, cum Republica Lusitana anno 1940, cum Natione Hispanica anno 1953, et cum Republica Dominicana anno 1954, retractandae essent.

Etenim Sancta Sedes a Reipublicae moderatoribus, quibuscum paciscitur, quandocumque ipsa potest, peculiaria privilegia exigit et obtinet, e. g. ut dies festi Ecclesiae catholicae tamquam festa civilia agnoscantur; clerici et religiosi a servitute militari eximantur; institutio in scholis publicis conformetur praeceptis dogmaticis et moralibus doctrinae catholicae, etc.

Quomodo haec manerent legitima et valida, si omnibus religionibus eadem iura agnoscenda essent? Nonne in primis oporteret abolere solemnem obtestationem a qua Conventiones italica et hispanica, inter alias, initium sumunt, videlicet: « religionem catholicam esse unicam Reipublicae religionem »?...[11]

Puto, venerabiles Patres, mecum vos consensuros ut in re tanti momenti cautissime procedatur.

4. Demum in pag. 30 linn. 25-28 scriptum invenimus: « In annuntianda autem veritate ab omni directa vel indirecta coactione abstinendum est. Ecclesia catholica praecipit ne ullus invitus cogatur ad amplexandam fidem catholicam ».

Fateor mihi persuadere non posse, nostra quoque aetate haberi catholicos qui tam gravem admonitionem mereantur, eo vel magis quod norma contraria ibidem dicitur *traditionalis in Ecclesia.*

Contingere potius solet, pluribus in locis, ut catholici non pauci aut vexationibus aut blanditiis multis ad religionem suam derelinquendam cogantur ne libertate civili priventur aut fame pereant.

Quae cum ita sint, loco simplicis reprobationis quae in pag. 32, linn. 33-37, secundum doctrinam divinam humanamque ponitur, rogo ut aperta et firma *reclamatio* adiciatur quae sit vindicatio iuris communis pro nostra sanctissima religione et simul affirmet plenam nostram consociationem cum omnibus fratribus nostris dilectissimis qui persecutionem passi sunt et adhuc patiuntur propter iustitiam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], p. 299). [2] (*Gen.* 1, 26). [3] (*Apol.* c. 24: *ML* 1, 418). [4] (TERTULLIANUS, *Ad Scapulam,* c. 2: *ML* 41, 699). [5] (*Tract. 26 in Io.* 2: *ML* 34, 1607). [6] (*Io.* 8, 32). [7] (cf. *1 Io.* 4, 6). [8] (*2 Cor.* 3, 17).

[9] deest. [10] seu. [11] (cf. A. MERCATI, *Raccolta di concordati su materie ecclesiastiche tra la S. Sede e le Autorità Civili,* vol. 2, Tipografia Poliglotta Vaticana 1954).

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis XIV:

Praesentes votantes	2.254
Dixerunt *placet*	1.943
non placet	307
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	3

Ergo textus est approbatus. Nunc fit transitus ad suffragationem XVI, pag. 11 [*cf. vol. III, pars I, pag. 402*]. Placetne an non placet?

4

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Schema declarationis prioris *de libertate religiosa, ...*[1] non paucas meretur laudes ob indefessum laborem, ob difficultates exantlatas in redactione, ob conamen acerrimum in obtinendo textu, qui traditioni Ecclesiae simul et iustae rerum renovationi inserviret.

Mea ergo intentio in observationibus sequentibus, esse non potest ut thema de libertate religiosa, a propositis Concilii omnino arceatur; quod, ceteroquin, et temporum angustiis et doctrinae opportunitati certo non responderet.

Sed intentio mea est ut textus propositus melius perpoliatur ut, in re omnium gravissima, Ecclesia catholica mundo prodat « doctrinam integram, non imminutam », ut aiebat Ioannes XXIII.

Ad quod assequendum, sequentes audeo proponere animadversiones:

1. Textus, ex stylo et modo loquendi, redactus esse videtur ut inserviat utique Oecumenismo. Sed, ex alia parte, satis respicere non videtur ad indolem pastoralem fovendam pro universo populo christiano.

Etenim, etsi, ex una parte, multum sollicitum se praebeat in unione, probabiliter fovenda, cum fratribus separatis, nihil tamen fere attendit

ad gravissima fidei et caritatis pericula, certo invehenda, fidelibus catholicis.

Unde ...[2] respondet *utique*[3] spiritui et mentalitati earum regionum, quae olim vocabantur « protestantes », sed omnino oblivioni mandat spiritum et mentalitatem regionum et nationum, quorum longe maior pars est catholica.

2. Textus propositus, rem difficilem aggressus, etsi quoad doctrinam recte procedere videatur, nihilominus eius loquendi modus non semel obscuritate laborat, ambiguitate afficitur, ansam facilem praebet multis et gravibus aequivocationibus ...[4]. Nec sufficit, in re adeo gravi, ut « mens », seu intentio huius declarationis de libertate religiosa, explicetur, sive in relatione, sive in notis. Sed omnino requiritur ut textus ipse semetipsum offerat ita, ut, non tantum recte intelligi ab omnibus possit, sed etiam ut alio modo intellegi unquam ab aliquo possit.

3. Textus propositus laudabili conatu ad nostra tempora argumentum accommodare intendit. At forsitan ad elementum *novitatis,* potius quam ad elementum *traditionale* attentus fuit. Unde, de facto, aequilibrium inter continuitatem et progressum minime servare dicendus est. Saltus enim nimis repentinus, et abruptus, et periculis plenus, certo fit.

Ex his autem tribus, alia ...[5] vitia minora procedunt, quorum principaliora sunt:

1) Mentem et spiritum, de facto, manifestat excessive individualisticam et subiectivisticam...[6]

2) Haec autem omnia, *revolutionem,* non paulatinam evolutionem in rebus gravissimis, foveret in Ecclesia, ut recte *desiderabat*[7] Pius Papa XII, loquendo de apta educatione libertatis in Ecclesia...[8]

Conceptus etenim libertatis religiosae *in eo propositus*[9] ita exponitur ...[10] ut ...[11] admisso effrenata licentia timenda sit.

3) At non solum: hic conceptus libertatis magnis deinde extollitur laudibus, immo quasi sollemniter definitus apparet. Ita autem liberalismum, toties olim ab Ecclesia damnatum, nunc sollemniter a Concilio Vaticano II approbatum, diceres...[12]

4) Praeterquam quod ipsa etiam libertas religiosa pluries videtur confundi et aequirari cum « libertate conscientiae ». Atque ita, transitus fit illegitimus ex ordine interno, individuali et subiectivo ad ordinem externum, socialem et obiectivum. Et quod adhuc peius est, ex conscientia, etsi invincibiliter erronea, subiectiva, fit transitus ad normam obiectivam, falso stabiliendam.

Haec sunt, venerabiles Patres, quae *humillime*[13] sed graviter animadvertenda duxi in hoc textu nuperrime proposito.

Peto ergo ut textus propositus iterum revisioni mandetur, novis adiectis forsitan peritis actuali commissioni. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] iam tertio refectum. [2] certe. [3] deest. [4] et sophismis. [5] etiam. [6] immo existentialisticam. [7] aiebat. [8] (*La Famiglia, A.A.S.,* 44 [1952], pp. 270-278). [9] deest. [10] in textu. [11] eo. [12] Non ita processit IOANNES XXIII in *Pacem in terris,* in qua non tantum « iura » sed etiam « officia » simul in unum coniunguntur. [13] humiliter.

5

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Mihi, sicut et pluribus episcopis canadensibus, quorum nomine loquor, schema *de libertate religiosa* in genere valde placet. Personae et coetuum iura in re religiosa proclamanda, ille textus urgentibus necessitatibus optime correspondet.

Etenim, diversas ob rationes, peropportuna videtur declaratio *de libertate religiosa.* Nam dubia solvat quae apud multos vigent de recta doctrina Ecclesiae in hac materia; expectationem adimplet illorum omnium qui, etiam diebus nostris, persecutionem vel iniustitiam vel praeiudicium patiuntur ob fidem suam religiosam; conditiones praebet dialogi oecumenici et dialogi cum aliis religionibus.

Praeterea, laudandus est textus propter prudentiam suam. Schema enim, doctrinam proponens, attente curat de necessariis distinctionibus, caute monet contra relativismum et indifferentismum religiosum, firmiter memorat officium veritatem praedicandi, tandem sapienter et magna cum cura limites indicat libertatis religiosae.

Si ergo aliquas observationes facimus de subiecto et de ipso fundamento libertatis religiosae, omnino clarum esse debet nos plene adhaerere spiritui et substantiae huius textus. Observationes nostrae ad hoc solummodo tendunt, ut schema doctrinam melius exprimat.

1. *De subiecto libertatis religiosae.* Libertas religiosa ita describi debet ut valeat tum pro christianis, tum pro credentibus non-christianis, tum pro non credentibus. Intentio enim schematis est *omnium hominum* declarare libertatem in re religiosa.

Schema autem in loco praecipuo ubi libertatem religiosam declarat

(i. e. in art. 26), expresse non affirmat nisi libertatem religiosam credentium. Etenim, lin. 10 illius articuli, dicitur: vi libertatis religiosae « homines religionem suam privatim et publice exercere valent ». Oporteret autem etiam affirmare in illo articulo libertatem illorum qui explicitam religionem non profitentur.

2. *De fundamento libertatis religiosae.* Fundamentum in quo libertas religiosa reponitur ita formulari debet, ut ab omnibus hominibus, non credentibus sicut et credentibus, intelligi et agnosci possit. Volumus enim assensum circa declarationem Concilii provocare non tantummodo credentium sed omnium hominum bonae voluntatis.

Nunc autem, si textum schematis inspicimus, videmus fundamentum libertatis religiosae bis exponi: nempe, in art. 26, ubi libertas religiosa arguitur ex officio sequendi voluntatem Dei; in art. 29, ubi arguitur ex vocatione divina hominis. Sane haec argumenta quae sponte et facile intelliguntur et accipiuntur a credentibus, a non credentibus autem admitti non possunt, cum agnitionem Dei praesupponunt.

Itaque opportunum mihi videtur addere aliud fundamentum ad illud quod iam in schemate exprimitur, ita ut omnes homines bonae voluntatis declarationi Concilii assentire possint.

Propono ergo ut in textu schematis libertas religiosa etiam fundetur super hoc quod illa libertas est altissima et sacrosancta vindicatio hominis in campo exercitii rationis suae. Etenim, pro credenti, fides sua religiosa est universarum rerum suprema explicatio qua omnia suum sensum recipiunt, est conversatio dulcissima et pretiosissima cum sit conversatio cum ipso Ente infinito, est suprema beatitudo ad quam tendit, est culmen tandem totius vitae suae humanae.

Si tali modo exponitur fundamentum libertatis religiosae, tunc omnibus apparebit actiones contra aspirationes religiosas hominis esse actiones contra ipsum hominem rationemque eius. Tunc etiam fundamentum proponetur quod ab omnibus intelligetur, assensumque omnium hominum bonae voluntatis rapere poterit. Dixi.

[*Consensum dederunt*] Exc.mi PP. DD. Bélanger Valérien, Decosse Aimé, Leblanc Camille, Levesque Louis, Morin Laurent, Baudoux Maurice, Blais Léo, Hacault Antoine, Allen F. V., Berry J. Gerald, Carter Alexander, Carter G. Emmett, Flahiff George B., Gallagher Norman, Jennings E. Q., Johnson Martin M., Klein F. J., MacEachern M. A., McCarthy T. J., Marrocco F. A., O'Neill Michael C., Pocock Philip F., Webster B. I., Windle J. Raymond, De Roo Remi J., Doyle W. E., Power William E., Martin Albertus, Douville Arthur, Jette Edouard, Coderre Gérard-Marie, Caza Percival, Frenette Emilien, Landriault J., Brodeur R., Tessier M., Desrochers B., Charbonneau Paul-Emile, Couturier Gérard, Lacroix Marc, Scheffer Lionel, Leguerrier Jules, Dumouchel Paul, Bonhomme Joseph, Sanschagrin Albert, Routier Henri.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis XV:

Praesentes votantes	2.251
Dixerunt *placet*	2.096
non placet	152
Suffragia nulla	3

Textus placuit. Et nunc lego textum suffragationis XVII, qui ita sonat: [*cf. vol. III, pars I, pag. 402*]. Placetne an non placet?

6

EM.MUS P. D. RICHARDUS IACOBUS CARD. CUSHING
Archiepiscopus Bostoniensis

Venerabiles Fratres, Observatores amatissimi,

Declaratio *de libertate religiosa* placet in genere. Dicendo hoc, loquor non tantum proprio meo nomine, sed etiam nomine fere omnium episcoporum in Statibus Foederatis Americae.

Pergratum nobis est, quod tandem aliquando habebitur in hac aula discussio plena atque libera de hac quaestione. Est enim his nostris temporibus quaestio practica maioris momenti, tum pro vita Ecclesiae tum pro vita sociali et civili. Est etiam quaestio doctrinalis. Nam de facto, doctrina Ecclesiae de libertate religiosa in societate civili hodierna nondum clare et sine ambiguitate declarata est.

Haec autem clara declaratio debetur toti mundo, et catholico et non-catholico, qui eam expectat. Ergo, faciendo hanc declarationem, hoc Concilium Oecumenicum manifestabit (ut utar verbis famosis in nostra historia americana) "a decent respect to the opinion of mankind".

Ut dixit exc.mus relator, textus declarationis eget emendatione in hoc vel illo loco. Valde tamen optandum est, ut emendationes fiant ita ut declaratio evadat fortior in suo sensu, et non debilior. Nam substantia doctrinae, prout iacet, est vera et solida. Est etiam nostris temporibus apte accommodata. Ergo, declaratio debet manere intacta quoad sensum suum essentialem.

Una res est summi momenti. Per hanc declarationem, Ecclesia catholica debet sese exhibere toti mundo hodierno tamquam protagonistam libertatis et humanae et civilis, nominatim in re religiosa.

Ex una parte, haec tota quaestio de libertate religiosa est quodammodo complicata. Ex altera tamen parte, ut mihi videtur, est quaestio satis simplex. Tota materia potest reduci ad duas propositiones.

1. Per totam suam historiam, Ecclesia catholica vindicavit sibi libertatem in societate civili et coram potestatibus publicis. Pugnavit nempe pro libertate Summi Pontificis et episcoporum in docendo et regendo populum Dei. Pugnavit etiam pro libertate ipsius populi Dei, qui ius habet ad vivendum in societate civili secundum dictamina conscientiae christianae, nulla re impediente. Prima, ergo, propositio continetur in formula traditionali: « Libertas Ecclesiae ».

2. Altera propositio est haec: eamdem libertatem illam in societate civili, quam Ecclesia semper vindicavit sibi suisque membris, hac nostra aetate etiam vindicat aliis ecclesiis earumque membris, immo omni personae humanae.

Quasdam rationes pro hac altera propositione breviter propono. Desumuntur ex Litteris Encyclicis *Pacem in terris,* Ioannis Papae XXIII, beatissimae memoriae. Dixit enim Papa Ioannes, quod omnis bene ordinata societas nititur in veritate, in iustitia, in amore, in libertate.

Nunc autem, primo, aequalis et universalis libertas religiosa *postulatur* [1] ab illa *veritate fundamentali,* secundum quam omnes homines sunt aequalis dignitatis, in quantum omnes sunt personae humanae, aequaliter ornatae iisdem iuribus humanis, inter quae Papa Ioannes collocat ius ad libertatem religiosam.

Secundo, libertas religiosa postulatur a *iustitia.* Exigit enim iustitia, ut omnes cives aequaliter gaudeant iisdem iuribus civilibus, quae hac nostra aetate agnoscuntur ut necessaria ad debitam dignitatem civilem. Inter haec iura primum est ius ad libertatem religiosam.

Tertio, libertas religiosa postulatur ab *amore.* Nihil enim est quod magis violenter disrumpit unitatem et amicitiam civilem quam coercitio vel discriminatio, sive legalis sive extra-legalis, propter rationes religiosas.

Quarto, libertas religiosa postulatur ab ipso principio *libertatis civilis.* Dixit enim Lord Acton, loquendo secundum traditionem civilizationis christianae: "Freedom is the highest political end". Iamvero, tamquam finis supremus politicus, libertas civilis est etiam medium necessarium ad altiores fines personae humanae prosequendos. Haec est mens Papae Ioannis. In particulari, libertas religiosa seu immunitas ab omni coactione in re religiosa, est medium necessarium ad hoc, ut homo, modo humano et a Deo volito, quaerat Deum, eumque inveniat, eique serviat.

Alia et multa sunt argumenta pro validitate iuris humani et civilis ad libertatem religiosam; aliquae continentur in hac declaratione, modo qui, ut dixi, in genere placet. Ergo, hanc declarationem laudo atque approbo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] postulata.

Secretarius generalis: Communico Patribus exitum suffragationis XVI:

Inter 2.245 Patres, dixerunt

placet	2.114
non placet	127
Suffragia nulla	4

Ergo textus approbatus est. Nunc lego textum suffragationis XVIII, quae est ultima. Sed rogantur episcopi et Patres ad sua loca redire: [*cf. vol. III, pars I, pp. 402-403*]. Placetne an non placet?

7

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

Venerabiles Patres,

Textus declarationis *de libertate religiosa,* quem nunc nobis disceptandum offert secretariatus ad unionem christianorum fovendam, veram quidem et utilissimam doctrinam in via pastorali exprimit; ast, prout clarissimus relator fatetur, praesens redactio, quae sine dubio valde perfectior est quam prior, de quo etiam gratias benemeretur secretariatus, adhuc in multis est perficienda. Accuratiori, ut mihi videtur, praecisione opus est ne ansa praebeatur ut doctrina perperam intelligatur, aut nonnullae affirmationes plus aequo protendantur unde errores aut damna oriri possint.

1. Censeo, cum relatore, quod n. 25 deleri debet; iam ei hic non est locus, nec ad illationem cum schemate *de Oecumenismo,* nec ad definiendum obiectum declarationis; non enim agitur de instaurandis pacato animo relationibus inter christianos, sed de negotio valde latiore et profundiore, nempe de proclamando coram omnibus gentibus postulatu illo dignitatis personae humanae, quam Ecclesia et omnes cordati et civiles homines proclamare ac tueri hodie urgentur. Aliunde, libertas religiosa est prima et fundamentalis conditio ut Ecclesia missionem a Christo acceptam annuntiandi Evangelium omni creaturae adimplere possit. Quae conditio adhuc hodie, proh dolor, non datur apud plures nationes.

Loco illius numeri opus esset sollemniori aliqua declaratione qua Ecclesia, ad omnes gentes versa, *religionem profitendi* [1] libertatem pro omnibus omnino hominibus proclamaret, duplici ex capite, nempe: ratione vocationis hominum ad consortium divinae naturae in Christo

obtinendum, et ratione naturalis exigentiae dignitatis personae humanae, in re personalissima et transcendentali, de qua nec societas humana nec alii homines disponere valent absque destructione ipsius personae.

2. *Agitur de libertate iuridica coram aliis in societate, non de libertate morali coram Deo aut de libertate psychologica, ut patet. Iamvero, haec libertas iuridica dignoscenda est e ratione relationis individui ad societatem; sed etiam habenda est ratio veritatis obiectivae. Jamvero,*[2] duplex, ut mihi videtur, aequivocatio totum *nostrum*[3] textum pervadit, nempe:

a) Transitus fit e plano doctrinali ad planum politicum; unde nonnullae affirmationes, quae iuxta prudentiam politicam, sive ipsius Ecclesiae (ut efficacius tueatur suam libertatem) sive societatis civilis (ut ordinata et pacifica conviventia exsistat) verae sunt; non tamen ut universaliter validae, spectata doctrina, sustineri possunt. Et exinde praecise mutuanda est ratio diversitatis inter hodiernam considerationem libertatis religiosae, et eam quam anteactis temporibus Magisterium Ecclesiae exprimebat. Principia nempe eadem vigent; applicationes vero principiorum hodie aliter, mutatis circumstantiis, ordinandae sunt.

Sola catholica Ecclesia a Christo mandatum accepit docendi omnes gentes, easque Christo incorporare. Haec est, per se, unica via ad Deum ultimum finem nostrum attingendum; obiective nulla alia religiosa doctrina est quae iure gaudeat sese annuntiandi et propagandi, quod esset contra Christi nuntium salutis.

Equidem, aliunde, nempe ex politica exigentia, ratione respectus debiti ad personae dignitatem, libertas aliis religionibus ut plurimum concedenda est. Ast semper, ut optime dicitur in declaratione (n. 28, lin. 24) « error reiiciendus est ». Immo, si sit aliis damnosus, et salva libertate errantis quoad alia sua iura, coercendus pro posse, nisi maiora inde mala eveniant.

b) Transitus fit etiam e plano individuali ad planum socialem. Certissima sunt ea omnia quae in declaratione habentur, neminem ullo modo cogendum ad amplexandam fidem; nullo modo impediendum aut damno afficiendum si sequi velit dictamen propriae conscientiae, licet erroneae. Haec in sphaera individuali, aut etiam privata quae gravi repercussione sociali careat, vera sunt.

Ast quando dicitur, in n. 26, lin. 10, « homines religionem suam privatim et publice exercentes nulla coactione ab ea exercenda prohiberi posse » videtur modum excedere et nimis absolute loqui. Omnis enim libertas, non tantum religiosa, si in sphaera sociali exercetur limi-

tationibus obnoxia est, illis nempe quas iura et libertates aliorum exigant ut ordinata et pacifica conviventia omnium servari possit.

Si quis erronea conscientia ductus errores velit spargere aut mores exercere perversos, aut dissonantes ab iis normis honestis quae in societate communiter servantur; adhuc magis si haec ratio exercendi religionem aliis rationabiliter offendiculo aut periculo sit pro sua vita religiosa et morali, patet quod ceteri nullo modo tenentur consequentias pati erroris aut pravae actionis, et sese defendere possunt immo et exigere ut publica auctoritas sua iura sancte custodiat.

Ius annuntiandi religionem valet erga eos qui libere audire acceptant; non vero contra eos qui hoc nuntium audire nolunt, aut non debent, aut sufficienti libertate carent ad audiendum (ut puta minores natu, si parentes obsistant).

Iamvero, propagatio ope hodiernorum instrumentorum communicationis socialis, talis est quae ad omnes, velint, nolint, pertingit, et libertatem ipsam psychologicam afficit, eam fortiter alliciendo et premendo; cogita modernas propagandas commerciales. Si ergo sint qui propagationem falsae religionis aut moralis acceptare nolunt aut non debent, quia ipsis periculo aut *offensione*[4] rationabiliter est, abs dubio ius habent exigendi ne talis publica propagatio fiat. Optime dicit relatio, n. 29 ad finem, quod Reipublicae proprium est personae iura agnoscere, etc., quod intelligendum est non tantum de iis, qui falsam religionem profitentur, sed etiam, a fortiori, de iis qui Christi veritatem servare volunt.

Ratio prudentiae politicae erit si publica auctoritas, ratione habita condicionum socialium, sive in natione sive in mundo, plus minusve aestimet cuique coetui religioso hac in re *concedere*[5] ut iura et libertates omnium pro posse serventur et pacifica et ordinata civium conviventia existat. Quod quidem concordi animo cum religiosis auctoritatibus faciendum est, et omni pro posse conatu adhibito ut status socialis eo deveniat quousque omnes amplissima hac in re libertate gaudeant. Hoc ita faciet, non quod directe ei competat de moderandis relationibus civium cum Creatore ac Salvatore, sed indirecte, quatenus ei competit iura et libertates omnium tueri ut ordinate et pacifice convivere possint; quod quidem est prima necessaria condicio *illius*[6] « finis socialis » de quo in pag. 31, lin. 34 *et*[7] ex quo dimetiendae sunt limitationes libertatis. De cetero, libenter assentio huic famosae declarationi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] religiosam. [2] deest. [3] deest. [4] offendiculo. [5] concedendum. [6] deest. [7] deest.

8

EM.MUS P. D. ALBERTUS GREGORIUS CARD. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Fratres,

Relatio *etiam mea* [1] datur non tantum nomine meo sed etiam nomine fere omnium episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis.

Declaratio proposita *de libertate religiosa* ut tota accipienda videtur utpote quae reaffirmat doctrinam recentiorum Pontificum et imprimis Ioannis XXIII, felicis recordationis, in litteris encyclicis *Pacem in terris,* qui clarificaverunt et promoverunt traditionalem Ecclesiae de hac re doctrinam.

Haec declaratio videtur esse admodum necessaria his temporibus propter has rationes:

1. Homines nostri temporis desiderant ab Ecclesia ut potius promoveat quam caveat libertatem religiosam. Idque desideratur propter communem quamdam experientiam, qua, una ex parte, viderunt persecutiones religiosas ubicumque omnipotentia rei publicae vigebat, altera ex parte, viderunt religionem florentem in regionibus ubi pacifica coexistentia variorum coetuum religiosorum permittitur.

2. Affirmando innatam libertatem personae humanae in re religiosa, Ecclesia monstrabit guberniis mundi quomodo in hac re delicata agendum sit.

3. Affirmando libertatem religiosam, Ecclesia fideles suos admonebit veram religionem essentialiter consistere non tam in externa adhaesione religioni praestita quam etiam et praecipue in conscia, libera et generosa subiectione hominis sub voluntate Creatoris sui.

4. Haec affirmatio libertatis religiosae haud parvi momenti erit etiam pro apostolatu Ecclesiae quia ita omnes edocentur homines in libera competitione religionum ad veritatem adduci non posse neque coercitione, neque missionariorum conatibus mediocribus, neque considerationibus quae rem non tangunt, sed sola plenitudine veritatis, et sinceritate caritatis, quam homines ex missionariorum verbis et vita persentiunt.

5. Tandem haec affirmatio libertatis religiosae essentialis est pro foecundo dialogo cum acatholicis. Etenim nisi fratribus separatis omnino constat nos sincere agnoscere eorum libertatem, dignitatem personalem, profundas persuasiones religiosas — illam, dico, eamdem liber-

tatem, eamdem dignitatem personalem, easdem profundas persuasiones religiosas, quam omnes ...[2] nobismetipsis vindicamus — omnes nostri conatus agendi cum eis iure merito in suspicione erunt. Patet autem hunc quoque textum quoad modum dicendi hinc inde meliorari posse; *et maior*[3] retractatio textus tribus, *ut mihi videtur,*[4] in locis desideranda videtur.

1. In pag. 29, n. 26, linn. 8-9 propono ut verba textus « voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur » mutentur in *haec verba*[5]: « voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa quaerant et, in quantum cognitam, sequantur ». Hae sunt rationes *huius emendationis*[6]:

a) Textus, sicut stat, in lin. 9 sequenti, ius omnium hominum in libertatem religiosam derivat ab universali officio hominum faciendi voluntatem Creatoris in re religiosa secundum dictamen conscientiae. Si qui igitur, propter erroneam conscientiam, voluntatem veram Dei non sequuntur, verba textus insinuare videntur eos non habere ius agendi secundum suas persuasiones religiosas. Ita autem conclusio in textu nostro praesenti latius patere potuerit quam praemissae.

b) Secunda ratio. Emendatio proposita ampliat praemissam, habendo rationem duorum quae in fundando universali iure ad religiosam libertatem consideranda sunt, scil. una ex parte naturale officium omnium colendi Deum, et altera ex parte possibilitas hoc praestandi modo vero et pleno, id quod fieri non potest sine dono fidei christianae.

2. *Secunda emendatio proposita*[7]: ad pag. 31, linn. 38-40. Haec sectio mihi videtur patere gravi abusui. Relinquit enim discretioni gubernatorum civilium ut determinent utrum abusus libertatis religiosae locum habuerit et quomodo talis abusus coercendus sit. Ea quae experti sumus de modo subiectivo quo gubernatores civiles in his rebus procedunt ad summam prudentiam nos monere debent. Ideo hoc Concilium appellet oportet nationes mundi ut in hac delicata re, ubi nondum factum fuerit, leges ferant quae conveniant cum principiis stabilitatis in linn. 29-37 huius declarationis.

3. *Tertia emendatio proposita*[8]: quod attinet ad sectionem a pag. 32, lin. 14, ad pag. 33, lin. 3, *mihi videtur,*[9] rerum ordo melius disponi posse videtur. Sectio in textu proposito est sequens:

a) Primo loco ponitur fundamentum cui libertas religiosa coetuum innititur.

b) Tunc ipsum ius enuntiatur.

c) Deinde corollaria dantur quorum primum Ecclesiam catholicam spectans diffuse et cum speciali solemnitate exhibetur. Tandem post paragraphum « His perpensis » ...[10] sequitur approbatio qualifi-

cata iurium ecclesiarum acatholicarum. Haec ratio disponendi rem poterit confirmare suspicionem acatholicorum catholicos loquentes de libertate religiosa defendere solummodo sua iura in hac re.

Iamvero, hoc facile evitari potest inserendo ante corollaria de Ecclesia catholica et aliis coetibus religiosis id quod statuitur in pag. 32, linn. 33-37, ubi vindicantur iura omnis generis associationum religiosarum, christianarum et non-christianarum, sub qualibet forma regiminis, exsequendi missiones suas prout ab eis concipiuntur.

Liceat in fine iterum efferre maximum huius documenti momentum. Fere dixerim: si Concilium Vaticanum II hanc declarationem non fecerit suam, haud pauca alia quae speramus ex hoc Concilio ventura, ab hominibus nostrae aetatis non accipientur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] haec. [2] nos. [3] Maior autem. [4] deest [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] (de qua statim).

9

Em.mus P. D. IOSEPH ELMAR card. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

Duo sunt in schemate declarationis *de libertate religiosa,* ut mihi videtur, quae considerationem diligentem et accuratam requirunt: primum, ipsa libertas cuius declarantur exsistentia et extensio; secundum, rationes et argumentationes super quas eadem declaratio fundatur. Etiamsi haec duo in documento intime coniunguntur, separabilia sunt et, meo humili iudicio, considerationibus distinctis digna sunt.

Libertas religiosa, qualis et quanta in schemate declaratur, ius nativum est omnis hominis super naturam humanam fundatum. Haec est veritas certa et, ut mihi videtur, ab omnibus admittenda. Deus enim, in ipso libertatis humanae dono, omnibus hominibus concedit quandam immunitatem a coercitione humana non solum in re religiosa sed etiam in omnibus vitae rebus. Nemo potestatem moralem habet alios sive coercendi ad agendum sive prohibendi ab agendo, nisi et in quantum bonum societatis commune requirit: nulla enim datur auctoritas nisi ad bonum commune promovendum. Proinde libertas religiosa, qualis et quanta in schemate describitur, non est quid speciale vel transcendens, sed potius aspectus seu pars, ipsius libertatis humanae.

Aliter tamen dicendum est de rationibus et argumentationibus su-

per quas declaratio in schemate fundatur. Nec simplicitatem, nec claritatem, nec certitudinem habent ipsius declarationis. Multo melius esset declarationem restringere ad simplicem affirmationem et advocationem libertatis religiosae, omittendo omnem argumentationem. Et hoc propter sequentes inter multas rationes:

Prima ratio: ipsa declarationis natura, cuius non est demonstrare vel probare, sed proponere et simpliciter declarare.

Secunda ratio: documentum simplicius et brevius, siquidem magis ad rem, maiores et meliores effectus haberet.

Tertia ratio et maioris momenti: rationes et argumentationes, quales in schemate inveniuntur, controversias et disputationes interminabiles invitant. Timendum est ne longe et late disceptabitur potius de accidentalibus quam de substantia; ne Patres, reiiciendo rationes, ipsam declarationem ultimo reprobent.

Venerabiles Patres! ...[1] Ipsa libertatis declaratio valida est et certa, etiamsi rationes sunt infirmae vel et etiam invalidae. Ipsam declarationis substantiam et accidentales eius separatim et secundum uniuscuiusque merita consideremus. Urgeo ut em.mi moderatores, in quantum sit possibile, haec duo elementa separent ad suffragationem.

Interea, schema mihi *placet iuxta modum*. Et modus est: primo, ut removeatur a schemate omne quod argumentationem sapit; secundo, ut schema libertatem religiosam, qualis iam continetur, simpliciter declaret, advocet, et etiam, si opportunum videtur, praecipiat, ut ius nativum omnis hominis qui venit in hunc mundum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Caveamus ne cum aqua sordida etiam infantem lavatum proiiciamus!

10

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Venerabiles Fratres,

Loquor nomine 58 Patrum ex America Latina. Textus nobis placet. Aliquas tamen emendationes scriptis trademus.

Mentem nostram circa declarationem *de libertate religiosa* triplici instantia pandimus: primo: cur declaratio in genere placeat; secundo: cur ipsa sit maximi momenti; tertio: cur nostra, qui sumus pastores, tantum intersit.

1. *Rationes praecipuae quibus textum approbamus.* Declarationis pretium est quod non sit caput alicuius schematis, sed appareat ut proclamatio « independens », oblata omnibus hominibus.

Bene origo libertatis religiosae in vocatione et conscientia personae reponitur, dum claris verbis dicitur hominem hac libertate non fieri independentem a Deo, ita ut omnino vitetur periculum subiectivismi et indifferentismi.

Optime ostenditur cur in praesenti condicione Societatis humanae observatio libertatis religiosae specialiter urgenda sit, et cur talis libertas agnoscatur non solum singulis, sed etiam coetibus religiosis, intra fines a Deo societati datos.

Plene approbamus quod dicitur de incompetentia civilium potestatum, qua talium, ad determinandas relationes civium cum Creatore ac Salvatore. Talis affirmatio roborat ius libertatis Ecclesiae in illis regionibus ubi hodie haec libertas revera dolorose conculcatur a Statu.

Placet, denique, quod in notulis ad textum appositis sufficienter indicetur doctrinam propositam vere esse traditionalem in Ecclesia, utique ut terminum hodiernum longioris evolutionis homogeneae, tum in doctrina de dignitate personae humanae, tum sollicitudine pastorali nostris temporibus analogice aptata.

2. *Peculiare momentum istius declarationis.* Proclamatio conciliaris de libertate religiosa nobis videtur summi momenti, non solum pro christianis sed etiam pro omnibus hominibus, sive in universo mundo sive speciatim in America Latina.

In universo mundo censemus eam summopere conferre ad dissipandas opiniones de opportunismo apud catholicos, quasi ipsi duplex habeant principium religiosae libertatis secundum suam conditionem maioritatis vel minoritatis in civili societate.

In nostra aetate « pluralistica » ista declaratio optime merebit de Ecclesia prout est « lux gentium ».

Hoc anno in ipsa N.U., seu in Nationibus Unitis, confectum est documentum aliquod, constans ex prooemio et quattuordecim articulis, circa principia libertatis religiosae; istud documentum, quod exprimit opinionem publicam hominum nostrae aetatis, praecise affirmat hanc libertatem esse unum ex propositis intentis ab actuali societate democratica ob recognitam dignitatem personae humanae et ob admissam incompetentiam civilium potestatum in discriminatione veritatis religiosae sive singulorum sive coetuum.

In America Latina, nostro humili iudicio, haec declaratio specialis est momenti pro ipsa evangelizatione. Populi latino-americani, ob modernas evolutiones circa personam et bonum commune et ob peculiares

difficultates exortas pro eorum fide traditionali, egent revera veluti nova christianizatione. Typus novi hominis, de quo locutus est in hac aula em.mus card. Léger, exigit specialiter apud nos aptatam methodum evangelizationis quae melius consideret evolutionem personae in societate democratica.

Concives nostri expectant hanc declarationem conciliarem. Antequam incipiatur apud nos efficax actio oecumenica inter fratres christianos, immo, antequam de vera renovatione structurarum civilium christiane alloquamur tot concives laicistas, opus omnino est ut perspicue certiores reddantur de nostra sincera agnitione ac defensione huius fundamentalis libertatis.

3. *Aliqua consectaria pastoralia.* Declaratio de libertate religiosa urgebit nos ad puriorem actionem apostolicam secundum authenticitatem testimonii resurrectionis Christi, melius distinguentes inter veram activitatem pastoralem et simplicem proselytismum, secundum affirmationem schematis (in pag. 32, linn. 39-40): « vitato tamen *proselytismo* quippe qui mediis impropriis et inhonestis utitur ».

Omnis christianus fert revera in seipso totam missionem Ecclesiae et debet testimonium perhibere de Christo tam actionibus quam verbis.

Nunc autem: proselytismus est quaedam corruptio istius testimonii; magis quam conversionem personae ad Christum, appetit augmentum alicuius institutionis religiosae, non refugiendo a suggestione, a sollicitatione, ab intimidatione, a pressura physica et morali, ab utilitate materiali, etc.; magis quam adventum Regni Dei, proselytismus quaerit triumphum alicuius communitatis christianae potius « socialiter » quam « mysterice » consideratae; « qualitas » conversionis ad Fidem, minus eius interest quam « quantitas » profitentium aliquam confessionem.

Nos hic minime iudicare intendimus methodum evangelizationis epocarum praeteritarum: tantummodo loquimur de necessitatibus istius nostrae evolutae aetatis. Neque per condemnationem proselytismi excludere intendimus activitatem prorsus educatricem, quae revera supplere debet defectus maturationis personae in multis casibus.

In nostris igitur nationibus specialiter indigemus clara declaratione extollenti libertatem religiosam et perspicue distinguenti inter evangelizationem et proselytismum.

Aliqui etenim, proh dolor, tum e communitatibus christianis noncatholicis, tum e nostris communitatibus catholicis, interdum proselytistice adlaborant.

Ecclesia catholica in nostris regionibus erat, de facto et in genere, societas iam organice stabilita et, ut ita dicam, in statu « possessionis ». Nunc autem actio dynamica aliquorum Protestantium, inde a dimidio

saeculi elapsi ac praesertim in istis novissimis triginta annis, atque insuper conditio ideologica et religiosa « Pluralismi », maxime perturbat situationem sic dictae « possessionis » nostrae Ecclesiae.

In tali crisi facile oriri potest proselytismus.

Haec autem conciliaris declaratio permultum conferet ad hoc vitandum et ad meliorem actionem pastoralem instaurandam.

Venerabiles Fratres! Ob rationes expositas humilis sententia nostra est quod si Ecclesia potest hoc verbum libertatis proclamare, ipsum proclamet hodie necesse est! Dixi.

[*Adhaeserunt etiam*] *Ex Argentina*: Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori, Hieronymus Podestá, ep. Avellaneden., Antonius Quarracino, ep. Novem Iulii, Henricus Rau, ep. Platen., Georgius Kemerer, ep. Posaden., Vincentius Zaspe, ep. Rafaelen., Eduardus Pironio, ep. tit. Cesirien., Henricus Angelleli, ep. tit. Listrien., Albertus Devoto, ep. Goyanen.; *ex Brasilia*: Helder Camara, arch. de Olinda et Recife, Ioseph Tavora, arch. de Aracajú, Albertus Ramos, arch. Belemen., Candidus Padin, ep. tit. Tremithusiae, Bernardus I. Miele, ep. tit. Bararit., David Piçao, ep. tit. de Tois, Ioseph Thurler, ep. tit. Capitolien., Octavius Aguiar, ep. Palmiriensis Indorum, Ioseph de Medeiros Delgado, arch. Fortalezien., Walfridus Teixeira, ep. tit. Laranden., Ioseph Lamartine, ep. tit. Fussalen., Fernandus Gomes, arch. Goianien., Avelar Brandao, arch. Theresinien., Iacobus Coelho, ep. Maringaen., Edmundus Kunz, ep. tit. Ptolemaiden. in Fenicia, Severinus de Aguiar, ep. Pesqueiren.; *ex Bolivia*: Armandus Gutierrez, ep. aux. Pacen., Georgius Manrique, ep. Oruren.; *ex Aequatoria*: Leonidas Proaño, ep. Riobamben., Candidus Rada, ep. Guaranden., Victor Garaygordobil, prael. null. de los Rios; *ex Chilia*: Albertus Rencoret, arch. Portus Montt, Aemilius Tagle, arch.-ep. Vallisparadisi, Ioseph C. Valle, ep. aux. Iquiquen., Alexander Duran, ep. Ancudien., Bernardinus Piñera, ep. Temucen., Aloysius Yáñez, ep. S. Mariae Angelorum, Franciscus Valdés, ep. Osornen., Bernardus Cazzaro, ep. tit. Pirgen., vic. ap. Aysen., Alexander Menchaca, ep. tit. Pinaren., Augustus Salinas, ep. Linaren., Radulfus Silva, ep. aux. Rancaguen., Franciscus Valenzuela, ep. Antofagasten., Ioseph Emm. Santos, ep. Valdivien., Gulielmus C. Hartl, ep. tit. Estratonicen., vic. ap. de Araucania, Franciscus Fresno, ep. Copiapen., Helladius Vicuña, ep. Chillanen., Raimundus Salas, prael. null. Aricen.; *ex Colombia*: Raphael Sarmiento, ep. Ocanen.; *ex Mexico*: Sergius Méndez, ep. Cuernavacen., Fernandus Romo, ep. Torreonen., Ernestus Corripio, ep. Tampicen., Iesus C. Alba Palacios, ep. Tehuantepecen., Emmanuel Talamás, ep. Civitatis Juaren.; *ex Paraguay*: Raimundus Bogarin, ep. S. Ioannis a Missionibus; *ex Uruguay*: Alafridus Viola, ep. Salten., Robertus Cáceres, ep. Melen., Henricus Cabrera, ep. de Mercedes, Marcellus Mendiharat, ep. coad. Salten.; *ex Venezuela*: Ioannes Bernal, arch. Civitatis Bolivarien., Ioseph Pulido, arch. tit. Cirren., coad. Emeriten.

Textus additus:

Ex obiectionibus allatis in Aula conciliari contra declarationem *de libertate religiosa,* multae sequenti principio innituntur: « Veritas habet omnia iura; error autem nullum ius habet ». Ex hoc principio faciliter transitus fit ad affirmandum

solam religionem catholicam gaudere iure libertatis religiosae, aliis autem religionibus ad maximum toleratis iuxta principium minoris mali.

Problema vero sic enuntiatum false proponitur, ut videri potest ex argumentis sequentibus:

1. Error absolutus et totalis non existit. In omni religione adest aliqua particula veritatis. Ex hoc capite ergo iam falsum esset affirmare alias religiones nullum ius habere ad libertatem religiosam.

2. Sed adhuc magis ad punctum: In principio supra allato, aliquod latet sophisma. Subiectum iuris numquam aliqua veritas in abstracto considerata esse potest, sed tantum aliqua persona. Tantum persona subiectum est capax iurium. Uti patet, in hoc sophismate latet aliqua conceptio nimis statica et abstracta veritatis, quae consideratur independenter a subiecto cognoscente. Sed hic modus concipiendi veritatem mala epistemologia laborat nam veritas tandem solum in intellectu subiecti cognoscentis datur.

3. Attamen fatendum est aliquod elementum veritatis etiam in supra citato sophismate inveniri, quamvis aliter enuntiandum esset. Veritas vim habet attrahendi adhaesionem intellectualem, quae vis in errore vel in veritate deminuta pari modo inveniri nequit. Intellectus humanus habet innatum appetitum veritatis. Hoc valet non tantum de veritatibus ordinis naturalis, sed etiam de veritatibus religionis catholicae, eo quod omnes homines creati sunt structuraliter orientati ad visionem Patris in Christo ac per Eius gratiam obtinendam. Haec est doctrina antiqua Ecclesiae, quae in theologia S. Iustini de « Logo spermatiko » et in effato Tertulliani de « anima naturaliter christiana » exprimebatur, et quae a Pio XII his verbis compendiatur: « Humana natura, quamvis ob miserum Adae casum hereditaria labe infecta sit, aliquid tamen in se habet naturaliter christianum » (Litt. Encycl. *Evangelii Praecones, A.A.S.,* 1951, p. 522). Immo cum nos sciamus gratiam salvificam Christi ubique adesse et neminem — propter Dei salvificam voluntatem — ab ea alienum esse, possumus confidenter asserere doctrinam catholicam pro hominibus magis appetibilem esse quam quamlibet aliam doctrinam religiosam.

Hinc principium « error nullum ius habet, veritas autem omnia iura » in hoc novum principium convertendum est « Veritas catholica maiorem vim attractionis quam quaelibet alia doctrina religiosa habet ».

Hinc consequentia practica magni momenti pro nostra declaratione de libertate religiosa habet seu eruitur. Quod revera quaerendum est ut adsit possibilitas praedicandi ac vivendi propriam fidem. In « common Mark » multarum expositionum religiosarum, nos catholici confidenter sperare debemus, doctrinam nostram Evangelii magis appetibilem hominibus futuram esse, cum plenitudinem veritatis contineat. Conatus nostri eo igitur tendere debent, ut tum nobis cum aliis spatium magnum aperiatur libertatis; praeterea adlaborandum est ut veritatem semper in dies modo meliori ac ditiori — cum testimonio nostrae vitae et non tantum verbis — proponere possimus.

Denique considerandum est multa bona tum pro propagatione catholicae fidei, in terris missionum, tum pro ipsius libertate in nonnullis nationibus, ex hac declaratione iure merito sperari posse.

* * *

Ad n. 28: pag. 30, linn. 14 s.: Deleantur verba « ... in erroribus circa fidem versantur » et pro iisdem scribatur: « ... *aliter ac nos in re religiosa sentiunt* ».

Ratio: Quia documentum hoc induere debet loquelam pacificam, ita oportet loqui ut vitetur modus loquendi qui non catholicos offendere possit. Nullum datur periculum falsi irenismi si verba adhibentur a nobis proposita, nam mens Ecclesiae clare patet tum ex hoc ipso tum ex aliis documentis Concilii.

Ad n. 30: pag. 32, linn. 30 s.: Phrasis « ... tamquam institutio sine qua integra vita christiana dari non potest, quandoquidem... » videtur aliquantulum polemicam et alineam ab indole huius declarationis. Dicatur modo magis directo: « ... a Christo fundata est *nam* ad essentiam *verae* vitae christianae... ».

Pag. 33, lin. 6: Verbum « ideoque » videtur insinuare quasi nexum inter ea quae sequuntur et ea quae praecedunt, et quidem ita ut sequentia sint veluti conclusio antecedentium. Hoc autem admitti nequit; agitur enim, nostro iudicio, de duabus affirmationibus inter se independentibus.

Dicatur igitur: « *neque* » pro verbo « *ideoque* ».

Hae emendationes proponuntur a 34 Patribus, quorum nomina in annexo elencho recensentur.

Ex Aequatoria: Victor Garaygordobil, ep. tit. Pudent.

Ex Bolivia: Armandus Gutiérrez, ep. aux. Pacen.

Ex Chilia: Ioseph Valle, ep. aux. Iquiquen.; Franciscus Valenzuela, ep. Antofagasten.; Franciscus Fresno, ep. Copiapen.; Ioseph Castro, ep. S. Philippi; Aemilius Tagle, arch. ep. Vallisparad.; Radulfus Silva, ep. aux. Rancaguen.; Emmanuel Larrain, ep. Talcen.; Augustus Salinas, ep. Linaren.; Emmanuel Sanchez, arch. Ss.mae Conceptionis; Carolus Oviedo, ep. aux. Ss.mae Conceptionis; Aloysius Yáñez, ep. S. Mariae Angelorum; Gulielmus Hartl, ep. tit. Estratonicen.; Emmanuel Santos, ep. Valdivien.; Bernardinus Piñera, ep. Temucen.; Alexander Duran, ep. S. Caroli de Ancud; Alexander Menchaca, ep. tit. Pinaren.; Franciscus Gillmore, ep. tit. Auzien.; Raimundus Salas, prael. null. Aricen.

Ex Mexico: Sergius Méndez, ep. Cuernavacen.

Ex Paraguay: Philippus Benitez, ep. tit. Chersonen.; Raimundus Bogarín, ep. S. Ioannis a Missionibus; Hannibal Maricevich, ep. coad. Villaricen.; Aemilius Soza, ep. tit. Sergentinus.

Ex Uruguay: Michael Balaguer, ep. tit. Castel Minoris; Henricus Cabrera, ep. Merceden.; Robertus Caceres, ep. Melen.; Marcellus Mendiharat, ep. coad. Salten.; Orestes Nuti, ep. Canelonen.; Carolus Partelli, ep. Tacuaremben.; Alafridus Viola, ep. Salten.

Ex Argentina: Hieronymus Podestá, ep. Avellaneden.

Moderator: Audiatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico exitus suffragationum ultimarum.

Suffragatio XVII:

Inter 2.214 Patres, dixerunt	
placet	2.006
non placet	204
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	3

Suffragatio XVIII:

Praesentes votantes 2.220, dixerunt	
placet	2.163
non placet	56
Suffragium nullum	1

Ergo etiam hi duo textus approbati sunt.

11

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Venerabiles Fratres,

Declaratio *de libertate religiosa* hominis in societate enunciat principium quod semper viguit in Ecclesia secundum quod nemo ad religionem est cogendus. Et Tertullianus hoc principium enucleat dicens: religio res est maxime voluntaria, nec quisquam cohibendus est ut colat quod non vult.

His dictis, igitur, ad consentiendum cum schemate hoc, declaratione libertatis hominis profitendi suam religionem, puto eliminandam esse quamdam exaggerationem quae statim continetur in isto textu quando dicitur illum qui bona conscientia errat et quodammodo, etiam modo suo, colit Deum, honore dignum esse. Non intelligo cur qui errat honore sit dignus. Quod sit dignus consideratione, tolerantia, urbanitate, caritate, hoc intelligo. Sed quod error sit dignus honore, hoc non intelligo.

Postea notandum est hoc schema non satis considerare quae praetergrediuntur limites oecumenismi, nec habere sufficientem rationem religionum non-christianarum vel etiam ipsius atheismi.

Demum, noto quamdam omissionem substantialem circa quam iam observationes factae sunt, praesertim ab em.mo card. Ruffini, quod, scil., desit solemnis declaratio a Concilio Oecumenico Ecclesiae catholicae facienda de libertate fidelium qui revelationem profitentur, praesertim in vera religione quam Concilium Oecumenicum profitetur.

Nam non solum appellandum est ad iura naturalia, sed etiam ad iura supernaturalia quae quidem dant hominibus facultates quae praetergrediuntur etiam limitationes quae possunt fieri ab humanis societatibus propter rationes socialis consortionis. Ita poterant dicere Apostoli: « Oportet Deo magis oboedire quam hominibus ». Ceterum non

sumus hic in quodam conventu philosophico vel mere naturali, sed sumus in Concilio Ecclesiae catholicae, et catholicam veritatem debemus profiteri et defendere ut sit plena libertas agendi secundum doctrinam catholicam, praesertim nostris temporibus quando possemus dicere, cum primis Patribus, cum primis christianis, de iis qui sufferunt in locis persecutionum: quot carceres sanctificastis!

Dein, mihi videtur in ipso textu istius declarationis, quodammodo declarationes esse perficiendas quae respiciunt libertatem conscientiae. Nam debemus semper prae oculis habere quod nos debemus libertatem conscientiae semper habere, in relatione tamen ad legem supernam, ad legem divinam. Et circa hoc, in aliquo perficienda est haec declaratio.

Demum etiam mihi non placet quod dicitur ineptam esse societatem ad dignoscendam religionem. Si hoc principium valeret, deberemus valedicere omnibus concordatis, omnibus conventionibus quas semper Ecclesia confecit, et etiam in nostro saeculo stipulavit cum societatibus civilibus quas admisit ad discutienda problemata religiosa. Et non est ambigendum quod concordata maximas utilitates afferunt Ecclesiae. Sufficeret notare quantum valet, verbi gratia, Concordatum Italicum ad tuendum matrimonium christianum vel etiam ad tuendam institutionem religiosam puerorum et studentium, et alia huiusmodi.

Item non placet quod dicitur quod sit libera propaganda, etiam contra religionem. Hoc non admitterem, primo quidem quia si insistimus in textibus Sacrae Scripturae, deberemus valedicere textui S. Pauli quando dicit: « Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina »; et quando item dicit quod eos qui domos subvertunt docentes quae non decet sunt coercendi.

Igitur debemus in hac re limites ponere, eo vel magis quod per hanc libertatem quam Concilium assereret posset inclinari seu discerpi unitas religiosa quarumdam republicarum catholicarum.

Non loquerer postea de proselytismo. Melius est omittere, quia posset etiam male interpretari, quod dicitur ibi de proselytismo, in damnum missionum catholicarum. Dicatur aliquid quod explicet modum seu mensuram evangelizationis, sed non demus arma adversariis Ecclesiae innitendi super isto textu contra sic dictum proselytismum missionariorum nostrorum.

Quibus valeo dicens illa verba Sanctae Scripturae: « Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! ». Dixi.

Textus scripto traditus:

Schema declarationis *de religiosa personae libertate in societate* (n. 29) enucleat principium generale in Ecclesia semper praedicatum, secundum quod « nemo

ad religionem est cogendus » et hoc effatum Tertullianus explicat dicens « (religio) res est praeter ceteras voluntaria, nec imponi cuiquam potest ut colat quod non vult » (*Epit. Div. Inst.* c. 54).

Sed non debemus ad illam exaggerationem pervenire quam suggerit textus istius schematis cum dicit: « ideo qui conscientiae suae sincere oboedit, ipsi Deo, etsi quandoque confuse vel inscie, oboedit et honore dignus aestimandus est » (pag. 31, linn. 15-16). Non dicerem « honore dignum esse » illum virum qui errat, licet erret bona conscientia. Melius est si diceretur « tolerantia » vel ad summum « respectu » illum dignum esse.

In textu autem quidam defectus mihi videntur deprehendi: synthetice eos enumerabo.

1. Textus propositus videtur non satis habere rationem problematum quae praetergrediuntur oecumenismum, quaeque respiciunt religiones non christianas vel ipsum atheismum.

2. Deest explicita et solemnis affirmatio primum et genuinum ius ad libertatem religiosam obiective spectare adhaerentibus verae religioni revelatae, cuius ius est simul subiectivum et obiectivum, dum e contra pro ceteris qui errori adhaerent agitur de iure tantummodo subiectivo. Concilium Oecumenicum catholicae Ecclesiae nequit ignorare iura verae religionis non esse illa tantummodo quae fundantur in mero iure naturali, sed etiam, et plus, in his iuribus quae ex Revelatione descendunt. Non sumus in quodam Congressu mere philosophico et naturalistico, sed in Concilio Ecclesiae Christi, igitur non solum et philosophi sed et credentes agere debemus.

3. Eo magis appellandum est ad ius divinum tanquam fontem libertatis religiosae credentium in Christo, quatenus sub aspectu supernaturali, ius Ecclesiae est supremum et illimitatum, dum quae iura e mero fonte naturali fluunt, circumscribuntur multis exigentiis socialis consortionis.

4. Principium secundum quod unusquisque ius habet sequendi propriam conscientiam debet supponere eam non esse contrariam legi divinae.

5. Quomodo conciliatur assertio nimis generalis de iure agendi secundum propriam conscientiam, dum simul admittitur ius societatis limitandi hanc libertatem pro exigentiis socialibus? (cf. linn. 33-34, pag. 31).

6. Assertio autem ultimi capitis esse videlicet: « ineptam rem publicam ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda » (linn. 20-21, pag. 33) contradicit solemni affirmationi factae a Leone XIII in Encyclicis Litteris *Immortale Dei* in paragrapho XV, quae incipit verbis: « vera autem religio quae sit, non difficulter videt, etc. ... ».

7. Gravissima autem est affirmatio libertatis propagandae pro qualibet religione ubique: id resolvitur in evidens damnum illarum nationum in quibus religio catholicae est in generali possessione civium quorum unitas in fide sic disceperetur. Libertas religionis non adeo urgenda est ut oblivioni demus illud Pauli ad Timotheum « argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina, erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt » (2 *Tim.,* 4, 2-3), et in epistula ad Titum, agens de his qui domos subvertunt « docentes quae non oportet » dicit quod eos « oportet redargui » (*Tit.* 1, 11).

8. Ex adverso autem vulgare verbum « proselytismum » quo quis abuti posset ad reprobandum studium convertendi ceteros, secumfert reprobationem salvificae operae missionariorum catholicorum et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

Istis laboribus nuntii evangelici ad convertendos non credentes, salutem dico ipsis verbis Pauli: « Beati pedes evangelizantium pacem evangelizantium bona » (*Rom.* 10, 15).

Moderator: Loquatur exc.mus D. Petrus Parente, arch. Ptolemaidensis in Thebaide, et erit ultimus pro hac sessione.

Exc.mus P. D. Petrus Parente: Em.me praeses, humiliter peto ut sermo meus differatur ad crastinam diem, quia nunc non bene dispositus sum. Oro, et gratias ago.

Moderator: Optime. Rogo, loquatur exc.mus D. Aemilianus Čekada, ep. Scopiensis in Iugoslavia.

12

EXC.MUS P. D. AEMILIANUS ČEKADA
Episcopus Scopiensis

Sum episcopus civitatis Skoplje in Iugoslavia. Loquor nomine proprio.[1]

Venerabiles Fratres,

Libertas religiosa res est tam gravis ponderis, ut in hoc Concilio minime praeteriri vel rapido cursu absolvi possit. Declaratio *de libertate religiosa,* quae olim, i. e. anno elapso, in cap. V schematis *de Oecumenismo* continebatur, nunc autem ut appendix huic schemati adnectitur, diligenter et accurate inquirit causas, quibus libertas religiosa in hodierno rerum statu fulciri oporteat. Certissime, mens Ecclesiae in hac materia decursu temporis evolutionem passa est, quam relator commissionis exc.mus Aemilius Ioseph De Smedt, progressum, ex continuitate doctrinae ecclesiasticae ortum, appellat.

Quidquid sit de argumentis philosophico-theologicis, quibus declaratio nostra innititur, evidens est condiciones vitae hodiernae imperative postulare omnimodam libertatem religiosam, quae — dummodo eius exercitium absolutis Dei iuribus vel fini societatis humanae non contradicit — sancte observari debet.

Nobis non videtur existere ulla alia via, qua moderna societas humana, complicata et composita ex innumeris saepe inter se oppositis elementis ideologicis, hodie secure progredi posset quam libertas conscientiae, in materia religionis libertas religiosa nuncupata.

Omnis enim religio, nisi ipsa sibi rationem existentiae denegare velit, debet esse dogmatice exclusiva. Si aliud fit, habetur relativismus doctrinalis, qui cuicumque religioni mortem inferre debet. Si ergo haec

intolerantia dogmatica ad ambitum vitae socialis et practicae applicetur, tunc oritur sine dubio status rerum, in quo pax et concordia inter homines vix inveniri poterunt. Puto, huic argumentationi vim logicam denegari non posse.

Res evadit adhuc magis perspicua, si prae oculis habeantur novissima systemata philosophica et socialia, quae se suamque doctrinam infallibilitate quadam pollere affirmant. Sufficit hic memorem esse, ut alia exempla praetereamus, sic dicti nazismi hitleriani, qui incredibili consequentia sua falsa placita philosophica in societate humana, cum immenso damno pro ipsa societate, ad praxim deducere conabatur. Infallibilitatem ideologicam sibi quoque vindicat materialismus atheus, vulgo communismus vel marxismus appellatus. Haec doctrina, ut ex ipso conceptu materialismi patet, omni religioni ac omni spiritualismo adversatur. Etiam pro hoc systemate characteristica est tendentia, ut usque ad minima puncta exsequatur programma, in quo Deo et religioni locus non est. Re vera, positus in societate, in qua religio adhuc vivit et vivere non cessat, materialismus atheus coactus fuit concedere quamdam libertatem religiosam, quae tamen limites libertatis cultus vix excedit, dum in aliis campis vitae publicae iura religionis penitus ignorantur.

Iam multae regiones dominio materialismi athei subiciuntur. Libertas religiosa factum est igitur problema sociale per excellentiam pro totis nationibus, pro innumeris hominibus, qui ad millies millia numerantur. Problema ardens et acutum, quod ut solvatur vehementissime clamat. Negari non potest hanc privationem libertatis religiosae plurima mala secum ferre, non tantum quoad ipsam religionem eiusque activitatem in societate, sed etiam quoad bonum commune in genere consideratum. Ubi deest libertas, ibi desunt plurima, quae ad dignitatem personae humanae pertinent. Non in vanum S. Paulus vitae christianae libertatem extollit, cum in epistola ad Galatas scribit: « Itaque, fratres, non sumus ancillae filii sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit »...[2]

Igitur, quid faciendum, ut hic status rerum immutetur? Estne tantum passive exspectandum, ut res decursu temporis paulatim et successive transformentur?

Nequaquam! Evolutio systematum, quae ex doctrina materialismi athei vel ex aliis doctrinis propinquis ortum ducunt, est res valde problematica, et teste experientia lento pede progreditur. Hoc pro primo.

Pro secundo: estne licitum iacturam bonorum maximi valoris pati nihil faciendo, ut haec bona defendantur vel serventur? Si ex mente S. Pauli rapinam bonorum materialium cum gaudio suscipere nos opor-

teat ...[3], hoc minime dicere licet de bonis spiritualibus summi momenti, quibus nec singulis christianis nec ipsi Ecclesiae fas est renuntiare. Haec bona strenue defendenda sunt, quantumque fieri potest.

Et nos episcopi, congregati in Concilio Vaticano II, debemus tueri haec sacrosancta iura conscientiae humanae ad libertatem religiosam internam et externam, privatam necnon publicam.

Ne ultro in considerationibus mere theoreticis moremur, haec audeo proponere:

1. Ut *Concilium Oecumenicum* ab institutione internationali, cui nomen *Nationes Unitae,* scripto postulet, ut in Congregatione Generali eiusdem institutionis iterum atque sollemniter sanciatur obligatio pro omni potestate publica, in quacumque terra vel natione existenti, libertatem religiosam sacrosancte observandi erga omnes homines vel coetus religiosos.

2. Ut ab ipsis *Nationibus Unitis* — haec res est maximi momenti — index componatur rerum et iurium, quae in ambitu libertatis religiosae contineri considerandae sunt.

Huc spectet non solum libertas cultus, sed omne genus libertatis religiosae, quae in specie etiam ad cultum publicum, scholas religiosas, prelum religiosum et organizationes cum fine religioso (e. g. Actionem Catholicam) extendi debet. Simul in hac charta libertatis religiosae statuatur, coetus religiosos habere ius possidendi propria aedificia, sibi suoque fini prosequendo necessaria, necnon ius ad proventus materiales propria arte sibi acquirendos.

3. In tertio loco propono, ut commissio ad hoc electa textum nostrae promemoriae Nationibus Unitis quam primum sedulo componat et generali congregationi *Concilii nostri* ad disceptandum proferat.

Ne dicatur, quod hoc esset infra dignitatem Concilii Oecumenici. Concilium Oecumenicum debet adhibere omnia media...

Moderator: Vis concludere, Pater.

Orator: Sic! Subito.

... ut libertas religiosa in mundo hodierno tuta et secura reddatur. Nunc autem non exsistit aliud organum, quod huic fini adipiscendo operam dare posset, quam Nationes Unitae.

Ab adversariis discamus modum agendi. Illi nullam occasionem omittunt, ut coram omni foro internationali iura sua reclament vel vindicent. Ita faciamus et nos! Mea opinione ingens esset moralis effectus interventionis *Concilii Vaticani II* apud *Nationes Unitas*. Ne pudeat ergo nos huius rei faciendae! Si enim apostolus Paulus anathema opta-

bat esse pro fratribus suis ...[4], nec nos vereamur facere, quod et Ecclesiae catholicae et toti generi humano maximo adiumento futurum esse speramus.

Dixi, venerabiles Fratres, quae mihi dicenda esse duxi. Salvete, fratres in Domino!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Gal.* 3, 31). [3] (*Hebr.* 10, 34) [4] (*Rom.* 9, 3).

Moderator: Congregatio proxima erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *Agimus... Angelus Domini...*

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA *

1

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Ad n. 18 ter. In secundo commate huius numeri, lin. 3, loco verbi « laicis » dicatur « *potestatibus civilibus* ». *Ratio.* Libertas in episcopis nominandis, de qua hoc loco agitur, spectat ad potestates, quae sunt extra Ecclesiam, minime vero ad relationes hierarchicas in Ecclesia ipsa. Ad terminologiam canonisticam purgandam necesse est, ut terminus « laicus » non amplius permiscue adhibeatur cum verbo « civilis ». Caveatur ergo, ne usu termini « laicus » excludatur consuetudo illa, quae in antiqua Ecclesia vigebat quaeque sub determinatis quibusdam condicionibus fortasse aliquando iterum reviviscere possit, scilicet quod in nominando episcopo etiam presbyterium et populus christianus dioeceseos aliquo modo intersunt.

2

EM.MUS P. D. IACOBUS FRANCISCUS CARD. McINTYRE
Archiepiscopus Angelorum in California

I am pleased to endorse this votum. ... [*cf. pag. 402 n. 18*].

3

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA
Episcopus Veliternus

Par. 12: *Episcoporum munus docendi.*

Pag. 10, linn. 22-24. Congruere videtur, ubi episcopi monentur « res ipsas terrestres et humanas institutiones secundum Dei creatoris consilium ad hominum profectum plurimum conferre », sensum compleri et profectum distingui rerum humanarum et Corporis mystici. Progressus enim humanus, etsi iubente Deo fiat et mystico quoque corpori proficiendo prosit cum ad ipsius Dei voluntatem fiat, minime tamen exhibendus est tamquam valor in se absolutus, quod a spiritu evangelico omnino discrepat.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt.

Pag. 10, lin. 25; pag. 11, lin. 6. Cum episcopi suadentur ut « rationes exponant quibus solvendae sint de bonorum materialium possessione, incremento ac recta distributione, de pace et bello, de fraterna omnium populorum conversatione gravissimae quaestiones... », ita eorum munus intelligi possit quasi ad episcopos pertineat de quaestionibus technicis et politicis non solum sub aspectu morali agere. Praestat igitur explicite asseri pertinere ad episcopos principia proponere simulque curare ut ipsi quaestionum speciem technicam devitent atque supra consociationes nationales vel politicas sese gerant.

4

EM.MUS P. D. RADULFUS SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Ad n. 3, pag. 6, lin. 1. Substituatur verbum « partes », pro « *oves* »; substituatur verbum « peculiaris » pro « *particularis* ». Cf. rationem infra.

Ad n. 6, pag. 8, lin. 14. Substituatur verbum « peculiarium » pro « *particularium* »; cf. infra.

Pag. 8, lin. 15. Loco « quippe quae unius Ecclesiae Christi sint partes », dicatur « *quippe quae unam Ecclesiam Christi constituant* ». Cf. infra.

Ad titulum cap. II: pag. 10. Substituatur verbum « peculiares » pro verbo « *particulares* ». Ratio istarum emendationum est quod dioecesis non est « pars » Ecclesiae, sed vera Ecclesia particularis. Insuper verbum « peculiaris » videtur insinuare differentias inter diversas Ecclesias (rituum, iuris, etc.). Addi potest quod si dioeceses dicuntur Ecclesiae « particulares » melius solvitur difficultas episcoporum orientalium, qui dicunt nos sic loqui ac si Ecclesia latina fuerit sola « universalis ».

Ad n. 11, pag. 10, linn. 1 s. Definitio dioeceseos mutanda omnino est ob rationem superius allatam. Nostram facimus definitionem a 108 episcopis ex Brasilia propositam et lectam in congregatione generali ab E. D. A. Rossi, die 21 septembris.

Ad n. 12, pag. 10, lin. 18. Proponitur ut scribatur « ... hominibus *annuntient* imprimis *Regnum Dei, quod* in ... ». *Ratio*: Locutio « finem supernaturalem » nimis sapit scholam; mutatio proposita, e converso, magis in Ss. Litteris innititur.

Pag. 10, linn. 20 s. Proponitur « ... *viam* itemque quae divinitus *revelata* est ad *beatitudinem*... ». *Ratio*: Ut stylus magis biblicus evadat.

Pag. 10, linn. 23 s. Scribatur: « ... ad hominum *salutem* conferre ». *Ratio*: ad usurpandam theologiam biblicam.

Ad n. 13, pag. 11, lin. 8. Post verba « doctrinam christianam », addatur « *proponant et* ». *Ratio*: Ut magis inculcetur officium personale episcopi. Insuper videtur in hoc numero deesse perspectiva praedicationis ad nonchristianos, quod est pars maximi momenti muneris episcopalis, ut videri potest in Litt. Encycl. *Fidei donum.* Textus habet perspectivam magis « christianitatis » quam « missionis ».

Ad n. 15, pag. 12, lin. 12. Omittatur verbum « universalis » et loquatur simpliciter de « *Ecclesiae sensus* ». *Ratio*: Ut vitetur interpretatio quod Ecclesia universalis aliud sit ab Ecclesia particulari.

Ad n. 18 ter. Quoad problema de episcoporum nominatione episcopi subsignati adhaerent propositioni E. D. González Moralejo in 86 congregatione generali factae, inquantum scil. necessaria censetur consultatio et conferentiae episcopalis ditionis, et, quatenus opportunum sit, sive presbyterii dioeceseos, sive laicorum magis qualificatorum in re religiosa.

Ad n. 29, pag. 18, lin. 24. Post verbum « reservationis » addatur « *etiam Sanctae Sedi* ». *Ratio*: Quia hodie iam aboletae sunt rationes talium reservationum; et sic facilior evadit actio pastoralis episcoporum.

Ad n. 33, pag. 21, lin. 2. Tollatur verbum « legitime ». *Ratio*: Acta conferentiae supponi debent legitima, donec contrarium probetur. Hic, e contra, acta videntur indigere comprobatione legitimitatis antequam a religiosis acceptentur, quod absonum est.

Ad n. 42, pag. 25, lin. 28. Addantur haec verba: « *Constitutiones omnium familiarum religiosarum, quae operibus apostolicis incumbunt, ad principia in hoc decreto contenta adamussim et quam citius accommodentur* ». *Ratio*: Ut vitentur contradictiones et prava consectaria pro conscientia religiosorum qui anxiarentur inter normam Concilii et normas Constitutionum.

Nota bene. Supralaudatae emendationes approbatae fuerunt a Patribus quorum nomina in annexo elencho recensentur:

Ex Chilia: Iosephus Valle, ep. aux. Iquiquen., Franciscus Valenzuela, ep. Antofagast., Franciscus Fresno, ep. Copiapen., Ioseph Castro, ep. S. Philippi, Aemilius Tagle, arch. Vallisparad., Radulfus Silva, ep. aux. Rancaguen., Emmanuel Larrain, ep. Talcen., Augustus Salinas, ep. Linaren., Emmanuel Sánchez, arch. Ss. Concep., Carlos Oviedo, ep. aux. Ss. Conceptionis, Aloysius Yáñez, ep. S. Mariae Angelor., Gulielmus Hartl, ep. tit. Estratonicen., Emmanuel Santos, ep. Valdivien., Bernardinus Piñera, ep. Temucen., Alexander Duran, ep. Ancudiae, Alexander Menchaca, ep. tit. Pinaren., Franciscus Gillmore, ep. tit. Auzien., Raimundus Salas, prael. null. Aricen.; *ex Bolivia*: Armandus Guttiérrez, ep. aux. Pacen., Georgius Manrique, ep. Oruren.; *ex Paraguay*: Philippus Benitez, ep. tit. Chersonen., Raimundus Bogarin, ep. S. Ioann. a Miss., Hannibal Maricevich, ep. coad. Villaricen., Aemilius Sosa, ep. tit. Segentinus; *ex Mexico*: Sergius Méndez, ep. Cuernavacen.; *ex Uruguay*: Michael Balaguer, ep. tit. Cast. Min., Henricus Cabrera, ep. Merceden., Robertus Cáceres, ep. Melen., Marcellus Mendiharat, coad. Salten., Orestes Nutti, ep. Canelonen., Carolus Partelli, ep. Tacuarembó, Alafridus Viola, ep. Salten., *ex Aequatoria*: Victor Garaygordobil, ep. tit. Pudent.

5

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* optime a commissionibus competentibus elaboratum est secundum principia dogmatica quae in constitutione *de Ecclesia* exposita sunt et secundum peculiarem Concilii Vaticani II indolem pastoralem. Principia hoc in schemate proposita bene provideant aptiori, expeditiori et fructuosiori episcopalis muneris exercitio.

Quaestiones magis particulares non tractantur quia non est proprium Concilii Oecumenici de huiusmodi quaestionibus agere et quia solutio huiusmodi quaestionum non parva ex parte pendebit e locorum temporumque adiunctis. Recte ipsum schema defert quaestiones particulares et argumenta stricte iuridica ad Commissionem de Codice Iuris Canonici reformando vel ad conferentias episcoporum. Sperandum est omnes Patres animadversiones et pro Commissione de Codice Iuris Canonici reformando et pro Commissione ad Directoria conficienda tempestive tradere secretario generali Concilii. Fortasse, statuendum sit tempus intra quod patres vota sua patefacere debebunt.

Quoad textum decreti conciliaris, tamen, aliquas animadversiones facere velim.

Ad nn. 12-14 in pag. 10-11. Ea quae in cap. II de episcoporum munere docendi proposita sunt, omnino bene dicta sunt. Mea opinione, tamen, unum aliud explicite dicendum est. In quantum hic agitur de munere et de mediis docendi doctrinam christianam, explicita mentio facienda sit de officio episcoporum ad scholas catholicas instituendas, stabiliendas necnon fovendas. Sicut dictum est in schemate *de scholis catholicis*: « Ad educationis officium implendum Ecclesia catholica pluribus pollet mediis, inter quae recensenda est scholarum institutio cuiusvis generis et gradus; ministerium autem quod in eis exercetur veri nominis apostolatum constituit, et quidem nostris temporibus maxime congruentum et necessarium ». Vix possibile videtur agi de episcoporum munere docendi quin expresse affirmetur pars essentialis episcoporum in apostolatu scholarum catholicorum.

Ad n. 28 in pag. 17: In alinea prima n. 28 dictum est: « Parochi meminerint omnes in territorio suae paroeciae degentes, sive christianos sive non, semper sibi commendatos esse in Domino ». Exopto ut etiam in secunda alinea huius numeri (in qua agitur de munere magisterii parochorum) expresse parochi admoneantur ut debeant uti omnibus mediis congruentibus ad edocendum acatholicos de Christo et de eius Ecclesia. Munus magisterii parochorum non solummodo ad christifideles limitetur. Sint parochi Evangelii praecones imprimis ad omnes in territorio suae paroeciae degentes.

6

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA
Archiepiscopus de Lourenço Marques

Cap. III, pag. 23, lin. 11. Addatur verbo coadiutoribus « et auxiliaribus », delendo linn. 12-13. Ratio evidens est, nam si per consecrationem episcopalem aliquis constituitur membrum collegii seu corpus episcopale, *est absonum* eum excludere ab actibus propriis officii sui.

7

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindonensis-Ferrolensis

Velim loqui, venerabiles Patres, de abuso quodam ab omnibus bene noto, apud Ecclesiam ingrassante. Sacerdotes, inquam, sine ministerio. Aut saltem, sine ministerio pastorali. Officium pastorale hic appello ministerium verbi et ministerium gratiae.

Ecce conspectus nonnullorum sacerdotum, qui per multas dioeceses discurrunt et qui difficulter possint includi in ea quae de sacerdotio dicuntur in n. 26 huius schematis.

Alii sunt sacerdotes, qui magisterio disciplinarum non stricte religiosarum indulgent, et non nunquam locis non religiosis, ut qui matheseos, geographiam etc., docent. Quod quidem decens est, non vero sacerdotale.

Alii laboribus officiorum (vulgo Ufficii) in institutionibus ecclesiasticis incumbunt, quae a laicis optime exequi possent.

Alii muneribus mere administrativis in nostris curiis vacant, quibus etiam laici aptari valerent.

Sunt etiam sacerdotes, eximii, quorum unum ministerium est in choro cantare. Nobile officium, sed nihil amplius. Ministerium pastorale nullum.

Sunt denique sacerdotes, maiores natu, benemerentes quidem, non tamen adhuc senio confecti, qui quodam ministerio exerceri possunt, prout sunt secessus et confessiones vel breves instructiones sacrae doctrinae.

Haec absentia muneris ministerialis videtur contraria essentiae sacerdotii christiani, quod ministeriale est ex voluntate ipsius Fundatoris.

Etenim in schemate duo de hac re praeclare conspiciuntur. Primum, missionem Christi redemptricem, perfectam fuisse per functionem sacerdotalem. Alterum vero, hanc missionem nobis, sacerdotibus, communicasse. Sacerdos ergo nullus, sine functione corredemptrice intellegendus est.

Sed et praeterea, vis vocabuli, id ipsum significat. Sacerdos enim est quasi sacra dans. Sacra hominum dans Deo, et sacra Dei dans hominibus.

Nunc autem certum est sacerdotes, qui tantummodo, unice sacrum litant, esse mediatores inter nos et Deum. Non vero pleno sensu media-

tores inter Deum et nos, quia neque gratiam ministrant, neque doctrinam docent. Ii sunt de quibus in principio loquebar.

Nec dicatur eos, qui functionibus curiae in institutionibus ecclesiasticis incumbunt, remote inservire ministerio sacerdotali.

Munia haec ministerialia, quamvis certe religiosa, impedimento erant orationi et ministerio verbi apostolorum, qua propter ea diaconis reservaverunt. Nos autem, etiam ea vel laicis reservemus.

Peto igitur reverenter a Sacrosancto Concilio ut signanter et pressius declaret characterem apostolicum catholici sacerdotii, apponendo primae paragrapho n. 26 haec verba aut alia similia: « ita ut omnes sacerdotes, nisi causa vere impeditiva exstet, aliquod ministerium sacrum commissum semper habeant ».

[*Subscripserunt etiam*] Nestor Adam, ep. Sedunensis; Antonius Añoveros, ep. Gadicensis et Septensis.

8

Exc.mus P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

Prooemium: n. 3. Non placet. Nec ex S. Scriptura, nec ex Traditione eruitur episcopos recipere *episcopale munus* per consecrationem. Episcopale munus complectitur potestatem ordinis, et potestatem iurisdictionis ac magisterii.

Prima potestas, scil. ordinis, suscipitur per consecrationem, sed non constat potestatem iurisdictionis et magisterii suscipi per consecrationem. Quoad has potestates ex consecratione oritur quaedam exigentia, sed non producitur potestas.

Potestas iurisdictionis conceditur missione canonica, i. e. a Romano Pontifice. Nec obstat quod in Iure Orientali dicitur a momento consecrationis episcopum obtinere iurisdictionem. Romanus Pontifex potest determinare unum vel alium modum missionis canonicae.

Nec valet dicere e consecratione iurisdictionem derivare pro Ecclesia Universa, e missione vero Romani Pontificis pro Ecclesia peculiari cui consecratus destinatur. Praeterea mihi videtur contradicere Concilio Vaticano I illa doctrina quae docet episcopis ex ipsa consecratione iurisdictionem universalem et supremam competere.

Cap. I. N. 4. Non placet verbum « *vi consecrationis* ». Nam titulus quo episcopi ad Concilium Oecumenicum vocandi sunt, est *iurisdictio episcopalis* et non consecratio.

N. 5. Istiusmodi coetus seu Concilium potest bene significare omnium episcoporum universae Ecclesiae sollicitudini participationem, sed maxima secumfert incommoda. Mea opinione motiva nationalistica nimis intervenient in decisionibus huiusmodi coetus.

N. 8. Placet prima pars — quoad alteram partem, mihi non placet huiusmodi facultas generalis dispensandi.

Provideatur in C.I.C. aliquod principium quo possit remedium afferre difficultatibus communioribus pastoralibus. Sed minime concedenda generalis facultas, si nolumus legis universalis contemptum gignere.

N. 9. Prima pars placet. Altera omittenda, nam est materia cui Romanus Pontifex posuit suas manus.

N. 10. Placet. Sed notandum indolem universalem organorum centralium Ecclesiae, non tantum ex multiplicitate regionum significari, sed ex aliis principiis.

Nn. 11-18. Placent.

N. 20. Placet iuxta modum. Recognitio dioecesium ita debet fieri ut sartum tectumque principium servetur quoad episcopalem sedem: *nunquam duo episcopi eamdem civitatem uti sedem episcopalem* habere debent, sed ea civitas ex qua nomen accipit dioecesis debet esse unius episcopi iurisdictionis.

N. 21. Placet iuxta modum. Clausula pag. 15, linn. 3-4 non videtur opportuna. Principium unius episcopi in unoquoque territorio firmiter tenendum est.

Nn. 22-30. Placent.

N. 31. Placet iuxta modum.

Quoad verba in pag. 19, linn. 12-15, animadvertendum puto non adesse rationem quare debeat Concilium urgere *ampliorem aestimationem* et generosius studium adlaborandi in apostolatu religiosis. Adsunt plures religiosi et familiae religiosae quae maximo zelo iamiam laborant.

N. 32. Placet iuxta modum.

In pag. 20, lin. 5, addatur: « *Legitime* » post « ad apostolatus opera », ita ut sonet: quoties ad apostolatus opera legitime vocantur.

Praeterea corrigatur in linn. 9-11 iuxta verba Ss.mi Domini Pauli VI: « Salva semper apostolatus natura ipsorum propria et vitae religiosae necessitatibus ».

Item ad finem lin. 15 addatur: « salva semper apostolatus natura illi religioni propria ». Maxime enim Ecclesiae interest ut unaquaque familia religiosa suum characterem proprium conservet.

9

Exc.mus P. D. IOANNES BADRÉ

Episcopus tit. Aquaenovensis in Proconsulari, aux. Parisiensis

In oboedientia Domini docentis, cum « facta est contentio inter discipulos quis eorum videretur esse maior », quia « Reges gentium dominantur eorum... Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis fiat sicut minor et qui praecessor est sicut ministrator... Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat » (*Lc.* 22, 24-27) necnon constitutionis *Lumen gentium*

sub lumine, tum in schemate decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* cum in altero schemate *de ministerio et vita presbyterorum* principaliter verbis servitii servorum Dei et secundario tantum notionibus potestatum res exponendas, praesenti tempore, opportunius exprimi mihi videtur. Consideratio ergo sit bonorum communium potius quam horum vel illorum iurium.

Tam enim in naturae ordine quam in vita Ecclesiae potestas constituitur et ordinatur ad bonum commune conservandum et promovendum. Dispensatio igitur tam officiorum quam operum de die in diem cogitari et explicite definiri debeat in ordine ad bona communia tam dioecesanarum vel nationalium ecclesiarum aut etiam minorum quam totae ecclesiae Christi. Ecclesia enim efficacitatem habet spiritualem suam et decorem tum ex hierarchia corporum intermediariorum cum ex diversitate gentium, nationum, linguarum et culturarum. Fecundae huius doctrinae de profanis societatibus, a novissimis supremis pontificibus datae, ab ipsa Ecclesia suis propriis finibus promovendis dandum est mutatis mutandis exemplum.

Auctoritas spiritualis enim non minuitur sed maior se demonstrat cum per causas medias subditos movet et cum verbis factisque potestates suas monstrat media tantum esse ad servitium animarum.

Ad problemata ergo vitae ecclesiarum solvenda viae delineandae sunt non ut quaestiones conflictuum potestatum solo iure solvendae (quot conflicti iuris imbecilles vires ecclesiarum per saecula praeterita effecerunt!) sed ut coaptationes diversorum mediorum et coadunationes bonorum communium seu peculiarium inter se, seu superiorum cum inferiorum definiendae.

Utinam verbis servitii quaestiones istae ponentur et ultimo tantum ad iuris solutiones recurretur. Tam facile enim, sub iuris velamine, considerationes personarum et necessitatum animarum oblivio larve progrediantur pedetentimque, moribus saecularibus, in conflictus potestatis et ambitionis cadunt.

Valde optandum est ut *prooemia,* ad minus, amborum schematum ad modum moniti spiritualis ad officia in primis spiritualiter consideranda scripta erint. In iis ergo ambis sic scriptis schematibus unusquisque tam presbyter quam episcopus tanquam in speculo se poterit inspicere ad modum religiosorum diurna et nocturna manu regulas suas volventes ad meliorem vitam degendam et suos officios melius peragendos.

Periculum non parvum in mundo praesentis temporis est solitudo presbyteris vel etiam episcopi inter paganos mores degentium et ab aliis servis Dei saepe separatorum. Si tamen *Decreta* ambo illa auribus eorum sonus vocis matris Ecclesiae veritatem Christi in mentes revocantis erint medium electum habuerint ad gratias sapientiae et fortitudinis in pugna pro Christo et Ecclesia recipiendas et fructificandas.

In sch. III, pag. 10, par. 12, 3ª alinea, lin. 25. *Glossa*: Cum de christianis rebus agitur, valde inconveniens est vocabulo pagano uti, scil. verbo « *indigito* ». Hoc enim verbum praecipue invenitur cum de idolatriis ritibus tractatur, sicut *Tertullianus* in libro *De Ieiunio* 16, 5.

10

Exc.mus P. D. ALOISIUS BARBERO
Episcopus Viglevanensis

Circa cap. II, n. 29: *Parochorum nominatio et amotio.* Pastorale cum sit Concilium nostrum, schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* aliorum schematum videtur veluti practica quaedam conclusio, quippe quod viam sternit mediosque suggerit ad realem aedificationem « Corporis Christi », quod est Ecclesia.

Huius aedificationis operarii merito habentur episcopi cum suo presbyterio qui, cum Petro et sub Petro, in propriis Ecclesiis veri et authentici fidei Magistri, Pontifices evadunt ac Pastores.

Quod iam clare docebatur in primaeva aetate e. g. in *Pastore* (Herma - II saec.), cui, interroganti de turri, e flumine emergenti et lapidibus perfecte sectis atque dispositis quasi unum lapidem efformantibus, haec data fuit a Matrona responsio: « Lapides quadrati et albi et congruentes commissuris suis sunt apostoli et episcopi et doctores et diaconi qui ambulaverunt in sanctitate Dei et episcopatum gesserunt et docuerunt et ministraverunt caste et sancte electis Dei; et semper inter se consenserunt et inter sese pacem habuerunt et alter alterum audierunt, propterea in aedificationem turris conveniunt commissurae eorum » (*Visio* III, cap. V; 1).

Valde ergo laudandum schema quod in nn. 26-30 agit de sacerdotibus, praesertim de parochis, ut vere sint « providi cooperatores ordinis episcopalis », unum presbyterium unamque familiam cum episcopo-patre constituentes.

Liceat tamen humiliter adnotare quod perpauca et nimis generica videntur ea quae n. 29 dicuntur ubi de parochorum nominatione et amotione agitur.

Sane in pag. 10 relationis dicitur quod in Codice Iuris Canonici recognoscendo normae praefinientur in re servandae, sed principaliora, saltem, perutile esset in Concilio disceptare; dum silentio praetereundum non est quod in appendice III prioris schematis, ubi iam multae inveniuntur normae propositae pro novo Codice recognoscendo, expresse affirmatur: « dotes quae in parocho requiruntur et quid loci Ordinarius servare debeat praecipue in can. 453 par. 2 et 459 statuuntur ». In quo can. 459 par. 4 legitur: « In regionibus in quibus paroeciarum provisio fit per concursum sive specialem ad normam const. Benedicti XIV *Cum illud,* 14 dec. 1742, sive generalem, haec forma retineatur, donec Sedes Apostolica aliud decreverit ».

Plus quam duo saecula ab illa Constitutione et quasi quinquaginta anni a Codice nunc vigente transierunt!

Interea quot et quantae temporum hominumque mutationes!

Quid saepe sint hodie isti concursus praesertim speciales, bene norunt non pauci episcopi; et quam frequenter normae illae ad episcopum adiuvan-

dum datae pro pastoribus idoneis seligendis, in grave discrimen mutentur, quando perpauci, vel unus tantum, concursum adeunt et neminem fortasse ad illam paroeciam dotibus necessariis praeditum esse constat.

Media adsunt hodie aptiora ad scientiam dignoscendam atque probandam, puta examina protrahendo de quibus in can. 130, puta annui Cursus Pastorales, qui iam multis in locis, laudabiliter florescunt, vel alia huiusmodi.

Neminem sane fugit quod felix nominatio, ex multis — hodie praesertim — pendens elementis, efficacis actionis pastoralis fundamentum extat atque principium, et funesta illa discrimina, quae amotionem urgent, rariora in dies utique reddit.

Quo in lacrimabili casu sc. remotionis tum salus gregis, quae lex suprema evadit et ad quam essentialiter dirigitur munus paroeciale, tum salus ipsius pastoris efficax ac tempestivum remedium expostulant; efficax, dico, et tempestivum, ne dicam: efficax quia tempestivum, servata tamen semper prudentia et patientia, naturali et iuridica aequitate, immo et effusa caritate.

Optime ergo n. 29 dicit: « ... quo facilius et aptius episcopus provideri possit... », sed nota explicativa n. 20 pag. 28 perspectivam istam non parum enervare videtur quando scribit: « ... servando modum procedendi qui nec *longas* moras patiatur, nec *multiplices* solemnitates requirat... et episcopus sine *magna* difficultate officio exsolvere valeat ». Quae morae, solemnitates et difficultates adhuc certo manebunt si novae normae in nn. 22 (29 appendicis 3) prioris schematis contentae, vel aliae hisce similes, praescriberentur.

Hae normae reapse potius parochi stabilitati quam gregis bono consulere videntur.

Quodsi ad hoc negotium peculiares solemnitates necessariae existimantur (quae solemnitates non aderant in nominatione, negotium utique maioris momenti), tunc plene assentior his quae dixit em.mus card. Richaud, omnia scil. remittere, appellatione non exclusa, ad conferentias episcopales regionales, quia improbum semper atque difficile remanet parochis consultoribus de confratre disceptare et iudicare.

Ita medicina non sero paratur, scandala vitabuntur et episcopi auctoritas nullum vel fere nullum detrimentum patietur.

Tempora velociora fugiunt cursore! Novis necessitatibus et condicionibus fidelium accommodentur oportet et variae apostolatus formae et Iuris normae ac disciplinae; quod merito « aggiornamento » vocatur.

« Quapropter — ait Summus Pontifex in Litteris Enc. *Ecclesiam suam* — in mente nostra versabitur semper, tamquam finis et opus Pontificatus Nostri, verbum illud Decessoris Nostri Ioannis XXIII ven. mem. quo rerum accommodatio significatur ad nostri aevi necessitates. Quod verbum — aggiornamento —, praeterquam quod Concilio Oecumenico, veluti ratam confirmatamque regulam, fere praefinivimus, identidem praeterea in Ecclesiae memoriam redigemus... » (*A.A.S.*, 10 [1964], p. 632).

Hoc tali modo episcopus Ecclesiae suae magistrum, pontificem et pasto-

rem semper melius sese sentiens, cum presbyterio suo, sub ductu Petri, aperte et efficaciter propriam reget familiam et ita vere adlaboraverit in aedificationem totius « Corporis Christi ».

11

Exc.mus P. D. MICHAEL BLECHARCZYK

Episcopus tit. Iotanus, aux. Tarnoviensis

Locuturus sum de n. 24 schematis decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* pag. 16.

Quae pars decreti mihi valde placet, sed adhuc quodam supplemento indigere mihi videtur:

1. Post secundam alineam opportunum esset addere: « Si habentur plures episcopi auxiliares " Consilium Episcopale " constituant, quod episcopus dioecesanus in perpendendis causis maioribus ne omittat consultare ».

2. Decisiones episcopi dioecesani, praesertim in quibus consensus capituli cathedralis iure postulatur, ne fiant sine consensu episcopi auxiliaris, aut supradicti « Consilii episcopalis ».

3. « Omnes episcopi dioecesani et auxiliares, ad conferentias regionales episcoporum convocati, aequali iure votandi gaudeant; in casu vero absentiae episcopi dioecesani ipso iure episcopus auxiliaris, si plures adsint, maior, eum repraesentet ».

4. « Sede vacante, nisi pro casu Sancta Sedes aliter providerit, deficiente quoque episcopo coadiutore cum iure successionis, regimen dioecesis ex iure ad episcopum auxiliarem devolvatur, usque ad tempus designationis novi episcopi dioecesani. Si duo aut plures habentur episcopi auxiliares, regimen dioecesis maior eorum suscipiat; si sit ineptus aut regiminis onus accipere coram capitulo cathedrali renuntiaverit, regimen ad auxiliarem ordine secundum perveniat.

Auxiliaribus omnino deficientibus aut renuntiantibus, dioecesis vacantis regimen ad vicarium capitularem devolvitur, ad normam can. 431 sq. ».

Quorum propositorum sequens est ratio:

a) In dioecesi episcopus auxiliaris generatim habetur, qui Sede vacante in electione vicarii capitularis facienda humilianti capitularium iudicio subicitur;

b) In casu ambitionum particularium electio vicarii capitularis episcopo auxiliari in ea participanti valde laboriosa evadit;

c) At Scriptura sacra clare pronuntiat thesim: « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » (*Act. Ap.* 20, 28). Si ergo adest episcopus, patet consequens.

Quae omnia dum humillime venerabilibus Patribus diiudicanda ac discernenda proponere audeo, spes mihi simul affulget fore, ut sic dicta « adintegratio » ipso episcopo auxiliari auctoritatem convenientem apud clerum

populumque christianum, episcopis vero dioecesanis operosiorem caritatem et efficacius adiutorium ex parte ipsius episcopi auxiliaris — conciliet.

Alia vota addita: N. 32, pag. 19, post lin. 22 opportunum esset, censeo, addere sequentia: « Ut in operibus apostolicis peragendis aptum auxilium religiosi praebere possint, diligenter ad illa opera exercenda praeparentur et quidem non solum ad traditionalia, uti opera instructionis et caritatis, sed etiam ad opera modernis temporibus accommodata — ut occupationes in bibliothecis, typographiis, redactionibus, officiis parochialibus ».

Cultura enim in dies magis magisque crescit; moniales et sorores praesertim ob defectum convenientis eruditionis et educationis non tam fructuosum influxum exercent. Item variatur genus occupationum, variantur media sustentationis, nonnulla media ut: agricultura, occupatio in hortis, saltem in quibusdam regionibus, desinit esse. Novi sustentationis fontes quaerendi, unde ad illos religiosae instruendae sunt.

N. 33, pag. 20, post lin. 15 opportunum esset, censeo, addere sequentia: « Enixe monentur superiores, ut etiam in casibus difficilioribus, in quibus secundum Ordinarii mentem auxilium religiosorum, etiam cum aliquo detrimento eorum Domus necessarium aut valde utile est, hoc auxilium ob maius bonum commune praestent ».

Agitur de hierarchia necessitatum — bonum commune praevalet. Possunt etiam esse occupationes difficiles vel periculosae, ne tales occupationes timeant. Vita nostra est assidua pugna, in pugna sunt quaedam certae positiones valde periculosae, quae quidem occupandae sunt.

Item eodem n. 33, pag. 20, post lin. 20 opportunum esset, censeo, addere sequentia: « Sine scitu et consensu Ordinarii a religiosis nova apostolica negotia externa ne initientur; opera ab illis praestanda cum aliis operibus ab Ordinario concordentur atque eius regimini, salva exemptione interna, perfecte subdentur ».

Actio tunc bona est, quando ad unum finem conspirat et ab uno dirigitur — actio apostolica, praesertim hodiernis temporibus, quam maxime unionem et conspirationem desiderat.

12

Exc.mus P. D. RENATUS BOUDON

Episcopus Mimatensis

15. (Episcoporum munus sanctificandi). In exercendo suo munere Pontificis, meminerint episcopi se plenitudinem perfectionemque sacerdotii possidere, quam presbyteri participant, (1) *et cui serviunt diaconi aliique ministri, quo sacerdotio* (2) *in persona Christi coetui fidelium praesunt* et praecipui dispensatores sunt (3) *mysteriorum Dei.*

Episcopi sunt (4) *ad normam constitutionis huius Synodi de sacra liturgia,* totius vitae liturgicae in dioecesi moderatores, promotores et custo-

des. Iugiter adnitantur ut christifideles *non solum* paschale mysterium intimius cognosc*ant ac* viv*ant* per eucharistiam (5) *et cetera sacramenta,* sed etiam (6) *ad eum celebrandum in unum conveniant, una voce orantes, cor unum et animam unam habentes,* unum arctissimum efficientes Corpus in unitate caritatis Christi. (7) *Idcirco vigilent episcopi ut homilia et apta catechesi intelligentia fidei praebeantur, sive eorum quae leguntur vel dicuntur, sive sacrorum rituum qui perficiuntur.*

(8) *Meminerint etiam genuina sacrae Liturgiae celebrationem, etsi solos fideles congregat ad divina mysteria participanda, Ecclesiam tamen Christi hominibus manifestare, tum quia saepe infideles testes ac spectatores sunt Liturgiae in sacra aedificia intrantes vel instrumentis communicationis utentes, tum praecipue quia fidelium grex lumen paschale, quo in Liturgia illuminatus est, coram hominibus lucere conatur.*

(9) *Meminerint denique neminem posse invocare in quem non credidit, neque credere nisi audierit, meritoque sacram liturgiam praesupponere et provocare evangelii praeconium per omnes apostolatus activitates.*

Qua perfectores, episcopi *ovium suarum* sanctitatem promovere studeant secundum suam cuiusque peculiarem vocationem (10) *et totius mystici Corporis utilitatem et varietatem, sive sint laici, sive religiosi, sive clerici.* Ita Ecclesias sibi concreditas *regant,* ut in eisdem Ecclesiae universalis sensus plene effulgeat, *et vocatio ad gentes evangelizandas a multis audiatur.* (11) *Et sic* vocationes *tam sacerdotales quam religiosae, pro ecclesiis sibi commissis etiamque pro aliavis ecclesia, ultro multiplicentur.*

Rationes:

1. Brevitatis causa et pressioris subtilitatis doctrinalis.

2. Ad inserendam notionem coetus liturgici.

3. Brevitatis causa.

4. Allegatio facienda est constitutioni ut invitentur episcopi ad eius doctrinam meditandam.

5. Additio quae necessaria videtur.

6. Cf. ratio 2 supra.

7. Haec sententia resumere vult aliqua quae in constitutione liturgica fortius inculcantur utpote nostro tempore urgentiora.

8. Rerum adiuncta aliam rationem inducunt ac saeculis praeteritis modi quo communitas christiana in mundo versatur.

9. Clare inculcatum est in constitutione *de sacra Liturgia* etsi Liturgia est culmen et fons, non tamen omnem Ecclesiae actuositatem explere et primas partes esse tribuendas evangelizationi.

10. Modo magis positivo et luce theologiae de Ecclesia illustratur vocationum varietas.

Sententia « memores quidem... simplicitate » melius transfertur, iuxta ea quae in disceptatione dicta sunt, in specialem paragraphum post n. 18.

11. Melius sic inseruntur vocationes sacerdotales et aliae in tota consecratione huius n. 15.

13

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congregationis Angliae O.S.B.

Liceat mihi pauca animadvertere super n. 18 ter huius schematis.

Intentio, ut mihi videtur, huius numeri est ut Ecclesia habeat tanquam pastores suos quos ipsa elegit et ipsa competens auctoritas ecclesiastica instituit. Et haec intentio sane omni laude digna est. Modus autem huius intentionis confirmandae, vel locutio ipsa numeri, mihi minus placet.

Etenim in prima alinea nominatio et institutio episcoporum aequiparantur ita ut omne ius *nominandi* ad episcopatum auctoritati ecclesiasticae per se reservetur. Sed libertas Ecclesiae satis servatur dummodo *institutio* ei reservetur. Non adest ratio per se absoluta quare auctoritas saecularis non possit *nominare.* Et cum hae duo auctoritates debeant cooperare in bonum populi sui respectivi, potest aliquando fieri ut hoc bonum melius promoveatur si ius fiat saeculari potestati *nominandi* ad episcopatum. Non debemus ita iura Ecclesiae asserere ut iniuria fiat aliis auctoritatibus.

In secunda alinea omnino deplorandum esse duco quod iura aut privilegia *electionis* episcopi a *laicis* amoveantur. Laici, qua tales, sunt ordinaria membra populi Dei et sacerdotium Christi suo utique modo participant. Magnum habent interesse in electione episcopi sui. Et in antiqua ecclesia saepe electio episcopi fiebat per electionem plebis christianae, cooperante clero locali. Haec consuetudo hodie quoque, ut mihi videtur, redintegranda esset, praesertim cum hoc Concilium tam laudabiliter intendat restituere laicis suas partes activas in Ecclesia.

Ideo suadeo ut in prima alinea nostra omittantur verba *nominandi et.*

In secunda alinea autem, ut inserantur post verba *ad episcopatus officium* verba *quibus libertas auctoritatis ecclesiasticae in institutione minueretur.*

Meo quidem iudicio hic numerus redolet controversias medii aevi et systema theoretico-practicum iam obsoletum.

14

EXC.MUS P. D. VICTORIUS CECCHI
Episcopus Forosemproniensis

Humiliter propono ut sequentes animadversiones addantur ad n. 28 schemati decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*: Si vero in corpore schemati inseri nequeunt ad commissionem pro reformatione C.I.C. transmittantur: « Si in territorio paroeciali inveniantur Oratoria aut Ecclesiae semipublica a clero sive dioecesano sive regulari recta, omnia quae in ipsis geruntur, disponantur et coordinentur, praesertim diebus dominicis

ac festivis, in spiritu caritatis et unitatis, ad fovendam communitatem paroecialem.

Communitates religiosae sive virorum sive mulierum quae vitae activae operam dant, praeter apostolatum sibi proprium, impenso zelo in bonum communitatis paroecialis, in cuius territorio degunt, cooperentur et praesertim in diebus dominicis ac festivis actuose participent liturgiae paroeciali ad fidelium aedificationem (cf. PAULUS VI in *Sermone ad Religiosas,* die 8 sept. 1964). Item est pro iuventute quae in collegiis catholicis alitur; collaboratio enim ad vitam liturgicam et pastoralem paroeciae optimum et efficax adiumentum est in christiana educatione.

[*Subsignavit etiam*] Nicolaus Cavanna, ep. Reatinus.

15

EXC.MUS P. D. IUSTINUS DARMAJUWANA
Archiepiscopus Semarangensis *

1. Quoad S. Congregationem S. Officii et de legatis Summi Pontificis ac de minuendo numero episcoporum titularium in Curia Romana. De quibus quaestionibus tractandum esset in cap. I par. II « Episcopi et Apostolica Sedes ».

Hae quaestiones tamen omittebantur cum ratione: « quia proprium non est Concilii Oecumenici de quaestionibus particularibus agere » (Relatio, pag. 37, reg. 22-27). Resp.: Non sunt quaestiones particulares, sed quaestiones quae maximi sunt momenti pro regimine totius Ecclesiae, aeque ac quaestiones de membris et officialibus dicasteriorum, de renuntiatione episcoporum a munere et aliae similes, quae in hoc schemate tractantur.

Insuper, si de iis quaestionibus non ponuntur principia clara et concreta a Concilio, forsan quaedam reformationes necessariae et a non paucis Patribus valde optatae, numquam verificabuntur.

2. Pag. 18, n. 29, reg. 21-25. Rogatur ut expressius indicetur quod etiam religio si in usu iuris praesentationis ad nominationem, amotionem et translationem parochorum prae oculis habere debent bonum animarum.

3. Pag. 18, n. 29, reg. 26-27. Rogatur ut institutum parochorum inamovibilium claris verbis supprimatur, v. g. his verbis: « Quilibet parochus potest, id exigente bono animarum, amoveri a paroecia, ita ut distinctio inter parochos inamovibiles et parochos amovibiles in posterum abrogatur ».

4. Pag. 20, n. 33 ad 3, reg. 20-29. Rogatur ut institutum exemptionis recognoscatur, quae recognitio nitatur i. a. in his principiis:

a) Quaedam exemptio servetur praesertim ad tuenda opera curam animarum spectantia in missionibus.

b) Exemptio numquam detrimentum afferre potest curae animarum.

---

* Subsignavit uti praeses coetus episcoporum Indonesiae.

c) Exemptio tantum conceditur in quantum necessaria pro ordine interno Institutorum.

d) Gradus exemptionis sit aequalis pro omnibus Institutis religiosis.

5. *In genere*. Quoad tenorem schematis in genere: Rogatur ut verba: « exoptat Synodus », « in votis est », « enixe commendatur », et hae similia commutentur cum verbis praeceptivis uti: « decernit », « mandat » etc.

16

EXC.MUS P. D. EMMANUEL DEL ROSARIO
Episcopus Malolosinus

Saepe accidit in iis regionibus ubi clerici abundant, quod sacerdotes per plures annos vicarii cooperatores remanent, et parochi non deveniunt nisi transactis 25 vel 30 annis post ordinationem sacerdotalem, adeo ut in circulis ecclesiasticis non sit insolitum audire quando quis parochus nominatur: « Eum parochum factum esse ut iam quieti se tradere possit ».

Alia ex parte, in iisdem locis adsunt non pauci sacerdotes, aetate provecti, qui etiamsi debiles et infirmi, immo et inepti, adhuc paroecias regere pergunt. His in casibus bonum animarum detrimentum patitur et vita parochialis non est tam activa et virescens sicut deberet esse. Verum est quod adhuc Missae celebrantur horis solitis et sacramenta statutis diebus administrantur, sed his exceptis, paroecia practice languescit, vita et activitate caret. Aliquando ut huiusmodi rerum conditio iustificetur, adducitur ratio quod nihil refert si parochus sit senex et infirmus, nam habet duos vel tres vicarios cooperatores. Talis ratiocinatio parum valet, nam vicarii cooperatores quasi semper manus habent ligatas quatenus nihil sine beneplacito parochi facere possunt.

Quae cum ita sint, humiliter propono ut in n. 29 huius capitis, in quo agitur de parochorum nominatione, amotione et renuntiatione, addatur quod sequitur, scil.: Sacerdotes nominentur parochi quando quadraginta circiter annos habent. Rationes sunt:

a) Tunc iam habent sufficientem experientiam;

b) Sunt in aetate adhuc florente et habent vires, ardorem animumque ad occurrendas necessitates et vicissitudines nostri temporis. Parochus debet esse fortis et robustus, nam est miles qui exit ad locum pugnae in occursum inimici; est operarius in vinea Domini qui portat pondus et aestus diei. E contra, si sacerdos non nominatur parochus nisi cum pervenerit ad quinquagesimum quintum vel sexagesimum annum aetatis, iam non multum facere valet; iam transacti sunt eius meliores anni, iam consumptae sunt eius vires, iam oppressus est languore corporis.

Propono, secundo, ut parochi, in illis regionibus ubi sacerdotes iuniores adsunt qui valent eorum locum tenere, ab officio removeantur cum attigerint septuagesimum annum aetatis. Certe talis amotio nullam omnino speciem

punitionis habere debet, et parochis propter provectam aetatem amotis honesta sustentatio provideri oportet. Imo, occasione amotionis convenit tales parochos condecorari in agnitionem publicam tot annorum laboris in vinea Domini. Demum, in quantum fieri potest, eis concedatur in dioecesi officium honoratum secundum eorum vires et capacitatem. Non oportet illos relinquere sine ullo labore, nam senes de hoc vehementer dolent et nihil magis properat eorum iter ad sepulchrum quam sensus quod iam non amplius valent et nemo eos vult.

17

EXC.MUS P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

Los Obispos que suscriben adhieren a la intervención habida en el Aula Conciliar, en la 86 Congregación General, por el Excmo. Sr. Rafael Gonzalez Moralejo, sobre el n. 18 bis y 18 ter, del cap. II del Esquema de Decreto sobre *pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Asimismo reafirman su adhesión a las observationes enviadas a la secretaría general del Concilio en el mes de Abril ppdo.[1], y que dicen así:

« *Sobre la elección episcopal*:

a) Que la elección de un nuevo Obispo, conforme a la tradición de la Iglesia, sea reconocida come un derecho del Cuerpo Episcopal de la nación o región al que es agregado el electo, salvo los derechos del Primado Romano, y que en consecuencia se realice mediante un acto colegial de acuerdo a procedimientos establecidos;

b) Que la consulta de los Presbíteros, de los Institutos Religiosos y del laicado representativo de la sede vacante, sea requisito previo para proceder a la elección;

c) Que sea declarado nulo todo privilegio concedido a la autoridad civil o presumido por ésta, para intervenir en la elección episcopal, lo mismo que en la elección y provisión de cualquier otro cargo Eclesiástico;

d) Que se sugiera a los poderes jurídicos internacionales sea reconocido el derecho de los miembros de cualquier sociedad religiosa de elegir libremente sus jefes, conforme a sus propias leyes, sin intervención alguna del Estado ».

[*Subscripserunt etiam*] Antonius M. Aguirre, ob. de San Isidro en Arg.; Vicente Zazpe, ob. de Rafaele; Eduardo Pironio, ob. tit. de Ceciri; Manuel Tato, ob. de Sgo del Estero; Jerónimo Podestà, ob. de Avellaneda; Enrique Angelleli, ob. tit. de Listra; Antonio Quarracino, ob. de Nueve de Julio.

---

[1] « Conclusiones aprobadas por los Obispos reunidos en Pilar, República Argentina, 14-16 abril 1964 ».

18

Exc.mus P. D. IOANNES DOOLEY
Archiepiscopus tit. Macrensis in Rhodope

Votum est: ut omnia retineantur quae in paragrapho 33, 4) continentur, cum sint omnino necessaria ad bonum commune Ecclesiae.

Insuper addantur verba « *religiosam et moralem educationem* » post verbum « puerorum », ita ut textus sic sonet:

« Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariis locorum subdun tur in iis quae, ad publicum exercitium cultus divini, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, *religiosam et moralem educationem,* catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, ad varia apostolatus opera necnon ad status clericalis decorem spectant. Pariter tenentur servare ea omnia quae episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint ».

[*Subscripserunt etiam*] Patricius Cleary, ep. Nancheng; Patricius Cronin, ep. tit. Ubaza; Henricus Byrne, ep. tit. Lamian; Thomas Quinlan, ep. Chunchun; Ioannes Howe, ep. Myitkyin.

19

Exc.mus P. D. CLAUDIUS DUPUY
Episcopus Albiensis

Nostrum Concilium scopum habet 1. ad renovationem Ecclesiae laborare, 2. unioni christianorum seiunctorum favere. In schemate *de episcoporum munere* nihil dicitur de munere episcoporum relate ad Oecumenismum. Attamen in sess. II em.mus card. Bea instanter dixerat ad episcopos principaliter pertinere, suscitare et dirigere, in eorum dioecesibus, omnia incoepta propria ad unionem christianorum fovendam. Schema *de Oecumenismo* multas regulas practicas ponebit ad hoc scopum attingendum. Necessarium est in schemate proposito ad disceptationem, inseratur paragraphus episcopis revocans, ut in eorum dioecesibus praeoccupentur de incoeptis omnibus adaptatis, ad oculos inflectendos fidelium de unionis christianorum momento, ad preces fundendas pro unione, et ad favendum firmiter simulque prudenter dialogum oecumenicum cum fratribus seiunctis. Itaque, post par. 18, votum exprimo ut sit addita nova paragraphus, revocans episcopis munus in campo oecumenismi.

20

Exc.mus P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ
Episcopus Ambatensis

Omnibus notum est quanta et qualia bona sanctam Ecclesiam a praesenti Concilio Vaticano II accepisse. Inter alia haec numerari possent. Evi-

gilatio conscientiae circa responsabilitatem circa curam animarum; profundior notitia de statu generali Ecclesiae; enucleatior expositio principiorum quae diversis nostri temporis circumstantiis aptantur; benefici contactus inter successores apostolorum qui etiam ex dissitis regionibus ad Petri sepulchrum conveniunt; etc. etc. Concludere ergo possumus Concilium aliquod bonum esse pro Ecclesia.

Si ita res se habeant, credimus quod tales coetus vel congregationes non saecula expectare debere, sed iterum ac iterum celebrari, prout bonum animarum et temporum necessitates expostulent.

In nostro Concilio aliquos defectus, nonnisi cum magno labore superari potuerunt; nullus enim Patrum conciliarium experientiam habuit de alio Concilio qua de causa etiam materiae tractandae multae fuerunt ita ut necesse fuerit sessiones multiplicare ut saltem breviter et per summa capita saltem principaliora attingantur. Talis defectus, sine dubio supprimeretur, si congregationes spatio minoris temporis celebrarentur.

Hodie, de die in die distantiae inter diversas nationes per modernas vias communicationis breviores evadunt; hodie sufficiunt aliquae horae ut Patres etiam ex dissitissimis regionibus convenire possint, et technica ita progreditur ut non sit audax asserere post aliquos annos proximiores fore nationes inter se, quam hodie sunt civitates eiusdem nationis.

Considerandum etiam est omnes episcopos totius mundi, ex praescriptione Iuris Canonici obligationem habere semel omnibus decem annis saltem Romam visitandi, hac de causa credimus quod si aliqua periodica universalis conventio determinaretur non novum onus super humera episcoporum poneretur.

De cetero, praxis est inter omnes conferentias episcopales totius Ecclesiae annuales congregationes celebrandi. Quasi non existit natio ubi conferentia episcopalis est constituta ubi tales annuales congregationes non celebrentur, et habita ratione quod in aliquibus nationibus distantiae intra proprium territorium quasi inter istas nationes et Romam. In America Latina existit Concilium Generale Episcoporum Americae Latinae, et multoties ad coetus faciendos, itinera facere debent ac si ex propria nationem ad Romam convenirent.

Iis omnibus consideratis credimus quod Concilium Vaticanum II valedicere debet consuetudinem celebrandi concilia solummodo unoquoque saeculo et congregationes multiplicare, per speciale statutum, ut tales congregationes saltem post decem annos celebrentur. Haec praxis fuit apostolorum qui congregationibus conveniebant, non definitis temporibus, sed quando necessitas ecclesiae id postulabat.

Ergo, in par. II cap. I, ubi de episcopis et de Apostolica Sede agitur, post n. 10, maior frequentia congregationum episcoporum universi mundi determinetur.

21

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

Cap. I (6), pag. 8, lin. 8: velim I. ut addatur adverbium « maxime », vel « magnopere » ante verbum « curent » et sic sonatur: Maxime autem curent ut...; II. ut supprimatur « quantum possibile sit » et tota sententia sic currat: *Magnopere curent ut aliqui ex suis* etc. ...

Ratio ad I: linn. 4-8 episcopi invitantur ut fideles et auxiliares religiosos et laicos ad opus missionale diverso modo exhortentur et praeparent. Et est optimum sed minus tantum sacrificium pro episcopis.

Maximum autem opus in favorem missionum operatur qui unum vel alterum vel plures e suis sacerdotibus in missionum territoria mittit. Hic laude dignus est.

Ratio ad II: deleatur sententia « quantum possibile sit », nec hac parenthesi utantur et propriam paupertatem (veram vel praetextam) invocent. Etenim etiam pauperes vel minus divites eleemosynam dare satagant. Dominus mulierem laudavit quae non de superfluo, sed de necessario dedit. Domini verba etiam pro nobis dicta sunt.

Illustratio. Sunt in quibusdam dioecesibus collegia in quibus 20, 30 et immo 40 sacerdotes iuvenes etiam in rebus mere profanis instruunt, dum in multis dioecesibus in territoriis missionum vix 40, vel minus 30, 20 cum episcopo laborant.

Quaestio. Nonne melius est ut dives pauperem adeat, magis quam ut pauper longum iter faciat ad invitandos episcopos divitiores ut ei sacerdotes in perpetuum vel ad praefinitum tempus praebeat?

Sunt permulti episcopi qui mecum consentiunt, inter quos Clement Kabukasansha; Giov. B. Cesana; Cornelius Chitsulo; Ad. Messmer, év. d'Ambanja; Marcel Daubechies, ep. Kasamaensis.

Cap. II (n. 14), pag. 11 (catechetica institutio). In hoc numero non fit sermo a quo institutio catechetica tradenda est. Velim ut in lin. 24 post verba: « sedula cura tradatur », addantur sequentia verba: *imprimis a parochis vicariis adiutoribus et iis sacerdotibus qui in scholis et collegiis docent.*

Ratio. Est officium primordium sacerdotum. Experientia autem constat (proh dolor) nonnullos sacerdotes hoc officium parvi habere et id laicis tradere atque laici (etiam sorores et religiosi non clerici) experientia pastorali carent.

Saepe catechistae ipsi sacerdotes admonent ut ipsi doctrinam explicent, quia soli id adaequate facere possunt et responsa iusta quaestionibus a pueris et adolescentibus factis, dare. Insuper est quaedam « virtus » quae a sacerdote profluit tamquam ab « alio Christo ».

[*Subscripserunt etiam*] Marcel Daubechies, ep. Kasamaensis; Ad. Messmer, év. d'Ambanja.

22

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister generalis Ordinis Praedicatorum

Nomine Commissionis Permanentis Unionis Romanae Superiorum Generalium pauca vellem dicere de relationibus inter religiosos et episcopos.

Ante omnia pergratum mihi est palam declarare superiores religiosos ex corde desiderare maiorem unionem et strictiorem collaborationem cum episcopis et cum clero saeculari. Talis enim unio et collaboratio, ut omnibus manifestum apparet, magis nostris diebus urget quam temporibus anteactis. Quapropter, superiores omnes facile consentiunt, religiosos sese exhibendos esse promptiores et paratiores in hoc gravi nobilique opere collaborationis, pro apostolatu dioecesano magis ac magis provehendo sub ductu episcoporum.

Alterum quod libenter etiam fateri volumus, hoc est, nempe: ea quae in nn. 31-33 decernuntur de hac auspicata collaboratione, Unioni Romanae Superiorum Maiorum Generalium, quoad substantiam placere, ipsisque in genere valde commendari; placere etiam rationem ea proponendi, per summa videlicet principia, deposita forma concreta et fere casuistica antehac adhibita; placere tandem principium quod religiosi aliqua ratione pertinent ad clerum dioecesanum in dioecesi in qua commorantur, perplacere autem consilium frequenter habendi collationes episcopum inter et superiores religiosos, aliaque id genus.

Verumtamen, modeste dicam, adsunt quaedam sententiae seu potius elocutiones quae aliquantulum fortes apparent, quaeque offendere possunt animos religiosorum, immo quae possunt interpretari et in praxim deduci sensu alieno a mente redactorum schematis. Ad hoc autem declarandum, liceat mihi, venerabiles Patres, aliquid praemittere de natura exemptionis.

Non enim est exemptio quoddam proprie dictum privilegium, seu lex per se favorabilis; nam ut explicat Leo XIII: « Huius rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem... » (Const. *Romanos Pontifices* 20 aug. 1880, § 7; *Fontes Codicis Iuris Canonici,* vol. III, 173); exemptio eum in finem constituitur ut Religiones in suo esse conserventur et augeantur, recte gubernentur et efficaces reddantur ad apostolatus, praesertim specificos, exercendos. Finis igitur exemptionis non est favorem religiosis praestare, sed bonum Religionis et bonum sive totius Ecclesiae sive singularum Ecclesiarum particularium in quibus apostolatum exercent promovere. Hoc autem sensu intellecta, exemptio est potius institutum et elementum pertinens ad organizationem ipsius Ecclesiae a Summo Pontifice sancitum. Sicut enim Dioecesium divisio et limitatio iurisdictionis episcopalis intra definitos terminos territoriales instituta sunt in bonum totius Ecclesiae simul et singularum dioecesium, eodem modo limitatio potestatis episcoporum respectu religiosorum, per reser-

vationem quorumdam negotiorum Romano Pontifici eiusque vicariis superioribus religiosis, est elementum organizationis Ecclesiae, nullam per se habens rationem favoris seu privilegii.

His praelibatis, et supposita hac exemptionis theologia, proponerem temperamentum quarumdam locutionum schematis:

1. In pag. 20, linn. 9-10 petitur ut religiosi ampliores partes suscipiant in ministeriis dioecesanis « salva Instituti indole et secundum constitutiones, quae, si necesse sit, dicitur, *ad hunc finem congrue accommodentur* ». Nonne hoc sapit consilium Sanctae Sedi, cuius est fines et leges fundamentales tradere Religionibus iuris Pontificii? Eo vel magis difficilis erit exsecutio, quod exigentiae apostolatus diversae erunt pro diversis locis; et non poterunt leges fundamentales mutari pro diversis locis sine gravi discrimine ipsius Religionis. Ergo quod dicitur de Constitutionibus, vel supprimatur vel tantum dicatur de Directoriis aliisque normis auctoritate Superiorum latis.

2. In eadem pag. 20, lin. 22 dicitur: « exemptio ordinem Institutorum internum *potissimum* respicit ». Revera exemptio proprie respicit ordinem externum, ordinem nempe ecclesiasticum socialem et apostolicum. Sed his relictis, timeo ne quis verbum *potissimum* male interpretetur, et praetendat religiosos sibi subditos habere in omnibus fere quae non sint negotia stricte interna. Iamvero, cum plura negotia externa sint inseparabiliter connexa cum ordine interno: cum disciplina, cum obedientia, cum disponibilitate religiosi, etc. necessario talia negotia externa saepe cadere debent sub protectione exemptionis, manente semper in genere auctoritati et directioni episcopi actione apostolatus in dioecesibus. Proinde proponerem saltem substitutionem adverbii *potissimum,* per verba *ut plurimum, in genere,* vel alia similia.

3. Ex eadem ratione, ea quae asseruntur in pag. 20 sub linn. 30-34, et in pag. 21 sub linn. 1-3, nimis absolute dicta videntur. Et proinde temperanda erunt salutari clausula *ad normam iuris,* hoc modo: « Religiosi *ad normam iuris* locorum Ordinariis subduntur in iis quae ad publicum cultum divinum, ad sacram praedicationem... etc., spectant ».

4. Nimis late patet commendatio quod superiores — omnes videlicet et ubique — in paroeciis suscipiendis pro viribus faveant. Nam susceptio paroeciarum quibusdam Religionibus quae peculiariter et intense specificis formis apostolatus incumbunt ex instituto, minus certe congruit.

5. Denique, sicut dialogus episcopi cum superioribus religiosis suae dioeceseos nonnisi fructus optimos afferet pacis, comprehensionis et efficacis apostolatus, ita dialogus conferentiarum episcopalium cum conferentiis religiosorum ex eadem ratione commendari videntur. Dolendum est ut de conferentiis religiosorum non aliquid dicatur. Quare, valde optamus et humiliter proponimus ac petimus ut restituatur art. 45 praecedentis schematis *de cura animarum* (pag. 23), qui sic se habebat: « Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes inter episcopos et religiosos, quo-

ties id opportunum videbitur, conveniant episcopi et superiores religiosi per se aut per suos delegatos, ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in natione aut provincia pertinent ».

23

EXC.MUS P. D. MARION FRANCISCUS FORST

Episcopus Dodgepolitanus

This intervention is made to endorse the Schema and to plead that it be sufficiently strengthened that it will positively emphasize that the work of the bishops is essentially that of caring for souls.

1. The Catholic Church in today's world has but one task—to witness before all nations and all men the place of Christ in the world.

2. Accordingly, there is no need for the Church's continued direct intervention on a political and secular level. If reasons can be alleged to justify the practice the principle of "accepting the lesser evil" would warrant the Church's complete withdrawal from further involvement with civil governments whether by diplomatic representation; treaties; concordats or other political agreements. In our day such action seems to mar both the image as well as the work of the Church.

3. The continued use of bishops in the area of international diplomacy belittles the dignity and the office of the episcopacy. If there is justification for such representation the work should be done by laymen rather than by bishops or priests.

4. When episcopal representation is needed on a national basis, such action can well be the responsibility of the official national episcopal body or conference.

5. Page 8, lines 14, 15. Change the statement to read: "Let the National Conference of Bishops (in union with the Congregation for the Propagation of the Faith or the Secretariate of State) strive to relieve the distress affecting other dioceses or regions." If help were provided in an orderly, businesslike manner far more could be accomplished that can now be done in a limited, haphazard way.

6. Page 13, paragraph 19 and page 18, paragraph 29. Alter these statements to read that those concerned (meaning all bishops, major Superiors and pastors) be obliged to retire at the age of 65. However, place emphasis on the fact that although they be made to retire from administrative responsibilities, the Church, dioceses and Religiuos communities have the duty to use the talents and abilities of those who are willing and able in non-administrative functions. Private organizations, generally, have found this to be a sound practical policy in assuring the disciplining of any organization, and in keeping it up to date.

24

EXC.MUS P. D. CLEMENS GADDI

Episcopus Bergomensis

Pag. 16, n. 25, lin. 30: insererem quae leguntur pag. 28 in nota 17 de vicario generali.

Pag. 18, n. 28, lin. 13: adderem: « praesertim faciles se praebeant ad fidelium confessiones excipiendas ».

Pag. 18, n. 28, lin. 18: loco « pauperes et infirmos speciali caritate prosequantur » dicerem: « pauperes speciali caritate prosequantur et infirmos frequenter invisent ».

Pag. 18, n. 29, lin. 27: adderem, desumendo verba ex nota n. 20 pag. 28: « Quare episcopus, ubi necessitas vel magna utilitas boni animarum illud exposcat, parochos legitime transferre vel amovere potest, salva utique naturali et canonica aequitate sed servato modo procedendi qui nec longas moras patiatur nec multiplices solemnitates requirat ».

25

EXC.MUS P. D. VICTOR GARAYGORDOBIL BERRIZBEITIA

Episcopus tit. Pudentianensis, prael. null. Fluminum

Al perfilar la figura del Obispo de hoy, muchos Padres Conciliares, han acentuado desde distintos puntos de vista la obligación del Obispo de llegar a un mejor conocimiento de sus ovejas, para poder apacentarlas mejor. Me adhiero en su totalidad a cuantos han hablado en este sentido.

Por mi parte quisiera añadir algunas observaciones en este mismo sentido.

Cualquiera que sea el método que emplee el Obispo para conseguir este fin, tendrá que valerse necesariamente y en primer lugar de sus Sacerdotes, como de sus más íntimos colaboradores. Con mucha razón un Padre decía en el aula conciliar que los Sacerdotes son los ojos y las manos del Obispo.

Ojos, porque, sin su colaboración activa y eficaz, no podría nunca llegar al conocimiento de los muchos problemas de sus diócesis, ni catalogarlos y jerarquizarlos en debida forma. Si el Obispo ve solo con sus propios ojos, o a través de los ojos de unos pocos que le rodean, corre el peligro de que su visión de los problemas de su diócesis sea parcial, quizás no del todo objetiva, y hasta algunas veces interesada. También en torno al Obispo se pueden tender cortinas de humo, para encubrir la verdadera fisionomía de los problemas parroquiales, o diocesanos. También al Obispo se le pueden presentar panoramas artificiales, que no responden a las realidades concretas.

Si el Obispo quiere de veras, como es su deber, llegar al conocimiento

real y verdadero de los problemas y de las necesidades y posibilidades de su diócesis, debe contar con la colaboración y asesoramiento de Sacerdotes que estén en condiciones de conocerlos y debe brindarles la confianza necesaria, para que puedan decirle toda la verdad, sin más miras que el bien de las almas. Solo así podrá elaborar planes y estructurar proyectos con garantías de éxito.

Manos del Obispo, porque, elaborados los planes y estructurados los proyectos, hay que llevarlos a la práctica. Y aquí sí necesita de la colaboración activa, intensa y voluntaria de todos los sacerdotes. Si los sacerdotes no colaboran gustosa y gozosamente con su Obispo, los planes mejor elaborados y las obras emprendidas con el mayor entusiasmo no pasarán de ser, en el mejor de los casos, realizaciones a medias.

Y si esos planes fueron elaborados sin tomar debidamente en cuenta los criterios y apreciaciones de los sacerdotes, difícilmente éstos podrán colaborar con el Obispo activa, intensa y gozosamente. Con las ideas que hoy se barajan y van tomando cada vez más cuerpo, solo a base de comprensión, diálogo y colaboración, se llegará a estructurar una unión armónica y sólida entre el Obispo y sus sacerdotes.

Per otra parte, dada la temporaneidad y la interinidad de los Obispos en sus Diócesis, la prudencia más elemental aconseja que toda orientación o plan de acción de cierta embergadura se tome de acuerdo con lo que siente y piensa al respecto el Clero diocesano. Porque el Obispo puede morir o ser cambiado a otra Sede en el momento menos pensado, y hay orientaciones y planes que deben continuar para el bien da la Diócesis. Ninguna garantía mejor de continuidad que el Clero diocesano.

Por fin, los Sacerdotes diocesanos necesitan también de algún respaldo ante posibles equivocaciones o arbitrariedades del Obispo. Los Obispos no estamos confirmados en gracia. Ni somos infalibles en nuestras decisiones. Ni estamos exentos de las consecuencias del pecado original. Son muchos los sacerdotes que se quejan amargamente de no haber sido comprendidos por su Obispo, y hasta de haber sido tratados sin mayor consideración a sus personas. Y no se pueden atribuir siempre y como a priori a falta de espíritu sacerdotal ciertas expresiones y aún posturas, un tanto duras, de algunos sacerdotes respecto de sus Obispos. En más de una ocasión no les falta algo de razón.

A los Obispos nos gusta hablar de crisis de obediencia en nuestros sacerdotes. No se podría hablar también de crisis de autoridad en los Obispos...?

Es muy corriente escuchar entre sacerdotes un comentario un poco sarcástico respecto del mismo Concilio Vaticano II. Dicen que el Vaticano I definió la infalibilidad Pontificia; que los Obispos nos hemos aprovechado de la primera oportunidad que se nos ha presentado para reclamar nuestros derechos en el Vaticano II; y que ellos tendrán que esperar pacientemente el advenimiento del Vaticano III, para que defina el lugar que ocupan los sacerdotes en la Iglesia resucitando la antigua doctrina de officio et munere

Presbyterorum. Tienen verdadero miedo a que regresemos del Concilio con nuestros poderes reforzados, y convertidos en pequeños Papas.

En vista de todo ello y, para llegar a establecer una unión armónica, como lo exige la misma estructura de la Iglesia, entre el Obispo y sus sacerdotes, me atrevo a proponer que he haga constar en el Decreto Conciliar, en el lugar y forma que juzgaren más convenientes los miembros de la Comisión:

1. Que en cada Diócesis se organice — ad modum Presbyterii — un cuerpo de consultores diocesanos, compuesto por los sacerdotes encargados de la dirección de las Obras Diocesanas y por algunos más escogidos directamente por los mismos sacerdotes.

2. Que en los asuntos de mayor importancia en la administración y gobierno de la Diócesis, el Obispo tenga en cuenta el criterio de este cuerpo de consultores.

26

EXC.MUS P. D. IOSEPH DE IESU GARCIA AYALA

Episcopus tit. Lacedaemoniensis, adm. ap. Campecorensis

N. 22 non placet. Quod numerus hic affirmat, noxium Ecclesiae gubernationi mihi videtur: facilius enim obvenire possunt malae intellegentiae necnon particularia commoda. Opinor hoc sequi subiectum Sanctae Sedi, sicut adhuc, sed semper cum possibilitate auscultandi illis ad quos res attinet atque, etiam Conferentiae episcopali, si necesse esset.

27

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH

Episcopus Essendiensis

Cap. II, n. 21, alinea secundum ita vel similiter formuletur: « 2) Proinde amplitudo territorii dioecesani et numerus incolarum seu catholicorum et sacerdotum talis sit, ut dioecesis muneri suo in hoc decreto descripto sufficienter satisfacere possit, ratione habita imprimis congruae efformationis seminaristarum, curae animarum exigentiis sociologicis adaptatae, operum principalium apostolatus et caritatis exercendorum in respectiva dioecesi, debitae aestimationis auctoritatum dioecesanearum coram magistratibus civilibus ».

28

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER

Episcopus Tornacensis

Ad n. 15, linn. 31 s. Haec paragraphus in luce ponit omne sacerdotium, etiam illud religiosorum, esse participationem sacerdotii episcopi, quod est plenitudo et perfectio ordinis. Sed praeterea, prouti pontifices, plenitudine

sacerdotii gaudentes, episcopi sunt « perfectores » seu motores omnis perfectionis etiam relate ad vocationes particulares religiosorum et laicorum. Optime.

Revera tamen munus episcopi, uti describitur in schemate de Ecclesia, est simul particulariter determinatum ad unam dioecesim et universale in quantum episcopus est membrum Corporis episcopalis. Propterea relationes inter episcopum et alios religiosos seu laicos, in dioecesi laborantes, etsi habentes munera extensiora ac illa ecclesiae dioecesanae, non nituntur tantum in necessitatibus practicis apostolatus (in adiutorio huic apostolatui allato) sed in ratione profundiori. Haec ratio recte exprimitur in n. 32 huius schematis: ibi declaratur religiosos sacerdotes esse providos cooperatores ordinis episcopalis.

Nonne possibile esset quod haec ratio etiam ibi afferatur?

Ad n. 26. Quia vox « officium sacrum » (lin. 19) sensum technicum habet, optatur usus alicuius termini latioris, ita ut dicatur v. g.: « occasione muneris vel officii ab auctoritate ecclesiastica collati vel assumpti ». Sic significaretur omnes opes quae proveniunt ex aliqua functione vel servitio assumpto a clerico, uti est Ecclesiae addicto, etsi in hac sua activitate deesset participatio potestatis ordinis vel iurisdictionis (v. g. ut professor in scholis), posse etiam inservire ad sublevandas necessitates materiales dioecesis.

Ad n. 28. In descriptione munerum parochi optatur ut fiat etiam clarior mentio sui muneris missionarii: hoc in articulo, ne quidem unum verbum habetur de officio « evangelizationis » parocho incumbens erga eos qui etsi degentes in parochia non annumerantur inter fideles, scil. non baptizatos, vel baptizatos qui « longe sunt ».

Ad n. 29. Essetne clarius enuntiare quod abhinc omnes parochi sunt amovibiles ita ut, si bonum commune hoc exigit, episcopus possit parochos amovere vel transferre sine processu administrativo vel iudiciario.

29

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JAEGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Pag. 18 post lin. 2 inserantur verba: « et se vitae christianae et sacerdotalis exemplo imprimis testimonium reddere debere ». *Ratio*: vitae sacerdotalis exemplum est quasi anima omnium exteriorum activitatum. Quamvis hoc in aliis schematibus satis indicatum est, hic saltem breviter significetur.

Pag. 21 in fine cap. II brevis inducatur textus agens de cooperatoribus laicis. Quamvis de laicorum apostolatu in proprio schemate tractetur, eorum cooperatio hic commemoretur oportet, quia titulus huius partis (pag. 15, post lin. 15) generaliter de omnibus cooperatoribus episcopi agere videtur, inter quos sunt etiam laici nominandi.

In his quae de Curia et de Consilio dioeceseos dicuntur, fit quidem brevis allusio ad laicos, oporteret autem quod postea alii laici viri ac mulieres nominentur, qui vel officii munere saepe saepius etiam missione canonica praediti Ecclesiae inserviunt vel praeter suum civile officium alterum Ecclesiae munus libero animo suscipiunt vel quibusvis aliis modis in cura animarum cooperantur. *Ratio*: illi laici cooperatores episcopi saltem brevem allusionem ad suum munus et laborem hoc in contextu expectabunt.

Istae suggestiones multorum patrum mentibus correspondent, ut etiam ex votis in aula prolatis patet.

30

EXC.MUS P. D. ANTONIUS JANNUCCI
Episcopus Pinnensis-Piscariensis

1. A pag. 20, n. 3 si tolga il « *potissimum* » e si dica chiaramente che l'Esenzione dei Religiosi riguarda *esclusivamente* l'ordine interno degli Istituti, mentre *per tutta l'attività pastorale i Religiosi dipendono dall'Ordinario del luogo.*

Infatti « *quatenus professi* » dipendono *esclusivamente* dai propri Superiori religiosi; « *quatenus Sacerdotes* » dipendono *esclusivamente* da chi ha dato loro il Sacerdozio, cioè dal Vescovo o da chi lo rappresenta.

A pag. 20, il n. 4 sia così integrato: Omnes Religiosi, exempti et non exempti, Ordinariis locorum subduntur « *in universa activitate pastorali et praesertim* » in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, « *Ecclesiis et Oratoriis publicis et semipublicis suis non exceptis* », ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendum, ad christifidelium, praesertim puerorum, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, ad varia apostolatus opera necnon ad status clericalis decorem spectant. Et reliqua...

31

EXC.MUS P. D. HENRICUS JENNY
Episcopus tit. Lycaonensis, aux. Cameracensis

Ad cap. II in genere: requiruntur:

1. *Nexus* firmior inter schema *de pastorali episcoporum munere* cum schemate *de Ecclesia* et illud *de S. Liturgia* ita ut episcopi figura eadem splendeat in his tribus schematibus: cf. quae dicuntur in Constitutione de S. Liturgia in n. 41.

2. *Vocabularium* sit magis biblicum, minus canonicum: v. g. potiusquam de « munere docendi » dicatur, affirmetur necessitas Evangelium praedicandi, ad fidem vocandi etc. Non solum doctor est episcopus, non professor, sed praeco, testis et apostolus.

3. Affirmetur *munus praecipuum* episcopi ad Patrem pro plebe *orandi*: « nos vero *orationi* et ministerio verbi instantes erimus », atqui de oratione

(et quidem publica) alluditur solummodo n. 15, pag. 12, lin. 4, modo generali qui non insistit in officium orandi.

4. Visio *synthetica* offeratur de *munere episcopi,* et citius *non sub triplici* modo praesentetur hoc munus, ut fit n. 11 (munus docendi, sanctificandi et regendi); sed potius unitas huius muneris manifestetur in eo quod episcopus sit imago Patris, et apostolus Christi. « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ».

5. *Visio synthetica* offeratur etiam *de dioecesi,* quae pars Ecclesiae dicitur, ita ut totum mysterium Ecclesiae unicae et universalis transeat in unamquamque partem, sicut fit in Eucharistia, ubi corpus Christi ipsum non frangitur. In illa dioecesis notione *presbyterium* inseparabiliter cum episcopo iungitur.

6. Denique *visio synthetica de munere pastorali* et episcopi et eius sacerdotum; in nostro tempore magna laborum apostolicorum copia ita super sacerdotum humeros imponitur ut saepe taedio afficiantur. Necesse est ut episcopale atque sacerdotale munus pascendi ordinetur cum hierarchia quadam obiective considerata. Atqui in constitutione de S. Liturgia iam dicitur liturgiam esse « culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat » (n. 10). Non apparet in nostro schemate quodnam centrum sit muneris universi pastoralis.

In specie. N. 11, § 1: alia definitio *dioecesis* proponitur: Dioecesis est pars quaedam dominici gregis quae episcopo concreditur, cum sui presbyterii adiutorio pascenda eum in finem ut, per Evangelium et Eucharistiam, hi qui ad fidem vocantur in unum corpus efficiantur, et ita fiat communitas cum Patre, Filio et Spiritu Sancto i. e. Ecclesia particularis seu localis, in quam mysterium totius Ecclesiae sine ulla divisione hic et nunc transeat; secundum illud Cypriani: « De unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata Sacerdoti ».

N. 11, § 2: sic proponitur textus: « Singuli episcopi, in singulis suis peculiaribus Ecclesiis, sub auctoritate Summi Pontificis, tanquam proprii, ordinarii et immediati eorum pastores, Apostoli sunt ipsius Christi a Domino missi, sicut ipse a Patre missus est. Ad fidem per Evangelium vocant, plebis suae Eucharistiam ad Patrem offerunt, dispersos in unam communitatem cum Deo uno et trino congregant, et ideo per Iesu Christi mortem et resurrectionem, paulatim Ecclesiam aedificant ».

N. 12, § 1: ita proponitur textus: « Praecipuum Episcoporum munus iam Apostoli exprimebant dicentes: Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus (*Act.* 6); et alibi in Io. Epist. I: "quod vidimus et quod audivimus ... annuntiamus ". Et ideo episcopi orare debent pro plebe et cum plebe sua, sacerdotes magni habendi sunt, a quibus vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet (cf. Constit. *de S. Liturgia,* n. 41).

Verbum Dei hominibus multifariam multisque modis annuntiare debent, eosque ad fidem cum fiducia in Spiritus fortitudine vocare, ut salutem, quae

a Deo solo datur, adipisci valeant fideles. Praecones sunt episcopi misericordiae Dei et adventus Iesu Christi, homines ad Patrem glorificandum et ad beatitudinem aeternam acquirendam in medio mundi huius ducere nitantur ».

32

EXC.MUS VILLELMUS KEMPF
Episcopus Limburgensis

Rogo, ut in cap. I (de episcopis quoad universam Ecclesiam), et quidem in paragrapho II (Episcopi et Apostolica Sedes), i. e. in n. 8 (pag. 8, lin. 26) post verba « habet sibi vel alii auctoritati » inseratur « ob bonum commune Ecclesiae ».

Tota phrasis proinde ita sonaret: « ... Romanus Pontifex habet sibi vel alii auctoritati *ob bonum commune Ecclesiae* causas reservandi ».

Ratio indicatur ab ipso Summo Pontifice Paulo Pp. VI f. r. in suo sermone, quo die 14 mensis septembris huius anni inauguravit tertiam sessionem Concilii Vaticani II, dicente: « Praeterea si apostolicum munus a Nobis requirit ut, ad potestatis episcopalis perfunctionem quod attinet, aliquid Nobis reservemus, limites praefiniamus, formas statuamus, agendi rationes ordinemus: haec omnia, ut probe nostis, *ipsum Ecclesiae universae bonum* postulat, postulat unitas Ecclesiae... » (*L'Osservatore Romano,* 14-15 sett. 1964, n. 213, p. 2).

33

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Schema in genere placet nonnullis ex causis. Tamen propono, ut textus praeiacens sub nonnullis respectibus revideatur.

1. *In genere.* Textus, praeprimis quoad ea, quae de episcopo dicuntur, cum respectivis textibus in schemate *de Ecclesia* comparentur et ita ambo textus inter se accommodentur.

2. *Respectus pastoralis.* « Dioecesis est pars quaedam dominici gregis, quae episcopo concreditur », non autem, uti dicitur (p. 10, linn. 1 ss.) tantum « cum adiutorio sui presbyterii pascenda », sed etiam cum aliis adiutoribus, uti sunt diaconi et alii ministri et etiam multi laici, qui etiam cum suo episcopo verum opus missionarium peragunt.

3. *Respectus oecumenicus.* Verba « Christo lucrifacere satagant etc. » (p. 10, linn. 11 ss.) forte melius dici debeant, ut etiam conatus nostri oecumenici satis includantur.

4. *Respectus iuridicus.* In n. 29 dicitur, totam rationem muneris paroecialis esse bonum animarum, et quidem pro provisione paroeciarum et etiam pari modo pro remotione parochorum ab hoc officio.

In alinea 3 huius numeri non satis clarum est, ibi tantum de modo pro-

cedendi sermonem esse, aut hanc assertionem executionem supremae rationis, nempe boni animarum, tollere aut minuere velle.

Propono ergo, ut hoc clarius exprimeretur aut textus saltem ad n. 19, de a munere renuntiatione episcoporum accommodetur.

* * *

Schema in genere placet et verum progressum relate ad ultimum textum repraesentat.

Tamen propono, ut textus revideatur sub nonnullis respectibus, et quidem *in genere*:

1. Non tantum sub respectu schematis *de Ecclesia,* imprimis de episcopo, sicut in relatione iam dictum fuit, sed etiam sub respectu *aliorum schematum,* quae in hoc Concilio tractantur, ut ita res praestantiores in hoc Concilio agitatae saltem breviter sub muneribus episcoporum et pastorum parochialium inveniantur.

Quod valet e. g. *de Oecumenismo,* ut verba in se vera et recta, sed in sua expressione minus oecumenica (e. g. pag. 10, linn. 11 ss. « Christi lucrifacere etc.) omittantur, ex altera parte autem, ut conamina oecumenica iam in muneribus ordinariis tum episcoporum cum pastorum paroecialium iam appareant.

2. Ut textus *sub respectu biblico* revideatur. Si textum, praeprimis cap. II, prae oculis teneo, impressionem reicere nequeo, S. Scripturam pro describendo episcopo eiusque muneribus tantum parum adhibitam fuisse. Scopus autem schematis non potest esse, ea, quae iam pluries de episcopo dicta sunt, reiterare atque confirmare, aut ad summum nonnullis novis ideis augere, sed nobis et mundo illam imaginem episcopi proponere, quam S. Scriptura depingit et quam hodierna tempora postulant. Necesse ergo est, ut iterum atque iterum ex fontibus, i. e. e Verbo Dei prolixe hauriamus et ita conceptum de episcopo ex his « aquis vivis » renovemus et idoneum etiam pro hodiernis temporibus faciamus. Permulti textus iuxta illud notissimum « Omnis Pontifex ex hominibus assumptus etc. » e S. Scriptura, imprimis ex Epistulis S. Pauli ibi afferri possint. Propono ergo ut schema magis biblicam descriptionem muneris episcopi et etiam pastoris paroecialis nobis praebeat, ut ita imago episcopi non tantum in nova luce, sed etiam in novo robore resplendeat.

In specie propono:

1. Ad n. 12: ut *dialogus* in variis suis formis secundum Litteras encyclicas Pp. Pauli fel. regn., ut praestabilis methodus hodierni laboris pastoralis expresse nominetur;

2. Ad n. 13: ut inter condiciones ad doctrinam christianam promovendam etiam *aedificia et instituta* pro erudiendis tum adultis cum iuvenibus memorentur, quae in dioecesibus et parochiis secundum possibilitates erigi debeant. Talia aedificia et instituta sine dubio pro labore fructuosa omnino necessaria sunt;

3. Ad n. 29: ut textus quoad expressionem suam *iuridicum* revideatur.

Quo in numero nempe statuitur, totam rationem muneris paroecialis esse bonum animarum, et quidem pro provisione paroeciarum et etiam pari modo pro remotione parochorum ab hoc officio.

In commate 3, ubi de invitatione parochorum ad renuntiationem ab eorum munere tractatur, non satis clare enuntiatur, ibi tantum de modo procedendi sermonem esse, aut hanc assertionem executionem supremae rationis, nempe boni animarum, tollere aut minuere velle.

Propono ergo, ut hoc clarius exprimeretur aut textus saltem ad n. 19, de a munere renuntiatione episcoporum accommodetur.

4. Animadvertentiam Patrum venerabilium dirigere vellem ad aliquem defectum schematis — saltem secundum meam opinionem —, qui suppleri potest et, ita opinor, etiam debet. Ubi nempe de cooperatoribus episcoporum tractatur, *laici* aut desunt, aut non hunc locum obtinent, qui eorum valori theologico in Ecclesia et etiam eorum momento practico convenit. Verum est, laicos in hac connexione non plene deesse, quod certo progressum significat, sed tamen textus ad eius integritatem sub hoc respectu revideri aut nonnullis assertionibus suppleri debet.

a) Ita sub n. 11, pag. 10, linn. 1 ss., *dioecesis* ita definitur aut saltem describitur: « Dioecesis est pars quaedam dominici gregis quae episcopo concreditur, cum adiutorio sui presbyterii etc. ». Estne vere ita? Iam in schemate *de Ecclesia* iuxta presbyteros etiam diaconi uti cooperatores nominatur, ad quos certe etiam laici, secundum eorum statum numerare debent, sicuti de facto fere ubique est. Quod ergo in textu clare appareat.

b) In cap. II, parte III nostri schematis, a n. 23 usque ad n. 33, de variis cooperatoribus episcopi dioecesani in adimplendis muneribus suis pastoralibus tractatur, quod certe salutandum est. Dolendum autem est, de iis, qui maximam partem cuiusvis dioecesis constituunt, nihil vel fere nihil in textu contineri, nempe de *populo dioecesano*. Iste non est tantum grex, quae a suis pastoribus providetur, sed etiam societas aut communitas, e qua ecclesiola dioecesana se iuvenat, et quae cum pastoribus suis aut cooperatur aut hanc cooperationem variis ex causis non raro negligit. Et quod detrimentum vita dioecesana ex hac negligentia aut socordia patitur, nos omnes satis experiri possumus.

Propono ergo, ut post n. 33 *novus numerus* inseratur de populo dioecesano, similiter ut de clero dioecesano, ubi populus dioecesanus, postquam momentum eius cooperationis declaratur iste, ad hanc cooperationem invitatur. Quod praeprimis valeat de membris variarum formarum apostolatus laicorum, quibus, similiter ut in n. 16, pag. 12, lin. 22, caritas et cura pastorum valeant, quod etiam in hac connexione dicatur.

Quod supplementum non tantum ad integritatem textus conciliaris serviet, sed etiam laborem apostolicum pastorum iuvabit.

In genere ad n. 33. N. 33, cap. II placet, quia verum progressum relate ad ius vigens et etiam ad praxim significat. Peto ergo — certe multis aliis

Patribus, qui se cum hoc textu iam in possessione sciebant et ergo in aula nihil dixerunt —, ut textus in sua substantia remaneat, quamvis nonnulli Patres, religiosi, aliquas difficultates contra eum afferebant.

Placet praeterea descriptio exemptionis, quia, non sicut adhuc, negative, sed potius positive exprimitur (« Religiosi, exemptio, qua religiosi ad Summum Pontificem etc. »).

In specie. 1. Ut loco textus « Quin immo religiosi magno honori sibi ducant etc. » (pag. 20, linn. 6 s.) ponatur: « Quin immo religiosi se adstricti sciant episcoporum postulationibus votisque etc. » aut similiter.

Ratio: textus uti iacet, nihil aut saltem parum asserit. Omni modo facile ad dissensiones ducere potest.

2. Ut in pag. 20, lin. 21, post verba « advocantur » sequentia verba inserantur: « advocantur et *ad normam iuris* ab episcoporum iurisdictione etc. ».

Ratio: in quantum scio, etiam exempti non sunt omnino ab episcoporum iurisdictione subducti.

34

Exc.mus P. D. AMBROSIUS LAZIK

Episcopus tit. Appianus, adm. ap. Tyrnaviensis

Circa ea quae e schemate *de cura animarum* deprompta sunt nomine omnium Patrum conciliarium e Cecoslovacchia in Concilio praesentium.

In genere schema placet. Munera episcoporum iuxta exigentias huius aevi clare exponit semper prae oculis habens finem pastoralem Concilii et ideo tantum pauca adnotare fas sit, quae ipsam essentiam rei non tangunt, sed tantum aliquod practicum momentum possunt habere.

Prooemii n. 2 ad n. marg. 10. Verba « ad bonum commune... » usque ad finem articuli substituantur his verbis: « Qui ideo, cum sit omnium fidelium pastor et rector, super universam Ecclesiam et super omnes singulares ecclesias ordinariae potestatis obtinet principatum ». Terminus « bonum commune » habetur pro loco s. d. communi, habet ideo significationem abstractam, dum principatus Romani Pontificis ad omnia ea se extendit, quae salutem animarum respiciunt.

Cap. I, pars II, pag. 8, n. 8, art. 2. « Insuper singulis episcopis facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi... » addatur: « etiam ultra facultates et privilegia episcopis die 30 novembris 1963 a Beatissimo Patre concessa... ».

Cap. II, pag. 10, n. 11. Dioecesis notio. Forse melius esset dicere: « Dioecesis est pars quaedam Ecclesiae universae, quae in certo territorio episcopo concreditur, dominicum gregem huius cum adiutorio sui presbyterii pascendi eum in finem, ut supernaturaliter vivat, crescat, atque fructificet... ». *Ratio*: dioecesis intelligitur certum territorium, adeoque est pars geografica Ecclesiae universae.

N. 12. (Episcoporum munus docendi). In prima propositione ad n. marg. 20 post verba: « salutem suam aeternam » addantur verba: « veritates fidei praecipuas, quarum ignorantia, ignorantia ipsius Christi est » — et dein continuatur: « instrumenta ... etc. ».

Pag. 17, art. 26. (Sacerdotes dioecesani). Clerus dioecesanus cum episcopo unam constituit familiam, cuius pater episcopus est. Hoc optime dicitur. Sane, rationi huius familiaritatis conveniret, si hic nexus inter episcopum et clerum caritate fundatus etiam in denominatione episcopi « Reverendissimus Pater » exprimeretur, loco denominationis « Excellentissimus Dominus ».

Pag. 18, art. 28, n. marg. 20, finiatur ita: « ... auxilium praestent nunquam obliviscentes in officio pastoris fructuose adimplendo vitam privatam revera sanctam et moraliter intactam esse medium efficacissimum ».

Art. 29, n. marg. 26. Propositio: « Eadem suprema ratio prae oculis habenda est quoties de parochorum stabilitate in officio agatur, aut de eorum amotione aut translatione », non est sat clara. In praecedenti propositione clare ius praesentationis, nominationis vel reservationis abolitur. Ut omnis ambiguitas tollatur, clare dicatur: « Ex eadem ratione supprimitur ius stabilitatis parochorum, nam bonum animarum iudicio episcopi parochorum amotionem aut translationem postulat ».

35

Rev.mus P. D. CAROLUS MANSFELD

Praefectus generalis Ord. Cler. Reg. Ministr. Infirmis

Pag. 20, linn. 20-30. Schema statuit: « Exemptio ... ordinem Institutorum internum potissimum respicit, etc. ... » et prosequitur: « haec autem exemptio non impedit quominus religiosi in singulis dioecesibus episcoporum iurisdictione subsint, prout horum pastorale munus perfungendum, et animarum rite ordinanda curatio requirunt ».

Emendatio proposita: Secundum verba huius schematis religiosi duobus iurisdictionibus subiecti sunt, scil.: *a*) iurisdictioni superioris Ordinis, cui religiosi incardinati sunt et in quo vi voti oboedientiam praestare debent. Haec iurisdictio ergo est principalis et permanens; *b*) iurisdictioni episcopi quae est solum temporaria nempe pro tempore expletationis muneris dioecesani.

Inter has duas iurisdictiones possunt aequivocationes oriri propter possibiles simultaneas earum exercitationes, maxime quando a religioso una iurisdictio contra alteram ponitur. Tunc timendae sunt consequentiae dioecesi ipsae et Ordini haud favorabiles.

Religiosus nempe ad aliquod, superioris iussu, faciendum sese denegari possit, dicendo quod eo tempore sit sub iurisdictione episcopi, et iussa episcopi vel officia sui muneris effugere possit, sese mittendo sub iurisdictione

Ordinis. Hoc modo religiosus binam oboedientiam fugeret et propriae voluntati, seu commodo, indulgeret.

Clarum est Religiosum in exercitio sui muneris pastoralis dioecesani ab episcopo dependere, sed ad inconvenientia super allata vitanda utilius videretur ut ambae iurisdictiones in unam practice coeant, nempe per mutuam consentionem inter episcopum et superiores.

Idcirco propono ut adiunctis verbis ad normam iuris sicut in aula conciliari iam propositum fuit, art. 6, pag. 21, lin. 15 transferatur ad finem articuli 3, ita ut eius conclusio ita sonet:

« Exemptio qua religiosi etc. ... disponere possit pro inceptis in bonum Ecclesiae universali.

Haec autem exemptio non impedit quominus religiosi in singulis dioecesibus episcoporum iurisdictioni subsint *ad normam iuris,* prout horum pastorale munus perfungendum, et animarum rite ordinanda curatio requirunt.

Ad evitandum autem conflictum inter duas iurisdictiones et ad concordiam et fructuosas mutuas relationes inter episcopum et religiosos fovendas, statis temporibus et quoties id opportunum videbitur episcopi et superiores religiosi conveniant ad negotia tractanda quae universim ad apostolatum in territorio pertinent ».

Sequuntur n. 4 et n. 5.

36

Exc.mus P. D. NICOLAUS MARGIOTTA

Archiepiscopus Brundusinus

Venerabiles Fratres, sinite loquar, quaeso, *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* praesertim « de ipsorum a munere renuntiatione », de qua in cap. II, in n. 19 praefati schematis.

Textus revera, uti iacet, aliquantum placet; minime etenim difficultates contra renuntiationem extantes dirimit.

Valdissime optandum est ut episcopi, iam inhabiles ad servandum regendumque regimen dioecesium, sive aetate gravi, sive corpore infirmo sive aliis causis variis, sine Sanctae Sedis invitatione, ab officio episcopali sponte sua se removeant. Nec dici potest eamdem esse parochorum et episcoporum condicionem ut deduci posse videtur ex pagina decima relationis super schemata praefati decreti ab exc.mo D. arch. Veuillot redactae et paucos abhinc dies relatae in aula, de norma pro episcopis statuta quae revocatur ut parochis quoque admittatur. Apud nos omnes tamen constat nonnullos episcopos, singulari vitae difficultate captos, se interdum retinere quominus ab officiis episcopalibus se removeant. Episcopi religiosi, qui apud suas communitates morari possunt, in nullam difficultatem incurrunt; sed plerique, qui a clero dioecesano proveniunt, quid facere debeant haesitant, et ideo a regimine dioecesium solvi malunt. Pro certo autem habemus multis in dioecesibus, saltem in Italia, conditas esse aedes ad clerum servatas in quibus

sacerdotes, auxilii inopes, hospitio accipiantur aut praesto sint illis qui aetate ingravescente ad se removendos impellantur, quo facilius superent solitudinis taedium magis magisque in dies onerosae et corpori infirmo et animo tristi.

Ingentes impensae autem, quas illae aedes faciunt, levantur temporibus nostris beneficio annuo (vulgo: pensione) quo clerus vel morbo, vel senectute, perfruitur.

Nulla domus, vero, *pro episcopis*: saepenumero enim videmus nonnullos inter eos, cum necessitatibus suis aliter providere nequeant, aegre administrare regimen dioecesium, quod libenter relinquant, si apte morari possint in decora domo, omnibus solaciis auxilioque praedita. Quod pro certo adfirmare possumus nisi solum, unum certe ex impedimentis minime dubiis esse ad renuntiationem ab episcopis sponte exhibendam.

Si enim *Romae* vel *Urbis* in vicinitate *domus episcopi* condatur, necessarium non sit proposuisse ut per aetatem episcopo beneficium annuum (scil., vulgo, pensione) tribuatur, sicut varie opportuneque dictum est praeterita Concilii sessione.

Venerandi Praesules qui in hanc domum condendam se conferre et in ea commorari possint, si vires eis suppetant, adhuc utilitati Sanctae Ecclesiae esse poterunt cum inter eos nonnulli adsint peritia pastorali singularique ingenii facultate praediti. Domus episcopi condendae votum, nisi memoria me fallit, fuisse mihi videtur in animo et mente Pii XI Summi Pontificis v. m. Hoc modo episcopi, cura pastorali vacantes, peritissimi quidem pastores, quanto magis in societatem Ss. Romanarum Congregationum adiungi possunt, ex proposito Pauli VI Summi Pontificis feliciter regnantis, si Concilium hoc velit, ut in Allocutione ad em.mos Patres cardinales, exc.mos Praesules, rev.mos Praelatos ceterosque Romanae Curiae Officiales die 21 septembris anni praeteriti habita.

Humanitatis sensus, praestantes evangelicae caritati, meo iudicio sufficere ac decernere debent ut prospiciatur et consulatur ad episcopi domum condendam. Apud nos omnes constat plerosque confratres, dioeceses relinquere coactos, in egestate versari, modico, immo non sufficienti beneficio annuo quod a S. Congregatione Consistoriali concedi solet; praeterea non desunt episcopi qui, ut sibi securum auxilium comparent, non dubitant muneribus rectoris Ecclesiae monialium vel domus religiosae fungi.

Quo melius aptiusque est Sanctam Ecclesiam opem praestare episcopis ingravescentibus aetate, qui eodem loco convenire possint et vivere, et orare, et cruciatus atque aetatis pondus pro ipsius Ecclesiae necessitatibus Deo offerre. Gratias ago.

* * *

Osservazioni relative ai nn. 21 e 24.

1. In linea di principio si concorda su l'istituzione dell'ufficio di « Vicario Episcopale » con la dignità anche eventualmente di « Vescovo Ausiliare », se l'estensione o altre esigenze della diocesi lo richiedano.

2. Si osserva però che, l'istituzione del Vicario Episcopale, svuota quella del Vicario *Generale,* che non sarebbe più tale, o per sottrazione di territorio, o per delimitazione di mansioni.

3. Ad ovviare tale difficoltà pratica si proporrebbe: *a*) la conservazione del Vicario Generale, con tutte le facoltà ed i diritti che il Codice D. C. gli conferisce, ove il Vescovo intenda nominarlo; *b*) ove il Vescovo residenziale istituisca i Vicari Episcopali, non vi sia Vicario Generale. Uno dei Vicari Episcopali potrebbe essere Vescovo Ausiliare.

4. Premesso che abitualmente la S. Sede nomina l'Amministratore Apostolico sottraendo ai Capitoli la facoltà di eleggere il Vicario Capitolare, sede vacante, si proporrebbe che là ove esista il Vescovo Ausiliare, questi « ope legis » diventi Amministratore Apostolico. Ciò eviterebbe: *a*) menomazione del Vescovo; *b*) ammirazione negativa del popolo; *c*) indesiderabilità da parte del Capitolo e l'estraneità ad esso da parte del Vescovo Ausiliare.

Tali inconvenienti permangono anche se il Vescovo Ausiliare, senza diventare Amministratore Apostolico, conserva le facoltà del Vicario Episcopale.

5. Si concorda nella soppressione del privilegio dell'« immediata soggezione » delle diocesi alla S. Sede e nella istituzione delle « Provincie Ecclesiastiche ».

Metropolita della provincia ecclesiastica dovrebbe essere il Vescovo residenziale della sede metropolitana più antica, già esistente nell'ambito della stessa provincia, o dovrebbe essere costituito il vescovo residenziale della diocesi più antica.

L'istituzione delle Provincie Ecclesiastiche dovrebbe portare alla soppressione delle Conferenze Episcopali Regionali, e ad una più larga rappresentanza dell'Episcopato nella Conferenza Episcopale Nazionale.

37

Exc.mus P. D. PETRUS THOMAS McKEEFRY
Archiepiscopus Wellingtonensis

Votum est omnium episcoporum Novae Zelandiae ut omnia retineantur quae in par. 33, § 4, continentur, cum sint omnino necessaria ad bonum commune Ecclesiae.

Insuper addantur verba *religiosam et moralem educationem* post verbum *puerorum,* necnon verba *ad scholas catholicas vigilandas ut non minus quam aliae scholae ad fines culturales et sociales prosequendas aptatae sint,* post verbum *efformationem,* ita ut textus sic sonet: « Omnes religiosi, exempti et non exempti, Ordinariis locorum subduntur in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, *religiosam et moralem educationem,* catecheticam institutionem et liturgicam efformationem, *ad scholas catholicas vigilandas ut non minus quam aliae scholae ad fines culturales et sociales prosequendas aptatae sint,* ad varia apostola-

tus opera necnon ad status clericalis decorem spectant. Pariter tenentur servare ea omnia quae episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edixerint ».

[*Subscripserunt etiam*] J. P. Kavanagh, ep. Dunedinensis; B. P. Ashby, ep. Christopolitanus; R. J. Delargey, ep. aux. Aucopolitanus; O. N. Snedden, ep. aux. Wellingtonensis.

38

EXC.MUS P. D. BERNARDUS MELS

Archiepiscopus Luluaburgensis

Cum a nullo Patre conciliari, status peculiaris cleri dioecesani in novellis Ecclesiis, vel Ecclesiis missionalibus, clare expositus sit, liceat nobis nomine plurium episcoporum Africae quaedam notare quae ad cap. III *de munere pastorali episcoporum* spectant, et ubi agitur de « episcopi dioecesani in munere pastorali cooperatores », et speciatim ad ea quae dicuntur sub nn. 3 et 4.

In n. 3 tractatur de clero dioecesano ordinario, nempe saeculari.

In n. 4 de religiosis, ut cooperatores occasionales et extraordinarios episcopi in munere pastorali dioecesano.

In isto textu tamen non consideratur status omnino specialis existens in permultis novellis Ecclesiis vel Ecclesiis missionalibus.

In his dioecesibus, vicariatibus apostolicis, vel praefecturis, clerus dioecesanus saepe unice vel fere unice constituitur membris Instituti Missionalis Religiosi, et non videtur quomodo hic clerus religiosus non deberet appellari clerus dioecesanus ordinarius vel saltem quasi-ordinarius!

Nam missionarii religiosi, etsi non sint incardinati, multi tamen per votum missionis, sese astringunt servitio missionis, et a superioribus in determinata circonscriptione ecclesiastica immittuntur ut ibi cooperentur cum episcopo in omnibus operibus apostolatus ordinariis, et nonnisi ob gravem rationem a superioribus revocari possunt.

Etsi non sint clerum saecularem; tamen clerum dioecesanum ordinarium vel quasi-ordinarium vocari debent, et non extra-ordinarium ut pro Ecclesiis iam bene constitutis dicitur.

Id etiam erui potest ex eo, quod generatim Congregationes vel Ordines missionarii, etsi magna pars missionariorum in operibus ordinariis apostolatus immissi sint, tamen quaedam opera propria, sibi reservant, ut religiosi, v. g. paroeciae sive Instituta alia.

Hae habitudines inter Ordinarium loci et religiosos in locis missionum reguntur decreto a S. C. P. Fide anno 1929 edito.

Etsi agetur, ut aiunt, de « iure missionario » non videtur quomodo in decreto sollemni Concilii Oecumenici, qui se vult pastoralis et missionalis tam magna pars Ecclesiae catholicae oblivioni daretur.

Unde necessarium nobis videtur quasdam parvas mutationes introducere, qui hanc realitatem affirmant et adprobant.

Notandum tamen est, quod ob erectionem hierarchiae in variis regionibus missionalibus, valor decreti 1929 pro Ecclesiis novellis a multis in dubium vocatur vel negatur.

Unde recurrendum esse putant ad conventiones bilaterales inter episcopum et Institutum Missionarium.

Unde optandum est ut a quadam commissione mixta post-conciliari vel a commissione pro reformatione Iuris Canonici quoddam Directorium elaboretur ubi situatio haec specialis prae oculis habeatur, et quaedam principia fundamentalia enuntientur quae in faciendis his conventionibus prae oculis haberi debeant.

Unde, mutationes sequentes in textu introducendas proponimus:

Pag. 17, ad par. 26, lin. 10, post verba: « Ecclesiae incardinati, vel addicti », addatur: « ut sunt generatim missionarii, etiam religiosi, missioni, vel novellae Ecclesiae addicti ».

Pag. 17-18, ad par. 28-29 post his articulis addatur: « quae de parochis dicta sunt, servatis servandis, valent etiam pro quasi-parochis, et superiores stationum, in novellis Ecclesiis et Ecclesiis missionalibus ».

Pag. 19, in n. 4 ubi de religiosis agitur: post art. 31 et 32 secundum addatur: « praesertim in novellis Ecclesiis et Ecclesiis missionalibus, ubi munus cleri dioecesani ordinarii vel quasi-ordinarii, saltem ad tempus, funguntur ».

Pag. 19-20, ad art. 33, post n. 6, addatur novus n. 7, qui sic sonaret: « In novellis Ecclesiis, vel Ecclesiis missionalibus, propter peculiarem statum ibi existens quoad cooperatores episcopi, cooperatio inter episcopum et religiosos maior et intimior esse debet quam in aliis Ecclesiis, et considerandi sunt religiosi, iis circumscriptionibus addicti, ut clerum ordinarium vel quasi ordinarium dioecesanum, saltem ad tempus, usquedum clerus saecularis sufficienti numero, praesto sit.

Speciales habitudines in iis regionibus inter episcopum et religiosos regebantur Decreto, a S. C. P. Fide anno 1929 edito, nunc quodammodo obsoleto, ob erectionem hierarchiae in multis his regionibus. Cum autem de facto situatio haec specialis perdurat, decretum anni 1929 renovandum et aptandum est novis conditionibus a quadam commissione speciali post-conciliari vel a commissione reformandi Codicem Iuris Canonici ».

Ita, in decreto sollemni Concilii Oecumenici, oblivioni non detur magna et venerabilis pars Ecclesiae catholicae.

Varias enucleationes practicas, insuper scripto secretariatui tradam.

39

EXC.MUS P. D. IACOBUS EUGENIUS LUDOVICUS MÉNAGER
Episcopus Meldensis

I. Schema prout nunc iacet in genere placet. Fundamentum enim munerum episcoporum clarius apparet quam in schema praeteriti anni et prae-

terea munus episcoporum omnium non tantum erga suum proprium dioecesim sed etiam erga totam Ecclesiam, una cum S. Pontifice ut caput collegii, bene definitur.

Haec certe responsionem optimam afferunt petitionibus Patrum in aula prolatis, et cum schemate de Ecclesia plane congruunt.

II. Aliquas animadversiones particulares tantum proponere auderem:

1. Pag. 9, linn. 17-19, adderem, ut votum S. Pontifici humiliter praesentatum, quoad modum huius consultationis ut efficax esse possit: « statutis temporibus ad res maioris momenti examinandas conventibus initis »; ita res maioris momenti reservandae essent ut de eis mens horum episcoporum dioecesanorum, Romae convenientium, rite exquiri posset (semel vel bis in anno).

2. Pag. 12. Bene dicitur in pag. 10, linn. 10-15 quod episcopi omnibus hominibus Christum annuntiare ex officio debent, sed in paginis sequentibus (pag. 11, 12, 13) tantum de actione pastorali erga fideles agitur (de munere docendi, sanctificandi et regendi) et nihil dicitur de actione « missionaria » sacerdotum et laicorum. Per suos sacerdotes et laicos, vero, episcopus hoc munus erga infideles tantummodo exercere efficaciter valet. Et hoc dici deberet in textu (et in Codice Iuris Can.), e. g. pag. 13, lin. 6 dicitur quod « variae apostolatus formae recte accommodentur necessitatibus fidelium »: nonne accommodari etiam debent necessitatibus *infidelium* ut eis Christum annuntiare possint?

3. Pag. 13, linn. 20-25. Benignitatem et benevolentiam erga fratres aetate provectos approbo, sed textus prout iacet votum pium manet et inefficax evadet in futuro.

Hic agitur de bono communi Ecclesiae. Saepe saepius dioeceses, episcopo senescente, pedetentim declinant et semper difficile erit alicui dicere « tempus est renuntiationem facere » (quia eum ut Patrem diligimus). E contrario si aliquis aetas indicatur ut habitualis norma ad renuntiationem faciendam, facilius esset auctoritati superiori aliquem prorogare ad tempus definitum vel renuntiationem postulare sine offensione aliqua. Vellem ergo ut in textu aliqua norma aetatis appareat (v. g. 75 annis).

4. Pag. 14, lin. 10 de magnis urbibus. Puto quod interna dispositio vel ordinatio dioecesium ex magnis urbibus constantium, non sit sufficiens ad munus pastorale adimplendum, si urbs illa habet 2 vel 3 « milliones » habitantium, vel plus etiam. Contactus personales impossibiles evadunt, et in hoc casu melius esset, meo humili iudicio, novos dioeceses erigere cum onere strictae cooperationis in certis casibus (cum « statutis » a S. Pontifice approbatis) (vide quae dicuntur pag. 14, linn. 25-30).

5. Pag. 16, lin. 30 et nota 17. Utilitatem vicariorum episcopalium bene video, sed puto quod *in praxi* melius esset plures vicarios generales habere.

Ratio est: in multis dioecesibus curia dioecesana non est numerosa et labor apostolicus exigit ut episcopus et etiam vicarius generalis frequenter

in via sint ad paroecias visitandas etc. ... Necesse est ergo ut plures (etiam « vicarii episcopales ») habeant ordinariam potestatem *in tota dioecesi* ut casus urgentes expediant.

In praxi melius esset si Vicarii episcopales hanc potestatem ordinariam in tota dioecesi haberent.

Usus est dioecesium Galliae ubi sunt plures vicarii generales (qui saepe « Archidiacres » vocantur et munus habent in certam partem dioeceseos invigilandi nomine episcopi).

6. Pag. 18, lin. 1, verba: « semper sibi commendatos esse in Domino » *leniora sunt*; mallem dicere e. g. « Meminerint parochi grave officium suum esse coram Domino et omnes suae paroeciae christianos sedulo pascere et omnes alios homines in quantum fieri potest evangelizare sive per seipsum sive per alios sacerdotes et per laicos » («omnibus debitor sum » ... « vae mihi si non evangelizavero » etc. ...).

7. Pag. 18, linn. 19-20. Non tantum solliciti esse debent pastores ut laici operibus apostolatus auxilium praestent » sed debent eos *adiuvare* in hoc apostolatu exercendo (cf. schema *de apost. laicorum*). Ideoque adderem in fine (post « praestent »): « et eos sedulo adiuvent in hoc apostolatu exercendo ».

8. Pag. 18, linn. 29-30. Non sufficit ut parochi enixe rogentur ut *sua sponte* renuntiationem faciant... Necesse est (sicut pro episcopis, et fortasse a fortiori...) ut addatur saltem: « vel ab auctoritate invitati » (propter ingravescentem aetatem vel alia impedimenta ad munus pastorale plene exercendum) (cf. nota 20).

Problema summi momenti est pro bono communi paroeciarum. Abusus a parte auctoritatis sane praecavendi sunt sed lex prout iacet in C.I.C. grave damnum affert multis paroeciis. Notio et praxis « beneficii » profunde mutanda est, nisi expungenda.

9. Pag. 25, n. 42. Hoc mandatum generale, etsi bonum, non debet urgere numerum « directoriorum » quia res sunt satis diversae in diversis regionibus mundi...

40

EXC.MUS P. D. IOANNES MOCELLINI

Episcopus Comaciensis

Venia haec mihi detur ut iis qui in aula conciliari locuti sunt de cap. I schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* meam humilem vocem addiciam.

Toto corde adhaereo rogationi ab exc.mo D. Kaiser feria VI nuper praeterita latae circa n. 6 ad auxilia praestanda dioecesibus penuria cleri et bonorum ecclesiasticorum laborantibus.

Penuria tamen haec non tantum in terris missionum — quibus certe semper benevolum auxilium nostrum est tribuendum — invenire potest, sed etiam nonnullas regiones ipsius Italiae suo pondere efficit.

Ea quae in supradicto n. 6 sunt relata, ut mihi videtur, non sunt satis obstringentia pro episcopis quibus diriguntur ut isti confratribus adiuvent. Habetur enim hic simplex exhortatio. Episcoporum sensui omne consilium relinquitur. At ex experientia — et veniam peto si digitum in ulcere figere audeo — ex experientia, dico, constat quod, si res ita erit, nullus et in posterum habebitur effectus. Episcopi, nisi magis auctoritative fuerint obstricti, sua privilegiata sorte non abdicabunt.

Nimis aperta et aspera sunt discrimina inter dioeceses et dioeceses. Haec superabundat sacerdotibus et bonis ecclesiasticis ita ut opera etiam supererogatoria construere et dirigere valeat, et illa miseria languescit ita ut nec quae apostolatui urgentiora et necessaria sunt efficere possit.

Si episcopus pro universa Ecclesia sollicitus esse tenetur — ut schema hoc requirit — non videtur quomodo muneri suo et catholicitati Ecclesiae nonnulli satisfacere valeant, sodalem viciniorem vel etiam remotum in difficultatibus fere insuperabilibus relinquendo.

Si Ecclesia mater est — sicut certe est — non videtur quomodo diversa agendi ratione cum filiis suis uti possit.

Oportet, hinc, ut clerici in seminariis sensui catholicitatis Ecclesiae instituantur, et urget insuper ut sacrosancta haec Synodus veras obligationes ferat, saltem per officium — sive regionale sive nationale — ad aequiorem virium partitionem.

41

Exc.mus P. D. PETRUS ANTONIUS NIERMAN
Episcopus Groningensis

Nomine conferentiae episcoporum neerlandicae relate ad schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* quoad partem desumptam ex priori schemate *de cura animarum* sequentes animadversiones proferre velim:

Pag. 5, n. 2, lin. 7. Proponitur lectio: « Successor Petri, cui *tamquam Capiti corporis apostolici* oves et agnos etc. ... ». Ita melius apparet successorem Petri munus suum pastorale super universam Ecclesiam semper exercere tamquam caput corporis episcoporum.

Pag. 5, n. 2, linn. 12-15. Suadetur lectio: « Episcopi autem et ipsi, una cum eorum Capite et sub ductu eiusdem, in apostolorum locum succedunt ut animarum pastores et ad opus Christi perenne reddendum missi sunt ».

Quando agitur de episcopis, semper Romanus Pontifex includi debet ut eorum caput.

Pag. 7-8, nn. 6-7. Nn. 6 et 7 in cap. III *de episcopis* in commune plurium ecclesiarum bonum cooperantibus transferendi sunt. Agitur enim de munere subveniendi ecclesiis particularibus, quae penuria sive sacerdotum sive bonorum ecclesiasticorum laborant, necnon de munere fraterno animo amplectendi et germana actuosa cura prosequendi episcopos vexatos. Quae munera episcopis uti membris eiusdem corporis episcoporum competunt.

Pag. 10, n. 12, lin. 24. Post verbum « conferre » additur incisio « et ad regnum Dei pertinere ».

Res terrestres et humanae institutiones non tantum plurimum conferunt ad hominum profectum, sed etiam ad regnum Dei pertinent inquantum omnia destinata sunt, ut Christo Capiti subiiciantur (*Eph.* 1, 10).

Pag. 18, n. 29, lin. 23. Post verbum « supprimatur » additur incisio « quantum fieri potest ».

Quae incisio addita est in priori schemate *de cura animarum* pag. 13, n. 16, lin. 5. Uti in n. 15, par. 2 appendicis III prioris schematis *de cura animarum* pag. 69-70 recte adnotatur, ius eligendi vel praesentandi parochum inter iura acquisita adnumeratur, quae Ecclesia semper in honore habuit et habet (cf. cann. 4 et 11 *C.I.C.*).

Uti ad n. 19 eiusdem appendicis pag. 71 adnotatur, sarta tectaque remanenda est facultas Romani Pontificis sibi reservandi nominationem parochi (cf. c. 1431, *C.I.C.*).

Pag. 20, n. 33, 3), lin. 24. Deleantur verba « quin immo, ut de illis Summus Pontifex disponere possit pro inceptis in bonum Ecclesiae universae ».

Quae verba supervacanea sunt, eo quod Romanus Pontifex uti superior internus supremus religiosorum hac facultate gaudet (cf. c. 499, par. 1, *C.I.C.*).

Praeterea haec verba inepte adiiciuntur, eo quod in contextu agitur de subductione religiosorum ab iurisdictione episcoporum advocando eos ad Summum Pontificem vel ad aliam ecclesiasticam auctoritatem, uti patriarcham.

42

Exc.mus P. D. IOANNES PATRITIUS O'LOUGHLIN

Episcopus Darvinensis

Loqui velim de cap. II nostri schematis et speciatim de n. 16 et n. 28. His nempe in paragraphis sermo est de episcopi munere sanctificandi et de muneribus parochorum.

Pauca, faveatis, praemittam de modo loquendi, qui multas discussiones hac in aula quasi tingit. Licet post monitum exc.mi De Smedt nihil iam audimus de rebus quae triumphalismum sapiunt, manet tamen quidam — ut ita dicam — optimismus in materia tractanda. Atvero in Concilio quod pastorale nuncupatum est praeprimis necesse est nos spiritu realistico potius quam optimistico imbui.

Iamvero in schemate *de Ecclesia* cap. VII confectum est, quin inferni mentio facta sit, uti iam a pluribus Patribus notatum fuit. In capite vero quod tractat de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia adipiscendam nulla fit mentio peccati, quod tamen semper removendum est, priusquam in via ad sanctitatem ambulare coeperimus.

In mundo autem, immo et in Ecclesia, peccatores semper sicuti et pauperes nobiscum habebimus (*Io.* 12, 8). Quoties in Sacra Scriptura legimus verbum « Iam amplius noli peccare! » (*Io.* 5, 14; 8, 11). Quoties Dominum audimus dicentem: « Non veni vocare iustos, sed peccatores » (*Mt.* 9, 13); « Venit Filius hominis salvare quod perierat » (*Mt.* 18, 11)! Apostoli vero mandatum Domini « praedicari poenitentiam » (*Lc.* 24, 27) exsecuti, iterum atque iterum monuerunt auditores: « Poenitentiam agite! », « Poenitemini et convertimini! » (*Act.* 2, 38; 3, 19).

Munus ergo pastoris non sufficienter describitur, nisi explicite peccatorum in grege reapse existentium mentio fit simulque sollicitudinis quae animare debet cor pastoris erga hos errantes.

In n. 11 schematis nostri ad lin. 10 sermo fit de eis qui a via Christi aberraverunt. Cum vero hae oves eis iuxtaponantur qui non sunt ex ovili Christi, non clare apparet, utrum hi errantes sint simpliciter peccatores in ovili manentes an apostatae.

In n. 16, qui de episcoporum munere sanctificandi agit, nihil invenitur de peccatoribus. Idem dici debet de n. 28, in quo de muneribus parochorum tractatur.

Qua de causa *propono,* ut in schemate nostro mentio fiat

1. de existentia peccatorum in Ecclesia,

2. de sollicitudine, immo et de anxietate, quas habeant erga peccatores eorumque difficultates Ecclesiae pastores,

3. de necessitate quaerendi imprimis has quae perierunt oves,

4. de necessitate virtutis paenitentiae necnon observationis mandatorum Decalogi.

Hoc in modo simplices fideles non afficientur desperatione quadam, quando vitam suam actualem comparant cum imagine ideali perfectionis quae eis proponitur, pastores vero gregem suum uti est revera sanctificare coepisse possunt.

43

Exc.mus P. D. IOANNES B. PARDINI
Episcopus Aesinus

Instanter rogo ut adnotationes exc.mi Armandi Fares, arch. Catacensis, die 18 septembris postulatae admittantur [*cf. pag. 79*].

44

Exc.mus P. D. IOANNES PERRIS
Archiepiscopus Naxiensis-Tinensis et Miconensis

Dolendum est quod religiosi in dioecesi aliquando renuunt accipere officium parochi in paroeciis solitariis, scabrosis vel parvi momenti et nolunt adiuvare episcopum et parochos in operibus dioecesanis et parochialibus

— cum excusatione quod ut religiosi debent vivere in communitate. Sed certum est quod multi religiosi nolunt cooperare in apostolatu tamquam subordinati episcopo vel parocho quia volunt esse liberi in exercitio operum apostolatus sui Ordinis cuius gloriam magis quam illam Ecclesiae quaerunt. Sed nonne isti considerare debent parochiam ruralem et solitariam tamquam locum missionis et ibi exercere opus apostolicum sicut ceteri missionarii?

Quot episcopi sicut et ego non habent sufficientem numerum sacerdotum et proinde dolent quando non possunt satisfacere necessitatibus Parochiarum quae indigent cura pastorali et clamant pastorem. Nonne et religiosi debent participare anxietatibus pastoris et dolere cum ipso de perditione animarum, cur ergo non illum adiuvent? Non cogitant quod et ipsi ordinati sunt sacerdotes non pro utilitate et commoditate ipsorum sed pro salute animarum?

Quot parochi vivunt in paupertate et solitudine montium et insularum et carent consolationis et utilitatis consociationis confratrum et omnium utilitatum tam spiritualium quam materialium civitatis!

Cur religiosi nolunt accipere tales paroecias cum Ordo vel Congregatio eorum possit ob copiam religiosorum facilius quam episcopus eos substituere?

Schema nostrum hortatur religiosos ut collaborent cum episcopo sed hoc non potest habere effectum usque dum religiosi gaudebunt privilegio exemptionis. Propono igitur non ut aboleatur totaliter exemptio religiosorum quod credo esse valde necessariam pro generali bono Ecclesiae sed ut diminuatur eius valor in dioecesibus ubi insufficiens numerus sacerdotum ita ut religiosi in dioecesi iam existentes aequiparentur sacerdotibus dioecesanis in oboedientia episcopi patris et pastoris, et ubi etiam numerus religiosorum insufficiens est remittatur solutio problematis conferentiae episcopali quae in cooperatione cum superioribus religiosorum territorii conferentiae providebit de casu.

Insuper desidero notare quod multi sacerdotes dioecesani vivunt in paupertate quia exercent munus apostolicum inter pauperes parochianos et in tali dioecesi ubi bona ecclesiastica sunt parvi momenti. Propono igitur ut instituatur aliqua Organizatio Internationalis quae in cooperatione cum omnibus conferentiis episcopalibus curam habebit sublevandi paupertatem sacerdotum dioecesanorum.

Parcite mihi quia non exposui opiniones meas in lingua latina classica, sed humiliter peto ut consideretis dolorem animae meae et amorem quem habeo pro sacerdotibus dioecesanis immo pro *parochis ruralibus* in paupertate et solitudine viventibus, quorum opus apostolicum valde aestimandum est.

45

EXC.MUS P. D. URBANUS M. PERSON

Episcopus tit. Cymaeus, vic. ap. Hararensis

Le schéma « de Ecclesia » a le grand mérite de situer l'Episcopat dans la vie de l'Eglise; et le prooemium et le caput I du *de pastorali episcoporum munere* continue dans le même sens.

Mais malheureusement à partir du chapitre II nous retombons dans la conception juridique de l'Episcopat, à savoir que tout pouvoir a été donné à Pierre lequel donne tout pouvoir, juridique s'entend, à l'évêque. Et voici l'évêque devenu le chef ou la tête de son diocèse, avec son triple pouvoir: munus docendi, sanctificandi et regendi. Le diocèse désormais repose sur lui. C'est à lui de l'« animer », d'« animer » tout ce qui existe dans le diocèse. C'est à lui d'écrire, de prêcher, de donner les sacrements, de publier des ordonnances, de connaître tous ses fidèles, de diriger ses prêtres, etc. etc.

Il me semble qu'il vaudrait mieux reprendre le style du *de Ecclesia,* et décrire le rôle de l'évêque, pasteur, appelé à conduire son troupeau vers les verts pâturages.

Mais ce troupeau est animé; il est composé de fidèles qui sont mûs per l'Esprit, ou d'infidèles que Dieu meût pour qu'ils croient. Ils sont inspirés autant et souvent plus que leur évêque. St. François d'Assise n'était pas prêtre; et il a influé sur la vie de l'Eglise plus que tous les prêtres de son temps.

Et tout d'abord l'évêque n'est pas seul à conduire son troupeau. Il partage son sacerdoce avec ses prêtres; et par lui ils sont tous unis au sacerdoce du Christ. Ils agissent ensemble en son nom, et par son pouvoir. C'est le Christ qui agit par eux. Partageant le même pouvoir, ils partagent la même responsabilité.

Conclusion. Puisque maintenant nous savons que l'Episcopat est le sacrement de l'Ordre, le « munus episcoporum » doit être conçu en fonction du sacrement, en fonction du pouvoir d'Ordre, et non plus en fonction du pouvoir de juridiction.

Par toute son attitude l'Evêque doit faire « réaliser » à ses prêtres qu'ils sont avec lui et par lui enracinés dans le même sacerdoce du Christ: partageant avec lui la même charge, ils partagent avec lui les mêmes responsabilités. Tous ensemble sont responsables du troupeau.

Tous ensemble, les prêtres avec leur évêque, sont ministres de Jésus-Christ pour le bien des fidèles. Tous, prêtres et fidèles, sont conduits et animés de l'intérieur par le même Esprit. Ce n'est pas à l'évêque à les animer: ils sont animés par l'Esprit du Christ.

Le premier rôle de l'évêque est d'encourager tous ceux qui œuvrent sous la conduite de l'Esprit, par la parole, par l'exemple, par la prière, par

la souffrance, par la plume — par la plume surtout. Qu'il encourage les chercheurs, les théologiens; qu'il sache les consulter humblement.

Que l'évêque se réserve à lui-même ce qui ne peut être fait que par lui-même, et qui est de tout juger du point de vue du Christ. Qu'il soit la conscience vivante de la mission apostolique: quaerite primum regnum Dei; qu'il juge tout en fonction de cette mission unique: les hommes, les événements; qu'il porte un jugement serein et prudent sur toutes choses: telle parole à dire ou à ne pas dire, telle démarche à faire ou à ne pas faire, etc.

Pour cela, il faut qu'il sache s'entourer d'un minimum de silence, de conseil, de prière... et de repos. Il y a peut-être des évêques qui pourraient faire davantage; mais il y en a sûrement qui font beaucoup trop, et qui se surmènent (parfois par des fonctions officielles et de pure présence, où on perd son temps et son argent). Le résultat c'est la fatigue nerveuse, et l'incapacité de porter sur les événements un jugement calme et serein, et le risque de brusquer les hommes, et de se trouver isolé dans sa demeure, isolé de son troupeau.

Donc, les chapitres 2 et 3 sont à refaire en fonction du sacrement et de la grâce et non pas en fonction du droit ecclésiastique. Ces chapitres et d'autres qui seront les applications concrètes des décisions conciliaires doivent être rédigés par des commissions post-conciliaires.

Mais ces commissions post-conciliaires doivent être choisies par le Concile, afin que le nouveau droit soit vraiment nouveau, et qu'il exprime les vieilles vérités dans un esprit nouveau, c'est-à-dire l'Esprit du Christ et de son Eglise.

46

Exc.mus P. D. ROBERTUS POBOŽNÝ

Episcopus tit. Neilenus, adm. ap. Rosnaviensis

Schema perpulchre est exaratum, tamen rogatur humiliter, ut

I. Pag. 7, in art. 5, cui in parenthesi inscribitur: Coetus seu Consilium Centrale, sub n. 1 sit sequens textus insertus: 1) S. R. E. Cardinales Senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores exsistunt.

2) Praeterea cum universale Summi Pontificis munus maiores in dies auxilii et praesidii vires exposcat, etc. ... ut in schemate.

Rationes sunt:

1. Textus inserendus est desumptus e can. 230 *C.I.C.*, et de hoc Senatu Romani Pontificis ulteriores cann. 230-241 agunt. Historia Ecclesiae urget: Senatum Romani Pontificis in hoc art. 5 modo rogato sub puncto primo nominandum esse utpote historicum et antiquum institutum. Codex Iuris Canonici Collegium Patrum Purpuratorum sic distinguit. Senatus Romani Pontificis est Coetus seu Consilium quoddam Centrale.

2. Sacrosancta Synodus gratitudinem suam publicam facit erga Senatum Romani Pontificis; inserto hoc textu proposito in loco, nec desiderat ullam

praetermissionem huius instituti, quando agitur de manu adiutrice porrigenda Romano Pontifici etiam in munere pastorali obeundo.

3. Necessaria est haec mentio Senatus Romani Pontificis in munere pastorali, ne existimatio exsurgere valeat de Collegio Patrum Purpuratorum, ac si hucusque munus pastorale non recte, vel tarde, vel erronee ab eodem Collegio in diversis Dicasteriis Sanctae Sedis exercitum esset. Certo: nullum Dicasterium nec ipse Senatus seu Collegium Patrum Purpuratorum in seipso est infallibile. Errores evenire vel responsa tarde advenire poterunt: caduci homines sumus. Sed applicato etiam hoc Consilio Centrali quod erigere non tantum laudabile et utile, sed immo necessarium est, similes difficultates eventurae sunt et quidem etiam omnino eiusdem generis, adversus quas nunc panaceae, remedii instar est erigendum Consilium Centrale. Neque hoc erigendus Coetus gaudebit privilegio et charismate infallibilitatis.

Illato illo canone 230 *C.I.C.,* textui schematis prout humiliter proponitur, primo loco in art. 5 huius schematis iuste honoratur Senatus Romani Pontificis et minime praeiudicatur erigendo Centrali Consilio.

II. Simili humilitate petitur, ut

Pag. 24, post lin. 27, in art. 38, cui in parenthesi scribitur: Normae servandae, interpolandum sit punctum.

4. Provinciae ecclesiasticae iam exsistentes et in suis confiniis non mutatae eventibus aevo nostro maneant, nisi episcopi in suis conferentiis aliter statuerint. Huc spectant Provinciae ecclesiasticae quibus iure suo proprio, vel tantum honoris patriarchae, primates seu archiepiscopi a saeculis praesunt.

Rationes sunt, prout sequitur: Hae provinciae decursu temporum enatae agnitae sunt ab auctoritatibus. Tituli dignitatum: patriarcha, primas, archiepiscopus, sunt usitati ab auctoritatibus et fidelibus.

Ipsa nostra dislocatio in aula Sacrosanctae Synodi coordinata est secundum has dignitates. Haec tamen distinctio servetur oportet non tantum in distribuendis nostris sedilibus, sed etiam in ipso decreto.

Conservatio denominationum harum dignitatum ecclesiasticarum in istis regionibus ubi vigent, inter fideles et coram auctoritatibus servat pacem, quietem; nam vel etiam silentium in decreto mirum esset apud istos fideles, qui aliquam degradationem suarum dignitatum historicarum viderent.

In schemate decreti tantum iure divino existentes episcopi nominantur; per tangentem occasionem tantum iure humano facti in Ecclesia: patriarchae, archiepiscopi, nullibi primates. Saltem hic aeque et iuste afferantur et agnoscantur hae dignitates, quam historicae institutiones cum adnexis provinciis ecclesiasticis.

Adiacet tandem ratio oecumenica. Fratres dissidentes orientales has dignitates habent, agnoscunt, honorant. Quaerimus unionem cum illis restituere: in hac quoque quaestione impedimentum unioni poneretur, si a S. Synodo hae dignitates non agnoscerentur apud dissidentes fratres veneratae.

Hinc petitur hoc schema emendari, suppleri, iuxta praefata.

47

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Quasdam tantum exhibeo animadversiones, quibus forte textus melior fieri possit.

1. Pag. 5, linn. 5-6 « in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia ». Hoc incisum videtur additicium nec esse ad rem, sed dictum tantum, ut in n. 2 absque difficultate grammaticali sermo fieri posset de « *hac* Christi Ecclesia ». Mihi magis placeret textus iste: « ... ut et ipsi, Patrem glorificantes super terram et animas lucrantes Christo, habitaculum Dei in Spiritu aedificarent (cf. *Eph.* 2, 22), scil. Ecclesiam ».

« In hac Ecclesia, Romanus Pontifex... ».

2. Pag. 10, lin. 25. Dicatur « *iuxta Ecclesiae doctrinam* », omisso verbo « socialem »; nam verum quidem est omnia fere puncta praesertim doctrina sociali tangi, sed non tantum hac doctrina. Imprimis primum punctum, de persona nempe humana eiusque libertate et vita agens, magis alia ut ita dicam Ecclesiae doctrinae parte tangitur quam sociali.

3. Pag. 12, lin. 34 et pag. 13, lin. 1. Verba omittantur « et actionis catholicae » (cf. pag. 18, linn. 16-20). Non est, cur hic haec peculiaris laicorum apostolatus forma commemoretur; sufficit mentio, ut pag. illa 18, « *variorum* operum laicorum apostolatus », ne ansa praebeatur praeferendi per se determinatam formam organizationis.

4. Pag. 19, lin. 20. Inspecta natura dictionis et, inter alia, attento modo loquendi v. g. pag. 17, linn. 9; 13; 17 et praesertim pag. 21, linn. 4-5 (« et clerum dioecesanum »), potius dicatur pag. 19, lin. 20 « *ad dioeceseos clerum* »; item pag. 19, lin. 24 dicatur « *ad dioecesis familiam* ».

5. Pag. 23, linn. 22 s. legatur: « ... ex tribus partibus suffragiorum praesulum quibus ius est conferentiae interesse cum voto deliberativo, *praesentium* prolatae... ». In magnis, uti in Brasilia, conferentiis facile accidere potest quod tertia eorum quibus ius est interesse cum voto deliberativo, pars ob rationes varias (plus minus validas) abest, immo consulto abest, ne decisiones sumantur. Iuxta regulas generales iuris procedatur. Vocati, absentes hora statuta, non censentur.

6. Pag. 7, linn. 24 s. dubium occurrit: sitne legendum « ... cum (ex Dei institutione et praecepto) apostolici muneris Ecclesiae... sponsores... », an potius « cum (ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris) Ecclesiae... sponsores... »? Duplex lectio sensum bonum prae se fert. At ea quae intenditur, forte additione commatis indicari potest.

7. In toto schemate terminus « Ecclesiae universae » contradistinctae ab « Ecclesia peculiari » (cf. pag. 5, linn. 10, 24; pag. 5, lin. 11 (singularum); pag. 6, lin. 2 (diversarum); lin. 1 (peculiaris); pag. 8, lin. 14; pag. 22, lin. 2) invenitur.

Peculiaris ecclesia est dioecesis, ut patet textu pag. 22, lin. 2 et pag. 8, lin. 14 (... et *aliarum* peculiarium Ecclesiarum...). In schemate *de Ecclesiis Orientalibus,* pag. 5, idea evolvitur *Ecclesiae particularis.* Timeo, ne parva verborum distinctione confusio rerum oriatur, praesertim cum in usu loquendi Ecclesiae Romanae hucusque nomine *particularis* Ecclesiae veniat quaelibet Ecclesiae pars ut ita dicam circumscripta (dioecesis, praelatura nullius, vicariatus apostolicus, etc.). Sufficit in medium afferre modum loquendi de festis ecclesiae *particularis* etc. Id unum quaero, utrum modus loquendi, ab uno eodemque Concilio, in duobus istis schematibus forte admittendis, adhibitus, sufficienter sit clarus et cohaerens. Sapientiores respondebunt.

Appendix.

8. Pag. 17, sub n. 3 sermo fit *de clero dioecesano* (vide animadversionem supra factam sub n. 4). Agi de sacerdotibus dioecesanis seu non religiosis patet non tantum incardinatione ibi memorata, sed toto verborum tenore et possibilitate forte exsistenti libere disponendi circa bona materialia (lin. 10, 21).

Sub eadem rubrica *cleri dioecesani* sunt positi sacerdotes operibus supraparoecialibus addicti et parochi. Clausula « salvo iure religiosorum » quae in pag. 18, linn. 24-25 habetur, apparet quidem religiosos non esse exclusos, e contra « quadam ratione » inclusos (cf. pag. 19, lin. 20). Attamen textus haud adeo arridet ob defectum claritatis et certitudinis ortum e contextu, ut animadversione 4 ostendi. Nisi fallor, res iam aliquo modo clarior fiet omissione subtitulorum 1. (pag. 15, post III), 2. (pag. 16), 3. (pag. 17), 4. (pag. 19). Qua omissione quoque haec sectio tertia « de episcopi dioecesani in munere pastorali cooperatoribus » similior redderetur ceteris sectionibus in quibus subtituli, licet bene possibiles, non inveniuntur.

Textus autem n. 26, pag. 17 nullo sub aspectu placet nec satisfacit rerum adiunctis, rerum veritati multis in locis exsistentium. Pius XII, in celebri allocutione ad religiosos die 8 dec. 1950 habita, religiosis committi dioecesim quandam totamque in ea curam animarum non esse absonum edicit; id accidere historia missionum et Brasiliae (e. g. dioeceseos Ianuariensis seu Florestan.) edocet, ubi saltem de facto sacerdotes huiusmodi dioecesanos qui in n. 26 describuntur, vel vix vel non habentur. Quis tunc *primas* habet partes in cura animarum exercenda? Oportet igitur ut textus reformetur.

Propono: « Sacerdotes dioecesani, providi cooperatores ordinis episcopalis effecti et Ecclesiae peculiari incardinati vel addicti, unum constituentes presbyterium atque unam familiam cuius pater est episcopus, sciant oportere, vocationis qua potiuntur natura impellente, ut in animarum cura procuranda magnas partes habeant (vel: sustineant) et dioeceseos servitio plene sese devoveant.... ».

[*Subscripserunt etiam*] J. Romeijn, ep. Samarindaensis; W. Demarteau, ep. Bandjarmasinensis.

48

Exc.mus P. D. PASCHALIS QUAREMBA
Episcopus Gallipolitanus

Cap. I, pag. 8, n. 6, linn. 12-16, agitur de usu bonorum ecclesiasticorum. In hoc loco episcopi rogantur ut necessitates non solum proprias, sed etiam aliarum dioecesium prae oculis habeant, ad illas sublevandas.

1. At quomodo episcopi necessitates aliarum dioecesium cognoscere possunt?

2. Quomodo haec communicatio bonorum fieri potest, nisi nova administratio bonorum ecclesiasticorum fiet? Propono ergo:

1. Ut omnia bona ecclesiastica, proventus scilicet cuiusque naturae (congrua, adventitia etc.) in officio administrativo nationali vel regionali cumulentur.

2. Ut officium istud unoquoque mense pro rata personis, cultui addictis, ea distribuat ope officii administrativi dioecesani, consideratione habita gradus, aetatis etc. uniuscuiusque.

Ita haberetur aequalis distributio bonorum ecclesiasticorum in omnibus dioecesibus.

Cap. I, pag. 9, n. 8, lin. 10, agitur de Curiae Romanae Dicasteriis. Propositionem hanc humiliter adderem: « Episcopi facultas sit Summo Pontifici *personaliter* et *directe* referre quod Curiae Romanae non semper dicere potest.

Conveniens erit si dioecesanae res cum Nuntiatura Apostolica tractarentur immediate, quia haec tantum res peculiares dioecesium exacte cognoscere potest ».

Cap. II, pag. 13, n. 19, agitur de episcoporum a munere renuntiatione. Difficile est episcopos a munere renuntiare, quia se ad officium adimplendum semper se valide putare. Huic quaestioni humiliter proponerem hanc solutionem: Episcopus decimo saltem quoque anno ad aliam sedem transferatur. Id et ipsi, et clero et populo magno commodo erit.

a) *Ipsi*: Episcopus, sciens se non in perpetuum quamdam dioecesim gubernaturum, actuosius adlaborabit, eius cor nemini adhaerebit, zelum pastorale semper vivum servabit, et bonam ipsius famam relinquere curabit. Experientia docet quod loci mutatio spiritum renovat.

b) *Clero*: Si quis e clero suum episcopum, quacumque de causa, non diligit, eius translatione decennali animi tranquillitatem acquirit.

c) *Populo*: Cum episcopus in aliam dioecesim transfertur, fidelibus nova apostolatus methodus datur, novae dispositiones, novus zelus, novus fervor: et si qua malevolentia in episcopum erat, eius translatio decennalis populum alleviabit.

Tandem quando episcopus minus aptus suo officio evadit, ad sedem titularem transfertur et ita integra sua fama manet.

Cap. II, pag. 15, n. 22, agitur de disciplina in dioecesarum immutatione. In dioecesium immutatione aut innovatione ad normam n. 21 proponere audeo quod hae per Nuntiaturam Apostolicam quam per conferentias episcopales fiant; ratio est quia episcopi magna cum difficultate in delimitatione dioecesium convenire possunt; hoc in casu unusquisque est Cicero pro domo sua.

Cap. II, pag. 16, n. 25, agitur de Curiae Dioecesanae ordinatione etc. Iuxta Ius Canonicum vigens Capitulum Cathedrale senatus episcopi est. Experientia docet quod in dioecesis regimine Capitulum magnum impedimentum est; propterea proponere audeo quod canon iste auferatur a codice, et addatur tantum *coetum presbyterorum* ab ipso episcopo compositum operam adiutricem ei ministerio praestare.

Cap. II, pag. 18, n. 29, agitur de stabilitate parochorum etc. Inamovibilitas parochorum animarum bono detrimentum est, quia decursu temporis eorum activitas infructuosa erit propter inertiam.

Proponere humiliter audeo ut parochi et singuli sacerdotes in aliquo officio stare deberent non plus quam quinque annos.

Hoc magnum iuvamen erit sacerdoti et populo.

Cap. III, pag. 24, n. 37, agitur de provinciis ecclesiasticis. Si hoc tempore conferentiae episcopales adsunt, ad quid amplius provinciae ecclesiasticae? Hae locum habebant temporibus transactis, quando conferentiae deerant.

Nova structura Ecclesiae per conferentias episcopales sufficiens erit.

49

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ

Praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.

Ad nn. 31-33. Agitur in his numeris de relationibus episcopos inter et religiosos ad apostolatum quod attinet. Aliquis ex antiquis patribus deserti monachos admonuit dicendo duas classes hominum pro monachis esse vitandas, scil. mulieres et episcopos. De mulieribus non est loquendum ut patet, sed quid timet ille antiquus monachus de episcopis?

Antistites quos caritas Dei certo urgebat opinabantur illos monachos qui unice Deum quaerebant, optime esse dispositos ad sacerdotium ideoque ad ministerium animarum et conabantur eos ad hunc finem extrahere de solitudine simul et de eorum vita contemplativa.

Decursu saeculorum praesertim a saec. XIV, i. e., a Concilio Viennae in Gallia habito (1311) omnes monachi ad statum clericalem sunt promoti et ita paulatim ex monachis facti sunt clerici regulares. Quod certe non erat

in intentione S. Benedicti, patriarchae monachorum, qui ordinem laicum fundavit in quem cum aliqua scrupulositate admisit sacerdotes (c. 62).

Aliquibus annis abhinc abbas generalis Ordinis Cisterciensium, rev.mus D.nus Quattember, nunc defunctus, in aliqua conferentia in collegio S. Anselmi habita dicere potuit: « Sacerdotium destruxit monachismum verum et purum ». Quamquam hoc dictum aliquo modo sit exaggeratum, continet tamen aliquid veri. Nostris diebus apud plures iuvenes inclinationem videmus ad vitam claustralem agendam, quin tamen ad sacerdotium aspirent.

Sed praesentibus circumstantiis temporis non tantum ordines medii aevi et congregationes quas dicunt modernae, sed etiam monachi sunt sacerdotes. Immo novitii qui in monasteria intrant subscribere debent textum praeparatum, in quo declarant se ad sacerdotium suscipiendum paratos esse. Novus codex certe hac in re alias dabit ordinationes.

Monachatus et sacerdotium non sunt aliquid contradictorium, immo per sacerdotium monachus pulcherrimo diademate incoronatur. Cum gratia vero sacerdotalis praesertim data sit ad sacra fidelibus communicanda, factum est ut episcopi adiutorium religiosorum pro suis respectivis dioecesibus peterent, immo multae congregationes modernae praecise ad ministerium animarum fundatae sunt.

Obiicere aliquis potest factum historicum quod medio aevo tot fuerunt monachi Ordinis S. Benedicti et aliorum qui facti sunt missionarii optimae famae, v. g., S. Augustinus et Bonifatius, Anscharius et Adalbertus, Willibaldus et Willibrordus. Hi omnes exceptiones sunt a regula, immo D.nus Ioannes Leclercq nobis retulit, confratres S. Anscharii hunc sanctum vituperasse de eo, quod vitam claustralem, i. e., vocationem monachalem deseruisset ut missionarius fuisset.

In nn. 31-33 nostri schematis principia generalia statuuntur circa cooperationem religiosorum in apostolatu cum episcopis, qui ut successores apostolorum plenam et perfectam in cura animarum responsabilitatem habent. Principia optima ibi proponuntur respectu semper habito ad indolem propriam uniuscuiusque instituti. Monachi in claustris degentes specialiter proteguntur, cum dicitur in n. 31: « Salva indole religionum quae ex instituto vitam contemplativam profitentur ».

In n. 23, paragrapho quarta, pag. 20, nimis generaliter dicitur religiosos ordinariis locorum subdi quoad cultum publicum, curam animarum, praedicationem, catechesim, etc. ... Habent instituta religiosa spiritualitatem propriam quae certe se manifestabit in omnibus praedictis. Melius esset in hoc decreto omittere singula et specialia, et tantummodo enuntiare principia quaedam generalia in quibus omnes concordant, quod iam paucis abhinc diebus dictum est ab em.mo card. Browne.

Venerabiles Patres, en altera vice sententiam meam pandere liceat: Cooperatio inter episcopos, clerum saecularem, regularem et monachos potius regulari debet caritate, dialogo, conferentiis quam canonibus, praeceptis, mandatis etc. ... Quia omnes difficultates vincit amor.

50

EXC.MUS P. D. ALEXANDER RENARD

Episcopus Versaliensis

J'ai envoyé la lettre ci-jointe pour le « de vita sacerdotali » à propos de l'évêque-perfector. Je me permets de penser qu'il importe que la Commission de pastorali episcoporum munere in Ecclesia soit au courant de cette proposition.

Ce dernier schéma signale, en passant, que les évêques sont « perfectores » (pag. 12, lign. 8). Je crois qu'il importe grandement que le texte souligne que l'évêque est d'abord « perfector » des prêtres, avec référence à S. Thomas d'Aquin. Car, sans l'appui d'un texte conciliaire, l'évêque se trouve démuni vis-à-vis des prêtres dans leur vie spirituelle.

51

EXC.MUS P. D. IOANNES RIZZO

Archiepiscopus Rossanensis

Observationes circa nn. 33, 34, 35 schematis *de pastorali episcoporum munere.*

Observationes et considerationes in cap. II schematis *de pastorali episcoporum munere circa relationes inter exc.mos episcopos et Congregationes religiosas in variis actionibus apostolatus,* animum meum movent ad interveniendum.

Recognita religiosorum opera pretiosa in diversis aetatibus historiae Ecclesiae, pro certo habeo ad mentem revocare comprehensionem illius S. Ignatii « nihil sine episcopo », quod sibi vult perseverans activitas, ad infundendum in tota apostolica vita pretiosum catholicum spiritum, quod in episcopo inesauribilem et garantem certum habet.

Nunc, plus quam transactis temporibus, ob mutatas necessitates spirituales et sociales fidelium, necesse est ut religiosi se insereant in activo apostolatu. Haec insertio saepe reperit difficultates in falsa visione illae « esentionis » quam puto redimentionandam esse ut efficaciter bonum animarum obtineatur.

Non rarum est invenire conceptiones restrictivae esentionis quasi esset fossilizatae, aliquid absolutum et illimitatum.

Sensibiles necessitatibus temporum, putamus « exemptionem » considerandam esse in meliorem evolutionem ut pro Ecclesia universa novas pretiosas vires donare possit.

Magis magisque harmonica comprehensio inter superiores religiosos et episcopos operam facilitabit.

Requiritur ex parte religiosorum et religiosarum ille spiritus assuefactionis vitae dioecesanae et paroeciali, cuius essentiale centrum est et remanet Ordinarius loci.

Mihi videtur absurdum cogitare et constatare vires religiosorum et religiosarum independenter ab auctoritate et dispositionibus pastoralibus episcopi agere.

Ordinarius cuius munus est dirigere, inspirare et coordinare totam vitam dioecesanam saepe impeditur in procurando bonum animarum difficultatibus a religiosis iniuste exhibitis et a superioribus provincialibus et generalibus convalidatis.

Non rarum est — tristi dictu — quod, sine aliqua conventione cum Ordinario loci, religiosi, opera, notabili cum sacrificio incepta, relinquunt.

Ut in futurum tales amoveantur dissentiones, animo disposito apostolicis necessitatibus temporum auspico ut episcopus in sua dioecesi fideliter et efficaciter ab omnibus benemeritis familiis religiosis coadiuvetur, ita ut ubique terrarum unitas magisterii pastoralis equilibrio et commoda evolutione actuetur.

Iam scimus aliquas Congregationes religiosas haec cogitare recte et feliciter practicare encomiabili laude, sed nondum omnes.

Ideo, in ambitu observationum quaeso ut venerabiles Patres unanimiter optent subsignare necessitatem revalutandi auctoritatem pastoralem episcopi praepositi ad totam dioecesim regendam.

52

Exc.mus P. D. PETRUS SALMON
Episcopus tit. Iucundianensis

Pag. 10, lin. 1. Optarem ut daretur notio magis doctrinalis dioeceseos, quae non est tantum pars quaedam dominici gregis et imago Ecclesiae: est enim ipsa Ecclesia in aliquo determinato loco constituta. Omnes episcopi saltem titulum habent alicuius Ecclesiae « localis », etiam illi qui curam gerant alicuius « partis dominici gregis », quae tamen non est dioecesis, uti sunt episcopi pro fidelibus alicuius ritus orientalis in regionibus ritus latini.

Pag. 10, lin. 18. Loco « proponant imprimis finem supernaturalem », mallem dicere: Regnum Christi et Dei adnuntient et in omnibus gentibus instaurent instrumentis quae divinitus data sunt ad felicitatem aeternam consequendam (cf. schema *de Ecclesia,* n. 5).

Pag. 10, lin. 22. Eodem modo, adderem, post « Ostendant insuper »: in aedificatione Corporis Christi...

53

Exc.mus P. D. ANTONIUS SAMORÉ
Archiepiscopus tit. Ternobenus

Super schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* nonnullas animadversiones submittere velim, quae ad cap. II et III eiusdem schematis referuntur:

1. Quod statuitur in n. 22, circa conferentiae episcopalis votum exprimendum, incerte videtur enunciatum. Hoc modo corrigendum putarem: « Salvo iure communi ac disciplina Ecclesiarum orientalium, cum de dioecesium immutationibus aut innovationibus agatur, conferentiae episcopales pro suo quaeque territorio — ope etiam adhibita peculiaris commissionis, si id necessarium videatur — vota et consilia sedula cura praebeant, Apostolicae Sedi rite proponenda ».

Similiter, statutum n. 39 (de Provinciis Ecclesiasticis) his verbis enunciarem: « De huiusmodi Provinciarum circumscriptione aut regionum erectione studium vel votum exquiratur competentibus episcoporum conferentiis seu commissionibus, iuxta normas iam de dioecesium circumscriptione in art. 21 et 22 statutas ».

2. Definitio conferentiae episcopalis, in n. 36 exarata, dubium inducere potest quod iste « coetus » potestatem habeat leges ferendi veluti Concilium provinciale aut nationale; magis accurata videtur haec, quae sequitur, definitio: « Est episcoporum conferentia veluti coetus seu conventus in quo sacri antistites cuiusdam nationis vel territorii sua sponte congregantur, ad amice conferendum ac statuendum circa ea quae pro tutela rei catholicae, pro bono et incremento Ecclesiae Christi et pro salute animarum suscipienda videantur ».

3. Cum de peculiaribus adiunctis, quae prae oculis habenda erunt, quando agitur de dioecesium circumscriptione, mentionem etiam facerem de « finibus » qui in quolibet territorio statuti vel statuendi sunt ab auctoritate civili: ita ut, quantum fieri potest, fines utriusque circumscriptionis ecclesiasticae et civilis simul componantur.

4. Quoad religiosos, ad n. 33, cum de fovenda cooperatione inter varia Instituta religiosa, episcopos et clerum agatur, mentionem aliquam haberem — exempli gratia — de conferentiis religiosorum in unaquaque natione seu regione extantibus.

54

Exc.mus P. D. ALFONSUS SÁNCHEZ TINOCO

Episcopus Papantlensis

Cap. I, ad pag. 9, n. 9, proponitur sequens: post paragraphum primam, in lin. scil. 5, addatur: « Hoc nihilominus munus, ex natura sua, specifice administrativum, consultivum et exsecutivum est » (Conf. Alloc. ad Curiam Romanam SS. Pauli VI die 21 sept. 1963: schema pag. 26, n. 6).

Ratio quidem in eo est reponenda quod ipsa dicasteria non pertinent ad collegium episcopale.

55

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN

Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

De n. 33, 3) secunda alinea Pater quidam in aula loquens desideravit ut adiungerentur haec verba: « ad normam iuris » ad servanda religiosorum iura. Nos vero subscripti opinamur religiosos quoad curam animarum et eorum pastoralem actuositatem in fideles sub iurisdictione episcoporum statuendos esse, quia ut unicus sit moderator pastoralis ministerii in dioecesi oportet. Etiam ecclesiae fidelibus apertae visitationi pastorali episcopi subiectae sint, sive quia episcopus est moderator cultus in dioecesi et ecclesiae religiosorum loci cultus sunt, sive ut pastor suos dioecesanos qui illas ecclesias frequentant docere et inter se obvios esse possit.

[*Subscripserunt etiam*] Aegidius Bignamini, arch. Anconitanus; Ioseph Bonacini, ep. Brittinoriensis; Angelus Calabretta, ep. Netensis; Ioannes Proni, ep. Thermularum; Felix Bonomini, ep. Comensis; Angelus Prinetto, ep. tit. Hadrianopolitanus; Iacobus Cannonero, ep. Astensis.

* * *

N. 16, pag. 33, linn. 14-16 et n. 17, pag. 34, linn. 34-37. Bis memorantur instrumenta investigationis socialis. Sufficit semel.

N. 24, pag. 39. Quaestio, de qua in hoc numero agitur, respicit praecipue Italiam. Quomodo vero conferentia episcopalis, quae tam frequens est, hanc spinosam et urgentem quaestionem solvere poterit? Necesse est ut non nationalis sed regionalis conferentia rem, de qua nunc quaeritur, prudenter et practice enodandam aggrediatur et postea Apostolicae Sedi proponat.

N. 28, pag. 42, linn. 16-18. Nullo loco in hoc schemate, quod de dioecesis regimine agit, officium in memoriam revocatur oboedientiae presbyterorum erga episcopum, pro qua hic voluntatis consociatio cum episcopi voluntate substituitur.

Hoc modo indisciplinae sternitur via.

N. 28, par. 42, linn. 21-24. Multa iam consilia habemus audienda (Capitulum Cathedrale, Consilium dioec. administrativum in rebus oeconomicis, Consilium pastorale — cf. n. 27 — Coetum dioecesanum presbyterorum — cf. n. 7 decreti *de ministerio et vita presbyterorum*). Hoc vero loco praecipitur colloquium commune de re praesertim pastorali cum sacerdotibus dioecesis statis temporibus instituendum. Sufficit data occasione, quando episcopus hoc utile consideraverit.

N. 30, pag. 44, lin. 25. Loco « exigat » ponatur « exigit ». Pastorale munus hanc visitationem certe exigit.

N. 30, pag. 44 post 3). Intelligens et efficax exercitium curae animarum

exigit periodicos (saltem mensiles) conventus cleri parochialis ad bono animarum consiliis collatis sapienter providendum.

Initio anni ecclesiastici lineamenta laborum et operum (programma) totius anni, experientia omnium paroeciae sacerdotum, parentur.

N. 31, pag. 45, lin. 17. Urgens est necessitas simpliciorem reddendi modum procedendi in amotione parochorum. Consulendum videtur esse in schemate et non remittendum ad futurum Codicem I. C.

N. 35, pag. 47, lin. 35. Expungantur verba « ad normam iuris », quae hanc necessariam ordinationem enervant. Hoc bene componi potest etiam cum Allocutione Pii XII diei 8 dec. 1950.

N. 35, pag. 47, lin. 40. Post verba « cultus divini » adiungatur « ad visitationem canonicam ecclesiarum ».

N. 35, pag. 47, post 4). De quaestuationibus pecuniae verbum faciendum est. Regulares quos mendicantes dicunt, eleemosynas quaerere valent de sola superiorum suorum licentia. At regulares mendicantes non sunt. Nomen est memoria historica, pura fixio et extra tempus. Nulla domus indiget mendicatione ad vivendum. Nec est occasio semet humiliandi quia unus frater laicus eleemosynas per domos quaerit. Non ad paupertatem et humilitatem colendas hoc fit, sed potius contra has virtutes.

N. 40, 1) pag. 88, linn. 6-7. Iura metropolitarum circa dioeceses suffraganeas ne augeantur quia libertas episcoporum, ac non certe in bonum animarum et dioecesis regiminis, coartaretur.

N. 42, pag. 89, lin. 2. Post verba « committi possunt » haec ponantur: « quae officia iurisdictionem non impediant ». Exemplum habemus in Italia ubi episcopus cappellanum carceris in sua dioecesi nominare non valet, nisi facultatem a praelato huic servitio praeposito obtineat.

N. 44, pag. 89, linn. 30-34. « Super quae Directoria iam confecta sed nondum adprobata mens episcoporum exquiretur ».

56

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER
Episcopus Purvokertensis

Omni qua par est humilitate et reverentia, rogamus ut in supradicto schemate meliorentur sequentia:

N. 28, pag. 18, linn. 1-2. Iteratio adhortationis « commendationis in Domino » ex *C.I.C.* can. 1350 p. 1, maxime *inefficax* aestimanda est, sicut ex pastorali cura pastorum in universo orbe dispersorum, usque nunc probatur. *Si* Ecclesia Christi in essentia sua « missionaria » dicenda est, melius *obligatio caritatis* humanae consortiae in testificatione nuntii — evangelici et cooperationis ministerii — caritati hic exprimeretur « clare indicans obligationem in caritate adversus eos qui extra sunt », per koinoniam et diaconiam christianam ad omnes.

N. 36, pag. 23, linn. 16 ss. Ex praxi in Indonesia mihi videtur, quod ab initio institutionis « conferentiarum nationalium », periculum « collisionis iurium » quam possibile eviteretur, clare enuntiando, quod *Institutiones* a conferentiis erigendis vel ab eis directe dependentibus, etiam in iure ecclesiastico a regimine conferentiae dependent, et non ab Ordinario loci ubi forsan Institutiones sicuti « secretariatus, commissiones, officia » de facto sunt et operantur.

Idem dicendum de Associationibus fidelium tum religiosae tum civiles mixtae quae habent « Regimen Centrale vel Nationale » sed de facto pluries in urbe-capitali nationis domicilium operationis habent, ut eximuntur a Iurisdictione Ordinarii loci et directe subiiciantur regimini conferentiae nationalis, qui autem nihil aliud faciet quam declarare quod associationes istae sub respectu fidei et morum et pastoralis curae nationalis approbantur in actione sua, *salva* semper licentia Ordinariorum locorum ut de utilitate pastorali pro sua quaque dioecesi iudicent, et approbationem agendi in sua dioecesi praebent.

Ideo praesertim quia regimina centralia associationum, plerumque influxum pastoralis urbanicae subsunt, et non tanto respiciunt possibilitates in pastorali rurali.

Inde auctoritas conferentiae nationalis cautiatur, auctoritas Ordinarii loci pro sua dioecesi non minuatur, et laici ipsi non semper conflicto conscientiae urgentur « quanam auctoritati ipsi subsunt » nationali vel locali et in quibus causis.

* * *

1. In genere textus emendatus valde placet.

2. *Animadversio ad prooemium.* Valde placet nomenclatio de hierarchia catholicitatis christianorum tamquam « *pastoratus ministerialis* » universalis vel localis.

Inde speramus quod in futuro nomenclationes e civili societate desumptis, evitentur in textibus magisterii Ecclesiae.

Ne definiatur structura Ecclesiae tamquam « monarchia aut democratia ». Structura Ecclesiae Christi est aliquid « sui generis », quod in apparatu structurali quidem aliquando formas temporales e situatione historica desumptas, sibi assumere potest, sed structuras temporales istae *ne umquam* obnubilent, verum fluxum vitalem Ecclesiae Christi.

3. *Animadversio ad cap. I.* Ad n. 4: iam antea ad Commissionem ante-praeparatoriam scribimus considerationes « de numero participantium », quia massa Patrum plus quam duo millia, plus minusve intractabilis et minus effective iam a priori mihi videbatur.

Idea « repraesentationis » inde mihi non abhorret, si tamen numerus realiter participantium ab ipsis provinciis ecclesiasticis vel conferentiis nationalibus determinari potest, et semper omnibus et singulis episcopis fas est *scripto* opiniones suas Synodo Oecumenico aperire vel directe vel per

suos repraesentantes, qui ut repraesentantes agant « cum mandato generali vel speciali ». Quod in Iure Canonico describendum sit.

Verus amor probari potest, si in futuro a provinciis vel conferentiis nationalibus et contributio expensorum « pro rata parte » ad 5 vel 10% rogatur, servatis servandis.

4. Ad n. 5: consilium centrale suum utilitatem probare potest pro vita ecclesiae universalis, si de iure et de facto sit locus deliberationis *liberae* inter episcopos ex toto orbe adunatos et diversitatem situationis Ecclesiae in mundo repraesentantes.

Sint episcopi pastores et administratores, visionarii charismatici et sceptici, progressivi et conservativi, ex omni parte mundi selecti et praesentati, devoti et politici sed in genere plus qualitatem quam numerosam quantitatem gloriantes.

Ut Pastor Universalis « *de consulto* » pastorum selectorum localium, bonum commune totius Ecclesiae et *mundi* aptius provideri possit. Consilium Centrale sit in iure quid « sui iuris » tamquam « Consultum Altum » ad serviendum bonum Ecclesiae et mundi, extra influxum directum Curiae Sedis Romanae, directe dependens a Summo Pastore Universali.

5. Ad n. 9: *Romanae Curiae Dicasteria* si non existerent, de novo creari deberent, sunt de necessitate functionali pro administratione Ecclesiae. Quia autem ab hominibus reguntur, imperfectionibus humanis premuntur sicut etiam institutio « collegii episcopalis insuper ipse Institutio Supremi Pontificatus ».

Imperfectiones istae quae ameliorari possent inter alia mihi videntur:

a) In quantum possibile esset, de iure et de facto, regimen et administratio Ecclesiae Universalis, distincta immo et divisa sit a regimine et administratione Romanae Dioecesis (Vicariatus). Usque nunc pro nobis exteris, duae istae nimis iunctae apparent, ita ut situatio politica socialis culturalis ethnica Romana et Italiana nimis influent decisionibus pro toto orbe latis, et situatio italiana et romana tamquam « norma directiva » orbis utitur.

Inde proponimus ut « Nomen sit Omen », et Curia *Romana* deinde nominatur, v. g. Curia *Vaticana* aut Curia *Pontificia,* et ut nomen « Curia Romana » reservatur pro administratione Vicariatus, a Romanis pro Romanis.

b) Ut divisio realisetur certe iuvabit ut in Curia Pontificia adnumerentur advisores et membra administrativa ex omni gente et populo ubi catholicitas invenitur, ut vox populorum et diversitas situationum « pro re fidei et morum et paedagogia humanitatis » audiatur viva voce in centro regiminis Ecclesiae Universalis.

Ex altera parte « vis romanizandi » aeterni urbis, iuvabit ut identitas nationalitatum ita christianisetur, ut unitas et caritas florebunt. Forsan in diversis « Congregationibus » creari possint, sic dictae: « divisiones administrativae secundum unitates culturales » quia quamquam omni humanitate inest « aequalitas fundamentalis », situatio culturalis in mundo ita est di-

versa in imaginibus culturae humanitatis, quod applicatio normarum universalium tamquam « finis acquirendus », nondum semper et ubique *eodem tempore* aequaliter urgeri potest.

c) Administratio oeconomica et socialis forsan etiam in Curia Pontificia, tribui posset *diaconibus,* ut esset quandam « Diaconiam Ecclesiae Universalis » *in* Urbe *pro* Orbe, sub Cardinale-Diacono.

d) Institui possent *nova* Dicasteria v. g.:

Congregatio pro laicis (de loco et functione laicorum in Corpore Ecclesiae, de « dialogo » cum repraesentantibus ex laicatu super necessitates Ecclesiae Christi, de apostolatu laicorum, de familia).

Congregatio de « Paedagogia christiana » tractans de variis thematibus educationis humanae et christianae, individualis socialis familialis nationalis supernationalis et de problematibus psychologicis, ethicis, biologicis annexis. Inde transiens in ductu animarum cum « Sub-secretariatus » de « communicationibus humanis »; de « cura pastorali ecclesiae », ad intra; de « catechesi et propaganda ad extra »; de « educatione christiana ».

Congregatio de « Diakonia Pontificali », tractans de operibus caritatis, ad sublevandam penuriam et egestatem in mundo, cum suis sub-divisionibus (Caritas internationalis).

Congregatio « Evangelizationis mundi », tractans de munere evangelizandi tum *ad intra* ad baptizatos semper evangelizandos, quam *ad extra* de testificatione coram nondum baptizatos (missiones) ad extra.

6. *Animadversio ad cap. II.* Ad n. 12: inseratur enuntiatum « de unitate fundamentali doctrinae christianae servandae » ne in quaestionibus disputatis sed agitatis ubi adhuc est « libertas opinionis », unum enuntiatum episcopi adversus alium adhiberi potest, quamquam diversitas situationis diversitas sapientiae pastoralis advisare potest.

Sit modus in rebus.

Ad n. 32: *de innovationibus in structura pastoralis paroeciae.* Rogamus ut in Iure Canonico de novo describeretur notio:

Rectoratus fungens tamquam « quasi paroecia » in dioecesi, desumens e dictis de Rectoribus in Iure vigenti, sed specialiter erecti pro situationibus in terris missionum ubi nuper hierarchia instituta est, vel pro regionibus sic dictae « Diasporae » ubi omnes conditiones personales et materiales in Iure pro vera paroecia indictae, pro longiore tempore providentur non adfuturi esse.

Si paroecia esset structura pastoralis *localis,* Rectoratus posset esse *vel* localis *vel* functionalis *vel* uterque.

Diakonia: insuper prodesset si in Iure quaedam regulae administrativae et pastorales inserebantur pro erectione « Diakoniarum » ubi in missionibus vel diaspora ab episcopo munus diaconatus instaureretur. Quid sit munus, ius, obligatio, dependentia, responsabilitas, relationes cum paroecia, rectoratu, dioecesi.

N. B. Meminisse iuvat, quod in dioecesi Monasteriense in Germania

vulgo Münster, et in dioecesibus neerlandicae regionis, forma pastoralis Rectoraat vel Vikarie adhuc in usu est.

7. *Animadversiones ad cap. III.* Ad n. 38 sub 3: advisatur ut iuridice « Officia et institutiones » a conferentia nationali vel regionali de communi consensu legaliter erecta « *eximuntur* » a iurisdictione *Ordinarii loci* ubi forte erecti sunt, sed directe subsunt iurisdictioni regiminis legalis ipsius conferentiae. Id ut lites inde ab initio vitantur (experto crede Roberto).

57

EXC.MUS P. D. AURELIUS SORRENTINO

Episcopus Bovensis

Super n. 28 cap. II schematis decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

1. Ut nos edocet relatio, quae in fine schematis invenitur, schema nostrum, cui titulus *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* ex praecipuis articulis coalescit, de quibus agebatur in duobus prioribus schematibus decretorum: *de episcopis ac de dioecesium regimine* et *de cura animarum,* commissione de laboribus Concilii coordinandis ita disponente.

Haec enim commissio ita mandavit ac statuit: « ridurre la materia dei propri schemi, in conformità delle finalità preminentemente pastorali del presente Concilio, rinviando alla prossima riforma del Codice di Diritto Canonico gli argomenti a carattere prevalentemente giuridico », « nello schema *de episcopis ac dioecesium regimine* siano incluse le norme più rilevanti e gli indirizzi fondamentali dello schema *de cura animarum,* che viene perciò eliminato dall'elenco degli schemi ».

Liceat mihi, maxima cum reverentia, stuporem simul ac dolorem promere pro capta sententia: mirum mihi videtur Concilium Oecumenicum, quod inde a primis diebus extollit suam indolem pastoralem, non pertractare illud schema, in quo suam peculiarem notam ostendere debuisset, in quo summa et synthesis omnium laborum in iuvenilem vigorem Ecclesiam redigendi inveniri debuissent. Nam, inter omnia, si quae sint, schema de cura animarum, natura sua, pastorale est.

Neque negari potest decretum huiusmodi, in quo, etsi summatim, normae et rationes pastorales collectae essent, sacerdotibus et fidelibus perutile ac maximo emolumento esse.

2. Sed quidquid sit de ista sententia, quam ego reverenter recipio et amplector, non mihi videtur in novum nostrum schema omnes praecipuas normas et rationes schematis de cura animarum transfusas esse.

Nam, nihil vel fere nihil habetur in schemate de pastorali parochorum officio, de operibus apostolatus rite coordinandis, de catechetica populi christiani institutione, et speciatim nihil dicitur de instituto paroeciali.

3. N. 28 est tantum exhortatio quaedam, quae verba generalia continet,

in memoriam revocans munus docendi, sanctificandi et regendi parochorum, quod ceterum nemo negat.

Sed quaestio alia est: quomodo haec munera hodie exercenda sunt, vel, quod idem est, quibus modis, qua via et methodo evangelium Christi, quod robur, lumen et salus est, hominibus nostri temporis ferri debeat, quomodo illud colloquium salutis, de quo, fuse, pertractat Summus Pontifex in admirabili Littera Encyclica a verbis incipienti *Ecclesiam suam* instaurandum sit cum hominibus nostri temporis, cum iis, ut verbis Pontificis utar, qui de statu in quo versantur, etsi inaniter, gloriantur cum persuasum habeant sibi suas vires satis esse ad prosperitatem adipiscendam, vel sine spe in insanabili humanae naturae corruptela quiescunt, cum iis qui nullam religionem profitentur et Deum negant, vel feliciter in gremio Ecclesiae degunt.

Non quaeritur hic, ut evidens est, expositio systematica theologiae pastoralis, sed enucleatio principiorum, indicationes, quae ad praxim deduci possint et ex quibus nova theologia pastoralis efformari possit.

Nova theologia pastoralis, inquam, non certo novitate doctrinae, sed novitate methodi, functionum ac distributionum ministeriorum et officiorum.

4. Ad hoc studium et laborem dulce suaviterque nos impellit, ni fallor, ipse Summus Pontifex, cum in eadem Encyclica *Ecclesiam suam* dicit: « Opinamur quidem Concilium Oecumenicum, quaestiones pertracturus ad Ecclesiam pertinentes quatenus in humana consortione nostrorum temporum operatur, magisterio suo nonnullas traditurus esse normas sive quoad doctrinam sive quoad usum, aptas ad recte serendum colloquium cum hominibus huius aetatis ».

Quid enim sub nomine « pastoralis » venit?

« E' certo un'espressione, questa, ait Summus Pontifex in allocutione diei 7 iulii 1963, che di frequente ricorre nel nostro linguaggio ad assicurare stabilità di dottrina e fervore di opere... Pastorale vuol dire servizio di un ministero responsabile ».

Et in allocutione diei 7 septembris 1963: « Pastorale è termine programmatico e glorioso... (Esso) ci richiama alla mente uno dei nomi più fiorenti della teologia pratica, la teologia pastorale, e cioè la scienza e l'arte della Chiesa di salvare le anime, che è quanto dire conoscerle, avvicinarle, istruirle, educarle, guidarle, servirle, difenderle, amarle, santificarle ».

Hoc sensu sacerdotes et laici, ut opinor, a Concilio petunt et exspectant novas normas theologiae pastoralis, quae rationem habeant illarum « esigenze apostoliche del regno di Dio, nella contingenza della vita contemporanea », de quibus locutus est Paulus VI in eadem allocutione diei 7 septembris 1963.

Mysterium seu oeconomiam salutis Deus in Ecclesia operatur secundum variationes temporum et locorum, libertate hominum servata: « Architectus (divinus), ait S. Augustinus, aedificat per machinas transituras domum manentem » (*Sermo* 362).

5. Ad catecheticam populi christiani institutionem, quod primum Ecclesiae officium est, tantum paucae lineae consecrantur.

Dum ex una parte fides multorum languescit et erroribus in mundo grassantibus inquinatur, ita ut in discrimen fidei integritas vocatur, dum ex alia parte manifeste patet plurimos fideles profundius sentire mysterium Ecclesiae et desiderare imbui verbo Dei, Concilium pastorale quasi omnino silet de hac re! Non vobis mirum et absonum videtur? Quisnam erit effectus psychologicus huius silentii apud fideles et sacerdotes?

6. Sed, quod gravius est, nihil omnino de paroecia dicitur.

Nostris temporibus multa studia investigationesque peracta sunt super institutum paroeciale, quae magis magisque momentum huius cellulae fundamentalis in Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, patefaciunt.

In Instituto paroeciali quaedam sunt certo emendanda, alia mutanda. Emendandum, iudicio multorum, ne omnium dicam, est beneficium paroeciale, quod quam maxime mentalitati hodiernae repugnat utpote inviso domino parochum non raro aequiparat. Sed, qua institutum est certo servandum, etsi perficiendum. In paroecia enim Corpus Christi mysticum per curae animarum officium aedificatur, pueri in doctrina christiana instituuntur, pauperibus, aegrotis et miseris quibuslibet necessaria et opportuna subsidia praestantur, doctrina socialis Ecclesiae ad effectum deducitur, debitus honor Deo praestatur.

« Paroeciae quodammodo repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam » (Const. *de s. Liturgia,* n. 42).

« La Parrocchia è il cardine della Diocesi, intorno a cui gira, si anima e si coordina ogni azione pastorale che si svolge entro i suoi confini » (*Sinodo Romano,* art. 100).

Ad Concilium ergo spectat, mea humili sententia, normas aptas dare quae ad optatam renovationem ducant eamque faciliorem reddant, atque illam rerum accommodationem (= aggiornamento) adipiscatur, quae in votis fuit Ioannis XXIII, in votis est Pauli VI et vestris.

Si paroeciae facie pura eniteant ac iuvenescant, tota Ecclesia Christi pura facie enituet ac iuvenescet.

Conclusio. a) Dentur igitur novae normae theologiae pastoralis, quae exigentiis et necessitatibus hominum nostrae aetatis magis respondeant.

b) Resumantur alii numeri, opportune, se casus ferat, contracti, qui in priore schemate de cura animarum inveniuntur.

c) Recipiantur in decreto illae partes et capita quae in Littera Encyclica *Ecclesiam suam* ad theologiam pastoralem referuntur.

Littera Encyclica, ut meministis, ut argumentum habet: quibus viis catholicam Ecclesiam in praesenti munus suum exsequi oporteat.

d) Alius titulus schemati detur, rei quae in eo continetur magis conveniens.

e) Pro coordinatione apostolatus confirmetur competentia episcopi pro sua dioecesi.

Actio pastoralis dioecesana esse debet, i. e. ab episcopis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, promanare: haec est necessitas et po-

stulatio semper valida, numquam praetermittenda vel obliteranda. Ad episcopum, ut pastorem gregis populi Dei, spectare debet diversa opera et activitatem pastoralem coordinare.

Tempus iam est in novum ordinem redigendi organa dioecesana, sive officia et commissiones obsoleta et inutilia, quae vi inertiae adhuc in vita manent, abolendo, sive nova, si id necessarium videbitur, erigendo, sive inter se diversa organa et officia coordinando.

Liceat pro organis dioecesanis promere votum, quod laudabiliter legitur in n. 9 cap. I pro Romanae Curiae Dicasteriis: « novae ordinationi, necessitate temporum magis aptatae, subiiciantur, praesertim quod spectat eorundem numerum, nomen, competentiam, propriamque procedendi rationem, atque inter se laborum coordinationem ».

Magno cum gaudio perlegi quae Paulus VI scripsit archiepiscopo Mediolanensi occasione « XIV Settimana di Aggiornamento pastorale » die 14 iulii 1964: « Il clima di attesa della terza Sessione del Concilio Ecumenico Vaticano II offre a Sua Santità l'occasione per un'ulteriore riflessione a proposito di questa unitaria e organica " pastorale d'insieme ": e cioè che essa non può esistere e operare se non al livello dell'Episcopato. Di fatto, come già osservava Pio XII, " non può esistere Pastorale *sui iuris,* all'infuori cioè dei pastori ordinari e immediati del gregge " (ai Vescovi, 31 maggio 1954). Tale azione episcopale scaturisce dalla visione dommatica del Vescovo, posto dallo Spirito Santo a reggere la Chiesa di Dio (cf. *Act.* 20, 28): essa è dunque una necessità permanente, un'esigenza di tutti i tempi » (cf. *L'Osservatore Romano,* 31 agosto 1964).

Si hoc fiet, etiam hac de causa « peropportuna existimanda videtur Oecumenici Concilii celebratio, quod, cum id in primis sibi proponat, ut singularem induat notam, quam pastoralem appellant, ut canonicam renovet disciplinam, utque christianae vitae usum, congruenter ad divinam suam naturam, faciliorem reddat, idcirco iam nunc optime promeretur, antequam scil. pleraque decreta promulgentur, quae ab eodem exspectantur » (Enc. *Ecclesiam suam*).

58

EXC.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicanus, aux. Monasteriensis

Ad cap. I, n. 9: propono, ut post verba « novae ordinationi » (pag. 9, lin. 8) inseratur: « indole et traditionibus variorum rituum et regionum melius accommodatae et ... »; et post verba « laborum coordinationem » (pag. 9, lin. 4) addatur: « ut melius correspondere possint variis muneribus Romani Pontificis: utpote Episcopi Urbis, Primatis Italiae, Patriarchae Occidentis et Vicarii Christi pro tota Ecclesia ».

Rationes sunt: 1. Varietas rituum et regionum, quae est signum verae catholicitatis et universalitatis Ecclesiae, etiam in dicasteriis Curiae Roma-

nae clarius manifestari debet. Indoles ecclesiologica et missionalis totius Curiae Romanae hoc modo melius demonstrari et probari potest.

2. Opportuna ordinatione Curiae quoad statum et laboris methodum restrictiones forsan ecclesiarum orthodoxarum et aliarum ecclesiarum erga S. Sedem minui posse sperandum est. Ergo et ratio oecumenica talem ordinationem proponendam suadet.

3. Hoc vel simili modo Curia Romana in sua structura doctrinae sociali de sic dicta « subsidiaritate » corresponderet, evitando et falsum centralismum et falsum provincialismum. Varia munera Summi Pontificis etenim vario modo a dicasteriis demonstrari et exhiberi debent.

N. 17, pag. 13, lin. 4: loco « incrementum cultus publici » dicatur: « vitam liturgicam ».

N. 33, 4, pag. 20, lin« 31: loco « ad publicum exercitium cultus divini » dicatur: « ad liturgiam ».

Rationes: *a*) Adaptatio ad modum loquendi a constitutione *de s. Liturgia* adhibitum.

b) Non agitur solummodo de parte latreutica liturgiae, sed etiam, immo praesertim, de munere sanctificandi (cf. pag. 5, linn. 17-18; pag. 10, linn. 9-10; pag. 17, lin. 30; pag. 18, lin. 9). Cultus perperam et contra etymon vocis sub influxu scientiae religionis in linguis modernis habetur ut synonymon liturgiae. Verum est, etiam Scholam uti voce « cultus » (vox liturgia a graeca in latinam linguam introducta est demum saec. XVI) pro actibus liturgicis (et non liturgicis), sed in contextu theologiae moralis (actus virtutis religionis).

c) Terminus cultus propter saporem paganum etiam in sensu venerationis vel pietatis a S. Scriptura et fere toto primo millennio christiano sedulo vitatur; immo etiam saeculis recentibus in documentis Ecclesiae raro adhibetur. Cf. articulos *Kult* et *Liturgie* in *Handbuch theologischer Grundbegriffe,* München 1962-1963, vol. I, pp. 865-880; vol. II, pp. 75-97.

59

Exc.mus P. D. HERCULANUS I. M. VAN DER BURGT
Archiepiscopus Pontianakensis

Emendatio ad cap. I schematis decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Cap. I, n. 5, pag. 7. Referentes ad hoc caput speramus hoc Consilium Centrale citissime institui potest et quidem durante sessione III Conc. Vat. II.

Rationes: 1. *Multae sunt quaestiones quae solvendae manent* post Concilium Vaticanum II et quae meliore modo solvi possunt Consilio Centrali auxiliante, cum compositum sit e membris collegii episcoporum totius mundi, quae fiduciam habent huius corporis episcoporum.

Post institutum hoc Consilium quaestiones supradictae patribus in aula consentientibus, transmittentur ad Consilium Centrale, quod simul cum commissionibus postconciliaribus formulationes et solutiones praebere potest.

2. Si in constituendo Consilio Centrali saltem partim membra eliguntur a conferentiis episcoporum, facilius repraesentatur *opinio totius collegii episcoporum* per totum orbem dispersi.

3. Melius in solvendis quaestionibus postconciliaribus acquiritur *adaptatio ad necessitates totius mundi.* Secus semper periculum adest opiniones unius partis mundi nimis aestimantur.

N. 2, pag. 5. Melius videtur: « In hac Ecclesia Christus dedit apostolis curam pastoralem hominum, qui omnes vocati sunt ad sanctificationem in Spiritu Sancto. Romanus Pontifex, Successor Petri, cui oves et agnos suos pascendos Christus concredidit, suprema plena et universali in curam animarum gaudet potestate. Qui ideo etc. ».

Rationes: 1. Clarius enuntiatur unitas curae pastoralis Petri et apostolorum, quorum caput est Petrus.

2. Eliminatur dualismus quod fortasse legi potest e textu emendato.

3. Verba « ex divina institutione » superflua videntur, cum *et* pro Petro *et* pro ceteris apostolis dicitur quod Christus eis dedit curam et potestatem.

60

Rev.mus P. D. VILLELMUS VAN HEES

Magister generalis Ordinis S. Crucis

Uti notabat relator huius schematis, schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* nititur iis quae declarata fuerunt in schemate constitutionis *de Ecclesia.* Difficultates autem de quibus mentionem fecerunt Patres conciliares in aula, magna ex parte provenerunt, ni fallor, ex deficientia huius coniunctionis.

Schema *de Ecclesia* multis locis de Summo Pontifice, de episcopis, de sacerdotibus, de religiosis et de laicis etc. loquitur, quod etiam fit in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Attamen unus circulus in hac catena deest. Ab una parte tractatur de principiis generalibus et ab altera parte de principiis specialibus. De eo autem quod Ecclesia semper magni fecit, nihil expresse dicit schema decreti, nempe *de spiritu communitario in Ecclesia.* Unde provenit quod schema decreti spiritum iuridicum nimis spirat.

Unde ponitur quaestio practica: si admittimus collegialitatem episcoporum cum ipso Summo Pontifice, quaeritur quinam sit iste spiritus communitarius inter Summum Pontificem et episcopos et vice versa, et quidem, quomodo positive in hoc schemate exprimatur. Corpus enim morale sine spiritu communitario operari non potest.

Alia est quaestio de relationibus inter episcopum dioecesanum et clerum, tam saecularem quam regularem. Quidnam est fundamentum harum relationum? Sine spiritu communitario clerus mandata et leges praescriptas exsequi non potest. Sed in quo consistit hic spiritus communitarius in dioecesi? Si agitur de religiosis, quaeri potest, utrum schema in nn. 32 et 33 sufficienter rationem faciat spiritus communitarii Institutorum Religiosorum. Non ipsi religiosi individualiter opus apostolatus in dioecesi accipiunt, sed ipsum Institutum religiosum, non ergo persona physica sed persona moralis. Hoc ipso in apostolatu exercendo differunt religiosi a clero saeculari. Ex defectu spiritus communitarii bene intellecti pro maxima parte saeculis praeteritis ortae sunt difficultates inter saeculares et regulares aliquasque familias religiosas.

Sine hoc fundamento schema decreti loqui non potest de spiritualitate colenda in praefatis collegialitatis speciebus nisi superficialiter. Quod mihi valde dolendum videtur.

61

Exc.mus P. D. HELMODUS HERMANNUS WITTLER
Episcopus Osnabrugensis

I. Nemo negat, apostolatum religiosorum cum opere apostolatus totius dioecesis harmonicae et fructuose componere esse problema magni ponderis, quod nonnullis in casibus ansam praebet seriis difficultatibus. Omnino videtur esse laudanda, si Concilium vias idoneas et media apta indicet ad meliorem coordinationem opera apostolatus religiosorum inter et dioecesium. Modus autem, quem textus uti nunc iacet proponit, meo humili iudicio non solummodo videtur esse inidoneus et inefficax, sed insuper non congruere saluti ne dioecesium ne congregationum religiosorum.

Praecipua obiectiones et difficultates circa nn. 31-33 cap. II sunt sequentia:

1. Schema vult solutionem problematis praebere per aliquem novum institutionalismum iuridicum, qui ad scopum obtinendum videtur esse omnino insufficiens.

2. Distinctio ordinem internum inter et opus externum apostolatus communitatum religiosorum, quod opus externum non superioribus religiosis sed solis episcopis subesse dicitur, hoc extremo modo ab ordinibus religiosis realisari nequit. Insuper haec distinctio rigorosa in se portat germen incitationum mentium et discidiorum in ipsis communitatibus, praesertim quod attinet oboedientiam, circa quam inter ordinem internum et opus externum apostolatus distinctio fieri nequit.

3. Verba in n. 32, v. 20, in quibus dicitur, religiosi « vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere dicendi sunt », videntur non esse felix et apta et leniri debere.

4. Sensus, quem habet conceptus « exemptio » in schemate (cf. n. 33,

pag. 20, v. 20 ss.) non plene videtur correspondere sensui traditionali huius conceptus. « Exemptio » in traditione theologica (saltem etiam) intendit maiorem disponibilitatem in apostolatu exercendo ad nutum Sanctae Sedis et ad opera, quae fines dioecesium superant.

Hac de re quaerendum mihi videtur, utrum schema forsitan aliam viam ingredi posset ac deberet ad hoc problema rectae compositionis operis apostolatus et dioecesium et communitatum religiosorum pacifice et fructuose solvendum.

Haec compositionis principium fundamentale sine dubio debet esse *principium subsidiaritatis* operis apostolatus religiosorum. Meo saltem iudicio hoc principium a Concilio enuntiari et inculcari deberet. Progrediens ab hac suppositione fundamentali duo plani distingui debent: *a*) planum dioecesis et *b*) planum supradioecesanum, i. e. natio, regio aut provincia ecclesiastica. Duobus in istis planis organa coordinationis ad meliorem cooperationem obtinendam necessaria sunt.

Ad *a*) in plano dioecesano per repraesentantes communitatum religiosorum in aliquo « Consilio pastorali » episcopi vel in gremio speciali ad negotia ad apostolatum pertinentes tractanda instituto, sicut schema in n. 33 ad 6 (pag. 21, v. 15 ss.) indicat.

Ad *b*) in plano supradioecesano per institutionem membri coniunctionis inter conferentias episcopales territoriales seu regionales et conferentias superiorum maiorum religiosorum alicuius nationis seu regionis.

Certo certius omnino necessarium est, omnia opera apostolatus religiosorum in aliqua dioecesi vel natione pleno cum consensu episcopi residentialis vel conferentiae episcoporum exercere. Sed via confidentiae et harmonicae coordinationis videtur maiori cum fructu ingredi posse, quam via per normas iuridicas inter se non bene adaptatas indicata.

II. Omnino dolendum est meo iudicio, quod schema nihil dicit de relatione inter ordines religiosarum et communitates sororum ex una parte et officium episcopi ex altera. Normae nunc vigentes, quae determinant iura episcopi quoad visitationem praesertim ordinum religiosarum exemptarum revera non sufficiunt. Etiamsi hac in re nonnulla in reformatione Codicis Iuris Canonici mutari et adaptari erunt, tamen a Concilio normae directivae enuntiari deberent.

1. Ea quae dicta sunt circa opera apostolatus religiosorum, sine dubio et a fortiori valent de communitatibus religiosarum.

2. Insuper episcopi deberet esse ius, invigilare aut melius cooperare in educatione ascetica et in instructione religiosa novitiarum et in tota ulteriora formatione theologica et religiosa sororum.

3. Denique mihi videtur esse necessarium, ut episcopus dioecesanus evolutionem oeconomicam communitatum sororum et exstructionem aedificiorum invigilaret. Hoc modo spiritus paupertatis melius effodi et interdum evolutio, quae damnum affert existimationi Ecclesiae, tempestive impediri possit.

62

EXC.MUS P. D. IOSEPH ZAFFONATO
Archiepiscopus Utinensis

Peculiares animadversiones. Adprobamus illud « Consilium Centrale » a cap. V schematis invocatum, eamque participationem universorum episcoporum « sollicitudini omnium ecclesiarum » — de qua in cap. VI agitur — laudamus, quae participatio, cum ad effectum ducit spiritum divini mandati: « Euntes in mundum universum... », tum omnes obligat ad apostolicum munus christianae fidei propagandae, episcopatus naturae intrinsecum, in suo duplici adspectu: id est in continua regni Dei dilatatione et assidua vitae vigorisque recognitione Ecclesiae iam constitutae et apparatae.

Ex hac universali sollicitudine — salva tamen Summi Pontificis praestantia — uberiores fructus consequentur cum demum interpositiones, quinimmo saepimenta et claustra ex patriarum diversis traditionibus postremo superata erunt, quippe quae non parum damnum Sanctae Matris Ecclesiae ad hoc tempus attulerunt.

Obtestamur atque precamur ut in nova Romanae Curiae Congregationum ordinatione — ex optato et sententia cap. IX — convenientia consideretur amplioris autonomiae pro dioecesanis episcopis, ne cogantur e. g. ad explicatos commentarios de variis materiis et casibus, quin etiam committendo eorum paternae prudentiae ipsos casus nonnullorum sacerdotum alioquin a quibusdam nexibus per vitam obstrictorum.

Maximae utilitatis esse ducimus episcopos praecipue dioecesanos omnium terrarum una cum laicis, scientia et virtute praestantibus, eligi ad deliberandi vel consulendi officia in iisdem Congregationibus.

Votis expetimus ut praescripta de quibus ad XI-XVII, « de munere docendi, sanctificandi atque regendi », potius quam naturam, originem et fines trium pastoralium officiorum episcopi, quae iam a cc. XXIV-XXVII constituta fuere, cum « de constitutione hierarchica Ecclesiae » definitum est, functionem et exercitium referant et ostendant.

Monemus ne magna utilitas quin saepe imminens necessitas recognoscendi dioecesium circumscriptionem, de qua agitur in XX-XXII et XXVII, meditetur tantum circa quod pertinet ad delimitationem civilem; alias quoque causas ad perpensam considerationem reducantur, ut incolarum numerum, functionalem sufficientiam, singularum dioecesium historiam, artem, patrimonia, etc. Ipsum bonum animarum aequam aestimationem monet augustae traditionis. Ceterum ut dioecesis angustior esse non debet, quippe quae insufficiens et impar pastoralibus huius temporis necessitatibus, ita ne amplior quidem, ut impediat communionem episcopi cum populo et sacerdotibus suis.

Putamus etiam ultimae paragraphi ad XXI praescripta generaliori locutione significanda esse, cum recte nobis timorem inferant nec facilius in-

flamment immoderatas postulationes, si quae gentes pauciores numero adsint in alius stirpis natione vel civitate.

Circa « Consilium Pastorale » ad XXV praevisum, ampliorem illustrationem ac subtiliorem explicationem exoptamus: quae sint nempe eius officia, qui participes socii, quae in concilio agitari possint. Eritne quodammodo praesens consilium dioecesanum cui intersint praesides quoque collegiorum iam extantium, ut de catechesi, de administratione, de liturgia, de musica, de arte sacra, de libris editis, de spectaculis, etc., an nova institutio cuius officium sit pervestigare tantum problemata et solutionem rogare?

In definienda positione cleri dioecesani, n. XXVI incertus et ambiguus videtur. Satius et utilius est vehementer urgere in vita dioecesana spiritum unitatis et consociationis, qui singulos sacerdotes acriter incendat.

In n. XXVIII maioris momenti notae circa paroecia commemorari possunt, vera fidelium communitas, cuius vita alitur in veritate, in caritate et gratia. Ex iis praecipuis notis parochus, sacerdotali officio, animo sibi fingit rectam magistri et patris et pastoris imaginem.

Certiores normas speramus quoque circa « amotionem et renuntiationem parochorum » de quibus ad XXIX. Animadvertimus « inamovibilitatem » locum cessisse « firmitati ».

Agnoscimus ampliorem actionis libertatem episcopis concessam, licet « cum moderamine inculpatae tutelae »; attamen in tam difficili casu opus est « modo procedendi in amotione » non incerto ut habetur ad XXIV-XXIX in « De cura animarum » sed accuratius definito.

Quoad relationes cum religiosis habendas, de quibus ad XXXI-XXXIII, invocamus maiorem mobilitatem, ampliorem virium tanti momenti et praetii disponibilitatem, speramus diligentiorem et peculiarem institutionem, eorumque coordinationem immo efficacem subiectionem vitae et activitati dioeceseos. In lucem feramus oportet externam religiosorum actionem inter fideles, idest sacrorum indices horarios, congregationum conventus et compositiones, etc., semper cum paroeciae vita esse conciliandam, quinimmo subiciendam. Assertiones manifestas et gravitatis plenas praebet schema, sed illa verba « adsint... subsint » videntur magis suadere quam imperare.

Vota. 1. Nonnulla schemata ad Ecclesiam spectantia afferunt argumenta et mentiones necessario interdum repetita et intercidentia, dicendi genere et colore diversissima; in unum cogi possunt in « De Ecclesia ad intra » et « De Ecclesia ad extra », ut firmioribus principiis innitantur, eodem fermento glutinentur, spiritu vivificentur, ut visionem unicam et sollemniorem praebeant.

2. Cum diffuse loquatur de episcopatus promotione, quinimmo de catholici laicatus promotione, cur ne leviter quidem attingitur promotio cleri? Illius praecipue ordinis clericorum qui ad curam animarum consecratus proprie nostris temporibus concitatis tentationibus vexatur, obeuntibus difficultatibus fatigatus, amaris delusionibus exanimatus, undique allectus levioribus simul ac fructuosioribus muneribus quibus facile excipiatur in mediam

civium classem longe et tuto ab aggeribus fidei, vel saltem novis et miris operibus, longe a fastidiosa monotonia vitae curialis. Attamen firmius et certius Ecclesiae robur ille clericorum ordo semper extitit et restat.

Enixe rogo Concilii Patres ut firme et manifeste praebeant eorum aestimationem, favorem, studium, consolationem et impulsum omni clero, in primis vero quibus cura animarum in dioecesibus obtigit.

3. Hac illac e schemate videtur emergere nisum ad inveniendam in locutionibus formulationem generi iuridico aptam, ut melius multiplices petitiones componantur.

Dioecesis, ut in schemate delineatur, in sua necessitudine cum Sancta Sede, in instanti et repetita non mediatae plenitudinis potestate quoad relationes internas cum omni clero et universis fidelibus manifeste videtur magis sollicita in suis iuribus fundandis et tuendis quam in affabili effusione et evangelica donatione, quodam pragmatismo vel functionali technicismo quasi dominata.

Res certe non secunda cadit, cum quisquis nitatur placare in suavissima Christi caritate verba, formulas, quaestiones eo magis in his exemplaribus locis innumeras cautiones exigentibus.

Attamen optabile videtur, qua par est gravitate, decretalia verba procedere evidentiori spiritus afflatu ut omnes et singuli, lectioni finem imponentes, exclamare possint: « Concilium loquitur, Ecclesia canit, Christus in cordibus resonat! ».

63

QUIDAM EXC.MI PATRES CONCILIARES GALLIAE

I Emendatio. Prooemium. In globo: on estime regrettable que dans un schéma *pastoral,* il ne soit pas fait allusion, au moins une fois, au titre de *Christ Pasteur.*

Proposition: p. 5, n. 2, ligne 15, insérer: ... ut animarum pastores, atque, una cum Summo Pontifice et sub eiusdem auctoritate, ad Christi, *aeterni Pastoris,* opus perenne, etc. ... *Ratio*: tout pasteur dans l'Eglise ne peut être que le ministre de l'unique pasteur; d'autre part, l'expression « pastor aeternus » a déjà été utilisée à Vatican I.

II Emendatio. P. 6, n. 3, ligne 4: ajouter une note (renvoi après « ad novum fertur rerum ordinem »). Cf. Const. apost. *Humanae salutis* (Noël 1961, *A.A.S.*, janvier 1962). *Ratio*: les expressions « hominum consociatio... rerum ordinem » sont extraites de cette Constitution, convocation et orientation du Concile Vatican II lui-même.

Caput I.

III Emendatio. N. 4 (in globo). La rédaction de tout le n. 4 serait plus exacte et plus rationnelle, si:

1) On commençait par rappeler le pouvoir de tout le Collège épiscopal, uni au Pape. Il suffirait de reprendre, pour cela le texte du « De Ecclesia »;

p. 64 lignes 4-13: « Ordo autem episcoporum... subiectum quoque supremae ac plenae potestatis *in universam Ecclesiam* exsistit, ... nequit ».

2) On ajoutait ensuite le texte de notre schéma (p. 7, lignes 1-12) qui montre comment ce pouvoir universel se concrétise dans le Concile, et même per orbem dispersi, pour qu'il s'agisse d'un acte vraiment collégial.

3) Enfin, on achevait le paragraphe en rappelant l'infaillibilité du *Magistère ordinaire dispersé,* comme il est dit dans le « De Ecclesia » p. 68, lignes 13-20, magistère qui n'est pas exprimé dans les lignes 8-12.

Ratio. Une telle présentation ferait mieux comprendre pourquoi la part des évêques relative à l'Eglise universelle se fonde dogmatiquement sur la doctrine même de l'Episcopat.

IV Emendatio. N. 5, p. 7, ligne 15 (spécialement) et tout le n. 5. Nouvelle rédaction du n. 5: « Sacrosancti Concilii Patres magnopere exoptant ut aliqui episcopi, *pro tempore electi,* diversarum orbis regionum, *una cum* Supremo Ecclesiae Pastore *ad servitium Ecclesiae universalis cooperentur,* modis tamen (...) Consilium quoddam convenientes, *ut manifestari possint partes quas habent episcopi ad universalem Ecclesiam* ».

Ratio: 1) La création d'un Consilium centrale est présentée seulement comme une *aide* à la tâche universelle du Pape. Sans nier celle-ci, conformément à Vatican I, il vaut mieux parler d'une tâche commune de tout l'épiscopat (cum Petro), selon la doctrine de Vatican II. Car ce qui est affirmé dans ce n. 5 pourrait l'être, indépendamment de la doctrine de la collégialité. Il ne s'agirait que de l'internationalisation de la Curie (cf. p. 9, ligne 17).

2) L'association des évêques au Pape pour le gouvernement de l'Eglise universelle n'est pas une fin en soi. Tout ministère, dans l'Eglise, est un service. C'est pourquoi, il paraît utile de rappeler que c'est à des fins de service que ce Consilium centrale est envisagé.

3) Enfin, il semble préférable de reprendre l'expression du titre du I (p. 7): « partes quae habent... », car le mot « sollicitudo » n'a plus aujourd'hui le sens fort que lui donnait saint Paul; il risque de n'être compris que dans un sens purement moral.

V Emendatio. N. 6, p. 8, ligne 4. *Proposition*: ... « ut *opera propagationis* (aut *annuntiationis*) *fidei atque diversarum apostolatus actuositatum* a fidelibus... ». *Ratio*: On risque de confondre l'œuvre d'évangélisation prise dans son ensemble avec une œuvre particulière: « l'œuvre de la propagation de la foi ».

VI Emendatio. N. 6, p. 8, lignes 12-16. *Proposition*: (à mettre au début du paragraphe) « *Semper memores socialis peculiarum bonorum destinationis,* prae oculis habent... sint partes. Attendant... vel regiones laborant (cf. *Rom.* 15, 25-29; *2 Cor.* 8 et 9; *Phil.* 4, 15-16) ». *Ratio*: 1) En s'appuyant sur « Mater et Magistra », on pourra appliquer ici ce qui est dit de la fonction sociale des biens privés (les principes énoncés pour le monde, étant également valables pour l'Eglise.

2) Il semble bon d'ajouter les références aux épîtres de Paul, références relatives à la *Collecte*; ces textes doivent inspirer notre action présente.

VII Emendatio. N. 9, p. 9. *Question*: D'après l'esprit du nouveau schéma (dans son ensemble) la Curie romaine est-elle au service du seul Souverain Pontife ou bien est-elle au service du Corps épiscopal tout entier, ayant le Pape comme tête? Si la deuxième réponse est la vraie (cf. intervention du Cardinal Alfrink, à la 2ème session), il suffirait de rédiger autrement le début du 1er paragraphe: « *In exercitio Collegii cum capite suo potestatis, auctoritas suprema* utitur... ». *Ratio*: un confirmatur de cette manière de voir se trouve à la p. 9, ligne 6: « Romano Pontifici *atque* Ecclesiae Pastoribus... ».

VIII Emendatio. N. 9, p. 9, ligne 11. Il paraît nécessaire de faire mention, à la fin de l'alinéa, des *Légats* du Souverain Pontife. Par exemple, en ajoutant à la ligne 11: « *Nova eadem ordinatio spectat ad legatos nuntios Summi Pontificis* ». *Ratio*: contrairement à ce que dit la relatio de ce même fascicule, p. 37, lignes 22-27, cette question ne peut être rangée parmi les « questions particulières », touchant à la fois à la position actuelle du Saint-Siège dans le concert des nations et à la nouvelle mission des Conférences épiscopales.

Caput II.

IX Emendatio. Votum generale: que, dans la mesure du possible, dans ce chapitre, le terme « église particulière » (ou église épiscopale) soit employé de préférence à « diocèse ». *Ratio*: le terme « diocèse », d'origine impériale est de caractère administratif. De plus, toute église est peuple (mystiquement « peuple de Dieu » et Corps du Christ) avant d'être territoire et parfois sans être territoire.

X Emendatio. N. 11, p. 10, lignes 1-5. *Vœu*: conformément à ce qui vient d'être dit et à l'intervention de Mgr Ziadé (3ème session), on désirerait une définition: *a*) plus centrée sur l'Eucharistie; on pourrait ajouter à la fin de l'alinéa: « ... Christi Ecclesiae, *quae manifestatur in Eucharistiae mysterio, donec Dominus veniat* »; *b*) plus marquée par la responsabilité missionnaire; on pourrait ajouter à la ligne 2: « pars quaedam dominici gregis *quae ad fidem ab episcopo vocatur* (et gignitur) *atque eodem* concreditur... ».

XI Emendatio. N. 11, p. 10, ligne 12. Remplacer « ex ovili Christi » par « *ex grege Christi* ». *Ratio*: 1) c'est le terme *grex* qui est employé dans le « De Ecclesia », n. 27, p. 72, ligne 5 (voir note G, page 100).

2) Le terme *grex* semble éviter l'amphibologie des multiples bercails et par conséquent écarte l'idée d'un prosélytisme vis-à-vis des frères séparés.

XII Emendatio. N. 11, p. 10, lignes 11 à 15. Pour faire plus bref et marquer mieux l'aspect de témoignage, on pourrait écrire: « *Tamquam Testes et Apostoli Christi* (ou *Domini*), in hoc autem apostolicum munus ita *episcopi* intendant ut non solum ovibus quae iam Principem Pastorum sequuntur provideant, sed etiam *omnes alias quae evangelium et misericordiam*

salutiferam Christi ignorant, donec " omni in bonitate et iustitia et veritate " tandem omnes ambulent ».

XIII Emendatio. N. 12, p. 10, lignes 16-21. Ce paragraphe rappelle heureusement la fonction d'*annonce* du salut par l'évêque, cependant:

1) Le mot *docere* n'exprime pas tout le sens du mot grec « faire des disciples » (*Mat.* 28, 19), il semble que le mot *annuntiare* ou un autre du même genre serait souvent plus consonnant avec la « *bonne nouvelle* » (evangelium).

2) Le salut ainsi annoncé est indiqué en termes très abstraits (la fin surnaturelle); avant d'annoncer la fin surnaturelle, on annonce Jésus-Christ Seigneur, mort et ressuscité pour nous. On pourrait mettre (ligne 18): « proponant imprimis *salutem in Domino nostro Iesu Christo* » (cf. *1 Cor.* 15, 1 et sq.).

3) En outre, si l'on garde le texte, du moins que l'on ne laisse pas croire que le christianisme se ramène à un déisme vague. Notre foi nous entraîne à la *glorificatio Patris, per Christum, in Spiritu* (et non pas seulement à la « glorificatio Dei »). Tout ce paragraphe porte peu la marque christologique.

XIV Emendatio. N. 12, p. 10, ligne 21. A la fin de l'alinéa, et comme nouvel alinéa, on pourrait proposer ce qui suit: « *Tamquam Doctor fidei, episcopus hodie debet imprimis considerare universalem influxum informationis novorum instrumentorum, quae conscientiam hominum informant atque saepe verba episcopalia praecedunt, ut fideles ad discernendum bonum pro Regno Dei sint parati* ». *Ratio*: Très souvent, l'évêque est précédé, dans son propre territoire, par des informations qui touchent les hommes avant que lui-même ait pu parler (cf. radio, télévision, revues, livres...), les moyens de communication sociale étant devenus internationaux. En conséquence, la manière dont s'exerce le « contrôle » de la foi des fidèles ne peut plus être la même que lorsque les moyens d'information pouvaient être atteints à leur source même par l'évêque.

On rejoint ainsi le sens de l'intervention de Mgr Guerry à propos du « munus docendi ».

XIV bis Emendatio. N. 14, p. 11, ligne 26: *facultatibus et aetati auditorum* addatur *eorumque vitae circumstantiis. Ratio*: il est important de tenir compte dans l'enseignement catéchétique du milieu de vie (cf. *De cura animarum,* p. 35, ligne 13).

XV Emendatio. N. 14, p. 11 ou fin du n. 13. Il est regrettable que dans un monde où les anciennes chrétientés sont touchées par l'incroyance moderne, le schéma ne dise pas un mot de l'institution *catéchuménale.* Avant de pouvoir catéchiser quelqu'un, il faut qu'il ait conçu la foi en Jésus-Christ. Il est donc *très souhaitable* que le schéma parle du *catéchuménat* (comme une institution nécessaire à une église qui accueille de nouveaux membres), tout en montrant clairement que la tâche catéchuménale, dans son ensemble, est l'œuvre de toute l'Eglise.

On propose le texte suivant (fin de n. 13 ou début de 14), ou texte semblable: « Cum vero ecclesia episcopalis tamquam signum ad nationes levatum manifestatur atque nova membra ad corpus mysticum Christi, per baptismum, gignere desiderat et debet necesse est ut *institutio catechumenorum adultorum* restituatur aut melius adaptetur.

XVI Emendatio. N. 15, p. 12, lignes 13-14. Remplacer la phrase: « Idcirco... foveant », par: « Idcirco vocationes *tam sacerdotales quam religiosas, pro ecclesia sibi commissa etiamque pro aliavis ecclesia,* maxime foveant ». *Ratio*: il est faux d'opposer simpliciter les vocations sacerdotales aux vocations « missionnaires », car toute vocation est missionnaire; la formule proposée fait davantage droit au devoir d'un évêque vis-à-vis des autres églises particulières, tant pour les vocations religieuses, que pour les prêtres « Fidei donum ».

XVII Emendatio. N. 16, p. 12. Ce numéro paraît très faible, en ce qui regarde son objet propre, à savoir une présentation du *munus regendi.* En fait, le texte se contente de dire que l'évêque est le pasteur; puis il passe à la question de la sollicitude envers les prêtres.

En réalité, si l'on ne veut pas ramener le munus regendi au munus pascendi, il faut chercher ce que signifie dans le monde d'aujourd'hui le devoir qu'a l'évêque de « régir » son troupeau. L'évangile a précisé déjà aux apôtres que ce gouvernement est un service. Plus précisément, il semble nécessaire de *référer* ce « munus » à la *royauté* du Christ sur le monde: l'évêque est celui qui a pour charge de veiller à ce que les chrétiens (et avec eux, si possible, tous les hommes) vivent dans leur vie de tous les jours la royauté du Christ ou encore leur sacerdoce royal de fidèles.

D'où l'insertion suivante que l'on peut proposer, p. 12, après la ligne 21. Propositio: « *Ut hoc regendi munus in mundo hodierno adimpleatur, episcopi advigilent oves suas non solum ad pascua Domini conducere, sed etiam, tamquam veros christianos, singillatim vel in actionem coadunati, sacerdotium regale quotidie exercere atque regnum Christi manifestare supra totam creationem ac totum laborem hominum, ut mundus paulatim usque ad consummationem suam adducatur, in libertate filiorum Dei* » (cf. *Rom.* 8, 18-22).

XVIII Emendatio. N. 17, p. 13, lignes 8 à 10. Cette phrase n'est pas à sa place, puisqu'elle ne vise pas les formes particulières d'apostolat, mais le principe même de leur coordination. A mettre ailleurs, par exemple au début de n. 17.

XIX Emendatio. N. 17, p. 13, lignes 10 et 11. A la place de « ita ut unitas dioecesis clarius eluceat », mettre: « *ita ut Ecclesia Christi tamquam lumen gentium clarius manifestetur* ». *Ratio*: la fin de l'apostolat coordonné n'est pas l'unité d'un diocèse, mais plus profondément la réalisation du mystère de l'Eglise, en même temps que la glorification du Père (Radio Message de Jean XXIII, 11 septembre 1962).

XX Emendatio. Ensemble des nn. 16 et 17. Après la discussion *in aula,*

il semble qu'on puisse articuler le contenu de ces deux numéros autour de trois idées: *a*) moyens (nouveaux) de connaissance du troupeau; *b*) nouveau style de l'évêque dans les relations interpersonnelles; *c*) gouvernement pastoral d'une *Eglise* (« pastorale organique » ou « pastorale d'ensemble »).

XXI Emendatio. N. 18, p. 13. Ajouter après la ligne 16: « *Haec sollicitudo competit etiam ad fideles a legitimis actibus seclusos propter statum in quo debent voluntarie aut invite vivere, cum lamentatione patiantur et a sacramentorum auxiliis seiuncti sint* ». *Ratio*: le nombre croissant des chrétiens qui ne peuvent approcher des sacrements de pénitence et d'eucharistie (v. g. divorcés remariés) et qui n'échappent pourtant pas à la sollicitude de l'évêque.

XXII Emendatio. N. 18 ter, ligne 22. *Remarque*: que l'interdiction désormais faite aux « laïcs » ne donne pas l'impression que la consultation des *fidèles* (et non des pouvoirs publics) n'a plus aucun sens dans l'Eglise d'aujourd'hui. (Cf. intervention de Mgr Rafaël Gonzalez Moralejo, dont la proposition de texte nous semble très bonne).

XXIII Emendatio. N. 21, p. 14, lignes 18 à 24. *Remarque*: la rédaction des critères d'un diocèse normal est plus claire dans la relatio du fascicule (p. 39, lignes 3 à 8) que dans le texte du schéma. Peut-on tenir compte pour une meilleure rédaction au moins des lignes 18 à 24?

Par ailleurs, ligne 22, mettre « *populi* » au lieu de *dioecesis. Ratio*: il s'agit ici de l'objet matériel du diocèse: du peuple qu'il doit prendre en charge apostolique (voir p. 39, ligne 3)

En conséquence, ligne 22, supprimer « personas » et remanier la fin de la phrase, pour la rendre cohérente.

XXIV Emendatio. N. 25, p. 17, lignes 3 à 7. Sur le *Conseil pastoral* du diocèse, trouver une formulation plus souple, afin d'éviter de faire croire que tout conseil de pastorale *doit* comprendre *ensemble* des clercs, des religieux et religieuses et des laïcs, ce qui est souvent impossible à cause du nombre alors nécessaire.

On propose: « ... in quo, *simul aut separatim,* clerici... ».

XXV Emendatio. N. 28, p. 18, lignes 3 à 20. Ces trois alinéas ne font aucune place à l'apostolat du curé auprès des incroyants, comme s'il s'agissait d'un peuple entièrement chrétien.

XXVI Emendatio: même n. 28. De plus, ces curés apparaissent comme travaillant *seuls,* sans aucune liaison avec d'autres prêtres.

Donc: 1) Marquer le devoir qu'ont les curés de *travailler ensemble,* dans une même ville ou une même région, pour pouvoir rejoindre la vie réelle des hommes.

2) Expliciter que les curés, pour cette même raison, ont le devoir de travailler étroitement avec les prêtres dont il est question au n. 27 (tâche supra paroissiale).

Caput III.

XXVII Emendatio. N. 36, p. 23, ligne 9: à la place de « Episcopi titu-

lares peculiari munere in universa natione fungentes... », mettre: « Episcopi titulares peculiari munere in (universa) natione aut *in regione* fungentes... ». *Ratio*: certains évêques titulaires exercent une fonction spéciale importante, sans avoir pour autant un rôle qui concerne en droit toute la nation; exemple: un évêque recteur d'Université catholique.

[*Subscripserunt*] Urtasun, arch. d'Avignon; Blanchet, arch. Recteur I. C. de Paris; Dupuy, arch. d'Albi; de Provenchères, arch. d'Aix; Audrain, arch. d'Auch; Pailler, arch. coad. Rouen; Couderc, év. de Viviers; Maziers, év. aux. de Lyon; Jenny, év. aux. de Cambrai; Bréheret, év. de Cahors; de Courrèges, év. de Montauban; Bougon, év. de Moulins; Guyot, év. de Coutances; Théas, év. de Tarbes et Lourdes; Sauvage, év. d'Annecy; Guilhem, év. de Laval; Puech, év. de Carcassonne; Bellec, év. de Perpignan; Huyghe, év. d'Arras; Gand, év. coad. Lille; Hermil, év. aux. Autun; Dozolme, év. du Puy; Rigaud, év. de Pamiers; Mazerat, év. d'Angers; Riobé, év. d'Orléans; Pourchet, év. de S. Flour; Collini, év. coad. Ajaccio; Fougerat, év. de Grenoble.

64

CONFERENTIA EPISCOPORUM EX CONGO (LEOPOLDVILLE)

Nomine conferentiae episcoporum ex Congo (Leopoldville) has emendationes commissioni competenti confidimus easque approbamus.

Pierre Kimbondo, *praeses conf. ep. ex Congo*

[*Cf. pag. 422 n. 38*].

65

CONFERENTIA EPISCOPORUM PARAQUARIAE

Episcopi, infra signantes, Coetum Episcoporum Paraquariae efformantes, libenter adhaerent desiderio, in aula conciliari expresso ab exc.mo D. Raphael Gonzalez Moralejo, ep. tit. Dardani et aux. Valencia (Hispania), in LXXXVI Congregatione generali diei 23 mensis septembris, anni 1964, ut *nominatio episcopi, sive residentialis, sive coadiutoris et auxiliaris, interventu fiat*: *a*) Coetus episcoporum illius nationis ad quam candidatus deputaturus est; *b*) membrorum prudentiorum, secreto consultorum, presbyterii; *c*) immo etiam vita christiana connotatorum fidelium apud quos adlaboraturus.

[*Subscripserunt*] Felipe Santiago Benítez, aux. Assumptionis; Ramón Bogarin A., ep. S. Ioannis B. a Missionibus; Angel Muzzolón, vic. ap. del Chaco Paraguayo; Anibal Maricevich F., ep. tit. Diocletianopolitanus in Palaestina; Anibal Mena Porta, arch. de Asunción; Aemilius Sosa Gaona, ep. tit. Sergentzensis; P. Ismael Rolon, prael. null. Caacupensis; Iulius Laschi Gonzalez, adm. ap. Ss.mae Conceptionis.

De Romanis Dicasteriis in servitium episcoporum collegii reponendis. Cum iuxta suffragationes in aula conciliari habitas iam clare appareat col-

legium episcoporum in Ecclesia dari; idque auctoritatem non habere nisi una simul cum Romano Pontifice, Capite suo; supremamque potestatem qua istud collegium pollet, ab omnibus episcopis in orbe terrarum degentibus una cum Summo Pontifice exerceri posse atque revera exerceri, omnino congruens et consentaneum nobis videtur Romanae Curiae Dicasteria, non modo (ut in cap. I, n. 9 apparet) in « servitium Sacrorum Pastorum » (quasi singulariter sumptorum), verum etiam *in servitium episcoporum collegii esse reponenda.*

Quod plenius patefit ex eo quod haec Romanae Curiae Dicasteria iamnunc Romano Pontifici in recognoscendis, confirmandis atque — si opus fuerit — approbandis actis episcoporum collegii, ubique terrarum degentium, secundet.

[*Subscripserunt*] Felipe Santiago Benítez, ob. aux. de Asunción Paraguay; Anibal Maricevich F., ep. coad. Villaricensis Paraguay; Ramón Bogarin A., ep. S. Ioannis B. a Missionibus Paraguay; Iulius Laschi Gonzalez, adm. ap. Concepción.

De totius religiosorum in educatione fidelium operibus episcopis Ordinariis submittendis.

Ius est et officium Ecclesiae educandi suos filios. Ad educationis officium implendum Ecclesia catholica pluribus pollet mediis, inter quae recensenda est scholarum catholicarum institutio cuiusvis generis atque gradus, et, ministerium quod in eis exercetur *veri nominis apostolatum* constituit.

Praecipuum autem munus episcopi dioecesani est docendi; et religiosi, exempti et non exempti, clericales vel non clericales, qui in educatione laborant, quoties ad apostolatus opera vocantur ita munia sua exercere tenentur ut episcopi providi cooperatores et auxiliatores adsint et subsint.

Proinde, tam ex natura ipsa operis educandi — quod integram personam humanam amplectitur et constituit verus apostolatus intime connexus cum munere episcopali docendi gregem — quam ex eo quod religiosi auxiliatores sint episcoporum, non apparet cur in enumeratione earum rerum et activitatum in quibus religiosi Ordinariis subduntur (cap. II, n. 33, ad 4) non adnumeretur *educatio,* et includatur tantum « christifidelium, praesertim puerorum, catechetica institutio ». Necesse enim est quod tota educatio in scholis catholicis impertita subdatur episcopis.

Sunt etiam alia argumenta sumpta ex organizatione, orientatione et coordinatione scholarum catholicarum nec non ex adiunctis mundi moderni et progressu paedagogiae quae roborant ea quae diximus.

Ad disciplinam quod attinet, inveniuntur media organizationum quae facile indicari possunt in Codice recognoscendo, v. g. officium vel secretariatus educationis catholicae vel inspector iam in pluribus dioecesibus existens, cum potestate ab episcopo delegata, ad educationem scholarum catholicarum invigilandam quoad omnes eius organizationem et activitates.

[*Subscripserunt*] Felipe Santiago Benítez, ob. aux. de Asunción Paraguay; Anibal Maricevich F., ep. coad. Villaricensis Paraguay; Ramón Bogarin A., ep. S. Ioannis B. a Missionibus Paraguay; Iulius Laschi Gonzalez, adm. ap. Concepción.

CONGREGATIO GENERALIS LXXXVII

24 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS LXXXVII
24 septembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderatur congregationem generalem 87 hodiernam em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Audiatis, Patres venerabiles! Terminus pro exhibendis summariis circa schema *de divina revelatione* statutus est pro crastina. Attamen, cum disceptatio fiat per tres partes, prouti iam dixi, statuerunt em.mi moderatores hunc terminum intelligendum esse pro prima parte, nempe pro prooemio, cap. I *de ipsa revelatione,* et cap. II *de divinae revelationis transmissione.* Termini pro aliis duabus partibus ita statuuntur: summaria interventionum pro secunda parte, scil. pro cap. III *de Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione,* exhibenda sunt intra feriam II proximae hebdomadae, nempe intra diem 28 huius mensis. Summaria demum interventionum circa cap. IV *de Vetere Testamento,* cap. V *de Novo Testamento,* cap. VI *de Sacra Scriptura in vita Ecclesiae,* exhibenda sunt intra feriam IV proximae hebdomadae, nempe intra diem 30 huius mensis.

Die 30 huius mensis, uti iam nuntiatum est, fiet suffragatio de integro cap. III schematis *de Ecclesia.* Suffragatio fiet, uti iam nostis, per *placet, non placet* et *placet iuxta modum.* Velitis, Patres venerabiles, si habeatis forte, modos tempore praeparare, et ratione quam dixi, nempe: diversi modi in diversis foliis, unusquisque modus in unoquoque folio, ita ut commissio competens possit facile modos seligere et examinare.

Eadem die 30 huius mensis, post suffragationem integri cap. III, fiet suffragatio cap. IV, V et VI schematis *de Ecclesia,* uti potestis videre etiam in illo libello qui inscribitur « Ratio suffragandi etc. » [*cf. vol. III, pars I, p. 396*]. Etiam quoad haec capita suffragatio fiet ex formulis *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Cap. VII et VIII schematis *de Ecclesia* iam examini subiciuntur commissionis doctrinalis, et spem fovemus fore ut quam citius, sed debita consideratione, nostro iudicio, nostrae suffragationi eadem capita subiciantur, eadem capita correcta et emendata iuxta interventiones in hac aula auditas.

Nunc lego, Patres venerabiles, nomina eorum, qui verbo uti petierunt circa schema *de Oecumenismo*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria; Michaël Browne; exc.mi

DD. Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide; Petrus Cantero, arch. Caesaraugustanus in Hispania; Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis in India; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Ioseph Lopez, ep. Tudensis-Vicensis in Hispania; Antonius de Castro, ep. Camposinus in Brasilia; Ioannes Canestri, ep. aux. card. Vicarii in Urbe; Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis in Germania; Marcellus Lefebvre, sup. gen. Congregationis Sancti Spiritus; Ioseph Buckley, sup. gen. Societatis Mariae; Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Petrus Nierman, ep. Groningensis in Hollandia; Angelus Temiño, ep. Auriensis in Hispania; Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia; Marcellus Dubois, arch. Bisuntinus in Gallia; Anastasius Granados, ep. aux. Toletanus in Hispania; Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; Ubaldus Cibrian, ep. prael. null. Corocorensis in Bolivia; Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis; Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis in Polonia; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Hoa Nguyen-van Hien, ep. Dalatensis in Vietnam; Carolus Alter, arch. Cincinnatensis in Stat. Foed. Amer. Sept.; Anicetus Fernandez, mag. gen. Ordinis Praedicatorum; Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis in Hibernia.

Et lego, Patres venerabiles, textum suffragationis XIX. Nam etiam hodie continuatur suffragatio circa cap. III *de Ecclesia.* Videatis paginam 12. Suffragatio XIX [*cf. vol. III, pars I, pag. 403*]. Placetne an non placet hic textus?

PATRUM ORATIONES
(*De libertate religiosa*)

1
EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KÖNIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Patres venerabiles,

Schema revisum omnino placet in genere, sed dum in schemate exponitur, a Concilio sincere defenditur libertas religiosa, mihi quoque videtur Concilium silere non posse de illo facto tragico quod exsistant populi, in quibus nulla vera libertas religionis adest, ubi rei publicae moderatores atheismum materialisticum ex officio promovent et ei solo libertatem concedunt, ubi libertas religionis concipitur tamquam liberatio ab omni religione...[1]

Dum certa libertas cultus, sed non religionis, conceditur — libertas

cultus, id est functiones religiosae in ecclesia peragi possunt in quantum adhuc sacerdotes adsunt — instructio catechetica iuventutis tamen, educatio religiosa usque ad aetatem *maioritatis* [2] aut impeditur omnibus mediis communicationis socialis et oppugnatur secundum principia dialectici materialismi, aut omnino interdicitur et ut delictum secundum legem punitur. Quod ceteroquin aperte contradicit declarationibus Nationum Unitarum de iure hominum ex die 10 decembris anni 1948.

Hoc modo in istis populis duae classes civium creantur: ii scil. qui atheismum secundum principia materialismi dialectici profitentur et aditum ad munera altiora habent; et ii, qui Deum colunt aut religionem profitentur et ideo excluduntur a muneribus altioribus et diversis iuribus in vita civili privantur.

Haec facta omnia ex documentis authenticis in appendici *quem trado* [3] abundanter probantur.

II Pars. Talis modus agendi qui his factis manifestatur, peccat:

1. contra tolerantiam sinceram, quae a Concilio defenditur, ab hominibus religiosis et cultis in diem magis agnoscitur quoad societatem hodiernam pluralisticam. Agitur autem de tolerantia quae non ex indifferentismo procedit sed ex respectu pro decisione personali et intima in re religiosa.

2. Talis modus agendi peccat contra principia scientifica; nam nihil magis antiscientificum est quam convictiones et persuasiones oppositas aliorum opprimere sive vi physica sive *imprimis* [4] vi administrationis civilis et omni medio rei publicae omnipotentis. Et illi, qui aliis prohibent, quominus suam convictionem personalem, suam fidem religiosam manifestent, isti seipsos infallibiles proclamant et creant intolerantiam atheisticam, quae peior est quam ulla *intolerantia* [5] religiosa umquam fuerit.

3. Talis modus agendi vitae sociali damnum infert, quia interdictio libertatis religiosae non parvam partem uniuscuiusque populi, i. e. eorum cor, a rei publicae moderatoribus avertit, et timore afficiuntur, qui secundum suam doctrinam confitentur dare Caesari quod Caesaris est. Repelluntur ii qui pro societate civili cooperari volunt, quorum norma pro vita sociali haec est: *scil.* [6] respectus reciprocus, sinceritas in loquendo et agendo, principia ethica rigorosa secundum quae homo homini frater et amicus est. Cooperatio pro bono communi iis naturalis est, non autem dare animas suas et animas filiorum pro bono temporali.

4. Talis modus agendi offendit imprimis dignitatem hominis; nam libertas religiosa est fundamentum libertatis conscientiae. Religio enim in libero intimo assensu consistit. Libertas religiosa est funda-

mentum iurium naturalium hominis. Libertas religionis impedit totalitarismum rei publicae, quia illa libertas religionis includit agnitionem auctoritatem civilem limitatam esse. Vel, a. v., totalitarismus rei publicae civilis eo modo limitatur quo libertas religionis augetur.

Concludo.[7] Quia ergo negatio libertatis religiosae offendit contra tolerantiam, contra scientiam, contra progressum socialem, et imprimis contra dignitatem hominis, rogo instanter ...[8] omnes ut perpendatur modus opportunus quo Concilium Oecumenicum nomine quodammodo omnium hominum qui *Deum colunt,*[9] loquatur, opinionem publicam totius mundi excitans, via efficacior quaeratur ut in illis populis dispareat illa anomalia: i. e., atheismus omni privilegio gaudet, religio autem nullum ius habet; ut separetur ratio gubernandi ab atheismo. Ita timor ex cordibus expellitur et fundamentum pacis firmatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ubi liberi non sunt episcopi in regendo et docendo, neque sacerdotes in activitate pastorali et activitate catechetica. Ubi numerus clausus pro seminariis a potestate civili adhuc reducitur. [2] maiorennem. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] praesidentes et moderatores, Patres conciliares. [9] in Deum credunt.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XX. Paginam videatis 12. Suffragatio XX [*cf. vol. III, pars I, pag. 404*]. Placet an non placet?

2

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Declaratio *de libertate religiosa* in praesenti sua forma, *mea saltem sententia,*[1] approbari non potest. Dicerem quoque hanc formam non esse necessariam pro pace et unitate populorum in mundo hodierno.

Fundamentum praecipuum huius declarationis ponitur in iuribus conscientiae rectae humanae individualis. Loquendo in abstracto evidens est iura socialia fundata in conscientia individuali recta sed simul erronea non aequari iuribus *socialibus*[2] fundatis in conscientia individuali recta et simul vera.

Notae declarationi adiectae affirmant doctrinam hic propositam fundari in illa Summi Pontificis Ioannis XXIII felicis recordationis in Encycl. Litt. *Pacem in terris* quae sic sonant: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit et religionem privatim publice profiteri ».

Notandum tamen est:

1. Summum Pontificem non dicere « ad *rectae* conscientiae suae normam » sed « ad *rectam* conscientiae suae normam ». Recta autem norma omnis conscientiae, quoad Dei cultum, est ipsa divina lex *circa*[3] modum in quo Deus colendus est;

2. Ipsum prae oculis *saltem primarie habuisse*[4] ius colendi Deum prout istud ius vindicandum est contra Atheismum, circa quod *ius*[5] nulla conscientia errat.

Summus Pontifex Pius XII in Allocutione ad Praelatos Romanae Rotae an. 1946 enuntiavit normam doctrinalem ...[6] distinctam ab illa quae declaratio proponit circa libertatem conscientiae in societate. Fundatur non in iuribus conscientiae individuae sed in exigentiis boni communis. Verba eius inveniuntur hic citata in Appendice, pag. 38 in fine. Attendenda sunt maxime *illa*[7] verba quibus clauditur citatio, *ubi dicit*:[8] « Anzi vi è una tolleranza politica, civile e sociale verso i seguaci delle altre confessioni, che in tali circostanze è anche per i cattolici *un dovere morale* ». Circumstantiae de quibus agitur sunt relationes hodiernae inter homines et varietates communitatum religiosarum in eisdem territoriis civilibus existentium.

Unde existimo, si bene intellexi, magnam sapientiam esse, in verbis heri pronuntiatis ab em.mo card. Ritter — ut nempe, posset fieri declaratio de libertate religiosa in nostro mundo hodierno, sine inquisitione de omnibus istis basibus quae valde difficiles sunt et valde implicatae[9]
Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] quoad. [4] praecipue habere. [5] deest. [6] aliam. [7] deest. [8] deest. [9] deest.

3

Exc.mus P. D. PETRUS PARENTE

Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

Em.mi Principes, venerabiles Patres,

Lectio brevis et pacata hac vice![1] In priorem textum *de libertate religiosa* iam animadversiones quasdam exhibueram tum commissioni doctrinali tum deinde secretariae generali.

Graviores urgebam tunc difficultates circa duo: nempe 1. quod humana libertas modo adeo absoluto et universali extollebatur ut conditio hominis, qua creaturae, Deo eiusque supremo iuri ac voluntati, non ob-

stante libertate, subiectae, negligi videretur; non enim homo iure seligendi religionem pollet coram suo Creatore; 2. quod divina Ecclesiae incoercibilis missio ad animas Christo conquirendas quasi reticebatur.

In altera autem textus redactione, libenter *et grato animo* [2] comperio illos defectus sat emendatos esse et non pauca puncta revisa.

At praeterea aliam animadversionem tunc patefeceram de copia rerum in textu congestarum necnon de ambiguitate quarumdam sententiarum ac terminorum. Quae quidem mendae aliquantisper imminutae sunt, sed nondum plene sanatae, quemadmodum quidam Patres heri iam monuerunt.

Etenim nonnullae quaestiones valde apud doctos disputatae, non omnimoda ponderatione et obiectivitate tanguntur, sicut, e. g., quaestio de conscientia relate ad Deum, ad homines, ad Statum, in materia religiosa; de valore obiectivo veritatis ac de errore subiectivo invincibili, de coetibus religiosis Ecclesiae fere aequiparatis, de laicitate Status ac de aliis rebus, quae difficultatibus scatent ideoque distincte, exacte et caute pertractandae essent. Silva magna prostat atque valde intricata, in qua diversa elementa permiscentur, nempe divina et humana, dogmatica, philosophica, iuridica, historica, sociologica, principia theoretica et aspectus practici contingentes.

Iamvero nec necessarium nec utile nec omnino prudens mihi videtur Concilium Oecumenicum in istam asperam ingredi silvam et quasi incerto pede periculose vagari.

In textu non paucae sunt assertiones firmiter validae, commixtae tamen cum aliis propositionibus nonnihil disputabilibus vel ancipiti interpretationi obnoxiis. Ipse exc.mus relator quarumdam expressionum defectum fatetur.

Quidam vero in ista materia sat peritus, qui multis conventibus internationalibus adfuit, mihi *confidenter* [3] suam mentem aperuit anxietate permotam de probabilibus reactionibus schematis apud variarum Nationum Gubernia necnon apud viros doctos. Multae enim vigent dissensiones et aequivocationes in hac materia. Quamobrem tutius mihi videtur textum corripi ita ut nonnisi necessaria et certa principia tangantur, potius assertive quam argumentative, statimque ad aliquam genericam declarationem deveniatur, quae aetatis hodiernae exigentiis digne respondeat (iuxta votum ab em.mo card. Ritter heri propositum), quin Ecclesiam eiusque doctrinam in discrimen adducat.

In concreto textum sic correptum ego praeferrem: Per modum introductionis potiora innuantur principia, quae in ipso textu *sunt et* [4] fusius exponuntur, videlicet:

1. de dignitate hominis ut Dei creaturae deque religionis legitimitate;

2. de conscientia ac libertate humanae personae;

3. de Ecclesia eiusque divina missione ad Regnum Dei ubicumque instaurandum;

4. de aliis religionibus, quae simul aeque verae esse nequeunt;

5. de conscientiae humanae conditione quoad religionem veram dignoscendam et amplectendam, atque de errore invincibili et bona fide;

6. de hominis iure ac libertate in profitenda sua religione sive individualiter sive collective, sive privatim sive publice;

7. de munere Status in tuenda libera civium conviventia, qui diversis adhaerent religionibus, quin idem Status de singulis iudicet neve impositione aut prohibitione coarctet.

His sobrie et concinne praemissis, adici posset declaratio huiusmodi: « Haec Sancta Synodus, sarta tectaque doctrina de dominio et iure Dei in hominem, creaturam intelligentem ac liberam, necnon de Ecclesiae Christi divina missione Evangelium omnibus praedicandi, attenta quoque dignitate humanae personae, quamlibet persecutionem religiosam deplorat atque firmiter ius tuetur, ad conscientiae libertatem in propria religione etiam externe profitenda ac vivenda, quod quidem ius nulla humana potestas compescere aut impedire potest, nisi societatis commune bonum grave detrimentum exinde patiatur ».

Ista vel similis quaedam formula, sive per se solam quasi epigraphice, sive (*si magis placet*[5]) principiis supra delibatis exornata, ad rem sufficere potest, quia Ecclesiae mentem in luce ponit quoad essentiale problema hodie vigens, et quidem ultra tritam illam theoriam, quae multis displicet modernis, de tolerantia religiosa ac de Statu confessionali.

Cetera theologis, philosophis ac sociologis disputanda probe relinquantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XXI. Videatis pag. 13 [*cf. vol. III, pars I, pag. 404*]. Placet an non placet?

4

EXC.MUS P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO
Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres,

Haec declaratio in genere *mihi*[1] placet. Ad illam perficiendam, liceat mihi duas animadversiones facere:

1. relate ad structuram internam huius declarationis;
2. relate ad ipsam naturam socialem libertatis religiosae.

A) *Relate ad structuram internam. Structura interna debet respondere fini seu proposito huius declarationis.* Qualis est finis huius declarationis conciliaris? Possumus affirmare finem pastoralem et oecumenicum, ut Concilii.

Finis pastoralis apparet in ipso subtitulo huius declarationis, nempe: expositio et defensio iurium personae et communitatum ad libertatem in re religiosa. Finis oecumenicus asseritur in n. 25 ipsius textus, lin. 5; libertas religiosa, dicitur, « est conditio omnino necessaria ut dialogus oecumenicus haberi possit ». Revera, haec quaestio attingit non tantum Ecclesiam eiusque opus missionarium, sed etiam omnes religiosas confessiones, christianas aut non christianas, totamque humanitatem. Unde haec declaratio debet fieri in suo statu quaestionis, vulgo « impostazione » « planteamiento », attentis finibus pastoralibus et oecumenicis propositis.

Nunc quaeritur: haec proclamatio et defensio iurium personae et communitatum ad libertatem in re religiosa, in quo plano agitatur? in plano doctrinali theologico? in plano iuridico?

Si in plano doctrinali theologico proponatur, responsum statuendum et probandum esset principiis doctrinalibus theologicis; et stabilita divina revelatione christiana, existimo quod fortasse difficiliter admitterentur ab omnibus membris uniuscuiusque confessionis religiosae argumenta theologica proposita ab Ecclesia catholica. Omnes enim homines credunt bona fide propriam suam religionem esse solam veram. Ideo ut ab omnibus confessionibus religiosis *intelligatur*,[2] recipiatur et teneatur haec declaratio, meo humili iudicio, tantummodo statui potest in plano iuridico, *in ordine practico*.[3]

Ex alia parte, de facto, in praxi, problema libertatis religiosae agitatur in campo iuridico.

1. Quia problema libertatis religiosae non statuitur coram Deo — homo enim coram Deo nullo iure gaudet, neque obiectivo neque subiectivo autodecisionis in materia religiosa, sed tantum statuitur coram

societate et Statu, ex dimensione sociali vitae religiosae et ex proiectione sociali actuum religiosorum. Agitur, igitur, in nostra declaratione de libertate religiosa in vita sociali.

2. Sub aspectu finis pastoralis et oecumenici huius declarationis intenditur pax religiosa in societate quae, de facto, lamentabili quidem, est societas pluralistica in ordine religioso. Inde surgit necessitas ordinationis iuridicae positivae quae in actum redigat seu constituat, tutelam iuridicam iurium personarum et communitatum in re religiosa, mediante quodam statuto iuridico, *saltem minimo,*[4] ab omnibus hominibus admisso, *tum in ordine nationali tum in internationali,*[5] fundato a) *iuridice* in dignitate ipsius personae humanae *sicut a Deo creata est*[6] et in respectu libertatis conscientiae rectae ...[7]; b) *socialiter* in iure et officio auctoritatis civilis statuendi praescriptiones et garantias iuridicas necessarias ad consequendam et promovendam *pacificam cohabitationem et pacem*[8] religiosam et civilem omnium civium et populorum — *etsi pastoraliter, in libertate religionis seu in necessitate et securitate consequendi libertatem apostolicam Ecclesiae ad perficiendum opus suum missionarium in toto orbe terrarum.*[9]

His de causis existimo opportunum esse addere n. 25 huius declarationis quasdam assertiones relate ad statum quaestionis, *i. e. occasionem,*[10] valorem et finem *pastoralem et oecumenicum*[11] huius declarationis *in forma prooemii.*[12]

Subnotare autem vellem quod, proposita quaestione in campo iuridico, non requiritur suscitare nec proponere problema de libertate religiosa sub forma dialectica veteris distinctionis traditionalis — *hodie, psychologice saltem, tam inadaequatae*[13] — « thesim inter et hypothesim », quia, meo humili iudicio, in plano iuridico *tum nationali tum internationali*[14] potest hodie sustineri, tamquam thesis i. e. tamquam principium *legale*[15] ordinationis iuridicae, principium iuridicum libertatis religiosae *personarum et coetuum in vita sociali.*[16]

B) *Relate ad naturam socialem libertatis religiosae.* Ut vitentur conceptus aequivoci, oportet ab initio distinctionem facere inter libertatem religiosam et libertatem conscientiae in materia religiosa, quia non apparet nimis clare in textu declarationis, et hoc *ex una parte*[17] ansam praebere potest ad falsas interpretationes et ex alia parte opinor *quod haec distinctio est necessaria et perutilis*[18] ad claritatem ac robur argumentationis huius declarationis, *secus tota illatio idearum et argumentorum esset vacillans atque confusa.*[19]

Libertas religiosa non est idem ac libertas conscientiae in materia religiosa. Differunt enim *a*) ratione subiecti; *b*) ratione obiecti seu materiae; et *c*) ratione ambitus et naturae.

a) *Ratione subiecti,* quia subiectum libertatis conscientiae est sola persona individua; e contra, subiectum libertatis religiosae sunt individui et communitates.

b) *Ratione obiecti,* quia obiectum libertatis conscientiae *posset* [20] esse sive activitas religiosa sive non religiosa; e contra, obiectum libertatis religiosae tantummodo refertur ad actus religiosos.

c) *Ratione naturae,* quia libertas religiosa continet, *meo iudicio,*[21] duplex elementum: alterum negativum, alterum positivum. *Negativum* consistit in immunitate a coactione *externa* [22] in relationibus moralibus hominis cum Deo in vita sua personali. *Positivum* vero consistit in iure ad expressionem socialem, i. e. in vita sociali, libertatis conscientiae suae in materia religiosa.

Iam vero libertas conscientiae, qua talis, utpote libertas individualis interna, comprehendit et exigit tantummodo elementum negativum libertatis religiosae, i. e., immunitatem a coactione externa; *ast* [23] non semper et ubique requirit elementum positivum, quod est proprium et specificum conceptus libertatis religiosae. Certe, homo semper habet facultatem moralem et obligationem sequendi dictamen suae conscientiae rectae; sed haec facultas moralis non semper gignit ius strictum ad operandum in vita sociali iuxta dictamen conscientiae suae; quia exercitium externum illius facultatis moralis laedere potest iuribus aliorum et exigentiis fundamentalibus boni communis. Ideo nec ius nec exercitium iuris libertatis religiosae *in societate* [24] est « quid absolutum », illimitatum, independens ab omni norma extrasubiectiva, sed ut ait Encyclica *Pacem in terris,* « ordine morali communique omnium utilitate servatis ».

Certe, libertas religiosa tum personarum tum coetuum non effective agnosceretur ac tueretur si in activitatem externam applicari non possit. Quia « modo essendi sequitur modus operandi », et homo est corpus et spiritus, naturaliter socialis et liber, atque libertas ipsa radicitur in voluntate — pura potentia — quae tendit ad actum. Sed omnes actus externi, propter suam proiectionem socialem, cadunt sub ordine iuridico. Unde, etsi libertas religiosa exigit de facto et de iure quoddam minimum illarum libertatum externarum, quae hominem constituunt civem liberum in civitate terrestri, attamen certum est, ut ait ipse textus nostrae declarationis, exercitium iuris libertatis religiosae est quidem *conditionatum ac* [25] limitatum ab exigentiis ordinis moralis, *finis societatis,*[26] et iurium aliorum. Notare vellem quod iura naturalia personarum ontologice sunt anteriora iuribus societatis.

Difficile est in praxi ambitum libertatis religiosae definire. Aeternum quidem problema est inter conscientiam et legem, inter libertatem

et auctoritatem. *Sed*[27] hae realitates non sunt valores absoluti, nec sunt incompatibiles cum ad bonum commune referantur iuxta diversas conditiones sociologicas uniuscuiusque populi.

Prudentiae, quae non solum est scientia *mediorum* sed etiam scientia *limitum,* competit stabilire limites in exercitio libertatis religiosae in societate civili; sed ita ut, salva libertate conscientiae et dignitate hominis, tueantur et concilientur *inter se, sub luce Evangelii*: *a*)[28] bonum commune internum uniuscuiusque communitatis nationalis; *b*) *bonum commune universale*[29] Ecclesiae; et *c*) *bonum commune societatis*[30] internationalis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] civili. [5] deest. [6] deest. [7] seu bona fide. [8] pacem et concordiam. [9] deest. [10] et ad. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] civili. [15] deest. [16] personis et coetibus. [17] deest. [18] necessariam esse. [19] deest. [20] potest. [21] deest. [22] deest. [23] sed. [24] deest. [25] deest. [26] boni communis. [27] deest. [28] deest. [29] cum bono communi universali. [30] communitatis.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis XIX:

Praesentes votantes	2.226
Dixerunt *placet*	2.162
non placet	64

Et sufficit. Ergo textus est approbatus.

Lego textum suffragationis XXII. Pag. 13 [*cf. vol. III, pars I, pag. 405*]. Placetne an non placet?

5

Exc.mus P. D. IOANNES AMBROSIUS ABASOLO y LECUE

Episcopus Vijayapuramensis

Venia venerabilium Patrum conciliarium, vellem nonnullas animadversiones facere ad hanc declarationem de libertate religiosa.[1]

Animadversio prima. Hic sermo est de iure ad libertatem in re religiosa, sed si res bene perpendatur agi potius deberet de officio et iure quoad religionem. Nam quilibet homo officio naturae et praecepto divino positivo tenetur exercere religionem. Nunc igitur, religio necessario et essentialiter importat officia (non iura) hominis erga Deum;

et ex his officiis oriuntur iura hominis in materia religiosa, qualia sunt: ius sequendi suam vocationem, ius ne impediatur ab aliis in profitenda religione iuxta dictamen rectum suae conscientiae, etc.

Praeterea, loqui de iure ad libertatem in re religiosa ansam praebet falsae interpretationi et confusioni. Ut primum vulgatum est per orbem quaestionem de libertate religiosa propositam fuisse pro discussione in Concilio plures quidem valde gavisi sunt, plures vero alii fastidio affecti, ad quorum animos placandos titulus explicandus venerat, non cunctis probantibus, eo quod solummodo unicae verae religioni competat ius plenum ad libertatem.

Nunc vero in Concilio doctrina aliqua ita enuntiari oportet ut, quoad fieri potest, dum quibusdam placeat aliis non displiceat, quaeque non indigeat longa explicatione ut recte intelligatur.

Itaque propono ut haec declaratio sic inscribatur:

« De officio et iure personae et communitatis in re religiosa », et ut quoties in textu occurrit expressio « ius ad libertatem » dicatur « officium et ius » in re religiosa.

Secunda animadversio. In declaratione innuitur omnem conscientiam, quae sequi debet, frui iisdem iuribus. Hoc nullo modo admitti potest.

Officia religiosa, lege aeterna sancita atque lege naturali ac divina positiva ordinata, per conscientiam singulis denunciantur, i. e., obligatio profitendi religionem obiective oritur ex lege aeterna, obligatio vero subiectiva ex conscientia. Tamen conscientia quae *per se* sequi debet et quae confert ius *absolutum et*[2] inviolabile est conscientia quae est *simul vera et recta.* Qui sub tali conscientia operatur habet ius, tum in foro externo tum in foro interno, exigendi ab aliis, sive privatis individuis sive a publica auctoritate, ne impediatur in sequendo dictamine conscientiae. Praeterea, in foro externo potest, quin aliorum iura transgrediatur, annuntiare suam religionem. Insuper, nemo potest urgere eum, nec ulla ratione suadere ei ut conscientiam deponat. Haec omnia valent tantummodo circa conscientiam *veram et rectam simul.*

Conscientia *vero erronea,* dummodo sit *invincibiliter* erronea, sequi quidem debet, non per se sed *per accidens,* ratione ignorantiae et donec talis ignorantia perduraverit. Tamen huiusmodi conscientia non confert ius inviolabile et absolutum.

Explico. Qui conscientia invincibiliter erronea laborat est obligatus ad eam sequendam et ius habet ut a nemine inducatur ad agendum contra eam, sed in foro externo non habet jus exigendi ab aliis qui non participant de suo errore, ne ei resistant cum horum iura transgredi conatur. Praeterea, cum conscientia invincibiliter erronea remo-

veri possit, et debeat, sine peccato, nulla fert iniuria ei qui illa laborat si quis prudenter curet inducere eum ut talem conscientiam deponat.

Proinde iura conscientiae *verae simul et rectae* superiora sunt iuribus conscientiae invincibiliter erroneae. Haec distinctio non videtur prae oculis haberi in praesenti declaratione. Sic, e. g., in pag. 32, linn. 38 ss., legitur: « Ius pariter coetibus religiosis competit ut sincerae honestaeque propagationi seu enuntiationi religionis studeant... Illi coetus impediri nequaquam possunt quominus rationes suae religionis proponant, ut apud auditores persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum Communitati adsocient ».

Miror quomodo haec propugnari possint. Pugnant enim inaequivocis asseverationibus Christi, qui iussit servare omnia quaecumque ipse dixit ...[3], et qui dedit gravem illam admonitionem: « Qui non est mecum, contra me est »...[4].

Unica vera religio est illa quam catholica Ecclesia profitetur, et ad eam omnes pertinere tenentur. Ab eadem amplectenda nemo excusatur nisi *per accidens,* i. e., ratione sive impotentiae sive ignorantiae. Qui hanc unicam veram religionem profitentur habent iura absoluta et inviolabilia tum in foro interno tum in foro externo, sensu iam explicato.

Idem dici nequit de aliis coetibus seu communitatibus religiosis. Etiamsi sint bona fide, ut supponendum est, qui ad eos pertinent non ducuntur conscientia simul vera et recta, cum dictamen eorum circa religionem non est conforme rerum veritati. Tamen, cum laborent ignorantia invincibili, ducuntur conscientia *solummodo recta secundum quid,* i. e., relate ad eosdem. Ipsimet tenentur quidem eam sequi, sed quoad propagationem religionis eis non competunt iura quae habent profitentes unicam veram religionem. Declarare doctrinaliter, ut verbis allatis intenditur, sectas acatholicas habere ius persuadendi alios, non exclusos catholicos, ut relinquendo propriam religionem aliam amplectentur idem esse videtur ac vindicare ius adducendi alios ad *errores,*[5] ius *seminandi*[6] zizaniam in agro patrisfamilias, *ius propugnandi veram religionem,*[7] quod quidem ex natura sua est prohibitum.

Propono igitur ut in hac declaratione iura conscientiae simul verae et rectae ac iura conscientiae invincibiliter erroneae clare distinguantur, atque iura unicae verae Ecclesiae et coetuum religiosorum accurate determinentur.

Tertia Animadversio. In pag. 30, linn. 38 ss, dicitur: « Vocatio enim divina, quae homini iter ad Deum et ad salutem in Deo assequendam aperit atque praescribit, maximam revera personae humanae dignitatem constituit ».

Si haec verba sensu obvio sumantur, non videntur exprimere ve-

ram doctrinam. In textu « vocatio divina » stare suppono pro gratia vocationis, quae inter gratias praevenientes seu praeparantes adnumeranda est. Nunc vero, huiusmodi gratiae ex se, utpote transeuntes, nequeunt constituere dignitatem, ac multo minus maximam personae humanae dignitatem. Ut suppono, sermo est de dignitate supernaturali, et huius constitutivum non est nisi gratia sanctificans, vi cuius homo fit particeps divinae naturae ...[8].

Consulto dixi *me supponere* hic sermonem esse de gratia vocationis et de dignitate supernaturali. In relatione vero ...[9] innuitur ...[10] agi de vocatione naturali. Hoc in *sensu*[11] quaeri potest an, in praesenti ordine elevationis hominis ad ordinem supernaturalem in quo unicus finis assignatus homini est supernaturalis, in re religiosa sermo institui possit de vocatione naturali. Quidquid sit ...[12].

Moderator: Velis concludere, Pater.

Orator: Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] (*Mt.* 28, 20). [4] (*Mt.* 12, 30). [5] errorem. [6] superseminandi. [7] deest. [8] Ex hac participatione divinae naturae proveniunt alii mirabiles effectus dignificantes hominem, videlicet: quod sit filius Dei adoptivus, Deo gratus, eius amicus, sanctus, templum Spiritus Sancti etc. Huc faciunt illa nota verba S. Leonis Magni: « Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinae consors naturae factus, noli in veterem dignitatem degeneri conversatione redire » (*Sermo* 21 c. 3). Sequentem propono emendationem textus: « Vocatio enim divina, quae homini iter ad Deum et salutem in Deo assequendam praescribit atque praeparat, ut insigne beneficium ab omnibus habendum est atque in solidali convictu ius ad hanc vocationem assequendi... ». [9] (pag. 6 sub *b*). [10] hic. [11] casu. [12] vocatio ex se nequit constituere maximam dignitatem personae humanae. *Quarta animadversio*. In pag. 31, lin. 7, legitur: « Huius autem vocationis hominis seu integrae necessitudinis ad Deum norma est lex divina ». Hic « vocatio divina » videtur aequiparari « integrae necessitudini » ad Deum. Oporteret scire quid sibi vult expressio « integrae necessitudinis ad Deum ». Si sumatur pro relatione amicitiae ad Deum, haec non oritur ex vocatione divina secundum se considerata, sed ex gratia sanctificante. Si vero « necessitudo » connotet indigentiam, tunc non facit sensum. Alteratio textus quam suggero sic se habet: « Haec autem vocatio hominis regitur lege divina, quae est lex aeterna... ».

Secretarius generalis: En, venerabiles Patres, exitum suffragationis XX:

Praesentes votantes		2.228
Dixerunt	*placet*	2.205
	non placet	23

Exitus suffragationis XXI:

Praesentes votantes	2.226
Dixerunt *placet*	2.147
non placet	77
Suffragia nulla	2

Et lego textum suffragationis XXIII. Pag. 14 [*cf. vol. III, pars I, pag. 405*]. Placetne an non placet?

6

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Neminem nostrum profecto fugit declarationem conciliarem de libertate religiosa in praesentibus historicis circumstantiis peropportunam esse ob diversorum ordinum rationes et considerationes. Sufficiat mihi universalem expectationem indicare, quae certo profundae hominum nostri temporis instantiae respondet.

Puto tamen perspiciendum nobis esse, *ut iam hesterna die notatum est,*[1] non a quovis hominum conventu vel coetu declarationem prolaturam, sed a Concilio Oecumenico catholicae Ecclesiae a Christo Domino fundatae. Necesse igitur est ut ipsa, dum ius omnium hominum ad libertatem religiosam declarat, simul veritatem declaret, qua Christus nos liberavit. Declaratio conciliaris, a. v., talis, meo submisso iudicio, esse debet, quae, neque dictorum neque omissorum causa, ansam cuivis praebeat indifferentismi religiosi, ne dicam absoluti, sed nec relativi tantum, in variis suis aspectibus sive privatis sive socialibus ac politicis. Quod valet praesertim pro christifidelibus, quibus etiam declaratio dirigitur quique, utcumque, eam cognoscent, et pro Statibus, in quibus maioritas catholicorum exstat.

His considerationibus praemissis, haec quae sequuntur mihi videntur in nostra declaratione quomodocumque affirmanda vel innuenda.

1. Asserendum esset, ante omnia, veritatem et errorem obiective inter se opponi, salva utique distinctione inter errorem et errantem.

2. Sola veritas ius reale habet assensum hominum exquirendi et accipiendi. Error autem ius habet, ut dicitur, « putatitium », usquedum revelata Christi Veritas affulgeat, cui libere adhaerere sacrum ius est et inviolabile.

3. Libertas religiosa fundamentum ideo non habet in quodam iure obiectivo erroris — hoc pro christifidelibus perclarum esse debet —, sed in iure subiectivo dumtaxat personae humanae dictamen conscientiae semper sequendi salvo bono communi. Hac sane in luce asseritur, iustificatur, defendi imo potest et debet libertas religiosa. Ceterum, hoc absque ambiguitate affirmare nemini iniuriam aut praeiudicium afferre potest, cum aperte affirmetur et vindicetur pro omnibus hominibus ius fundamentale personae humanae huiusque dignitas. In schemate hoc utique dicitur, sed fortasse clariori forma, quae omnibus perspicua sit, erit dicendum.

4. Omnes homines vero gravi adstringuntur officio voluntatem *positivam* Creatoris et Salvatoris pro omnibus manifestatam cognoscendi — quantum unicuique possibile erit — et amplectendi in eis quae ad religionem pertinent. Quo sensu omnes homines communem vocationem a Deo habent, supernaturalem et obiectivam.

5. Ecclesia catholica igitur, utpote quae a Christo Domino fundata ad Eius Evangelium universo mundo annuntiandum, officium habet atque consequenter ius reale, a iure divino positivo directe profluens, annuntiandi et propagandi Evangelium ipsum apud omnes homines, salva semper eorum libertate.

6. Cavendum est ne libertas religiosa intendatur uti libertas iudicandi et agendi in re religiosa etiam relate ad societatem religiosam, cui quis adhaeret. In tuto ergo ponendum est societatem religiosam — Ecclesiam potissimum, quae ex Dei voluntate est unica societas religiosa ad hominum salutem — veram et propriam in eos, qui eius membra effecti sunt, auctoritatem habere.

7. Cum denique lex naturalis talis sit ut omnibus hominibus manifesta fiat, affirmandum est homines, etsi in conscientia erronea constitutos, nullo modo contra eandem legem agere posse: quod si accidat, legitima auctoritas impedire potest et debet.

Humillime censeo quod si modus aptior inveniatur — attentis natura et fine declarationis — haec principia dilucide affirmandi vel innuendi in textu breviori, declaratio ipsa, dum dialogum oecumenicum — quod omnium in votis est — efficaciter favebit, et characterem pastoralem et missionarium magis praebebit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Moderator: Loquatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Ecce exitum suffragationis XXII:

Votantes praesentes	2.225
Dixerunt *placet*	2.189
non placet	35
Suffragium nullum	1

Ergo textus est approbatus. Nunc lego textum suffragationis XXIV, quae est ultima hoc mane. Pag. 14 [*cf. vol. III, pars I, pag. 405-406*]. Placetne an non placet?

7

EXC.MUS P. D. IOSEPH LÓPEZ ORTIZ

Episcopus Tudensis-Vicensis

Venerabiles Patres,

Qua par est reverentia huic Sanctissimae Synodo proponere audeo *tantum* [1] ut a declaratione priori, *de libertate religiosa,* in schemate de Oecumenismo, comma auferatur quod in n. 31, fol. 33, linn. 20-22 continetur, nempe « rem publicam ob ipsam etiam iuridicam sui regiminis configurationem ineptam esse ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda ». Comma hoc, quod non bene omnino componitur cum iis quae antea in n. 30 adseruntur, breve quidem est, sed gravissimis consectariis praegnans, et ut mihi videtur doctrinam hucusque acceptam et a magisterio Ecclesiae propositam radicitus immutare intendit. Quod patefacere conabor.

I. Sententia de ineptitudine reipublicae ad iudicia ferenda de veritate religiosa deducit e doctrina politica de iuridica regiminis configuratione, *quam ut suam exprimit schema.*[2] Ast doctrina haec diverso modo interpretari debet, iuxta principia e quibus eius fautores eruunt. Pluriores sunt qui iuridismum positivistico sensu propugnant, ius naturale reicientes, et tantum normas a Statu editas ut ius recipiunt. Quid tum significaret reipublicae iuridica configuratio si ius tantum esset ipsa voluntas Status? ...[3] Ex hoc intelligitur quomodo puriorem formam formalismi iuridici autumaverunt non pauci nationalsocialismi fautores.

Sed verba schematis, nullimode perspicua, enucleare intendam. Forse intelligenda sunt eo sensu quod Status careat organo iuridice apto ad talia iudicia de rebus religiosis ferenda. Sed etiam talibus organis caret ad alias veritates proferendas, quibus tamen adhaerere tenetur, e. g. de *inviolabilitate* [4] ordinis internationalis. Re vera suprema magistratura,

sive persona sit physica vel moralis, iudicia et decisiones adsumere debet, non tantum in rebus iuridicis sed et politicis, oeconomicis, socialibus, culturalibus ceterisque.

Forse propositio interpretari debeat ad mentem quorundam doctorum de incapacitate coetus vel collegii ad veritates religiosas profitendas, vero actu fidei supernaturalis, et hinc autumant rem publicam non posse sese catholicam declarare. Sed quando respublica sese catholicam declarat, nullo modo sese capacem gratiae supernaturalis, vel subiectum aptum ad sacramenta recipienda autumat, sed tantum solemniter manifestat suam oboedientiam legi divinae, suam voluntatem cultum Deo debitum publice tribuendi, suam obligationem Ecclesiae propria actione iuvandi. Quod Ecclesia ipsa suo constanti magisterio, abhinc a saec. IV ut munus Reipublicae indesinenter docuit.

Sed et hoc parum vel nihil *confert* [5] ad libertatem religiosam, nam et respublica catholica veram libertatem non catholicorum custodire et tuere potest.

Quomodocumque incapacitas, quae affirmatur, non pendet a iuridica regiminis organisatione, quod sine necessitate, ut mihi videtur, in schemate asseritur. Nam si Status non iuridice configuraretur hac incapacitate non laboraret. Ideoque etiam respublica arbitrario modo constituta hac incapacitate non limitata, iudicia proferre valeret de rebus religiosis, quod iam non posset si quando iuridice ordinata fuerit.

II. Ast veritas aliunde est, et eam Ecclesia semper proposuit constanti magisterio. Respublica incapax revera est, in ordine revelationis, ad iudicia ferenda tamquam magistra, de veritate religiosa. Unica magistra est Ecclesia. Sed Respublica iudicia proferre potest et debet circa magisterium legitimum accipiendum et oboediendum. Si Respublica careret omni possibilitate ad iudicia ferenda de veritate religiosa, tunc agnostica esse deberet. Quod alienum omnino puto ab intentione schematis.

De constanti magisterio Ecclesiae circa officia Status erga veram religionem et erga Ecclesiam supervacaneum existimo testimonia afferre, cum omnibus nota sint.

Haec officia respublica non caeco imperio voluntatis adsumere et proponere valet, sed rationibus ad cordatos viros convincendos bene perpensis, et lucido et libero iudicio.

Quando Mundus, denique consecretur et Deo dicetur? Etiam *nunc* [6] persona moralis, qua societas christiana legitime repraesentetur, incapax erit ad Deum agnoscendum et rite colendum?

Etiam nunc respublica capax est ad iudicia prudentialia ferenda circa res religiosas, praesertim quando eius cives unanimi fere consensu

veram religionem profitentur. Quod hodie etiam evenit, Deo favente, in nonnullis nationibus, quae non ob hanc causam despiciendae sunt, ac si pluralismus religiosus unica possibilitas foret ab Ecclesia accipienda. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Simplex tantum autolimitatio, uti aiunt. [4] sanctitate. [5] conferret. [6] tunc.

8

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Venerabiles Patres,

Animadversionibus em.morum cardd. Ruffini et Bueno y Monreal quas heri audivimus, et quibus ex corde adhaereo, pauca addere liceat.

1. Schema declarationis *de libertate religiosa* propugnat ut eadem iura in societate concedantur verae et falsis religionibus eo quod unusquisque Deum colere debeat secundum dictamen propriae conscientiae, et pro se adducit allocutionem « Ci riesce » Pii XII 6 dec. 1953 ad iurisperitos Italiae et Litteras encyclicas *Libertas* Leonis XIII. Pius autem XII, in citata allocutione data opera agens de libertate religiosa, bene distinguit inter verum quod ius obiective habet et falsum quod nonnisi interdum permitti debet. En verba Pontificis: « *quod vero et normae morali non respondet obiective nullum ius habet nec ut sit nec ut propagetur, nec ut agat* » « *Quod autem non impediatur, mediantibus legibus et coercitionibus civilibus admitti potest propter bonum aliquod superius et amplius* ».[1]

Vellem hanc distinctionem videre in schemate.[2]

...[3] Encyclica *Libertas* Leonis XIII de rerumpublicarum moderatorum obligatione haec habet: « Cum igitur sit unius religionis necessaria in societate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis agnoscitur ...[4]. Itaque hanc, qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere ». *Etiam hoc principium in declaratione vellem.*[5]

2. Natura humana non perficitur nisi adhaesione bono et vero. Non ergo sermo esse potest de salvanda dignitate personae cum homo falsum admittit, etsi bona fide: « Si mens adsentiatur opinionibus falsis, ait Leo XIII, si malum voluntas absumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali ...[6] ». Et

addit: « Quaecumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum: gratia tutelave legum defendere multo minus »...[7].

3. Mutuae relationes personarum in societate viventium fulciri debent in lege naturali et positiva Dei. Lex autem divina est ut omnes veram fidem amplectantur et Ecclesiam veram ingrediantur, et Deus ut hoc obtineatur omnium in auxilium gratia sua venit ita ut nullus sine culpa damnetur. Haec veritas schema videtur ignorare. *Opto*[8] ut in revisione *textus*[9] ad illam attendatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale non ha oggettivamente alcun diritto, né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione ». « Il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno esser giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto ». [2] Cur ad hanc distinctionem non attendit schema? [3] Item. [4] cum in ea tanquam insignitae notae veritatis appareant. [5] Cur hoc principium in declaratione non apparet? [6] et in corruptelam ambae delebantur ». [7] (*Immortale Dei*). [8] Vellem ergo. [9] deest.

9

Exc.mus P. D. IOANNES CANESTRI

Episcopus tit. Tenediensis, aux. card. Vicarii in Urbe

Venerabiles Patres,

Textum et notas considerans declarationis *de libertate religiosa,* sequentia digna duxi quae vestrae benevolentiae submitterentur modo, uti dicitur, schematico.

Pag. 29, ...[1] lin. 8: « Secundum dictamen conscientiae ». Haec ratio non videtur recte adducta. Nam:

a) per se dictamen conscientiae nullum admittit limitem. E contra, nostra declaratio, pag. 31, lin. 33, limitem ponit edicendo: « Id exercitium limitari non licet *nisi* in quantum graviter contradicit fini societatis ».

b) Exemplum fingamus miserrimi cuiusdam sacerdotis catholici qui prava tentatione deceptus — ut puta inoboedientiae, pecuniae et alia huiusmodi ...[2] — ad Protestantismum ...[3] transivit. Etiam hic sacerdos ius habet ad libertatem religiosam. Sed quaeri potest: haec libertas ei advenit reapse ex conscientia? Minime quidem. Ergo alia ratio est adducenda.

Pag. 29, lin. 8: « Voluntatem Creatoris et Salvatoris ». Uti sonat,

affirmatio est nimis generalis. Qui suam exercet religionem dicitur sequi voluntatem seu vocationem divinam. Distinctione hic opus est inter actum internum et actum externum. Qui suam exercet religionem sequitur voluntatem Dei: *a*) in quantum *interne et cordetenus* adhaeret religioni quam censet veram, subdistinguo: quatenus errat, si errat, nego; quatenus intendit Deo oboedire, concedo. *b*) Qui suam exercet religionem sequitur voluntatem Dei, in quantum publice exercet et diffundit suum errorem, subdistinguo: si error non nocet fini societatis, concedo; si nocet, nego.

Fortasse tota periodus hoc vel simili modo reformari poterit: Homo, cum natura liber existat, ius naturale habet utendi libertate sua in re religiosa dummodo nihil contra finem societatis agat.

Pag. 29, ...[4] lin. 11: « Nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt ». Uti iam simul legimus pag. 31, lin. 33, limites recognoscuntur in exercenda libertate religiosa, si quaedam forte contradicant societatis fini. Ergo verbis « Nec ulla coactione ... prohiberi possunt », addatur: « nisi graviter contradicat fini societatis ».

Pag. 31, linn. 15-16: « Qui conscientiae suae sincere oboedit ».

a) *Sincere*: conditio ponitur quae sciri nequit. Ergo — uti videtur — inutiliter ponitur.

b) Ratio oboediendi conscientiae valet absolute tantum pro actu interno; pro actu externo considerandus est finis societatis. Si actus externus — divini cultus in casu nostro — fini societatis contradicat, a societate impediri potest.

Pag. 31, lin. 18: « ... nullus homo nec ulla humana potestas ius habet illum inducendi, etc. ... ». Potestne Concilium his paucis et non concinnis verbis sic dictos « obicientes ex conscientia » (obiettori di coscienza) a quacumque sanctione eximere?

Pag. 31, lin. 41: « ... publicae rei moderatoribus nefas est imponere civibus, etc. ... ». Videtur hic enunciari principium nimis generale. Debetne Concilium damnare constitutionem nationis catholicae quae nonnisi regem vel caput Status catholicum admittit?

Pag. 32, lin. 3: « Pariter haec libertas religiosa offenditur damnatione ad poenas propter rationes religiosas ». Serio attendendum est ne doctrina et praxis Ecclesiae in re substantiali damnetur. Ecclesia non potuit docere et agere contra ius naturae.

Explicatio quae datur in pag. 34 — uti mihi videtur — non potest sustineri quia inter id quod dicitur in lineis nuper lectis et doctrinam Ecclesiae traditionalem ...[5], differentia non est tantum evolutionis et progressus, sed potius oppositionis et contradictionis.

Sic non bene dicitur libertatem conscientiae olim damnatam esse

quia habebatur ut consectarium descendens a principio indifferentismi; e contrario ipsa damnata est a Pio IX ut principium ex quo indifferentismus sequitur (cf. *Syllabum,* propositionem 79).

Ergo alia explicatio seu conciliatio esset proponenda animadvertendo quod finis societatis est bonum commune; bonum autem commune in quibusdam variari potest secundum loci et temporis adiuncta. Nostris quidem temporibus conformis est bono communi amplissima libertas religiosa.

Pag. 32, lin. 39: « Vitato tamen proselytismo ». Nimis generalis damnatio. Non omnis proselytismus est malus. Forsitan dici posset: « Solis tamen mediis propriis et honestis ».

Pag. 33, lin. 20: « Manifestum est... rem publicam ob ipsam iuridicam sui regiminis configurationem ineptam esse... ». Cuidam forsan admirationi esse posset quia videtur contradicere doctrinae Leonis XIII *Immortale Dei* ...[6]. Neutralitas Status, quamvis in determinatis circumstantiis bona esse potest non est habenda ut omnium solutionum optima.

Caritate Christi compulsi erga fideles nostros qui etiam hodie persecutionem patiuntur pro nostra sanctissima et verissima bene amata religione catholica concludere oporteret declarationem nostram sollemniter affirmantes: « Quidquid dicitur in praesenti declaratione de iure naturali ad religiosam libertatem hoc etiam pro se valere Ecclesia catholica contendit.

Praeterea tamen vindicat sibi ius — loquamur tandem aliquando etiam de iuribus Ecclesiae — praeterea vindicat sibi ius supernaturale religionis a Deo probatae et a Christo constitutae » ...[7]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] n. 26. [2] ut bene nostis. [3] proh dolor. [4] n. 26. [5] (ut a tempore S. Augustini usque ad recentes et hodiernos Summos Pontifices tradita est). [6] (*A.S.S.*, 18, 164). [7] Quo novo titulo et libertas plena ei ab omnibus debetur, et favor ei concedendus est ab omnibus qui eam agnoscunt.

10

Exc.mus P. D. IOANNES POHLSCHNEIDER
Episcopus Aquisgranensis

Venerabiles Patres conciliares,

Quoad declarationem *de libertate religiosa* in schemate *de Oecumenismo* unam emendationem vel potius supplementum commendare mihi liceat.

Declaratio *de libertate religiosa* forsitan temporibus posterioribus

tamquam documentum vere historicum carum habebitur. Post tot persecutiones, *post tot*[1] iniurias et dolores, quos decursu temporis gens humana propter intolerantiam passa est, enuntiatur nunc solemniter principium generale non licere unquam quod persona humana obiectum coercitionis seu intolerantiae sit. E contra, hominis dignitas personalis requirit ex iure naturae, ut voluntati Dei iuxta dictamina conscientiae suae libere oboediat. Praesertim libertas religiosa vehementer urgetur, quae concedi debet omnibus non tantum catholicis sed etiam bona fide errantibus.

Haec principia servient verae paci hominum in terris. In declaratione nostra autem unum non satis expositum mihi videtur quod in mundo moderno est signum characteristicum probationis, utrum vera libertas in aliqua communitate humana habeatur, nempe libertas quoad educationem iuventutis. *Et hic non loquor tantum, uti S. E. card. König valde bene fecit, de Statibus in quibus habetur gubernium atheisticum, sed loquor generatim de omnibus populis.*[2]

Certe dici potest hanc quaestionem pertinere ad schema *de scholis catholicis,* et revera ibi expresse tractatur. Sed putamus permitti non posse, ut in hac declaratione de conscientiae postulatione tam gravi et tam fundamentali fere taceatur. Uno solummodo verbo in n. 29 ...[3] rei educativae mentio fit. Iam Unitas Nationum, sic dicta « UNO », hanc quaestionem pro re tanti momenti habet, ut ius educationis ex parte genitorum inter iura fundamentalia hominum expresse enumeret.

In n. 29 declarationis nostrae dicitur, quod libertas non vindicatur tantum ut mera « libertas opinionis » nec ut mera « libertas adimplendi ritus propriae religionis », sed ut verum ius personae ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua privata et publica erga Deum et erga homines ad totam vitam suam secundum postulata suae religionis ordinandam.

Quaero: Qualia officia parentum coram eorum conscientia sunt graviora quam officium educandi prolem pro Deo et pro vita aeterna? Haec parentum obligatio est gravissima et eorum ius ad educandam prolem est inviolabile. Hoc ius autem debet esse non tantum theoreticum sed etiam practice realizandum, i. e. in societate hodierna, ubi generatim educatio sufficiens sine scholis fieri non potest, parentibus ius competit, ut filii in scholis secundum eorum conscientiam educentur.

Ideo scholae monopolium ex parte status reprobandum est. Potius publicae auctoritatis officium est res ita disponere, ut parentes et cives in eligenda schola vera libertate gaudeant ...[4], et quidem non licet, ut parentibus propter hanc libertatem electionis onera *specialia*[5] imponantur.

Sine iure reali parentum educandi prolem secundum eorum conscientiam vera libertas religiosa non datur. Nec sine sincera agnitione talis iuris in societate hodierna, quae pluralitate persuasionum religiosarum signata est, iustitia et pax inter homines haberi possunt.

His de causis nunquam desinere possumus a libertate parentum quoad educationem prolis postulanda et arguenda opportune, importune. Verbum « libertas » nostris temporibus vim specialem habet et experientia docet, e. g. in Hollandia, quod perseverantia indeficiens hac in re non manet sine effectu.

Conclusio. Secundum meum iudicium bonum quidem est, si in declaratione dicitur libertatem religiosam offendi damnatione ad poenas propter rationes religiosas, spoliatione bonorum religionis causa, negatione aequalitatis socialis et nationalitatis etc. Haec omnia vera sunt et tales iniustitias in multis regionibus deplorare debemus et a pluribus hominibus deplorantur. Iura autem quoad educationem prolis fere in universo orbe violantur, sed haec violatio a paucis solummodo cognoscitur respective qua talis agnoscitur. Ideo valde utile esset si Concilium Vaticanum II in declaratione *de libertate religiosa* expresse et vehementer mundum appellare vellet de tolerantia quoad scholas et educationem iuventutis.

Preces ergo mea est, ut declaratio in hoc sensu suppleatur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] (pag. 31, lin. 28). [4] (cf. schema *de scholis catholicis*). [5] deest.

11

Exc.mus P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia, sup. gen. Congr. S. Sp.

Venerabiles Patres,

Etsi haec declaratio *de libertate religiosa* apparet ut vere opportuna, attamen, ut iam dixerunt aliqui Patres, fiat brevior, et vitentur quaestiones disputatae et consequentiae periculosae.

Ad vitanda haec pericula, hae animadversiones faciendae mihi videntur:

1. Detur definitio clara de libertate in conditione nostra humana peccabili.

Nonne[1] libertas praedicatur alio modo et alio modo de sanctis, de hominibus in terra degentibus et de damnatis?

Libertas est qualitas relativa, non absoluta: est bona vel mala secundum quod utitur ad bonum vel malum.

2. Bene distinguatur inter actus conscientiae, i. e. actus internos in re religiosa et actus externos, quia hi actus externi possunt vel aedificare vel scandalizare.

Et quis nostrum oblivisci potest verba Domini Nostri relate ad eos per quos scandalum venit?

3. Quando agitur de libertate quoad actus externos, necessario debet agi de auctoritate, cuius munus est etiam iuvare homines ad bonum faciendum et malum vitandum, i. e. ad rectum usum libertatis, sicut dixit S. Paulus ad Romanos: « Vis non timere potestatem: bonum fac ».

Declaratio contra coactionem in n. 28 est ambigua et sub aliquibus aspectibus falsa. Quid enim de auctoritate paterna patrum familias christianorum erga filios suos, de auctoritate magistrorum in scholis christianis, de auctoritate Ecclesiae erga apostatas, haereticos et schismaticos, de auctoritate rectorum civitatum catholicorum erga religiones falsas quae secum afferunt immoralitatem et rationalismum...?

4. Attendatur ad gravissimas consequentias huius declarationis de iure sequendi conscientiae dictamen et externe agendi secundum hoc dictamen.

Etenim quod dicitur de re religiosa valet logice pro omni re morali. Quis non videt gravissimas consequentias in hoc ordine? Et quis *potest*[2] determinare criterium boni et mali, cum derelictum est criterium moralitatis secundum veritatem catholicam a Christo expressam?

Impossibile est affirmare libertatem omnium coetuum religiosorum in societate humana, ut in n. 29, quin detur etiam libertas in re morali istorum coetuum, quia res moralis intime connectitur cum religione, e. g. polygamia in religione islamica.

Alia gravis consequentia erit diminutio ...[3] zeli ad evangelizandos paganos et alios homines non catholicos, cum dictamen conscientiae uniuscuiusque hominis consideratur ut vocatio personalis providentialis, ut dixit relator.

Quis non videt hanc affirmationem maximum damnum afferre apostolatui Ecclesiae?

5. Haec declaratio nititur in aliquo relativismo et in aliquo idealismo.

Ex una parte enim considerat situationes particulares et mutabiles nostri temporis, et quaerit nova principia ad nostram activitatem diri-

gendam sicut faciunt qui unice considerant statum aliquem particularem, e. g. in Statibus Unitis. Hae circumstantiae mutari possunt et de facto mutantur.

Ex altera parte, cum haec declaratio non sit fundata in iuribus veritatis, i. e. in iuribus Christi et Ecclesiae quae unice solutionem veram et stabilem possunt dare in omnibus circumstantiis, necessario versatur in magnis difficultatibus, et falso, *mihi videtur,*[4] putant redactores quod rectores civitatum non christiani non habent sensum veritatis. Experientia docet hoc esse falsum: veritas aliquo modo ab omnibus percipitur, tam ab his qui veritati contradicunt et credentes persequuntur, quam ab his qui, non credentes, venerationem habent pro veritate et iis qui in veritate credunt.

Unde concludo. Si haec declaratio talis qualis iacet solemniter affirmatur, *mihi videtur,*[5] veneratio qua semper fruitur Ecclesia catholica ab omnibus hominibus et societatibus propter suum indefectibilem amorem veritatis, usque ad sanguinem et propter exemplum virtutum tam individualium quam socialium, magnum detrimentum patietur, et hoc in damnum multarum animarum quae non amplius a veritate catholica attrahentur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quia. [2] poterit. [3] necessitatis missionum et. [4] deest. [5] deest.

Moderator: Audiatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationum ultimarum, nempe XXIII imprimis.

Inter 2.221 Patres praesentes votantes, dixerunt:

placet	2.177
non placet	43
votum nullum	1

In suffragatione XXIV et ultima hoc mane:

Praesentes votantes	2.203
Dixerunt *placet*	2.152
non placet	51

Ergo uterque textus est approbatus.

12

REV.MUS P. D. IOSEPH BUCKLEY
Praepositus generalis Soc. Mariae

Patres venerabiles,

Quamvis in textu declarationis *de libertate religiosa,* nobis proposito, plures mutationes in melius videantur optandae, liceat mihi in una insistere, quae publicam emendationem videtur merere. Agitur de ipso fundamento libertatis personalis in ordine religioso.

In praesenti documento saepe saepius, ius ad libertatem conscientiae fundatur in principio, quod vocatur « vocationis divinae ». Iuxta hoc principium quaevis sincera conscientia etiam si erronea est quaedam Dei appellatio (divina vocatio). Affirmare conscientiam erroneam esse vocationem divinam constituit punctum aliquod ultimum, ad quod pervenit infelix evolutio conceptus vocationis divinae.

Divina vocatio, in Novo Testamento, fuit appellatio ad Christum sequendum, ad fidem christianam, ad caelum, ad sanctitatem seu ad perfectionem congruam.

In Novo Testamento, sacerdotium etiam dicitur vocatio divina. Non est hic conveniens occasio disserendi de idea vocationis divinae ad sacerdotium. Sed parcite mihi, Patres venerabiles, si vobis in mentem revoco tendentiam loquendi ac si vocatio Dei ad sacerdotium cognoscibilis esset ab unoquoque nostrum in ordine humano psychologico, ac si unusquisque nostrum sciret sese a Deo appellatum. Ex tali evolutione ideae vocationis divinae, mos recenter invaluit loquendi etiam de vocatione divina ad matrimonium, immo haec expressio « vocatio divina » taliter extensa est ut professio medici, advocati, architecti, ceteraeque vitae occupationes dicantur divina vocatio.

Nunc demum in textu nobis proposito, invenitur quasi reductio ad absurdum huius infelicis evolutionis. Imperativum conscientiae, rectae sed erroneae, dicitur vocatio divina. Talis loquendi modus longe abest a doctrina Doctoris Communis. S. Thomas, in *Summa theologica,* I-II, q. 19, art. 10, quaerit: Utrum voluntas hominis debeat semper conformari divinae voluntati in volito? Et respondit: in particulari nescimus quid Deus velit et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati.

Pseudo-mysticismo indulgent illi qui voluntatem et vocationem divinam ubique quaerunt. Ponamus igitur tanquam fundamentum libertatis religiosae non vocationem aliquam divinam, sed obligationem conscientiae, imperativum categoricum conscientiae sub Deo... sub Deo,

pro iis qui in Deum credunt, sed pro omnibus hominibus, imperativum categoricum conscientiae.

Ius ad libertatem religiosam, sicut omnia alia iura in homine, oritur ex aliqua obligatione. In creaturis, nullum unquam datur ius quod non fundatur in priori obligatione. Quia homo aliquis se sentit obligatus ad Deum tali modo venerandum, ius habet ad istam obligationem implendam; quia homo socialis se iudicat obligatum ad Deum socialiter colendum, ius habet ad cultum socialem. Super conscientiam individuam sub Deo, nulla datur superior auctoritas, nisi ab illa conscientia individua sincere percipitur; sic et catholici accipiunt auctoritatem eorum Ecclesiae.

Exercitium quidem iuris unius hominis vel unius associationis a societate limitari potest, sed solum in quantum tale exercitium impugnat iura alterius. Talis conflictio obligationum et iurium non debet faciliter supponi.

Super hoc fundamentum solidum erigendam spero declarationem libertatis religiosae in hoc Concilio. Libertas est omnibus hominibus pretiosissima. Quidquid cogitamus nos sacerdotes, Ecclesia catholica non valde aestimatur in mundo tamquam libertatis defensor. Quando tamen Ecclesia fovet ac spondet libertatem mundus magnopere gaudet. Testimonium habemus in receptione fervida universaliter data litteris encyclicis Ioannis XXIII *Pacem in terris*.

Ne Concilium nostrum mundum decipiat! Dixi.

Textus scripto traditus:

Haec mea interventio provenit e duabus praecipuis considerationibus. Primum, anxius sum quod hoc Concilium emittat declarationem libertatis religiosae. Secundum, anxius sum quod haec declaratio solido fundamento firmetur et quod sit modo intelligibili et congruo expressa.

Quamvis in textu nobis proposito plures mutationes in melius videantur optandae, liceat mihi in una insistere quae publicam emendationem videtur merere. In praesenti documento saepe saepius, ius ad libertatem rectae conscientiae fundatur in principio quod vocatur « vocationis divinae ». Iuxta hoc principium quaevis sincera conscientia, etiamsi erronea — *conscientia recta, quamvis non vera* — est quaedam Dei appellatio (*vocatio divina*). Affirmare *conscientiam erroneam esse vocationem divinam* constituit ultimum punctum ad quod pervenit infelix evolutio conceptus vocationis divinae. Abstineatur ab hac conceptione.

Divina vocatio, in Novo Testamento, fuit appellatio ad Christum sequendum, ad fidem christianam, ad caelum, et ad sanctitatem seu ad perfectionem congruam.

Sacerdotium etiam dicitur vocatio divina in Novo Testamento. Tamen, non est evidens quod illa sacerdotalis vocatio sit cognoscibilis in ordine humano psychologico, sed potius est elementum aeternae praedestinationis e parte Dei.

Post infructuosum tentamen in Gallia exsequendi decretum Concilii Tridentini quoad fundationem seminariorum, directores spirituales ideam excogitarunt cuiusdam divinae vocationis ad sacerdotium cognoscibilis in ordine humano psychologico, sive ex parte candidati sive potius ex parte eius spiritualis directoris. Hic conceptus extensus fuit ad vitam religiosam.

Praesenti tempore, mos invaluit loquendi de divina vocatione etiam relate ad statum matrimonialem, tamquam si coniuges certi essent se ex praecisa Dei voluntate simul utrumque uniri: matrimonia in caelo orta.

Tam longe haec expressio « vocatio divina » nunc extensa est, ut professio medici, advocati, architecti ceteraeque vitae occupationes dicantur divina vocatio.

Denique, in textu nobis proposito, adest reductio ad absurdum huius infelicis evolutionis: imperativum conscientiae, rectae sed erroneae, dicitur vocatio divina.

Talis modus loquendi longe abest a doctrina Divi Thomae. Ipse, in *Summa theologica,* I-II, q. 19, a. 10, quaerit: « Utrum voluntas hominis debeat semper conformari divinae voluntati in volito? ». Et respondit: « ... In particulari nescimus quid Deus velit; et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati ». Sic pseudomysticismo indulgent illi qui voluntatem et vocationem divinam ubique quaerunt.

Mihi videtur adaequatum fundamentum inviolabilitatis libertatis religiosae inveniri in imperativo ipsius conscientiae sub Deo.

Attamen in hac declaratione, quidquid sit de emendationibus, ad decretum melius perficiendum omnino urget affirmari a nobis libertas religiosa. Aliter ruit Concilium.

Schemata iam proposita et proponenda — illis exceptis de Liturgia, de collegialitate episcoporum et de Oecumenismo — parum conferunt ad « aggiornamento ». Plerumque ipsa plena sunt « triumphalismo »; id est, insistunt fere totaliter in aspectu divino aut theorico problematum Ecclesiae, potius quam in aspectu humano aut existentiali, cuius explanationem valde expectant homines intra et extra Ecclesiam.

Libertas est omnibus hominibus pretiosissima. Quidquid cogitamus nos sacerdotes, Ecclesia catholica non valde aestimatur in mundo tamquam libertatis defensor. Quando, tamen, Ecclesia fovet ac spondet libertatem, mundus magnopere gaudet. Testimonium habemus in receptione fervida universaliter data Litteris Encyclicis Ioannis XXIII, *Pacem in terris.*

Ne Concilium nostrum mundum decipiat!

13

EXC.MUS P. D. ERNESTUS PRIMEAU

Episcopus Manchesteriensis

Venerabiles Patres, Fratres, ceteri omnes,

Plene consentio cum episcopis in Statibus Foederatis, quibus (ut iam dictum est) haec declaratio de libertate religiosa in genere placet, immo valde placet.

Volo loqui de ipso conceptu libertatis religiosae, de quo agitur in n. 26, pag. 29, et etiam alibi in declaratione. Duo habeo dicenda, ad explicandam et defendendam declarationem nostram.

Prima quaestio est de nexu qui obtinet inter libertatem religiosam internam personalem, et libertatem religiosam externam socialem. In vocabulario hodierno quasi technico, prima libertas vocatur libertas conscientiae, altera autem vocatur liberum exercitium religionis, quod quidem exercitium variis modis peragitur. Nunc autem, in communi conscientia hominum nostrae aetatis, exsistit nexus indissolubilis inter utramque libertatem, internam atque externam.

Ius ad liberum exercitium religionis non debet considerari tamquam deductio quaedam logica ex iure ad libertatem conscientiae. Eiusmodi deductio niteretur praemissa quadam tacita, quae falsa est. Supponeret nempe conceptum hominis illum rationalisticum et individualisticum, qui saec. XIX late grassabatur. Secundum hunc conceptum, homo in prima instantia est quoddam individuum, et solummodo in altera instantia est ens sociale. Hic conceptus hominis falsus est.

Secundum veram metaphysicam personae humanae, quae in philosophia catholica communiter tenetur, existentia humana est essentialiter socialis et historica. In una eademque instantia persona humana est quoddam individuum seu quidam « ego », et etiam est ens sociale seu quidam « ego cum aliis et ad alios in mundo ». Proinde nullo modo licet introducere quamdam dichotomiam in personam humanam, nempe inter eius existentiam personalem interiorem et eius existentiam socialem historicam.

Ex hac vera metaphysica personae humanae sequitur conclusio maximi momenti in nostra materia. Sequitur nimirum quod nullo modo licet concedere homini libertatem conscientiae et simul quovis modo ei denegare liberum exercitium religionis. Utraque libertas in eadem instantia datur, ita ut nexus inter eas sit omnino indissolubilis. Libertas interna personalis et libertas externa socialis sunt aeque originales; sunt coaequales atque coordinatae; et simul sumptae aequali titulo pertinent ad dignitatem et integritatem personae humanae ...[1].

His dictis, libenter consentio cum exc.mo relatore, qui in relatione sua (in pag. 6 ...[2]), proponit emendationem in n. 26 declarationis ...[3]. Nempe quod loco « Inde exoritur » legatur « cum quo connectitur », vel aliquid simile, ad melius declarandum, quod liberum exercitium religionis inseparabile est a libertate conscientiae.

Accedit quod, si clare docetur, liberum exercitium religionis non esse illationem quamdam logicam a libertate conscientiae, clarius etiam patebit responsum obiectioni, quae contra doctrinam declarationis facta

est. Secundum hanc obiectionem doctrina de iure ad liberum exercitium religionis involvit transitum seu illationem illegitimam ab ordine subiectivo conscientiae ad ordinem obiectivum iurium. De facto tamen nullatenus fit eiusmodi illatio. E contra, pervenitur ad verum conceptum libertatis religiosae, ut qui duo elementa inseparabiliter continet, internum et externum, non per illationem a iuribus conscientiae ad iura socialia religiosa, sed per simplicem analysim ipsius personae humanae, quae est unum subiectum unius iuris, quod quidem ius ad duo simul spectat, nempe ad libertatem conscientiae et ad liberum exercitium religionis.

Altera nunc quaestio est de libertate religiosa, in quantum dicitur verum strictumque ius. Iamvero nomine iuris venit facultas quaedam moralis. *Eiusdem* [4] autem facultas moralis duplex esse potest. Est enim facultas moralis aliquid agendi, et est facultas moralis exigendi, ne actio ab aliis impediatur. Haec affirmat immunitatem in agendo; illa affirmat mandatum positivum ad agendum. Nunc autem in nostra materia oriretur confusio sine fine, si confunderentur hi duo sensus, quos complectitur notio iuris. Sensu suo technico hodierno, qui bene intelligitur a *peritis, haec* [5] libertas religiosa est verum ius, eo sensu quod vera est immunitas iuridica a quavis coactione legali vel sociali in re religiosa. Hoc sensu hodierno proclamatur in declaratione ius omnium hominum et omnium ecclesiarum ad libertatem religiosam in societate. Hac autem proclamatione, nullatenus proclamamus, quod omnes homines omnesque ecclesiae idem habent a Deo ...[6] mandatum positivum ad suam doctrinam suumque cultum spargendum. Hoc utique esset, indifferentismum religiosum amplecti. Qui autem hanc declarationem *de libertate religiosa* ita legit, ut in ea inveniat saporem indifferentismi, iam confessus est, se nullo modo intelligere, de quanam re agatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ideoque quivis conatus ad separandas has duas libertates esset quoddam genus Kantianismi. Esset nimirum separatio ordinis iuridici socialis ab ordine morali personali. Quod in vera philosophia catholica anathema est. [2] linn. 10-13. [3] in pag. 29, lin. 9. [4] Eiusmodi. [5] perita multitudine. [6] Optimo Maximo.

14

Exc.mus P. D. PETRUS ANTONIUS NIERMAN
Episcopus Groningensis

Venerabiles Patres,

Nomine conferentiae episcoporum neerlandicae et aliquorum episcoporum ex Indonesia relate ad declarationem *de libertate religiosa* sequentia in aula proferre velim:

Valde laudanda mihi videtur ista declaratio, eo quod solemniter et manifeste proclamat ius ad libertatem religiosam quod competit hominibus sive singulis sive coadunatis in coetibus religiosis.

Quae principia in praxim Ecclesiae deducenda sunt. Illud enim ius respicit etiam relationes Ecclesiae internas, nempe inter catholicos inter se et inter auctoritatem ecclesiasticam eiusque subditos, necnon relationes cum acatholicis.

Ita recte quidem declaratur « nullum hominem nec ullam potestatem humanam ius habere aliquem inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen » ...[1], id quod valet etiam de lege divina; recte etiam in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* ...[2] proclamatur parentum ius educandi in sacra religione secundum propriae conscientiae praecepta omnino in tuto ponendum esse. Realis dilaceratio seu scissura inter communiones christianas effectum suum sortitur in matrimoniis mixtis, quae sub respectu religionis reapse *mixta* sunt.

Nonne exinde officium est Ecclesiae, proclamantis declarationem *de libertate religiosa,* in legibus canonicis de matrimonio mixto curare non tantum de iuribus conscientiae partis catholicae, sed de iisdem iuribus partis acatholicae?

Proinde speramus, quod Sacrum Concilium mandet ut Pontificia Commissio, quae Codicem Iuris Canonici reformandum curabit, principia huius declarationis applicet in renovando ac huic tempori adaptando universam disciplinam ecclesiasticam.

Valde optandum est, ut ista declaratio, quam totus mundus exspectat, authentice translata in potiores linguas hodiernas distribuatur.

Cum enim quidam textus ansam praebeant ambiguitati, liceat mihi quasdam emendationes proferre quas in scriptis secretariatui generali proponam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 31, n. 29, linn. 18-20). [2] (pag. 23, n. 21, linn. 18-19).

Emendationes additae:

1. Pag. 30, n. 28, linn. 23-24: circumlocutio « sine animi reprehensione » videtur corrigenda, quia non rectam latinitatem sapit.

2. Pag. 33, n. 31, lin. 23: circumlocutio « hodie ut cum maxime » videtur nimis intricata.

15

Exc.mus P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

Em.mi ac exc.mi Patres conciliares,

Commissio quae adparavit declarationem priorem *de libertate religiosa* conatus ingentes effecit ut nobis offerret documentum conciliare, in quo ratio haberetur mentalitatis hodiernae et adspirationum nostri temporis. Simul etiam doctrinam Ecclesiae fideliter servare contendit. Hi conatus respondent certe scopo oecumenico Concilii et in specie schematis. Talis finis et intentio omni laude digna habenda est.

Circa ipsum schema tamen aliquas animadversiones, venia vestra, facere vellem. Scriptum totum unus cogitatus pervadere videtur, nempe omnes coetus religiosi et religiones ex natura sua publice et coram societate eadem iura habent et eadem existimatione sociali sunt digna.

Liceat mihi humiliter opinari et sincere proferre assertum hoc haud facile cum doctrina Concilii Vaticani I et cum ipsa revelatione componi posse. Concilium Vaticanum I in sess. III, cap. III *de Fide* docuit: « Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum Unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita ». Et paulo inferius pergit: « Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; etc. ».

Ex Concilio Vaticano I constare videtur Ecclesiam catholicam et tantum Ecclesiam catholicam signa externa praebere mundo suae veritatis « ut ab omnibus posset agnosci » (sunt verba ipsius). Et hoc ideo fecit et facit Deus ut, sua gratia adiuti, possent omnes rationabiliter ad eam pervenire vel saltem omnes se sentiant invitatos ad seriam considerationem de ipsius veritate.

Rebus sic stantibus, si coram his signis a Deo datis de sua locutione, Christus externe et publice, etiam apud illos quibus de sua locutione satis constat, in eadem existimatione habetur in re religiosa ac quilibet visionarius vel privata conscientia, non possum non videre contemptum publicum Christi et iniustitiam societatis quae in eadem linea et existimatione collocat Deum loquentem signis aptissimis ad dignoscendum et suae revelationis argumenta praebentem, et rationem privatam vel conscientiam cuiuslibet fidelis.

Et licet civilis potestatis non sit relationes civium cum Creatore in nostro ordine supernaturali moderari, tamen potest illas tueri, si ab Ecclesia arcessitur. Ad quod satis est ut veritatem catholicismi agnoscat, quod iudicium in populis catholicis sicut de moralitate vel honestate publica vel de aliis huiusmodi certe facere potest. De capacitate civilis potestatis ad ea iudicia generalia ferenda satis clare locutus est Leo XIII in Encyclica *Immortale Dei* et *Libertas*.

Sacras litteras Veteris Testamenti inspicientes nobis cognoscere fas est Deum suam voluntatem manifestasse populo iudaico de religione profitenda et cultu. Nec satis. Per suos prophetas maximo zelo exigebat ut puritas doctrinae et cultus sancte conservaretur. Quod ut rationabiliter efficeretur miracula patrabantur et signa fiebant ut populus etiam externe in religione revelata fidelis permaneret.

Quo iure putamus quod Deus de religione christiana non habeat eandem saltem voluntatem ubi est certo cognitus et cognita sua locutio? Nam pariter signa publica dat, ut vidimus. Non tantum Christus sed et Ecclesia potest dicere: si mihi non vultis credere, operibus credite. In sinu etiam Ecclesiae, ut Iesus promiserat, miracula magna fiunt, et pro ipsa alia luculentissima sunt argumenta.

Brevitatis causa ad conclusionem perveniamus. In schemate *de libertate religiosa* efformando haec videntur tenenda, quae in praesenti non sunt sufficienter considerata, ut putamus:

1. Quando de religione agitur Deus est exaudiendus, si signa suae locutionis affert, potius quam quilibet homo vel privata conscientia. Quod et pro individuo et pro societate dicendum videtur, ne in negotio religioso Deus homini subiciatur vel ei aequiparetur.

2. Non debet gratis supponi evolutionem in doctrina hac Ecclesiae vel melius mutationem, sed iisdem principiis manentibus diiudicandum est, ut iam satis innuerat Pius XII, utrum adiuncta externa commendent maiorem quamdam libertatem concedere.

3. Quia ex una parte Deus qui se manifestavit certo est prae primis exaudiendus, et ex alia parte homo debet religionem profiteri iuxta dictamen suae conscientiae, audemus hanc propositionem efformare, in

qua utraque veritas apte componatur: Ubi veritas catholica populo Dei sit manifesta et eam profiteantur fere omnes subditi nationis, Ecclesia, conventione facta cum potestate civili, securitatem obtinebit ut individua et coetus libertatem habeant Deum colendi iuxta dictamen suae conscientiae rectum, vitatis tamen illis manifestationibus publicis quae sensus fidelium merito laedunt et proselytismo. Si tamen bono summo animarum, concessio maioris libertatis expedierit, ad supremam auctoritatem Ecclesiae pertinet determinare in unoquoque casu, omnibus rite perpensis, quanta libertas sit a catholicis in nationibus catholicis concedenda. Gratias. Dixi.

Textus scripto traditus:

Labor commissionis maximae laudis dignus est existimandus, propter ingentes conatus doctrinam Ecclesiae attemperandi nostris temporibus et adiunctis. Spiritus oecumenicus et voluntas recte interpretandi mentem Ecclesiae agnoscenda est. In his quae postea dicemus, enixe rogamus, quod haec nostra mens consideretur, pro recta eorum intelligentia.

Potest affirmari in toto schemate latere hanc doctrinam, quae fundat diversas conclusiones: *Omnes religiones sive coetus religiosi publice et coram societate habere debent eadem iura, ex natura rei.* (Privatim, utique, particulares veram religionem quaerere et profiteri debent, si eam inveniant).

Liceat asserere talem indifferentismum socialem et publicum non facile componi cum revelatione.

Etenim audiamus Concilium Vatic. I: « *Ad solam enim Catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem* tam multa et tam mira sunt divinitus disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile » (DENZ.SCHÖN. 3013). Et prosequitur: « *Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat...* ». Et paulo inferius addit: « *Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur...* » (DENZ.-SCHÖN. 3014). Similia edocentur a Leone XIII in Enc. *Immortale,* n. 4, et *Libertas,* n. 5.

Ex Concilio Vaticano I satis constat catholicismum sese hominibus praesentare signis externis publicis, ex natura sua aptis, ut omnes per illa dignoscere possint esse veram religionem a Deo revelatam, quae signa nullus alius coetus religiosus exhibere potest. Proinde est fundamentum obiectivum, etiam coram non credentibus, ut dicit Concilium, seu facta externa publica propter quae ipsa specialem mereatur existimationem, prouti saltem indicia vehementissima praebet omnibus, per illa facta Deum hominibus suam voluntatem forte patefacere. Ita e. g., tot tantaque miracula in sinu Ecclesiae patrata. Per illa Deus loquitur signis aptissimis.

Si in eadem linea publice et socialiter omnes religiones constituuntur, eadem existimatio conceditur in re religiosa Deo et cuilibet homini visionario, quod minime rectum putandum esse videtur. Maxime si de religione revelata agatur, nam quam Deus locutus fuerit, et velit omnes homines ad hanc veritatem venire, credendum est signa dare, quae nullus alius dare potest.

E contra in schemate ratio individualis adeo extollitur in problemate religioso, quod vox Dei, prouti introducens aliquam religionem ab omnibus profitendam, penitus ignoretur, publice et socialiter subiiciatur rationi individuali, quae tamen de se non habet valorem nisi pro ipso individuo.

Hae animadversiones in doctrina Ecclesiae innixae, et in recta ratione, ut putamus, possunt confirmari Sacris Litteris.

Sacra Scriptura V. T. in suo complexu considerata populo Dei manifestat suam voluntatem divinam circa religionem profitendam, quo patefit ex Deo praeprimis et non ex homine procedere determinatio cultus et religionis. Per suos Prophetas maximo zelo urget et exigit ut puritas religionis et cultus conservetur. Et licet hoc tantum ad populum iudaicum pertineat, tamen recte eruere licet, quod si Deus loquitur, illis quibus loquitur signis aptis ad discernendum, Ille super omnes exaudiendus est, nec sine aliquo contemptu potest externe et publice necessario subiici rationi individuali, et falsis prophetis aequiparari.

Iam vero, Christus et catholica Ecclesia locutus est et loquitur nunc, ut diximus, hominibus modo externo et publico quo ab omnibus dignosci de se possit, circa veram religionem revelatam, officium est hominibus ut ipsa speciatim exaudiatur. Ecclesia, ut Christus dicit: Si mihi non vultis credere operibus credite. Haec opera externa et publica sunt miracula et notae, signa aptissima quibus *illa sola* mundo praesentatur. Quibus signis omnibus invitat ut ad illam veniant. Hoc singulare est Ecclesiae catholicae. Iniustum foret illam omnibus aliis aequiparare, sicuti Deus loquens et visionarius quidam non possunt eamdem existimationem in societate mereri.

Primo intuitu his opponi videntur verba Ioannis XXIII in Enc. *Pacem in terris*: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri ».

Ad haec verba Romani Pontificis dicendum est, esse intelligenda de libertate coram potestate civili, seu quod auctoritas civilis de se non habet facultatem se immiscendi in cultu ordinando, et propter rationes politicas vel temporales non potest vim inferre conscientiis in professione religionis. Propterea adducit testimonium Leonis XIII, qui de hoc agit. Tamen iste Papa in hoc documento non aequalitatem omnium religionum in societate docet, sed doctrinam traditionalem tolerantiae religionis non verae.

Inde postea docet quod Deus et prima veritas sunt fontes bonitatis, quae magis ab aeterna lege, quam a ratione humana pendet. Iura diversa sunt apte componenda.

Brevitatis gratia ad conclusiones pervenio:

1) In re religiosa primo Deus est audiendus, si clare locutus est. Iniuriosum Deo videtur publice et socialiter Deum loquentem rationi individuali subiici, vel aliis hominibus aequiparari, inter illos quibus innotuit sua locutio et voluntas.

2) Quia schema totum est inspiratum in doctrina aequalitatis omnium religionum in societate, venia omnium peto quod reficiatur vel funditus emendetur.

3) Si ob bonum commune Ecclesiae expedit maiorem libertatem concedere in re religiosa, in hoc oportet innitere determinationes Ecclesiae, ut iam innuerat Pius XII, sed non in principiis falsis, quae humanismum reiiciendum sapiunt, id est hominem considerare ut norma suprema et radix iurium in cultu Deo reddendo.

16

EXC.MUS P. D. MICHAEL KLEPACZ
Episcopus Lodzensis

Venerabiles Fratres,

Loquor nomine episcoporum Poloniae.[1] In ultima, iam emendata recensione declarationis *de libertate religiosa* in primis agitur de libertate in relatione ad hominem. Quam in ultimam quaestionem maxima dirigitur nostra attentio. Videtur tamen necesse prae argumento ponere subtiliorem definitionem iuris ad libertatem hominis in genere, de qua dicet alius episcoporum Poloniae relator.

Principium libertatis fundatur non solum in voluntate Dei, sed etiam in rationali natura hominis, qui est creatus liber. Tali quidem actu creationis Deus, ut ita dicam, manus sibi alligavit, cum absque libero hominis arbitrio non possit hominem salvare. Ita enim evidens fit magna dignitas hominis in similitudinem imaginem divinamque creati.

Quod inde consequitur:

1. Quilibet homo, iudicium suae rationis seu conscientiae sequens, habet ius nativum confiteri religionem, quam sibi libere elegit.
2. Quilibet homo habet quoque ius ad religionem suam propagandam, dummodo mediis illicitis non utatur.
3. Exinde sequitur quod aestimanda sit religio cuiuslibet hominis. Homo tamen, pro sua parte, possibilitatem erroris admittens, debet studere, in certis casibus, sententiam suam corrigere, tamquam criterium veritatem habens.

In mea relatione ante omnia de libertate religiosa dicam, quam invenimus in ordine sociali, in quo singuli homines vitam agunt. Etenim:

1. Pro principio tenens ius hominis ad Deum libere et conscie colendum esse, nulla potestas humana potest interdicere, ne homo religionem suam in privato vel in publico profiteatur, neque potest illi vi vel dolo alium conceptum philosophico-religiosum mundi inferre. Principium illud: cuius regio eius religio, penitus reiciendum est. Quaecumque persecutio, causa religionis facta, censenda est prout iuris praecipui violatio. Si hodiernas Statuum constitutiones animadvertimus, illae,

etiamsi non semper in praxi, in theoria hoc *tamen* [2] ius observant. Immo etiam in constitutionibus Statuum, qui atheismo favent, paragraphus quaedam conspiciuntur, quae libertatem religiosam concivibus vindicant. Haec pariter resonant in tenore Universalis Declarationis Iuris Hominis, acceptae a conventu generali Nationum Unitarum ...[3].

Praeter id praecipuum ius et varias declarationes, in praxi proh dolor, aliud et aliud contingit. Proinde pugna pro defendenda libertate religiosa unius hominis est pugna omnium hominum, tamquam principium dignitatis personae necnon eius progressus. Praeterea ius et lex in eo principio sane inniti debent. *Et* [4] solaque Statuum decreta sunt observanda, quae in quattuor principiis omnibus praenotis, fundantur, scil. quod iustum, honestum, utile et possibile sit.

2. Alterum principium libertatis generatim sumptae et maxime quod ad libertatem religiosam attinet, ponitur iustitia, quae singulos, societatem atque etiam status obligat. Igitur contra iustitiam ageretur, si status atheismo imbutus actioni adversus religionem intentae faveret atque eam, scil. religionem, divulgare et defendere prohiberet vel impediret.

Pugna contra religionem, si forsan accideret, et religionis apologia semper debent inniti in veris non fictis vel detortis et maxime falsis factis et argumentis. Ea his postulatur honestas, quae in omni re controversa exiguntur.

3. Habitudo inter societatem et individuum et vice versa insistere oportet, ut recte scripsit Papa Ioannes XXIII in suis Litteris Encyclicis *Pacem in terris,* in principio morali, nempe in veritate, in iustitia, in necessitudine *hominis,*[5] in libertate simul et caritate. Et hic latissime manat libertatis industria, secundum illud: in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.

4. Ultimum, quamvis non parvi ponderis, fundamentum libertatis religiosae desumitur, uti praxis nobis ostendit, ex progressu hominum et populorum, qui in libertate perficiuntur, in servitute autem nani fiunt. Ipsa enim cultura sine Deo et sine iuris divini observantia antihumana sese ostendit.

5. Libertas religiosa homines quoque docet rectam tolerantiam persuasionis alterius hominis, observata tolerantia hominis, non autem mali tolerantia vel erroris.

Patet diligenter animadvertendum esse, ne libertas religiosa abutatur. Hoc quidem accidit, cum non tam ipsa religio, quamvis diversae sint, quam ipsi confessores, qui in propaganda religione malis mediis uti possunt. Possunt etiam praesertim qui vitam praeceptis religionis suae agunt contrariam religionem valore proprio privare apud homines, qui

iudicio critico carent. Libertas non plene et accurate considerata valet indifferentismum augere. Remedium huic defectui libertatis religiosae praebet conscientia qua homo, a Deo creatus atque ad vitam aeternam praedestinatus, libere et conscie se voluntati divinae subicit, necnon iuri divino, quod est aeternum, obiectivum, absolutum et universale.

Religio quidem christiana libertatem hominis plene et integre servat subiciendo illam superioribus legibus Dei et naturae.

Ex supra dictis patet conclusio: recta conceptio libertatis religiosae optimum praebet elementum coefficiens rectas relationes individui ad individuum, individui ad coetus sociales, Status necnon omnes homines. Libertas quoque religiosa limitans quidem potestates Statuum fovet eorum auctoritati afferens incrementum culturae humanitatisque gentium. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Nostra interest sequentem affirmationem ex art. 18 desumptam, recitare: « Quaelibet persona humana habet ius ad libertatem suae mentis, conscientiae et religionis. Quod ius libertatem statuit tum religionis amplexae et persuasionis, tum etiam libertatem ea manifestandi: ut singuli homines vel in societate in publico vel in privato in docendo, religionis ac pietatis officia, cultum et ritus exercendo ». [4] ea. [5] hominum.

17

EXC.MUS P. D. MARCELLUS M. DUBOIS

Archiepiscopus Bisuntinus

Venerati Patres,

Declaratio *de libertate religiosa* in genere placet, etiamsi perfectione ulteriore ornanda est et alia alta principia servanda sunt.

Nimis tamen philosophica et iuridica, multo magis poni deberet in solidis fundamentis... religiosis, Concilio plene dignis.

I - Imprimis, in fundamentis patristicis. E. g.: S. Augustinus, « *honorabili* fratri Maximino », qui erat donatista, scribit: « Cur " honorabili "? Quia " novi te esse *hominem,* et in honore positum *ipso ordine et iure naturae* " » ...[1].

In hoc loco, tamen, homo ut solus consideratur. Sed alii, similiter donatistae, scribit: « quid in te honorare non dubitem, facile intelligis: *ante omnia,* quod *ipsius* nobis *humanae societatis vinculo* astringeris » ...[2]. Hac vice, hominem *ut hominem* praeterimus: eumdem ut *membrum generis humani* attingimus.

II - Hae rationes simpliciter naturales manent. Sancta Scriptura eas multo magis superare sinit.

...[3] *Pater Noster* dat, in sua Providentia, magnitudinis animi suprema exempla. Etenim, ut asserit Dominus Noster, « qui in caelis est, solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos » ...[4]. Idem Deus, dicit S. Paulus in Areopago, « Ipse dat omnibus vitam, et inspirationem, et omnia; fecitque omne genus hominum quaerere Deum ...[5] ».

2. *Iesus Christus* Ecclesiae suae dilectionem et pacem commendavit ...[6].

Sed etiam libertatem religiosam, secundum sensus huius vocabuli diversos, Ipse Iesus commendavit.

a) Duo praecipui textus videntur « similitudines, et de zizaniis usque ad tempus messis in unitate agri ...[7] et de malis piscibus usque ad tempus littoris intra eadem retia » posita ...[8] Duo textus primo ad peccatores pertinent (qui sunt *in* Ecclesia); sed etiam, secundum S. Augustinum, ad eos qui « *Ecclesiae deserunt unitatem* » ...[9]. Eodem modo Papa Pius XII, in allocutione inclyta, primum textum accommodabat simul ad errorem et peccatum. « L'errore e il peccato si trovano nel mondo. Iddio li riprova; eppure, li lascia esistere. Per omettere qui altri testi della Scrittura, Cristo, nella parabola della zizzania, diede il seguente ammonimento: " Lasciate etc. " » ...[10]. Haec enim similitudo plenum sensum habet ex quo servi, seduli, zizaniam colligere volebant. Sed paterfamilias, qui est Ipse Deus, ait illis: « Sinite utraque crescere usque ad messem » ...[11].

b) Alia vice, Magister de se dixit « Ego sum via »; sed, scribit Augustinus, commemorans Psalmistam ...[12], « universae viae Domini misericordia et veritas ». Inde, in casu quo pagani erga christianos duri fuerant, concludit: Non « nocentes volumus ad dignum supplicium pervenire, prohibente nos illa misericordia quam in Christo cum veritate diligimus » ...[13].

c) In sua Passione, Iesus non aliter agit: Petrus gladio percutit servum. Tunc Iesus ait: « Converte gladium tuum in locum suum; omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? » ...[14].

d) Denique, angelo Laodiciae Ecclesiae dicit: Ecce *sto ad ostium,* et pulso; *si* quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum » ...[15]. Iesus qui fuit Ipse liber in redemptionis usque ad crucem acceptione, homines sinit etiam liberos in acceptione salutis et gratiae.

3. Hi textus *de Iesu loquuntur.* De Iesu, qui est Exemplar nostrum.

Sed in Concilio pastorali, eminenter conveniunt insuper aliqua verba Magistri nostri, *dicta eius apostolis, etiam ceteris qui eum audiebant*: « Vos estis *sal* terrae... Vos estis *lux* mundi » ...[16] Omnes igitur, in suis relationibus cum aliis et in socialibus officiis, cum Christo et in Christo Ipso, qui est *lux* mundi, debent esse, animabus, ut sunt sal et lux, corporibus. Uterque sane « activi » sunt, immo « penetrantes ». Sed homo hunc salem longe a se ponere potest et ante hanc lucem obducere vela. Modus Christi est suavis, non cogens. Modi apostolorum et christianorum iidem esse debent ...[17].

In notis nostrae declarationis, commemorantur aliqua verba S. Augustini. Alia pulchriora sunt. Ex *aliis aliqua*[18] meam conclusionem facient.

Illustris[19] doctor africanus proponit donatistae discussiones contradictorias, sed pacificas, militibus absentibus, « ut omnes qui nos audiant intelligant *non* hoc esse propositi mei ut *inviti* homines ad cuiusquam communionem *cogantur,* sed ut *quietissime quaerentibus veritas innotescat. Re* agamus, *ratione* agamus, *divinarum Scripturarum auctoritatibus* agamus », ita ut veritas « per nostrum ministerium, *Deo iuvante,* manifestata, se amplectendam satis *ipsa persuadeat* » ...[20]. Mirabile iter ad Deum!

Ecclesia, sicut Christus Bonus Pastor, bona est; sicut Typus suus Maria, mater est. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*PL* 33, 95; cf. 33, 654, 660). [2] (*PL* 33, 129-130). [3] 1. a) *Deus* hunc hominem, i. e. quemlibet hominem, ad imaginem et similitudinem suam fecit (*Gen.* 1, 27; *Sap.* 2, 23; *Eccli.* 17, 1; cf. *PL* 33, 95). b). [4] (*Mt.* 5, 45; cf. S. Aug., *Ep.* 153 § 3 et 7, *PL* 33, 654-655). [5] si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum » (*Act.* 17, 24-27). [6] dilexit *nos* i. e. omnes homines, usque ad crucis opprobrium, et *nobis* i. e. omnibus hominibus, pacem suam reliquit (*Io.* 14, 27; *PL* 33, 129-130). [7] (*Mt.* 13, 24-43). [8] (*ibid.* 47-50; *PL* 33, 411). [9] (*PL* 33, 412). [10] (*Acta,* 1953, 799). [11] (*Mt.* 13, 28-30). [12] (24, 10). [13] (*PL* 33, 395). [14] (*Mt.* 26, 51-53; *Io.* 18, 10). [15] (*Ap.* 3, 20). [16] (*Mt.* 5, 13-14; cf. *Mc.* 4, 21-22; 9, 50; *Lc.* 8, 16-17; 14, 34). [17] Quod ad paganos pertinet, « qui foris sunt, dicit S. Paulus ad Corinthios (*1 Cor.* 5, 10-13), Deus iudicabit ». *Deus,* non alii. De desideriis et aliqua animadversione, cf. animadversiones ad secretariatum generalem a me missas die 28-8-64, pag. 5 et 6. [18] eis, alia memoriam renovant conversationum Ioannis XXIII et Pauli VI cum honorabilibus Observatoribus. Alia. [19] Mirabilis. [20] (*PL* 33, 98 et 132)

18

EXC.MUS P. D. ANASTASIUS GRANADOS GARCIA
Episcopus tit. Cidramenus, aux. Toletanus

Venerabiles Patres,

Libenter adhaereo sapienter dictis ab exc.mo Parente. Et quasdam animadversiones facere intendo circa ius propagationis religiosae prout in n. 30 declarationis proponitur.[1]

Notandum est quaestionem sub duplici adspectu considerari posse: sub adspectu doctrinali et sub adspectu practico.

a) *Sub adspectu doctrinali,* scil.: Estne cunctis coetibus religiosis strictum ius doctrinas proprias religiosas, sive veras sive falsas, spargendi?

b) *Sub adspectu practico,* scil.: Expeditne ut, ob rationes boni communis, a legitima auctoritate perpendendas, cunctis coetibus religiosis permittatur praedicatio propriarum doctrinarum?

Circa adspectum practicum a iudicando abstinemus; circa tamen adspectum doctrinalem quasdam anxietates exponere liceat:

1. Ius ad propagationem indiscriminatam veritatis et falsitatis religiosae est, ut minimum dicam, doctrina nova in Ecclesia. Doctrina traditionalis, ut omnes probe nostis, haec est: Ius pro veritate; pro errore tolerantia, si quando id exigat bonum commune.

Haec abunde continentur in Magisterio Ecclesiae ...[2].

2. Quidquid sit de lege continuitatis et progressus, ius propagationis erroris simul ac veritatis religiosae directe opponi videtur doctrinae Pii Papae XII.

Magnus Ille Pontifex in notissima Allocutione « Ci riesce » sine ulla ambiguitate loquitur: « Nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna comunità di Stati ... possono dare un mandato positivo o una *positiva autorizzazione* d'insegnare o di fare ciò che sarebbe contrario alla verità e al bene morale... Neppure Dio potrebbe dare un tale positivo mandato o una tale positiva autorizzazione perché sarebbe in contradizione con la Sua assoluta veridicità e santità » ...[3].

Nunc vero, nostra declaratio videretur *positivam auctorizationem* (sit venia verbo) dare « docendi quod est contrarium veritati ». Etenim, quum veritas non in omnibus sed in una tantum Ecclesia inveniatur, agnoscendo omnibus coetibus ius propagandi doctrinas proprias, eo ipso positive auctoritatem faceremus divulgandi errores.

Attente ergo perpendamus consectaria: Si Deus, iuxta assertum

tanti Summi Pontificis, talia facere non potest, qua potestate nos id facere conabimur?

3. Declaratio, ut iam in aula denuntiatum est, nullum discrimen statuens inter ordinem personalem conscientiae et ordinem actionis erga alios, in non leve periculum incidit ...[4].

Animadvertere forte opus sit, in rebus humanis non leviter admitti propagationem errorum qui bono communi reputantur noxii, e. g. liceitas suicidii. Cur ergo propagatio erroris religiosi tam leviter admitteretur? Fortasse errores religiosos non adeo perniciosos existimamus? *Aliter Leo XIII sentiebat*[5]: « Peccata licentis ingenii, quae sane in oppressionem cadunt multitudinis imperitae, rectum est auctoritate legum non minus coerceri quam illatas per vim imbecillioribus iniurias » ...[6].

Venerabiles Patres: in hac difficillima quaestione sequentia videntur proponenda ut communi sententia admissa:

a) Debet agnosci libertas religiosa. Haec, si de libertate pro vera religione intelligitur, ut verbis utar Leonis XIII, est « libertas vera, digna filiis Dei, humanae dignitatem personae honestissime tuetur, et est omni vi iniuriaque maior » ...[7].

b) Fundamentum primum libertatis religiosae est « Officium, illudque maximum ac sanctissimum, quod homini incumbit colendi Deum »; ex quo consequitur *ut verbis utamur Leonis XIII*[8] quod « homini, *ex conscientia officii,* Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat » ...[9].

c) Quum tale officium homini mediante conscientia innotescat, partes amplae sunt agnoscendae conscientiae, quae quidem norma est proxima, sed *norma normata,* non independens *quidem*[10] a Deo, nec a vero nec a bono.

d) Libertas religiosa in hodiernis adiunctis sedulo fovenda, vindicanda et, quantum ius sit, pro omnibus agnoscenda.

In stabiliendo autem fundamento theologico caute procedamus; immo liceat postulare ut, quantum opus sit, in fraternum auxilium secretariatus pro unione christianorum fovenda veniant vel alii periti vel ipsa commissio doctrinalis donec, viribus conlatis, formula reperiatur principiorum theologicorum pro subiecta materia plene sufficientium. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Admissis ultro quae admittenda, immo et laude digna sunt in declaratione *de libertate religiosa,* operae pretium ducimus quasdam animadversiones proponere. In n. 30, pag. 32, linn. 38-40 et pag. 33, linn. 1-3 declaratio talia enuntiat: « Ius pariter coetibus religiosis competit ut sincerae honestaeque propagationi seu annuntiationi religionis studeant, vitato ta-

men " proselytismo ", quippe qui mediis impropriis et inhonestis utatur. Illi coetus impediri nequaquam possunt quominus rationes suae religionis proponant, ut apud auditores persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum communitati adsocient ». [2] praesertim in Leone XIII (cf. e. g. Enc. *Libertas*) et in ipso Pio XII. [3] (*Ci riesce, A.A.S.,* 45, 1953). [4] Semper ac de religione et conscientia sermo sit, prae oculis habere oportet ea quae a theologis admittuntur de iuribus conscientiae rectae. Quae iura sic breviter exponi possunt: *a*) Conscientia recta et vera ius habet absolutum et inviolabile; *b*) conscientia recta et falsa ius habet relativum et limitatum, in obiectiva necessitate correctionis et illustrationis; *c*) conscientia recta et erronea ius fundat ducendi vitam secundum conscientiam, non tamen fundat ius errorem suum spargendi. [5] Memores simus verborum Leonis XIII. [6] (Enc. *Libertas*). [7] (Enc. *Libertas*). [8] deest. [9] (Enc. *Libertas*). [10] deest.

Moderator: Proxima congregatio erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXXVIII

25 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS LXXXVIII

25 septembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Moderatur 88 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

In hac congregatione generali distribuetur Relatio super declarationem *de Iudaeis et de non christianis,* quae est declaratio altera schematis de Oecumenismo.

Audiatis, Patres amplissimi! Cum postulatum sit a Sanctissimo Domino ut Patribus Sacri Concilii charactere episcopali non ornatis facultas detur audiendi confessiones durante Concilio iuxta privilegium concessum episcopis in n. 2° privilegiorum Motu Proprio *Pastorale munus,* Sanctissimus Dominus precibus annuendum censuit, dummodo ad normam illius privilegii Ordinarius loci expresse non renuat, et hac gratia perdurante Concilio fruenda.

Audiatis pariter, Patres venerabiles! Dictum est heri terminum ultimum exhibitionis summariorum circa tertiam partem schematis *de divina revelatione* constitutum esse diem 30 septembris currentis. Quapropter terminus pro exhibendis summariis pro disceptatione *de apostolatu laicorum* comperendinatur in diem 2 octobris.

Et nunc audiatis alios terminos (bene est, si potestis, si calamo adnotetis):

Post schema *de apostolatu laicorum,* disceptabitur circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Qui vult circa hoc schema disceptare, summarium exhibeat intra diem 5 octobris.

Postmodum habentur alia schemata circa quae tantum suffragatio facienda est. Attamen, accedentes petitionibus quorumdam Patrum, em.mi moderatores concesserunt ut brevis aliqua disceptatio circa singula haec schemata fieret antequam suffragatio perageretur. Haec tamen disceptatio non eo fine fit, ut commissio postea, statim postea, textum iam iterum videat et corrigat, sed fit tantummodo ut Patres in suffragatione facienda non tantum ea quae in relatione dicta fuerint comperiant, sed etiam voces quae auditae fuerint in hac aula. Itaque erit brevis disceptatio.

Sed quis quaeret: quomodo textus mutari potest si Patribus pla-

cuerit? Modo simplicissimo! Nam circa singulas propositiones fiet suffragatio per *placet, non placet* et *placet iuxta modum.* Itaque ille Pater qui, audita relatione et auditis etiam illis vocibus suorum confratrum in aula, velit aliquam mutationem suggerere, potest eam exprimere in suffragio *iuxta modum.* Quibus visis et perpensis suffragiis, commissio procedet ad emendationem. Evidens est quod si illae propositiones approbatae fuerint maioritate requisita, correctio ex *iuxta modum* est ad abundantiam, ad perfectionem, non vero ad necessitatem.

Ergo illa brevis disceptatio hunc finem habet ut Patres possint melius perspicere quomodo suffragia dare possint, et si casus feret, etiam apponere modum iuxta quem fiet eventualis modificatio seu correctio textus.

Iamvero termini ad exhibenda summaria pro his parvis disceptationibus sunt qui sequuntur: pro schemate *de Ecclesiis orientalibus,* statuitur terminus dies 10 octobris; pro schemate *de activitate missionali Ecclesiae,* dies 11 octobris; pro schemate *de sacerdotibus,* dies 12 octobris; pro schemate *de religiosis,* dies 13 octobris; pro schemate *de matrimonii sacramento,* dies 14 octobris; pro schemate *de institutione sacerdotali,* dies 15 octobris; pro schemate, demum, *de scholis catholicis,* dies 16 octobris.

Necessarium est ut repetam?

Aliqui Patres: Non, non.

Secretarius generalis: Non? Gratias. Lego nomina eorum qui verbo uti petierunt circa schema *de Oecumenismo,* nempe *de libertate religiosa*: em.mus ac rev.mus P. D. card. Franciscus Roberti; exc.mi PP. DD. Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridion.; Ubaldus Cibrian, ep. prael. null. Corocorensis in Bolivia; Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis; Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis in Polonia; Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Hoa Nguyen-Van Hien, ep. Dalatensis in Vietnam; Carolus Alter, arch. Cincinnatensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; rev.mus P. Anicetus Fernandez, mag. gen. Ordinis Praedicatorum; exc.mi PP. DD. Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis in Hibernia; Carolus Colombo, ep. tit. Victorianensis; Antonius Añoveros, ep. Gadicensis et Septensis in Hispania; Patricius O'Boyle, arch. Vashingtonensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Georgius Dwyer, ep. Loidensis in Anglia; Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India; Abilius Del Campo, ep. Calaguritanus in Hispania; Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Ioannes Ioseph Carberry, ep. Lafayettensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia; Antonius Ona, ep. Lucensis in Hispa-

nia; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Vladimirus Malanchuk, exarcha Ucrainorum in Gallia; rev.mus P. Ioannes Prou, sup. gen. Congregationis Gallicae O.S.B.; exc.mi PP. DD. Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Carolus Maloney, ep. aux. Ludovicopolitanus in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis; Ioannes Wright, ep. Pittsburgensis Latinorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Et nunc, Patres, audite textum suffragationis XXV. Hodie, sex aliae suffragationes fient circa schema *de Ecclesia,* cap. III. Videatis pag 15: [*cf. vol. III, pars I, pag. 406*]. Placetne an non placet?

1

Em.mus P. D. FRANCISCUS card. ROBERTI

Venerabiles Patres, Fratres dilectissimi,

Ad declarandam quaestionem de qua agitur, *scil. de libertate religiosa,*[1] quaeque universaliter proponi debet, ut eiusdem solutio possit ab omnibus admitti, praestat recolere distinctionem, quae tantopere accepta fuit Summo illi Pontifici Pio XI felicis recordationis, distinctionem scil. inter *libertatem conscientiae* et *libertatem conscientiarum.*

Ecclesia non potest admittere libertatem conscientiae, sensu hodierno acceptam, quia sibi ipsi contradiceret; doctrinae enim non sunt omnes aequales; admittit, e contra, libertatem conscientiarum, quia reveretur iura personae humanae, quam numquam cogit ad suam amplectendam doctrinam.

Ex his principiis descendunt legitima consectaria, de quibus alii Patres iam locuti sunt, quaeque valent tam pro singulis quam pro publica auctoritate, firmis limitibus ordinis publici et communis boni a condicionibus vitae socialis impositis. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest.

2

Exc.mus P. D. DIONYSIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Venerabiles Patres, Observatores, Auditores et Auditrices... si tandem aliquando apparuerunt in terra nostra.

In declaratione *de libertate religiosa* propositiones sequentes inveniuntur:

« Contra vero... (in pag. 31, lin. 41, ad pag. 32, lin. 3). Contra vero, publicae rei moderatoribus nefas est imponere civibus professionem vel reiectionem cuiuscumque religionis tamquam conditionem, qua plene vel partialiter vitae nationali et civili participare possint ».

Et in pag. 33, linn. 4-7: « Civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes civium cum Creatore ac Salvatore suo possident, ideoque non possunt Communitates religiosas temporalibus finibus reipublicae subordinare ».

Hae propositiones partim saltem in aperta contradictione cum declarationibus magisterii Ecclesiae praesertim saec. XIX esse videntur, necnon cum thesibus quae usque ad hos ultimos annos in tractatibus de Iure Publico Ecclesiae defendebantur. Mea intentio non est hanc apparentem contradictionem examini subicere nec explicationem aliquam proponere. Multum certo in hac re ab evolutione notionum quae mutationibus socialibus respondet pendere videtur.

Adest autem certus aliquis aspectus quaestionis quem considerare desidero, argumentum scil. classicum pro unione Ecclesiae catholicae cum Statu. Necessarium omnino est hoc argumentum perpendere, nam pluribus ex nostris videri potest conditionem sic dictam idealem proponere, conditionem scil. quam Ecclesia ex natura rerum semper obtinere cupit quando potest, respectu relationum cum societate civili eiusque organismo directivo qui Status nuncupatur. Si argumentum istud vim probativam retinet, declaratio nostra completa et accurata dici non potest et saltem in sequenti propositione emendari debet: « Civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes civium cum Creatore ac Salvatore suo possident ».

Argumentum *istud classicum* [1] in forma sua simpliciori et potiori ita procedit: Cum homo indolis sit socialis, Deum colere tenetur non tantum qua individuum sed etiam modo sociali. Ut autem haec obligatio socialis adimpleatur, societas civilis qua talis tenetur Deum agnoscere et colere, et quidem eo modo quem Deus Ipse indicavit, scil. per Ecclesiam catholicam. Tenetur igitur societas civilis specialem erga Ecclesiam catholicam reverentiam exhibere eique assistentiam praebere.

Principium quidem omnes admittimus, scil.: Cum homo indolis socialis sit, Deum colere tenetur non solum qua individuum sed etiam modo sociali. Defectus autem in argumentatione videtur in hoc consistere quod ab illo principio saltus fit ad conclusionem secundum quam societas civilis hanc obligationem adimplendam curare debet. Defectus, dico, nam si Deus specialem societatem condiderit in qua homo obligationem suam socialem cultus adimpleat, societas civilis eo ipso a tali onere eximitur. Est enim principium fundamentale sociologiae catho-

licae quod societas civilis id tantum pro membris facere debet, quod membra per seipsa vel per aliam societatem, veluti familiam, efficere nequeunt.

Nunc autem Deus de facto aliquam societatem specialem condidit in qua homo obligationem cultus socialis adimplere potest, Ecclesiam scil. Consequenter societati civili sub Novo Testamento in hac re nulla relinquitur obligatio vel facultas propria. Unde accipi omnino potest declarationis nostrae propositio: « Civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes cum Creatore ac Salvatore suo possident » ...[2].

Rursus considerandum est quod si, vi argumenti pro unione Ecclesiae cum Statu, tenemus societatem civilem ex natura sua obligationem habere relate ad cultum divinum, implicite asserimus potestatem directam Ecclesiae in eam. Nam ubicumque existit obligatio ad cultum ibi extenditur potestas directa Ecclesiae. Et notandum est non esse quaestionem de potestate Ecclesiae in societatem civilem ratione materiae, sicut etiam societas civilis potestatem habere potest in Ecclesiam ratione materiae, in temporalibus nempe, sed est quaestio de potestate Ecclesiae in societatem civilem ratione ipsius constitutionis societatis civilis, si admittimus societatem civilem ex natura sua habere obligationem curandi aliquomodo de cultu sociali.

Talis potestas directa Ecclesiae in societatem civilem non est admittenda. Quapropter nostris temporibus et secundum hodiernam intelligentiam notionum derelinquenda videtur doctrina de unione Ecclesiae cum Statu. At nullum exinde timendum est damnum pro Ecclesia, sed potius profectus expectandus. Nam sine illa unione Ecclesia multo magis contendit ad influxum suum in omnia membra societatis exercendum quin spem et fiduciam reponat in auxiliis a Statu auspicatis.

Neque apparet cur Ecclesia, etiam seclusa unione cum Statu, conventiones cum eo inire non possit. Professio fidei catholicae a Statu ipso praestanda non est conditio sine qua non ad conventiones ineundas. In non paucis territoriis Africae, e. g., conventiones exstant saltem implicitae secundum quas Status salaria solvit magistrorum in scholis religiosis docentium quamvis Status ipse religionem directe non curet.

Denique argumentum contra libertatem religiosam desumptum ex defectu veritatis religiosae in homine sat debile mihi videtur. Recolendum est enim quod homines, sive individui sive in societate viventes, in ordine naturali ab ignorantia, nonnisi lente et ardue et per vias duras, erroris laqueis et foveis abundantes, ad veritatis possessionem progrediuntur. Talis progressus ad veritatem periculum errandi necessario implicat. Et revera historia nos docet homines quasi nullam veritatem

alicuius momenti adeptos esse sine praevia experientia erroris. Qui ergo volunt ut iura hominum a possessione veritatis pendeant hominibus implicite denegant ius cogitandi et inquirendi, loquendi et scribendi.

Conclusio est quod libertas et iura hominibus competunt non quia veritatem iam adepti sunt sed ut eam adipiscantur. Et si haec conclusio valet pro ordine naturali, valet etiam a fortiori pro ordine supernaturali; nam Deus, hominem elevando, eius libertatem non minuit sed sacravit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Quamvis haec verba ita sonant ac si societatem civilem, sub omni aspectu religione destitutam, ut quid acceptabile proponerent, de facto hoc non intenditur. Dicimus solum societatem civilem qua talem non habere obligationem religiosam, sed minime a tali obligatione absolvimus membra societatis civilis. Istis enim alio ex capite profluit obligatio cultus, quae in alia societate adimpletur, scil. in Ecclesia.

Moderator: Audiatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XXVI, pag. 15: « Haec autem infallibilitas, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, tantum patet quantum divinae Revelationis patet depositum, sancte custodiendum et fideliter exponendum ». Placet an non placet?

3

Exc.mus P. D. UBALDUS EVARISTUS CIBRIÁN FERNÁNDEZ

Episcopus tit. Bidensis, prael. null. Corocorensis

Venerabiles Patres,

Cum rationes *circa*[1] declarationem de libertate religiosa prout in se iacet et observationes quas ad eam perficiendam paraveram iam ab aliis oratoribus prolatae sint, ne taedio vobis afficiar et praesertim ad normas directivas Patrum moderatorum adimplendas illas omittam et tantum in memoriam revocare audeam duas ex his rationibus. Sunt sequentes:

1. *Quia non veris, aut saltem non adaequate propositis principiis doctrinalibus nititur.* Etenim tamquam fundamentum et principium normativum totius huius quaestionis « De libertate religiosa » ponit libertatem ipsam et personam humanam. Hoc autem nequaquam admitten-

dum esse puto, cum primatum hac in re non habeant nec libertas nec persona humana, sed veritas et Deus, quibus illae *subiciuntur,*[2] et a quibus normari oportet. Praeterea, iuxta schema non tantum libertatem psychologicam actus fidei tutandam esse debere, quod ab omnibus admittitur, sed etiam libertatem moralem et iuridicam, ita ut libertatis causa ius sit cuique eam amplecti, profiteri ac praedicare religionem, quam rationis lumine et conscientia ductus veram putaverit, et *in thesi* ...[3], eodem iure fruantur, tam ad intra quam ad extra, sive qui veram sive qui falsam religionem profitentur. Quod absonum et absurdum est; ...[4] docente Summo Pontifice Leone XIII: Ecclesia nihil quidem *impertit*[5] iuris nisi iis quae vera quaeque honesta sunt; et veritas existimata seu subiective tantum veritas, subiectivum forsan ius fundare valet, authenticum et obiectivum nullatenus.

2. *Confundit absolutam veritatem principiorum moralium cum eius practica et contingenti applicatione.* Veritas enim principiorum moralium independens est ab eius applicatione in casibus particularibus. Et vera erunt, quamvis in praxim deduci nequeant, vel rationes particulares suadeant ne in praxim deducantur. Ratio est, quia ut ait S. Thomas, applicatio principiorum moralium non fit regulis logicae sed regulis prudentiae christianae, quae contingenter procedunt, attentis dispositionibus subiecti et circumstantiis temporis et *loci.*[6] Sed exinde nihil inferre contra veritatem principiorum licet cum veritas sit aeterna et immutabilis.

Igitur declaratio de libertate religiosa in parte doctrinali de novo *exaretur*[7] iuxta principia traditionalia magisterii ecclesiastici, ne inde in dubium revocetur validitas huius magisterii et ne Ecclesia ut sibi ipsi non consentanea appareat docendo sollemniter in Concilio doctrinam contrariam ad illam quam usque nunc docere consuevit in magisterio ordinario.

Quoad applicationem vero practicam:

Cum conditiones et circumstantiae hominum hac nostra aetate sint tam diversae ...[8], cum pax et concordia inter homines et inter diversas nationes sit bonum maxime desiderandum ...[9] et tandem cum verus oecumenismus — *qui in corde omnium est*[10] — in praxim deduci nequeat nisi in plano fraternitatis et libertatis, Concilium nostrum alte et sollemniter proclamet libertatem religiosam, quam dicunt, in praxim esse deducendam tam pro individuis quam pro coetibus religiosis, sine detrimento vero boni communis ...[11]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] contra. [2] subici debent. [3] etiam. [4] nam. [5] impertiit. [6] locorum. [7] exarare oportet. [8] ab illis in quibus Ecclesia fuit alio in tempore. [9] quae pax et concordia consequi non valeamus

nisi hac libertate supposita. [10] deest. [11] et servatis regulis prudentiae pro illis nationibus in quibus scandalum oriri potest, cum etiam catholici ius habeant ne causa libertatis periculum in fide ipsis praebeatur.

Animadversiones additae:

Quatuor praecipuis de causis declaratio schematis *de Oecumenismo,* ubi *de libertate religiosa* non placet, et prorsus reiciendum esse puto.

1. Quia non veris, aut saltem non adaequate et recte propositis principiis doctrinalibus nititur. Quod in damnum vertit ipsius veritatis, praesertim prout a Concilio proponendam esse censeo.

2. Quia nimis philosophice, et, ut ita dicam, rationalistico modo videtur procedere, cum detrimento veritatis christianae, quae ante omnia *ex articulis fidei* procedere debet.

3. Quia totaliter ignorat et parvipendit magisterium ordinarium Ecclesiae, praesertim Romanorum Pontificum, qui, *data opera,* docuerunt et normas dederunt hac in re. Quod ansam praebet contemptui ipsius magisterii et nocumentum infert toti theologiae. Si in re tanti momenti sic ignorare liceat magisterium, cur non et in aliis quaestionibus?

4. Quia confusionem magnam ingerit inter veritatem absolutam principiorum ordinis moralis, quae per se stat, quamvis ad praxim non reducatur, et practicam eius applicationem, quae est contingens et diversimode evenire potest.

En uniuscuiusque asserti rationes:

1) *Nititur principiis falsis aut non adaequate propositis.* Revera, tamquam fundamentum et principium normativum totius huius quaestionis *de libertate aut conviventia religiosa,* ponit libertatem ipsam et personam humanam. Hoc autem nequaquam admittendum esse puto, cum primatum hac in re non teneant nec libertas nec persona humana sed *veritas* et *Deus,* quibus illae subiciantur et a quibus normari et gubernari debent. Praeterea, iuxta schema, non tantum libertatem psychologicam actus fidei tutandam esse debere, quod ab omnibus admittitur, sed etiam libertatem moralem et iuridicam, ita ut, libertatis causa, ius sit cuique eam amplecti ac profiteri religionem quam rationis lumine quis ductus veram putaverit; et, *in thesi,* eodem iure fruantur, tam ad intra quam ad extra, sive qui veram sive qui falsam religionem profitentur. Quod etiam absonum et absurdum est, nam, docente Summo Pontifice Leone XIII, Ecclesia nihil quidem impertiit iuris nisi iis quae vera quaeque honesta sunt; et veritas existimata, seu subiective tantum veritas, subiectivum ius forsitan fundare valet, authenticum et obiectivum ius, nullatenus. Qui auricalcum existimat aurum aut falsam veram monetam reputat, pro domo sua faciat quidquid vult, sed extra domum errorem suum non diffundat nec ullum ius invocet, cum legibus, pro bono communi latis, puniri possit.

2) *Nimis philosophice aut rationalistico modo procedit.* Nam iura personae humanae, iura libertatis, homo, civis, multum sonant in schemate. Principia autem fidei circa veritatem christianam et ordinem christianum, cui vel quibus illa omnia conformanda sunt, raro vel valde parum invocantur. Cum proprium doctrinae christianae sit, praesertim si in Concilio Oecumenico proponitur, *ex articulis fidei* procedere. Primatum ergo in schemate non teneat nec homo nec ratio, sed Christus et veritas christiana, qualis ab Ecclesia proposita semper fuit.

3) *Ignorat et infirmat valorem magisterii.* Quia, ubinam sunt documenta et testimonia gravissima Summorum Pontificum, qui *data opera,* hac in re

principia et normas catholicas nobis dederunt. Perlustra paginas schematis, nihil invenies. Iam vero, est doctrina communis hac in re, quae in omnibus manualibus theologiae invenire possis, quae in practica concordataria Ecclesiae sustinetur, quantum potest, quaeque saepe saepius a Summis Pontificibus solemniter proposita fuit. Sufficiant haec testimonia quae aperte contradicunt quae in hoc capite inveniuntur. Ait v. g. Pius IX: « Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem quam rationis lumine quis ductus veram putaverit » (DENZ. 2915); haec propositio erronea est, sicuti ista: « Aetate nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis » (DENZ. 2976). Leo XIII scripsit: « Divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere » (DENZ. 3174). Et etiam: « (Ecclesia) *nihil* quidem impertiens *iuris* nisi iis quae vera quaeque honesta sint... » (DENZ. 3251). In Encyclica vero *Libertas* expressis verbis ait, malum et errorem nullum ius habere nec ad diffusionem nec ad protectionem. Quod et Pius XII in allocutione ad iuristas 6 decembris an. 1953 rursus asserit. Simul docendo: « Ella (la Iglesia) por principio, o sea en tesis, no puede aprobar la separación completa de los dos poderes ».

4) *Confundit absolutam veritatem principiorum moralium cum eius practica et contingente applicatione.* Veritas enim horum principiorum independens est ab eius applicatione. Et veritas urget quamvis in praxim deduci nequeat vel non expediat. Ratio est, quia, ut ait S. Thomas, applicatio principiorum moralium non fit regulis logicae sed regulis *prudentiae* christianae, quae contingenter procedunt, attentis dispositionibus subiecti et circumstantiis temporis et loci. Sed inde nihil inferre licet contra veritatem aeternam principiorum, quorum instantia est permanens etiam si in casu imponi nequeat.

Summatim ergo. Caput de libertate religiosa omnino reiiciendum est donec funditus corrigatur, et melius apparetur, quae innuimus prae oculis habita. Forsitan ad aliquam communem et practicam conclusionem hac in re omnes pervenire possimus, applicationem principiorum quaerendo hic et nunc magis proficuam et convenientem Ecclesiae et societati humanae.

Sed non in discrimen vocentur principia ipsa seu doctrina hucusque in scholis catholicis tradita et a Summis Pontificibus edocta. Veritas theoretica horum principiorum ordinis moralis semper intacta remanet et ad idealem nobis instaurandum semper impellit, quamvis non semper in praxim reduci queat vel conveniat.

Liceat mihi, magna cum reverentia, aliquas observationes declarationi *de libertate religiosa* hic addere.

1. *Fundamentum doctrinale libertatis religiosae accuratius stabiliatur.* In n. 26, linn. 6-9 declarationis legimus: « Homines ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati, officium et honorem habent ut, secundum dictamen conscientiae, voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur ».

Hoc, ni fallor, minus recte dictum esse videtur. Nam ius ad libertatem religiosam bene in correlativo officio hominis erga Deum, Creatorem et Redemptorem suum, a quo revera obiective et absolute pendet, fundatur. Et homo religiosus in honore ponitur non precise quia Deum honorat iuxta dictamina conscientiae suae, sed iuxta voluntatem obiectivam Dei. Sequi enim erroneam conscientiam vel falsam colere religionem honor hominis dici non debet.

Incisus ergo: « secundum dictamen conscientiae suae », qui quasi furtive hic

introducitur, e medio tollatur; nam principium fundativum libertatis religiosae per se stare debet et valorem absolutum habet, quamvis, attenta fragilitate humana, pro praxi valeat, in linea tolerantiae, quod nonnisi valorem relativum habet. Dictamen conscientiae erroneae quaedam relaxatio iuris dicenda videtur, quae in principium vel fundamentum validum libertatis religiosae erigi non valet.

2. *Melius etiam ius tribuendum coetibus religiosis pro annuntiationi et propagationi propriae religionis formuletur.* Quod in n. 30, linn. 38-43 eiusdem declarationis legitur, reformandum esse debere puto. Nam talis universalis affirmatio iuris, praeterquam quod falso vel aequivoco fundamento nititur, scil. dictamine propriae conscientiae, multa incommoda in praxi gignere potest. Supponit enim omnes homines capaces ad efformandum iudicium verum et rectum de re religiosa. Cum e contra quaestio religiosa ita difficilis et complexa sit, ut solo adiuvante Dei gratia et supernaturali suo lumine adiuti ad agnitionem verae religionis pervenire possimus. Hinc est quod homines sint revera pauci qui investigatione propria ad exactam notitiam verae religionis perveniant. Et proinde pro maiore parte hominum tale iudicium personale et theoretice certum non requiratur, sed sufficiat stare iudicio et auctoritate peritorum vel magistrorum praesertim timoratae conscientiae. Sic catholici prudenter et pacifice in possessione religionis suae supernaturalis sunt sub ductu magisterio Ecclesiae. Contrarium redolet rationalismo et naturalismo et pro indifferentismo et agnosticismo in re religiosa certat. Religio supernaturalis propriis viribus et sola rationis lumine adipisci nequit. Ergo cum religio catholica donum Dei gratuitum sit, de ipsa dubium serium a catholicis haberi nequit et suspicionem circa ipsam ingerere in alios vitandum est. Iam vero libertas religiosa qualis in declaratione proponitur, prae oculis habet eos qui foris sunt, et de eorum iuribus multum curat, sed de iis qui veram et supernaturalem religionem profitentur atque de eorum iuribus et privilegiis satis parum dicit et non recte.

3. In n. 30, linn. 20-22 affirmatur Rempublicam seu Statum ineptum esse ad iudicium circa rem religiosam ferendum. Quaero: Si simplex et humilis homo potest, duce Ecclesia, efformare iudicium practicum rectum de vera religione, cur et hoc non poterit, ipsa ducente Ecclesia, et Auctoritas Civilis hominibus magis praeparatis sine dubio constans?

Accuratius et verius ergo haec quae hic innuuntur in declaratione exponantur.

4

Exc.mus P. D. FRIDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Venerabiles Patres et Fratres omnes dilectissimi,

Temporis penuria, laudes omitto quas appendix de libertate religiosa vere meretur. Proponam breviter quasdam animadversiones ad eum perficiendum.[1] Defectus generales:

1. Prout doctrina proponitur, statui videtur tamquam praecipua moralitatis norma in re religiosa *dictamen conscientiae individualis,* praetermissa mentione cuiuscumque normae obiectivae.

2. Ecclesia in hoc textu proclamat *ius* et *libertatem,* tum personarum singularum tum coetuum, *opinandi* in re religiosa, *observandi* ritus *cuiuscumque religionis,* quamcumque religionem *propagandi*; cum ex divino mandato Ecclesia gravissimam obligationem habeat praedicandi, conservandi et defendendi *unicam veram a Deo statutam religionem Christi.*

3. Unica vera Christi Ecclesia catholica, ad *ius* propagandi religionem quod attinet, falsis religionibus aequiparatur.

4. Adeo extolluntur *iura,* etiam *mere putativa,* vel falso existimata, personae individuae et coetuum, ut *iura divina,* atque *officia vera ac iura* auctoritatis civilis bonique communis ignorari videantur.

5. *Dignitas personae* humanae reponitur in eius *libertate,* quam Deus ipsi concessit. Etsi hoc in radice verum sit, tamen proprie et extricte dignitas hominis *in recto usu* ...[2] *libertatis consistit.*

6. Vix aliquid in textu continetur de vero officio et de gravi obligatione, quibus homo tenetur, inquirendi, quaenam sit unica vera religio ei praescripta, ad eam amplectendam et fideliter observandam.

7. Nihil in textu dicitur de iure et obligatione auctoritatis civilis colendi verum Deum, veramque religionem protegendi et favendi.

8. Haec appendicis doctrina legitimum *boni oecumenismi* motum impedit, veramque christianorum unitatem impossibilem reddit. Si enim quilibet valet annuntiare propriam *suam* religionem et ad eam omnes alios homines adducere, curnam *suam* deserere et aliam quaerere?

9. Admissa huius appendicis doctrina, catholicorum zelus missionarius minuetur. Immo eis ansa praebetur ut falsam religionem amplectantur, quae laxiorem eis vitam moralem permitteret.

10. et ultimo. Proh dolor! ex doctrina, falsae libertati in re religiosa favente, mala non pauca, gregi christiano obventura, Ecclesia catholica merito timere potest. Immo iam in ephemeridibus, etiam catholicis, pauca non recte de hac re hoc ipso anno scripta sunt. Hac etiam de causa evenit ut in quibusdam Nationibus numerus conversorum ad catholicam Ecclesiam minueret. Inter catholicos autem aliqui de veritate suae religionis dubitare coeperunt.

Conclusio. Huius appendicis doctrinam in multis fore reficiendam, prorsus necessarium apparet. Immo vero quaestio de libertate religiosa consultius optandum est ut maturescat, et ideo ad aptius tempus mittenda videtur. *Attamen adhaereo propositioni heri in hac aula exposita ab exc.mo Petro Parente quoad rationem reformandi hanc declarationem de libertate religiosa.*[3]

Secretariatui tradam particulares animadversiones ad nn. 25, 26, 28, 29 et 30.

Pauca nunc addam de numero 29.[4] In pag. 30, n. 29, in linn. 34-37, asseritur: « Libertatem religiosam non tantum a christianis et pro christianis, sed ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis in societate humana observandam esse, Ecclesia catholica asserit ».

Verba haec, prout sine ulla distinctione et accuratiori determinatione proferuntur, efferre videntur omnimodam paritatem religiosam competere omnibus et pro omnibus; nulla facta distinctione inter veram et falsas religiones; inter legitimum et debitum Deo cultum et falsum; inter veritatem et falsitatem. Eiusmodi doctrina neque in iure naturae, neque in Evangelio, neque in documentis Pontificum reperitur, immo iisdem adversari manifestum est.

Undenam, quaeso, exoritur pro falsis religionibus ius profitendi, manifestandi, praedicandi errores contra legem divinam sive naturalem sive evangelicam, in quibus plurimi absque culpa inciderunt? Si tale ius ac proinde consequens libertas religiosa, sic intellecta, falsis religionibus agnoscatur, nulla iam magni momenti differentia veram inter et falsas religiones assignari poterit.

Ecclesia catholica, quae fide explicita tenet, sibi soli Christum dedisse missionem, mandatum, officium et ius, atque inde manantem libertatem, custodiendi, propagandi et defendendi integrum depositum religionis unice verae et omnibus ad salutem necessariae: potesne sine flagranti contradictione solemniter in Concilio agnoscere et proclamare, huiusmodi ius, et ex eo deductam libertatem, competere etiam alii cuicumque coetui religioso? Licetne nobis, apostolorum Christi successoribus, iureiurando fidelitatis erga Evangelium ligatis, tale decretum edere? Verba ergo praedicta ...[5] corrigenda fore putamus ...[6].

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] suae. [3] deest. [4] Ad n. 25, pag. 29, linn. 1-5. In hac paragrapho affirmatur: « rectam libertatis religiosae considerationem conferre ad relationes et contactus sereno et pacato animo instaurandos inter christianos », in ordine sane ad optatam omnium unitatem obtinendam.

Attamen doctrina, prout in hac *declaratione* proponitur, non videtur esse recta via, quae ad *veram* christianorum unitatem conducat. Etenim vera unitas dari nequit nisi fundetur dogmaticis quibusdam principiis, quae in hac *Declaratione* silentio praetermittuntur.

Nam, *a*) Unicam Christus fundavit Ecclesiam usque ad consummationem saeculi duraturam, quam esse catholicam romanam credimus. Reliquae ergo nequeunt a nobis simpliciter haberi ut verae Ecclesiae.

b) Sola Ecclesia a Christo fundata integram ab eo praedicatam doctrinam morumque disciplinam retinet. Reliquae ergo, quae huic fidei deposito sententias contrarias tenent, nequeunt a nobis ut verae agnosci.

c) Solis apostolis, eorumque legitimis successoribus usque ad consummationem saeculi, Christus mandavit: « Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19 s.), et gravissimam obligationem omnibus imposuit accipiendi hanc apostolorum praedicationem: « qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 16). Ergo aliis, qui intra hanc apostolorum successionem non sunt, idem praedicationis ius et officium agnoscere non possumus.

Ex his principiis, quae de fide sunt tenenda, hae conclusiones eruuntur.

1. Unica exsistit Christi Ecclesia, in quam omnes intrare tenentur.

2. Coetus christiani, qui integram Christi doctrinam non possideant, sed aliam doceant verae Ecclesiae contrariam, non sunt a nobis in eorum erroribus relinquendi, sed ad verum Christi gregem attrahendi sunt.

3. Sola Ecclesia a Christo fundata mandatum et officium, missionem et ius, et hinc plenam libertatem sibi vindicare potest praedicandi omnia quae ab ipso Christo mandata sunt. Reliqui autem coetus christiani, utpote non habentes a Christo huiusmodi mandatum vel officium, missionem vel ius, morali libertate carent praedicandi doctrinas verae Ecclesiae contrarias.

Conclusio. Ex dictis patere videtur, « libertatis religiosae considerationem (prout in hac declaratione proponitur) minime conferre ad relationes et contactus instaurandos inter christianos » ita ut ad *veram* omnium unitatem conducant. Immo vero in doctrina, prout proponitur, solum aperitur via ad omnium coetuum christianorum meram *coexistentiam* in indifferentismo saltem *practico* fundatam. Hoc autem admisso, difficultates augerentur, quae magis magisque impedirent quominus omnes christiani *vere* in *unum* Christi gregem coadunarentur sub *uno* summo pastore.

Ad n. 26, pag. 29, linn. 6-25. In hoc numero statuitur *principium* ex quo oritur *ius* ad *libertatem religiosam.* Et quidem fere solum agitur in hoc numero de *ordine obiectivo et constitutivo,* prout aperte patet, inter alia, ex verbis: « Per libertatem religiosam homo a Dei potestate nullo modo emancipatus est, quasi falsum et verum possit aeque aestimare, vel ab omni erga Summum Numen obligatione solutus esset, vel ipsi officium non incumberet rectam sibi de rebus religiosis conscientiam formandi, vel sibi pro libito statuere valeret utrum et in qua religione Deo servire velit » (linn. 16-21).

Attamen aliqua et certo modo intercalantur verba, quibus ordo obiectivus et constitutivus subordinatus tandem normae subiectivae asseri videtur. Talia verba sunt praesertim: « *secundum dictamen conscientiae* » lin. 8, necnon vox « *suam* » lin. 10. Haec evidenter pertinent ad ordinem subiectivum, atque ita in textum inseruntur, ut dictamini conscientiae subiectivae obiectivus ipse ordo divinus subordinatus tandem esse videatur.

Verum quidem est dictamen *rectae* (haec quidem vox in schemate saepe deest ubi nullo modo omitti deberet), conscientiae, dico, rectae dictamen esse *normam moralitatis* subiectivam, praeceptivam et immediatam, quae cum prorsus falli, errare, perverti et obscurari possit, ideo plane debet subiici *normae moralitatis* obiectivae, constitutivae et supremae divinitus statutae, quae falli nequit et ab omni errore et perversione immunis est.

Si verum esset, quod schema asserere videtur, conscientiam individualem esse simpliciter moralitatis normam, concludendum esset, v. g., hominem, qui secundum dictamen *suae conscientiae* et ob motivum *suae* religionis semetipsum

comburit, sequi fideliter et adimplere voluntatem Creatoris!!!, vel etiam hominem, qui secundum dictamen *suae conscientiae* credit, quamcumque religionem christianam esse veram, voluntatem Salvatoris sequi revera et adimplere indiscriminatim hanc vel illam amplectendo!!! etc. etc.

Porro eiusmodi doctrina repugnare videtur iuri naturali, divinae revelationi et Summorum Pontificum apertis doctrinis. *Ad notam 1,* quod attinet, valde dolendum est, perperam in ea interpretari doctrinam Pii IX et Leonis XIII de hac re. Falsa enim est restrictiva et mutilata interpretatio, quae proponitur, quasi Pontifices voluerint *solummodo* condemnare rationalismum atheum et statismum absolutum. Integram, non mutilam, documentorum Pontificum doctrinam sincere et sine praeiudicio perscrutantes, plane animadvertunt, Pontifices intendisse asserere et vindicare iura *Ecclesiae catholicae* divinitus attributa, contra omnem *statismum, rationalismum* et *liberalismum.* Hoc patebit legenti solum Encycl. *Libertas praestantissimum* Leonis XIII, *A.S.S.*, 20, pp. 602-605, ubi breviter ad synthesim tota reducitur doctrina.

Conclusio. In lin. 8, verba: « secundum dictamen conscientiae » deleantur, id enim quod intenditur, sufficienter et accuratius exprimitur iam illis verbis: « vel homini officium non incumberet rectam sibi de rebus religiosis conscientiam formandi », quibus norma subiectiva bene obiectivae normae subordinata exhibetur. In lin. 10 vox *suam* substituatur verbis: « ipsis a Deo praescriptam » ne putetur plures aeque validas religiones dari.

Praeterea, ad complendam fundamentalem doctrinam huius numeri 26, *de norma obiectiva, constitutiva et suprema* agendi in re religiosa, oportet et omnino necessarium esse videtur includere divinum et positivum Evangelii praeceptum, sollemnibus Domini verbis promulgatum. Ideo in pag. 29, lin. 21, post verbum « velit », addendum est: *praesertim cum Deus sollemne mandatum omnibus dederit, amplectendi unicam a Christo fundatam religionem* (cf. *Mt.* 28, 18-20; *Mc.* 16, 15-16).

Ad n. 28, pag. 30, linn. 17-20. « Respiciendum... (usque ad)... invitantur ».

Quae hic dicuntur compleri debent. Nam *respiciendum* est, non solum ad gratiae mensuram, ad officia erga verbum Dei et ad personae iura, sed etiam, et sub adspectu pastorali *praesertim,* ad naturae lapsae conditionem; « sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt » (*Gen.* 8, 21; cf. *Mt.* 15, 19). Neque solum dicendum est homines ad fidem amplectendam « *invitari* », sed etiam et praesertim *divino praecepto urgeri.*

Unde linn. 19 et 20 melius redigi poterant hoc modo: ... « gratiae, quae a Deo tribuitur homini, qui ut fidem libere admittat invitatur et sub discrimine salutis iubetur » (cf. *Mc.* 16, 16). « Pastori vero animarum semper praesens sit oportet naturae lapsae conditio, « sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt » (*Gen.* 8, 21; cf. 6, 5; *Mt.* 15, 19); atque ideo Evangelii minister semper sibi dictum habeat S. Pauli monitum: « praedica verbum insta opportune, importune; argue obsecra increpa in omni patientia et doctrina » (2 *Tim.* 4, 2).

Linn. 23-24: verba: « et sine animi reprehensione » simpliciter omittantur. 1. quia non sunt necessaria; 2. quia non patet quid illis significari intendatur; 3. quia sensum non rectum habere possunt. Nam « caro concupiscit adversus spiritum », et qui vult Christum sequi oportet ut crucem tollat quotidie (*Gal.* 5, 17; *Lc.* 9, 23); unde sequitur, liberam Evangelio adhaesionem in natura lapsa de facto *non dari* « *sine* animi reprehensione ».

Linn. 25-26: assertio, « In annuntianda autem veritate ab omni directa vel *indirecta* coactione abstinendum est », simpliciter deleatur. 1. quia id veri, quod in eo est, accuratius exprimitur immediate postea linn. 27-33; 2. quia assertum illud, « ab omni *indirecta* coactione abstinendum est », dici nequit simpliciter verum. Nam terrores damnationis aeternae, quos Christus saepe in animis auditorum excitabat; illud « compelle intrare » ad nuptias, quas Pater-familias paraverat Filio suo (*Lc.* 14, 23) et alia huiusmodi, nonne indirectae coactiones sunt? Aliunde vero, miracula, charismata extraordinaria, beneficentiae opera, quibus Christus et apostoli praedicationem commendabant, et quae *extrinseca* plane sunt subiecto, obiecto et actui fidei, nonne coactionem *indirectam* important? Instructio catechetica et religiosa, quae *pueris* et *rudibus* impertienda est, nonne coactio *indirecta* dici debet? In homine *lapso,* qui *contra Evangelium* indirectam coactionem de facto patitur, tum propter humani cordis propensionem in malum, tum propter adversas diaboli insidias (*Gen.* 6, 5; *Eph.* 6, 11; *1 Pt.* 5, 8), nonne commendandus usus prudens coactionis *indirectae,* quae et *quatenus* necessaria sit ad compensandam humanam et diabolicam coactionem contrariam? Nonne hoc consentaneum est *paternae paedagogiae divinae,* qua Deus « quos amat, arguit et castigat »? (*Apoc.* 3, 19; *Prov.* 3, 11-12).

Conclusio. Tollatur assertio linn. 25-26; vel ad minus, verba: « directa vel indirecta », substituantur sola voce: « *vera* ». Tollantur etiam verba notata linn. 23-24. Linn. vero 19 s. redigantur modo indicato. [5] pag. 30, linn. 34-37. [6] Ad lin. 38, ubi dicitur: « Vocatio divina... maximam... personae humanae dignitatem constituit ». Haec vocatio ex parte Dei magnum quidem aut maximum Creatoris et Redemptoris donum est. Dignitas vero maxima humanae personae proprie non consistit in divina vocatione, sed in exsecutione, cum Dei gratia, illius vocationis.

Ad lin. 15, pag. 31, ad verba: « Ideo qui conscientiae suae sincere oboedit », addenda est vox « rectae », hoc fere modo: « qui rectae conscientiae suae sincere oboedit ». Secus assertio falso sensu interpretari valet.

Pag. 31, linn. 17-20, affirmatur: « Si quis igitur, quantumvis conatus sit recte videre, quid Deus in concreto ab ipso petat, in erroneam interpretationem incidat, nullus homo neque ulla humana potestas ius habet illum inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen ».

Nonne contrarium videtur saepe tenendum fore? Si quis enim aperte cognoscit, fratrem suum in erroneam et sibi damnosam interpretationem incidisse, non tantum ius, sed saepe officium caritatis habebit inducendi fratrem ad erroneae conscientiae suae dictamen mutandum. Si civilis auctoritas conspiceret aliquem volentem occidere hominem, auctoritas non solum valet, sed etiam debet illum a tali proposito cohibere, quantumvis ipse proclamet se ius et bonas rationes habere ad eum occidendum.

Ad n. 29, pag. 31, linn. 22-29, ubi legimus: « ab Ecclesia catholica vindicatur libertas opinionis... libertas adimplendi *ritus propriae religionis...* ius *verum* et *proprium...* ad totam vitam suam ordinandam secundum postulata *suae religionis* in omnibus humanae vitae activitatibus... ».

Ante omnia dicendum est: *contra unicam veram,* a Deo *omnibus praescriptam* religionem, immo *praeter eam,* utpote quae omnibus ut ad salutem necessaria imposita a Deo est, nequit omnino dari ullum *verum* et *proprium ius* hominis; sed solum, in casu *erroris invincibilis* et in homine *bona fide* decepto, admitti

debet *ius* mere *putativum* vel *existimatum*; nam contra veritatem divinam et contra Dei legem naturalem vel positivam, *ius verum* et *proprium* nullum datur.

Praeterea, ad illud: « ab Ecclesia catholica vindicatur *libertas opinionis* ». Si hoc verum esset simpliciter et sine addito, Ecclesia proclamaret libertatem opinandi, quamcumque religionem esse veram, quemcumque articulum doctrinae religiosae sive verum sive falsum posse defendi. Hoc sane nihil aliud esse videtur quam proclamatio libertatis (non solum psychologicae et civilis, sed etiam moralis, quia nulla restrictio exprimitur), cogitandi in re religiosa quidquid homini placuerit. Nonne hoc esset humanae rationis elevatio supra omnia et agnitio rationalismi merito iam ab Ecclesia damnati?

Secundo, ad illud: « ab Ecclesia vindicatur libertas adimplendi *ritus propriae religionis* ». Ecclesiae non licet vindicare libertatem simpliciter exercendi ritus mahumedismi, iudaeismi, etc.; neque libertatem peragendi Coenam Domini quacumque ratione intellectam, etc.

Tertio, ad illud: « ab Ecclesia vindicatur *ius ad ordinandam* totam *vitam* iuxta postulata *suae cuiusque religionis in omnibus humanis activitatibus* ». Ergo Ecclesia vindicaret, si hoc assereret, *ius verum* et *proprium,* contra Dei legem, praedicandi, v. g. omni fidei ius inesse sacram Scripturam libere interpretandi; vel Poenitentiam non esse sacramentum; vel in Eucharistia non dari verum Corpus Domini etc. etc.; atque iuxta hanc erroneam praedicationem omnem ordinare vitam, ius verum et proprium revera exsistere, Ecclesia vindicaret. Unde patet, doctrinam hanc, prout exstat, non posse dici simpliciter veram.

Aliud enim est *facultas,* a Creatore homini data, cogitandi verum vel falsum, operandi bona vel mala; et aliud prorsus diversum est *ius* cogitandi verum vel falsum, operandi bona vel mala. Qui enim cogitat falsa in errorem incidit, et ideo miseratione dignus est, neque *vero* sui intellectus *iure* ad veritatem *proprie* uti dici potest. Qui vero mala opera facit, peccat contra suum Dominum et *servus* fit peccati.

Homo sane *libertate psychologica* gaudet, et ideo potest Deo revelanti non credere; sed gravissimo mandato tenetur divinam revelationem amplectendi, et ideo *libertate morali* in hoc a Deo privatus est.

Homo gaudet quidem facultate *physica* peccandi, sed gravissimum habet *officium moraliter* abstinendi a peccato.

Conclusio. Omnino oportet doctrinam huius n. 29 accuratius proponere ita, ne Ecclesia solemniter doceat contraria iis quae iam definita sunt.

Ad n. 29, pag. 31, lin. 41 ad pag. 32, lin. 3, ubi legimus: « publicae rei moderatoribus nefas est imponere civibus professionem vel reiectionem cuiuscumque religionis tamquam condicionem, qua plene vel partialiter vitae nationali vel civili participare possint ».

Haec ita absolute et simpliciter, absque accuratioribus distinctionibus, quae a diversis circumstantiis rerum vel personarum de facto exigi possunt et saepe, historia teste, exiguntur, asseri non posse videntur.

In nationibus enim unitate religiosa gaudentibus, in illis praesertim in quibus minima tantum dissidentium pars de facto moratur, ipsum bonum commune, ipsa omnino praevalens voluntas maioris partis civium, ipsa legitima continuatio historiae culturae humanae nationis, veris religionis principiis imbibitae et ad eximiam perfectionem elevatae, aliaeque magni ponderis rationes exigere possunt ut, exempli gratia, qui primam auctoritatem tenet et ipsum statum praesertim

repraesentat, qui quarumdam disciplinarum religiosarum et culturalium publici magistri sunt, qui nationis quasdam gubernationes exercent quae ad continuitatem simul et progressum humanae culturae nationis magnum influxum exercere valent, qui aliter fiduciam longe maioris civium partis obtinere non valerent: ex iis, dico, obiectivae circumstantiae exigere possunt ob rationes gravissimas, ut mentalitatem religiosam longe maioris civium partis possideant huiusmodi civitatis rectores. Ita de facto per decursum saeculorum, teste historia, in pluribus diversarum religionum nationibus observatum est et hodie adhuc observatur, minime contradicentibus magnis theologis insignibusque iuris gentium peritis.

Ad n. 29, pag. 32; lin. 4, asseritur: « libertas religiosa offenditur damnatione ad poenas propter rationes religiosas ». Censeo multo melius et accuratius dici deberet « propter rationes *mere* religiosas », ut veritas fidelius exprimatur, et ad cavendas innumeras difficultates, quae ex sacra Theologia, ex Iure Canonico, et ex Ecclesiae vera historia contra schematis assertionem, prout iacet, iure moveri possunt.

Ad n. 30, pag. 32, lin. 38 ad pag. 33, lin. 3, ubi affirmatur: « Ius pariter coetibus religiosis competit ut sincerae honestaeque propagationi seu annuntiationi religionis studeant, vitato tamen " proselytismo " quippe qui mediis impropriis et inhonestis utatur. Illi coetus impediri nequaquam possunt quominus rationes suae religionis proponant, ut apud auditores persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum Communitati adsocient ».

His verbis Ecclesia in Concilio coadunata agnoscit et proclamat simpliciter *ius coetibus religiosis quibuscumque* competere annuntiandi et propagandi doctrinas *suae* religionis; atque coetus libere sic annuntiantes *suam* religionem nequaquam impediri possunt quominus alii homines eorum communitati sese libere adsocient.

Hanc doctrinam falsam esse iam ostendimus iis quae adnotavimus supra ad n. 29, pag. 30, linn. 34-37. Ulterius eam damnosam futuram probamus.

1. Credimus Christi Ecclesiam « unam esse, sanctam, catholicam et apostolicam ». Credimus hanc tantum Ecclesiam a Iesu Christo mandatum accepisse: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Mc.* 16, 15-16). Si ergo unica est vera Christi Ecclesia et ipsi tantummodo commissum fuit mandatum annuntiandi Evangelium salutis; huic ergo Ecclesiae unice ius competit propagandi unicam veram religionem. Neque in re religiosa ius ullum est nisi a Deo mittente vel mandante veniat.

2. Aliae Ecclesiae, coetus vel communitates religiosae, undenam ius habent propagandi suas doctrinas, partim saltem falsas et Evangelio Christi oppositas? « Si quis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit: quia non est aliud Evangelium, nisi sunt alii perturbatores » (*Gal.* 1).

3. In allocutione *Ci riesce* ad Iurisconsultos italos Pius XII edixit: « Quod non respondet veritati et legi morali nullum obiectivum ius possidet, nec ad exsistendum, nec ad propagationem, nec ad actionem »: cf. *A.A.S.,* 45 (1953), p. 799.

4. Quis approbare audebit et concedere ut ecclesiae, sectae, coetus religiosi (quantacumque bona fides in eorum praedicatione supponatur) ius possidere dicantur annuntiandi (maxime in nationibus iam catholicis): Mariam non fuisse

Virginem, nullumque ei cultum tribuendum; vel solam fidem in Christo ad salutem sufficere; vel alia pariter falsa et erronea?

5. Si omnibus religionibus par est ius praedicationis hominibusque licet eis adhaerere et in illis aeternam salutem assequi; ergo etiam unicuique licebit illam religionem sequi, quae sibi magis placuerit.

6. Si proclamatur ius omnibus religiosis coetibus competere propagandi suas doctrinas, saepe saepius inter se oppositas, qua ratione obtineri poterit vera unitas, quam sanus Oecumenismus assequi procurat?

7. Iuxta ephemerides, quibusdam in nationibus numerus conversionum ad catholicismum iam minuit, ideo quia sperant Vaticanum II libertatem religiosam pro omnibus fore proclamaturum.

Tandem. Verba illa: *vitato « proselytismo » qui mediis inhonestis utatur,* non placent. Non enim omnis *proselytismus* mediis utitur impropriis et inhonestis. Ceterum in ordine practico valde difficile est determinare quando proselytismus improbatione dignus exsistat et in quo proprie consistat.

Conclusio. Quaestio de *libertate religiosa* nunc omittenda ut maturescat.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis XXV:

Praesentes votantes	2.198
Dixerunt *placet*	2.134
non placet	63
Suffragium nullum	1

Textus est probatus.

Lego textum suffragationis XXVII: [*cf. vol. III, pars I, pag. 407*]. Placetne an non placet?

5

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

Venerabiles Patres et Fratres,

1. Decreto *de Oecumenismo* adnectitur declaratio cui titulus « de libertate religiosa », quae duos fines distinctos habet et duo etiam sunt, respectu quorum scripta est. Primus finis: ut actio oecumenica promoveatur, et propter hunc finem declaratio respicit omnes fratres separatos. Finis secundus: ut libertas personae humanae in civitate hodierna, et praesertim in Statu, observetur, et propter hunc finem declaratio respicit praecipue omnes, qui res publicas moderantur. In genere, documentum nostrum, etsi partes doctrinae catholicae continet et illustrat, non est tamen praesertim pro Ecclesia tantum « ad intra », sed potius « ad extra ». Pertinet ad illum dialogum, de quo Paulus Pp. VI, f. r.,

in sua prima Encyclica locutus est, ad duos nempe eius ambitus. Oportet ergo propter perspicuitatem totius documenti, ut 1. haec orientatio ad extra clarius appareat, et 2. ut etiam illi, ad quos declaratio vertitur, bene distinguantur. Secus documentum fines suos non obtinebit. Videtur etiam, non esse proficuum in unico documento fines tam diversos inquirere, praesertim autem ad tam diversos collocutores sese vertere. Melius esset illos duos aspectus libertatis in re religiosa vel in duo documenta distincta inserere (aspectus secundus, i. e. civicus posset in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* suum locum invenire), vel saltem in uno eodemque documento clarius distinguere.

2. Cum agitur de libertate in re religionis, in primo sensu, i. e. oecumenico — tunc oportet ut nexus inter libertatem et veritatem magis sublineatur. Libertas enim una ex parte est propter veritatem, altera tamen ex parte nequit perfici nisi veritatis ope. Unde illa verba Domini nostri, quae tam expresse sonant pro quolibet homine: « veritas liberabit vos » ...[1]. Non datur libertas sine veritate.

Relatio libertatis ad veritatem maximi est momenti in actione oecumenica. Finis enim huius actionis non est alius nisi liberatio totius christianitatis a scissionibus, quae tamen non potest plene adipisci, nisi quando perficietur unio in veritate. Proinde non sufficit, si principium libertatis religiosae erga fratres separatos appareat ut solum principium tolerantiae; tolerantia enim sensum non tantum positivum, sed etiam aliquo modo negativum habet. Cum hoc principio in actione oecumenica obtinetur tantum aliquod « status quo ». Desiderandus autem est progressus in veritate simul cognoscenda, finaliter enim nihil aliud quam veritas liberabit nos a multimodis separationibus.

3. Quando de libertate religiosa in sensu secundo, i. e. civico, fit sermo, tunc agitur utique de principio tolerantiae. *Principium hoc*[2] constituit ius fundamentale hominis religiosi in societate, quod ab omnibus et praesertim ab illis qui res publicas moderantur, debet strictissime observari. Oportet tamen considerare: 1. quod diversae in mundo hodierno exsistunt res publicae et diversimode etiam leges ab eis statutae ad legem divinam, revelatam et naturalem, se habent. Oportet etiam considerare 2. quod atheistae in omni religione nihil aliud videre cupiunt nisi alienationem mentis humanae, a qua hominem illis etiam mediis, quae Statui competunt, liberare volunt. Docent autem, materialismo innixi, quod liberatio haec simul cum progressu scientifico, praesertim autem technico et oeconomico advenire debeat. Loquendo proinde de libertate religiosa oportet omni cum exactitudine praesentare personam humanam, quae nequit tantum considerari ut instrumentum in oeconomia et societate, cum sit eius finis. Oportet, ut persona humana appareat

in reali sublimitate suae naturae rationalis, religio autem ut culmen istius naturae. Consistit enim in libera mentis humanae ad Deum adhaesione, quae est omnino personalis et conscientiosa, et ex appetitu oritur veritatis. Talis homo, cultor Dei in veritate ...[3], veritatique in sua relatione ad Deum sincerrime intentus, libertatem sui ipsius in hac relatione expostulat nec cessat, nisi eam obtineat. Et huic relationi nullum brachium saeculare sese interponat, quia religio ipsa sua natura omnia saecularia transcendit. Concilium ergo, sub lumine fidei et sanae rationis, debet profiteri plenam et solidam veritatem de homine, qui in religione nullo modo alienatur, sed perficit semetipsum. Hanc veritatem exspectant tam credentes quam etiam non credentes.

Ius ad libertatem religionis exercendae connectitur cum illis iuribus personae, quae respiciunt veritatem — i. e. ius ad eam cognoscendam, ad eam aliis tradendam et cum illis communicandam, unde problema instructionis religiosae in diversis gradibus a schola primaria usque ad seminaria, universitates et academias. Praeterea — ius ad vitam, non solum personalem et privatam, sed etiam communitariam et publicam, in luce veritatis, quam profitemur, instituendam in diversis ambitibus ...[4]. Omnia ista, quae in particulari multum valent, consectaria videntur illius veritatis, quae in hac re est prima et fundamentalis. Oportet ergo, ut Concilium Vaticanum II veritatem istam in suo dialogo cum mundo hodierno fortiter et efficaciter inculcet. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Io.* 8, 32). [2] quae. [3] (*Io.* 4, 23). [4] et sub diverso aspectu.

Secretarius generalis: En exitum suffragationis XXVI:

Suffragati sunt	2.192 Patres
Dixerunt *placet*	2.159
non placet	32
Suffragium nullum	1

Ergo textus est probatus. Nunc audiatis textum suffragationis XXVIII, pag. 16: [*cf. vol. III, pars I, pag. 407*]. Placetne an non placet?

Venerabiles Patres, cum continuetur suffragatio, grati, immo gratissimi vobis erimus, si vestris locis steteritis. Gratias.

6

EXC.MUS P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Venerabiles Patres,

Dummodo, secundum quaesita Patrum et ipsius relatoris promissum, confortentur et emendentur in priore parte declarationis fundamenta doctrinalia, declaratio haec recipienda nobis videtur. Dubito tantum annon expediat, *ut statim audivimus,*[1] declarationem ipsam praevia et profundiore expositione doctrinali muniri, forsan ad intra tantum, in qua ratio etiam inseratur de evolutione historica quae Ecclesiam ad hanc doctrinam duxit. De qua evolutione in ipsa declaratione breve quid nobis dicendum videtur.

Etenim consideranti modum loquendi Ecclesiae in prioribus saeculis, posset quis Ecclesiam insinceritatis arguere et declarationem nostram hodiernam ut conversionem quamdam artificiosam aestimare utilitati nostrae accommodatam.

Quae accusatio vel insinuatio, vel etiam tantum suspicio eo magis timenda foret si nequidem suspicari velle videamur hanc contradictionis speciem, ita ut de hac re nec verbum faciamus.

Vellem igitur textum quemdam proponere, ut simul constet nos contradictionis speciem non quidem denegare ...[2], sed legitime realitatem eius renuere. Quem textum paucis verbis explicare liceat, in consensu cum his quae in priore relatione fuse et optime dicta *erant.*[3]

Contradictio enim est de eodem et sub eodem respectu. In *casu*[4] autem nec omnino de eodem agitur nec sub eodem respectu. Etenim:

1. Materia de qua agitur — conditiones nempe vitae humanae in societate — mutationem maximam passa est. *Notio Status* eamdem acceptionem non habet ac in Medio Aevo vel etiam saeculo elapso: libertate enim personarum iure restringitur Status potestas. *Bonum etiam commune* definiri hodie nequit nisi ratione habita mundi universi et non tantum alicuius determinatae nationis. Amplius, societas plerumque, *ut scimus,*[5] pluralistica ...[6] facta est, ita ut in ea non tantum confessiones diversae inveniantur, sed etiam atheismum expresse nonnulli *profiteantur.*[7] Tandem, quod maximum est, progrediente ipsa Evangelii luce, dignitas et aequalitas hominum, radicalis libertas, qualis ad veram religionem requiritur, praesertim amoris, iustitiae sensus et respectus mutui obligatio, respectus tandem aliquando personae humanae magis ac magis mentibus ut fundamentalis inscribitur.

2. De modo considerandi materiam. ...[8] Syllabus, v. g., res quasi exclusive sub aspectu generali et obiectivo considerabat, tunc principium aliquod generale damnabatur, *quod* [9] expresse a pluribus *pronuntiabatur* [10]: conceptiones nempe et ideas, sive verae sive falsae sint, eiusdem valoris esse. Hodie quaestio de libertate haec est: quomodo erga personas agendum sit, sive intra sive extra Ecclesiam sint, sive religionem profiteantur sive non. Quod est omnino aliud.

Ecclesia ex his iudicium suum ad modum cuiusvis conscientiae *humanae* [11] efformat. Nullo modo mutantur principia quae quasi *maiorem* sui iudicii constituunt, qualia sunt, modo quidem positivo *expressa, principia* [12] quae in ipso Syllabo inveniebantur de valore et iure exclusivo veritatis; *nec non damnum quod error homini erranti non potest non afferre; obligatio quaerendi ex animo veritatem et ius ad respectum omnium in hac inquisitione*; [13] et etiam officium et proinde ius Ecclesiae viam salutis annuntiandi omnibus hominibus; officium etiam, *ut heri audivimus,*[14] nonnisi per vias evangelicas hominum corda ad Evangelium perducere. Quae principia *et alia* [15] in expositione doctrinali, ut nobis videtur, tractanda essent. *Minor* autem iudicii *conscientiae* [16] ex factis antea dictis exstruitur. Ex quibus constat contradictionis *speciem* [17] evanescere.

Historia quidem obicietur: Ecclesia enim aliter egit in praeterito ac in praesenti declaratione dicitur. At de contextu historico ratio habenda est ut secundum veritatem iudicium de praeterito efformetur, nec praeteritum sub luce praesentis iudicandum est: etenim paulatim tantum evacuantur modi sentiendi communiter accepti, ut est, v. g. illud celebre: « cuius regio, illius religio », quondam veluti cardo ordinis civilis *quasi* [18] ab omnibus habitum. Et praeterea Ecclesia ex hominibus constans etiam in capite suo, ex fragilitate humana interdum errasse fateri et de hoc poenitere non dubitat.

Inde rogare liceat ut, in loco expedienti, haec vel quid simile inserantur: « Non diffitetur Ecclesia doctrinam hanc doctrinae praeteritae oppositam apparere posse. At contradictio non est nisi de eodem et sub eodem respectu. Materia vero omnino mutata est ex evolutione rei socialis et ...[19] personae consideratione in societate. Et aliunde hic agitur, non iam de principiis ut Liberalismus et Indifferentismus, quae prius damnata sunt et damnata manent, sed de modo procedendi erga personas quoad vitam earum religiosam.

« Non diffitetur etiam Ecclesia modum suum agendi in praeterito tempore non fuisse semper huic doctrinae concordem! Postulat autem ut ratio habeatur contextus socialis cuiuscumque temporis ad iudicium iustum efformandum, nec non et necessarii progressus qui tempus re-

quirit in perceptione notionum moralium. Si quae autem inexcusabilia fuerint Ecclesia humiliter poenitere non dubitat ».

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] nec effugisse. [3] sunt. [4] specie. [5] sub aspectu religioso. [6] uti dicitur. [7] profitentur. [8] Aliunde. [9] deest. [10] pronuntiatum. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] apparentiam. [18] deest. [19] crescenti.

Secretarius generalis: En textum suffragationis XXIX, pag. 16: [*cf. vol. III, pars I, pag. 407-408*]. Placetne an non placet?

7

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Venerabiles Patres,

Declaratio conciliaris *de libertate religiosa* mihi videtur maximi momenti, non tantum pro dialogo ineundo inter christianos, sed etiam pro regionibus in quibus christiani solum infimam minoritatem constituunt.

Mihi *tamen* [1] liceat nonnullas animadversiones proponere *circa hanc declarationem* [2]:

1. De sensu vocis « libertas religiosa ». Haec vox diversimode sumi potest. *Attamen* [3] in hac declaratione, optarem ut iam ab initio, ad tollendam omnem ambiguitatem in eius interpretatione, magis delimitetur sensus hic adhibendus historice quatenus respicit relationem non inter homines et Deum vel aliquem ordinem moralem superiorem, sed inter cives ad invicem vel inter particulares et personas morales ut coetus religiosos, gubernia, etc. circa quaestiones religiosas, prout intenditur in constitutionibus plurium gentium et in usu hominum modernorum. Quod iam bene notatum est in relatione exc.mi commissionis secretarii.

2. In n. 26, pag. 29, ad maiorem claritatem in expositione, auderem proponere ut titulus « Natura libertatis religiosae » mutetur in « Principia normativa in quaestione libertatis religiosae », quae *principia* [4] ibi exponantur tamquam ...[5] principia *principalia normativa* [6] cum duplici corollario quibus regulari debet applicatio huius iuris libertatis omnibus inhaerentis, ad obtinendam pacificam conviventiam.

a) Prius principium: Vocatio obiectiva omnium hominum a Deo et ad Deum, secundum providentialem oeconomiam ab Ipso dispositam, oeconomiam de facto in Christo et in Eius Ecclesia culminantem;

b) Alterum principium: Ius et officium correlativum singulorum,

ad liberum huic divinae vocationi responsum, pro respectivo conscientiae dictamine accurate et recte formando.

Inde eruitur quoque duplex corollarium nempe prius relate *ad seipsum*: homo, per religiosam libertatem, ab ordinatione divinae Providentiae nullatenus emancipatur, immo ad Eum libere colendum obligatur;

posterius: ex parte *ceterorum*: Ceteri omnes sive individui, sive societates, in specie Ecclesia et gubernia ac eorum mandatarii, officium habent non solum non impediendi sed etiam, in limitibus boni *communitatis* [7] et dignitatis humanae personae, adiuvandi hoc liberum responsum tum in individuo tum in collectivitate.

Consequenter ad praecedentia dicta in n. 26, crederem alium numerum vel paragraphum desiderari; in qua concinne et clare exponatur prius principium, nempe obiectiva vocatio a Deo et ad Deum. Huius brevis expositionis conclusio esset simplex revocatio posterioris principii et prioris corollarii.

In sequentibus vero numeris, explicitur alterum corollarium, scil. de missione et munere Ecclesiae et societatis civilis ...[8]. Addenda tamen in pag. 30, num. 28, lin. 26, quaedam completiva determinatio: nempe abstinendum esse in hoc munere exercendo, non tantum « ab omni directa vel indirecta coactione », sed etiam ab omni culturalis et traditionalis patrimonii mutilatione apud gentes quibus Christus annuntiatur, nam missio Ecclesiae sicut missio Christi est « non solvere sed adimplere ...[9], non exuere sed supervestire »; *item abstinendum esse* [10] ab omni implicatione in rebus politicis. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] duo. [6] deest. [7] communis. [8] illud non impediendi ac adiuvandi. [9] (*Mt.* 5, 17). [10] et.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis XXX, quae erit ultima hoc mane. Parcatis mihi, Patres venerabiles, si non totum textum legam, quia est longior. Videatis utcumque pag. 16: [*cf. vol. III, pars I, pag. 408-409*]. Placet an non placet?

8

Exc.mus P. D. CAROLUS IOSEPH ALTER
Archiepiscopus Cincinnatensis

Em.mi Praesides, venerabiles Fratres et Patres, et dilecti Auditores et Observatores,

Liceat mihi, non tantum in nomine meo sed etiam in nomine plurimorum episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, quasdam animadversiones adiungere iis quae iam dictae sunt.[1]

1. *Loquimur in hac declaratione*[2] non de qualicumque libertate *religiosa,*[3] sed praecise de iure personae humanae ad immunitatem in re religiosa ab omni externa coactione sive a potestate publica sive a quacumque alia potestate *civili*[4] inducta. Exc.mus relator hanc distinctionem inter veram libertatem religiosam et alia genera falsae libertatis religiosae iam in sess. II ...[5] *et in stante*[6] in lucem bene posuit. Numquam nec ullo modo affirmatur ius personae humanae errorem docendi, vel malum faciendi. Ius personae humanae ad immunitatem in re religiosa ab omni coactione externa vindicatur tantum ut ius sociale et iuridicum coram potestate civili et in ordine temporali; minime autem affirmatur ius humanae personae *eodem modo*[7] ad libertatem religiosam coram Deo.

2.[8] Valde desiderabile nobis videtur, immo necessarium ad pacem et concordiam in societate civili promovendam, ut in Concilio Vaticano II claris verbis et sine ambiguitate de hac quaestione in schemate *de Oecumenismo* tractetur. Hoc enim fere, *ut iam dictum est,*[9] ab omnibus exspectatur, praesertim in illis regionibus ubi pluralismus in religione viget ...[10].

In memoriam redigendum est quod non desunt qui exprobrant catholicos, in re religiosa, ratione quadam ambigua et haud honorabili se gerere. Nam, aiunt, ubi catholici minoritatem politicam constituunt, ibi ius ad plenam libertatem in religione sibi vindicant; ubi vero maioritatem politicam constituunt, ibi ceteris ius non agnoscunt ad plenam libertatem in re religiosa exercendam. Quamobrem haec dubia et suspiciones ita evitari oportet ut difficultates non paucae amoveantur a publica vita catholicorum.

3. *Notandum est*[11]: mutationes plures et magni momenti quoad structuram et competentiam potestatis civilis cursu temporis factae sunt. Publica auctoritas hodiernis temporibus non amplius de bonis spiritualibus iudicat atque decernit. Hodie, fere ubique, cives, praesertim in re religiosa, ius iudicandi independenter a potestate publica sibi vin-

dicant et hac in re competentiam Status denegant, et merito quidem, quia, si ratio spectetur qua Reipublicae auctoritas exercetur, clare apparet quod ipsa non est apta ad iudicia *pro merito* ferenda in re religiosa; huiusmodi enim auctoritas exercetur principio democratico maioritatis adhibito. Omnino igitur incongruum erit si veritas et valor doctrinae divinae et disciplinae Ecclesiae subicienda sit suffragationi maioritatis civium.

Libertas etiam est magni momenti pro Ecclesia ipsa.[12]

I. Ecclesia, propter divinam suam institutionem atque solemne mandatum, quod ei Christus commisit, nempe ad docendos omnes populos, gaudet iure absoluto in munere suo adimplendo, i. e. omnino independenter ab omni temporali auctoritate sive imperio ...[13]. Hanc libertatem Ecclesia constanter defendit iam inde a temporibus apostolicis ac sibi illam vindicavit in omnibus temporibus historiae, maximis non obstantibus difficultatibus. Haec tamen libertas Ecclesiae esset vana et inanis si singula membra eiusdem non essent eodem modo libera, in re religiosa, *nempe* [14] ab omni externa coactione. Haec libertas, ut sit efficax in praxi, includere debet eamdem immunitatem pro omnibus civibus ubique terrarum; nam si haec libertas non recognoscetur tamquam principium universale et pro omnibus hominibus validum, frustra eam defendere poterit Ecclesia pro se ipsa, coram opinione mundiali, *et coram etiam omnibus nationibus, praesertim in nationibus ubi viget atheismus.*[15]

II. Multa graviaque damna hodie Ecclesia eiusque membra patiuntur, quia Status seu potestas civilis in pluribus regionibus iniuste obstat libertati religiosae et false sibi usurpat ius ordinandi fidem ac praxim religiosam. Attamen ius determinandi fidem religiosam eiusque praxim soli Deo pertinet eiusque Ecclesiae, quam Ipse pro hoc fine constituit. Hoc iure Status nullo modo gaudet. Si potestas civilis praesumit ordinare fidem et praxim religiosam, eo ipso excedit propriam iurisdictionem. Bonum commune societatis in ordine publico atque iura aliorum tuenda sunt, sed unitas nationalis *et cultura traditionalis,*[16] e. g. in ordine temporali, quamvis *sint elementa* [17] maximi momenti, tamen subici oportet maiori bono spirituali Ecclesiae universalis ratione principii subsidiaritatis, atque etiam subordinari communi bono totius societatis humanae *debent.*[18]

Nunc ad conclusionem.[19] Argumentum in textu ex natura fidei et ex natura rationabili hominis desumptum, quod exigit ut persona humana suum finem ultimum assequatur plena voluntate libera, nobis videtur esse validum ac valde placet. *Attamen debemus etiam notare quod transitus ab ordine subiectivo ad ordinem obectivum non stricto sensu*

valet. Sunt tamen alia argumenta valida, quae nunc secretariatui tradam propter tempus exhaustum.[20]

In textu scripto tradito: [1] 1. Loquor non tantum in nomine meo sed in nomine plurimorum episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis. Die 17 huius mensis declaratio *de libertate religiosa,* uti in schemate elaborata, diligenti elaboratione habita apud episcopos in coetu adunatos, fere unanimi voce in genere est approbata. Quasdam animadversiones autem volumus adiungere. [2] 2. Loquimur. [3] nec de libertate religiosa indeterminata et latiore sensu intellecta. [4] deest. [5] Concilii. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] Apud multos tum catholicos tum non-catholicos dubia adhuc exsistunt, num Ecclesia catholica agnoscat plenam libertatem religiosam pro omnibus civibus. Quaeritur, enim, utrum libertas Deum colendi tum privatim tum publice, tum in coetibus coadunatis tum singulatim, iuxta rectam singulorum conscientiam, agnoscatur pro catholicis tantum vel etiam pro omnibus aliis. [11] deest. [12] 4. De libertate religiosa relate ad Ecclesiam. [13] et insuper, ad suum finem assequendum, Ecclesia immunis esse debet ab omni alia externa vi seu coactione. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] sit elementum. [18] deest. [19] 5. Conclusio. [20] Sunt tamen alia argumenta valida, desumpta sive ex hodierna constitutione iuridica multarum nationum, sive ex incompetentia potestatis civilis in re religiosa decernenda, sive ex necessitate societatis ut pax et concordia apud cives tueantur, sive ex Domini Nostri Iesu Christi exemplo, qui nonnisi media spiritualia adhibuit ad fidem promovendam.

In hodiernis adiunctis quaestio de libertate religiosa, ut mihi videtur, solvenda esse oportet in primis in ordine practico, potius quam in ordine speculativo. Libertas Ecclesiae in suo munere fungendo est bonum principale, praestantissimum et, igitur, tuendum est ut bonum non tantum in quibusdam territoriis et circumstantiis particularibus, sed etiam in ordine universali et in omnibus circumstantiis. Secundum meam opinionem, non est dubium quin, si declaratio in Synodo de plena immunitate personae humanae in re religiosa solemniter promulgata fuerit, deinde maxime proderit tum Ecclesiae, tum societati, etiamque Oecumenismus valde fovebitur apud omnes fratres seiunctos.

9

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ

Magister generalis Ordinis Praedicatorum

Venerabiles Patres,

Textus huiusce declarationis longe superat textum declarationis praecedentis. Quam ob rem sincero corde laudandi sunt redactores eius, qui tanta cum peritia et diligentia collegerunt observationes et emendationes Patrum, eisque sapienter usi sunt ad textum meliorandum.

Omnia vel fere omnia quae schema forsitan dicere vult, approbari

et laudari possunt; sed revera sunt quaedam, quae ut in schemate sonant, admitti nequeunt, vel quia sic exposita videntur falsa, vel false interpretari possunt.

Verum est, ut iam clarissimus relator asseruit, difficultates ad recte tales res exprimendas, maximas esse, et forsan quandoque insuperabiles. Tamen quia agitur de re maximi momenti pro nostro tempore, maxime pariter conandum est ut aptiores expressiones inveniantur, in quibus nihil contra vera principia ordinis naturalis et supernaturalis appareat vel inferri possit ...[1].

Propter quod liceat mihi quasdam animadversiones subiungere. Ampliorem expositionem secretariatui tradam.

1. Permultum attendere debemus ne incidamus in eundem errorem quem in maioribus nostris lamentamur, nempe quod quaedam eorum doctrinae et normae agendi nitebantur non in principiis aeternae veritatis sed in caducis structuris illius temporis. Numquid non est periculum ut etiam nos simus sub influxu idearum et structurarum temporis nostri, quas putamus iam omnino perfectas, cum revera forsan post aliquod tempus tales erunt mutationes ut posteri nostri mirarentur quod talia doceremus sicut nos miramur de anteactis ab antiquis? Nonne hodie forsan patimur influxum alicuius conceptus democratiae exaggeratae et libertatis effrenatae?

Quapropter in hac difficili et ponderosa quaestione oportet quod magna cum cautela procedamus ut in re tanti momenti non proponamus tamquam universales et aeternae normae quae tantum in conditione actualis societatis sunt validae vel tolerandae.

Qua de causa, libenter adhaereo sententiae em.morum cardd. Ritter, Browne, et exc.mi D. Parente, secundum quam declaratio debet esse brevior et limitata ad quaedam principia universalia ac ad quasdam normas genericas quae ab omnibus admitti queant, quin descendatur ad particularia quae difficile vel impossibiliter conciliari possunt ...[2].

3. Doctrina de libertate religiosa non recte *praesentatur.*[3] Proponitur enim res sacra, modo profano et non satis religioso.

Planum namque est quaestionem de libertate religiosa ad res sacras vel religiosas pertinere. Res autem huiusmodi debent religiose et modo sacro tractari, praesertim si hoc agit Ecclesia catholica in Concilio Oecumenico ...[4].

Porro haec declaratio modo nimis profano et naturalistico procedit, quia, ipsa favente, *non tractat ex professo de habitudine hominum ad Deum,* sed de habitudine hominum ad homines, in quibus relationibus a Deo praescindere non possumus ...[5].

4. Saepe in pulchra Encyclica Papae Ioannis XXIII *Pacem in terris*

quaeritur fundamentum ad novas doctrinas docendas. Sed utinam ab his imitarentur prudentia et sapientia in ea elucentes! In ea invenitur felix progressus in expositione aliquarum veritatum quin aliquod contra veram doctrinam traditionalem Ecclesiae dicatur.

Haec declaratio desiderat fulciri suam doctrinam de rectitudine conscientiae verbis Ioannis XXIII, sed omittendum verbum « rectam », textus habet alium omnino sensum ...[6].

Apparet manifesta deviatio formulae declarationis a formula Ioannis XXIII: aliud est enim « ad *rectam* conscientiae *normam* », ut docet Encyclica, et aliud omnino « secundum dictamen conscientiae », ut dicit declaratio. Deest namque verbum « rectam », quod est principale atque formale.

Quod si paulo post loquitur de officio « rectam sibi de rebus religiosis *conscientiam* formandi » ...[7], sive iudicium eius *prudenter* efformandi ...[8], nondum tamen sensum formulae Ioannis XXIII reddit; quia non sunt idem recta conscientia et recta norma conscientiae. Plus namque dicit recta norma conscientiae quam recta conscientia, cum se habeat ad eam ut causa vel ratio ipsius. Conscientia nominat quid subiectivum; norma autem eius, quid obiectivum. Est autem conscientia recta presse dicta illa quae conformatur rectae normae eius, quae est veritas practica — *ut ipsa declaratio, veritate ipsa coacta, expresse fatetur.*[9]

...[10] Ceterum conscientia recta seu prudens nequit esse falsa vel erronea, quia *prudentiae,* utpote *virtuti* intellectuali simul ac morali de vero practico vel agibili, non potest subesse falsum.

Perperam ergo declaratio ponit conscientiam erroneam inter species vel modos conscientiae rectae sive prudentialis ...[11].

5. *Erronea parificatio libertatis religiosae pro omnibus individuis et pro omnibus coetibus religionis.*

Parificantur quidem quantum ad iura *negativa,* quatenus scil. nemo cogi debet ad amplectendam religionem vel ad eam derelinquendam; neque ratione religionis pati debet discriminationem aut imminutionem iurium civilium.

Minime tamen parificantur quantum ad iura positiva, quia non omnes religiones sunt verae ...[12].

Neque limitatio libertatis religiosae unice provenit ex bono communi tutando vel conservando, quod in conviventia pacifica omnium civium *omniumque*[13] populorum maxime consistit ...[14], sed etiam, et quidem primario, ex bono morali universaliter tutando, et malo praecavendo, i. e. *ex norma aeterna, obiectiva, absoluta et universali, quae est lex divina* ...[15].

6. *Placet mihi dicere quod* [16] libenter adhaereo iis quae dixit em.mus card. König. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut ipse clarissimus relator instanter petit. Placet etiam notare plura explanari in relatione exc.mi D. De Smedt. Verum adhuc remanent varia obscura vel ambigua necessario supprimenda vel rectius exponenda. [2] 2. Declaratio haec male locata. Ponitur enim velut appendix quaedam schematis decreti *de Oecumenismo,* ac proinde ad ipsum quodammodo reduci videtur, ut patet ex ipso n. 25, pag. 29, linn. 1-5. Oecumenismus autem ad solos christianos uniendos restringitur. At vero libertas religiosa, ipsa declaratione fatente, latius patet, quippe quae non solos christianos, sed omnes prorsus homines respicit (n. 29, linn. 34-37). Melius ergo poneretur huiusmodi declaratio velut appendix schematis *de praesentia Ecclesiae in mundo universo.* [3] praesentata. [4] Tam enim Ecclesia catholica quam Concilium Oecumenicum sunt quid essentialiter sacrum et religiosum. [5] (Relatio super declarationem de libertate religiosa, pag. [26] 66). Nimirum, haec declaratio potius videtur orta ex Officina Consilii Nationum Unitarum quam ex Concilio Oecumenico Ecclesiae catholicae. [6] Docet enim Papa Ioannes XXIII: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est ut et Deum, *ad rectam conscientiae suae normam,* venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 [1963], p. 269). Ista vero declaratio dicit: « Homines ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati, officium et honorem habent ut, *secundum dictamen conscientiae,* voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur » (n. 26, linn. 6-9). Ubi. [7] (*ibid.,* lin. 19). [8] (n. 29, pag. 31, lin. 15). [9] deest. [10] Ut ipsa declaratio, veritate ipsa coacta, expresse fatetur n. 29, pag. 31; linn. 7-10: « huius autem vocationis hominis seu integrae necessitudinis ad Deum *norma* est *lex divina,* quae est *aeterna, obiectiva, absoluta, universalis.* Unusquisque ergo tenetur ad hanc Dei ordinationem omni studio recte cognoscendam, ut se libere ei conformare valeat ». [11] (n. 29, pag. 31, linn. 16-20). [12] Immo unice vera, iuxta doctrinam fidei, est religio catholica, licet aliae religiones possint habere fragmenta quaedam veritatis. Ut iam saepe doctum fuit, non sunt autem eadem iura positiva veritatis et falsitatis. [13] omniumve. [14] (n. 29, pag. 31, linn. 29-31). [15] (cf. *ibid.,* pag. 31, linn. 7-10); et valet non solum pro individuis, verum etiam pro populis, et pro re sociali et politica recte gerenda. Eadem enim sunt principia moralia pro singulis individuis et pro civili societate, ut saepe tradiderunt Romani Pontifices (LEO XIII, Enc. *Libertas,* DENZ.-SCHÖN., nn. 3248-3249; PIUS XI, Enc. *Quadragesimo anno,* ibid. n. 3725; PIUS XII, Enc. *Summi Pontificatus,* n. 3780). [16] deest.

Animadversiones additae:

Declaratio haec rationem habet mutati status rerum in hodierna vita, unde factum est ut homines in ampliores usque coetus coeant et vehementer cupiant omnia impedimenta tolli, quae humanum convictum, quacumque de causa, reddant difficilem aut minus amicabilem. Incrementum mirabile socialium rationum, quibus homines copulantur, est revera « signum » nostri temporis, dignumque plane ut homo benevolum animum in illud vertat. Quantum eiusmodi « signum » ad Ecclesiae profectum et diffusionem possit conferre nemo non videt, cum eadem

Ecclesia quidquid est in natura bonum assumat et ad ordinem altiorem evehat, atque vi missionis sibi a Christo assignatae nihil vehementius exoptet quam homines universos congregari in fide Christi. Doctrina *declarationis* vult inserere « signum » hoc nostri temporis in Ecclesiae vita illudque in eiusdem utilitatem convertere. Quod sane optimum est atque laudandum.

Declaratio tamen in se inspecta non videtur par fini proposito. Tum doctrina, tum methodus emendandae sunt ut fini assequendo aptae fiant. Liceat ergo simplici mente proferre ea, quae in *declaratione* non placent.

1. *De iis quos declaratio respicit.* N. 25, qui est veluti prooemialis, non aptatur doctrinae traditae in *declaratione,* neque statui necessitudinum inter religionem catholicam et alias. Numerus enim ita exaratus est, ut declaratio videatur esse merum complementum schematis *de Oecumenismo,* et respicere proinde solos christianos. Quod sane non cohaeret cum re, quia doctrina proponitur universalis attingens promiscue homines cuiuslibet religionis. In *declaratione* numquam dicitur christianum hominem habere ius aliquod subiectivum in re religiosa, cuius reliqui sint expertes; quin potius *declaratio* manifestam intentionem pandit coaequandi omnes homines ad iura religiosa quod attinet, ut plene patebit legenti n. 30. Quapropter nulla est ratio connectendi doctrinam *declarationis* cum doctrina *de Oecumenismo.*

Insuper, ille n. 25 non cohaeret cum dialogo quem init Ecclesia. Quia dialogus, quamvis magis proxime ac directe confessiones christianas adeat, universum tamen mundum attingere vult, ut edicitur in multis documentis scriptis, quorum postremum idemque insigne est encyclica *Ecclesiam suam,* et ut palam proclamatur praesertim facto, quod praeterire non licet, i. e., institutione secretariatus pro religionibus non christianis.

Quaestiones ergo respicientes libertatem religiosam non sunt nisi pars quaestionis universalioris, illius nempe quae definire intendit *Ecclesiam in mundo huius temporis.* Esset propterea multo melius *declarationem* inserere huic schemati, et tunc posset habere proprium locum in n. 12 eiusdem. Si quis vero malit doctrinam de libertate religiosa amplius evolvi quam quod sinat insertio praedicta, huic voluntati satisfieri potest ponendo *declarationem* tamquam appendicem non schematis *de Oecumenismo,* sed schematis *de Ecclesia in mundo...* Hac ratione non solum habebitur apta materiae dispositio et elucebit ordo, qui semper et ubique est bonum praecellens; sed insuper via parabitur ad eliciendos fructus, qui e dialogo Ecclesiae cum religionibus non christianis sperari possunt. Cultoribus enim harum religionum placere minime poterit quod de illis quasi transeunter tantum agatur in documento, cuius inscriptio atque maxima pars quaestiones oecumenicas respicit solas. Christiani seiuncti non possunt aegre ferre distractionem *declarationis,* cum de ipsis iam agatur in speciali documento. Praeterea, non possunt non videre quod fides, quam habent in Christum, nullum ius, attenta *declaratione,* eis conferre prae non credentibus.

Ipsamet tandem *declaratio,* non solum doctrina tradita, sed etiam verbis quibusdam explicitis mutationi loci favet. Dicit enim quod libertas religiosa postulat et securum reddit exercitium « iurium fundamentalium, quae, hodie praesertim, concorditer et universaliter agnoscuntur » (n. 29, pag. 32, linn. 7-8 et, ad confirmandum assertum, appellat in notula 14, pag. 37-38 Professionem Universalem Iurium Humanorum, cuius substantialem nucleum probavit IOANNES XXIII in Litt. Encycl. *Pacem in terris*).

2. *De summo doctrinae capite quo Declaratio innititur.* Rem ingredimur difficilem. Fatemur libenter *declarationem* proponere hac illac principia de vita religiosa, quae omnino probanda sunt, quamvis dispersio ipsa placere minime possit.

a) *De eo quod in declaratione posset esse principium.* Summum principium in re attendendum illud esse posset, quod sequentibus verbis enuntiatur: « vocationis hominis seu integrae necessitudinis ad Deum norma est lex divina, quae est aeterna, obiectiva, absoluta, universalis » (n. 29, pag. 31, linn. 7-8). Unde sequitur quod unusquisque « tenetur hanc Dei ordinationem omni studio recte cognoscendam ut se libere ei conformare valeat » (ibid., linn. 9-10).

Sed haec non dicuntur nisi circa mediam *declarationem!* Et insuper postrema verba non sunt immunia a quavis difficultate, ut postea ostendetur.

Obiective loquendo pertinent etiam ad ordinem summi principii aliquae sententiae n. 26. Attamen, modus enuntiationis negativae ab eisdem aufert principalitatem; dicitur enim quod libertas religiosa non eximit ab officio sibi formandi conscientiam rectam in re religiosa (n. 26, linn. 18-19). In contextu id non exprimit nisi cautionem, qua exaratores schematis vitare conantur excessus, qui e prima parte eiusdem numeri possent oriri.

Hanc exegesim *declarationis* esse congruentem eidem potest perspicere quisquis legat *relationem* de hac re (haec relatio invenitur in fasciculo altero schematis pag. [27] 67, 4.). Ibi enim allegantur tantum textus a nobis citati; et notandum quod textus desumptus e n. 26 allegatur postremo loco, unde evidenter colligitur quod non est praecipuum in schemate, sed solum veluti frenum, quo mens contineatur ne transiliat limites immutabiles.

Patet igitur veritatem, quae iure censeri posset principium obiectivum summum, non inveniri, ipso schemate id confirmante, nisi circa mediam *declarationem.* Sed quis, quaeso, cogitabit principium, quod non enuntiatur nisi in medio tractatu, esse de facto et reapse principium unde cetera eruantur?

Et haec conclusio, quae alicui forsitan videretur illata ob studium improbandi schema, non solum est regulis ratiocinandi congruens, sed insuper eidem schemati conformis. Dicitur enim in *relatione* praecitata quod principium, de quo agimus, appositum est ad excludendum « omne periculum subiectivismi nec non subsequentis indifferentismi » (pag. [27] 67, 4.). Evidens ergo est quod principium adhibetur tamquam cautio, minime vero tamquam fons, unde hauriatur doctrina. Quodsi doctrina non hauritur reapse ab illo, illud non est reapse principium, sed tantum esse *posset,* declaratione aliter ordinata. Insuper, cum ea de quibus modo agimus, apposita fuerint ad cavendum « periculum subiectivismi nec non subsequentis indifferentismi », sat manifesto insinuatur quod principium universae *declarationis* talis est naturae ut in subiectivismum nec non subsequentem indifferentismum facile ducat. Si autem principium natura est huiusmodi, vanum est, aut fere, velle frenum eidem imponere, immutabiles quasdam veritates aliunde appellando.

b) *De eo quod revera est summum declarationis principium.* Omnes convenient principium unde sumitur doctrina tradita esse hoc: « homines ... officium et honorem habent ut, secundum dictamen conscientiae, voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur » (n. 26, initio). Verba « ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati » omissa fuerunt consulto.

Inde tamen non sequitur principium deviari a sensu, quem habet in *declaratione,* ut postea ostendetur: cf. harum Animadversionum nn. 5-6.

Quaenam sit virtus praedicti principii in ordine ad vitam religiosam, subiungitur statim post citata verba, ita: « Inde exoritur ius ad libertatem religiosam in societate, vi cuius homines religionem *suam* privatim et publice exercere valent nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt » (n. 26, linn. 9-12).

Summum ergo principium praelucens universae *declarationi* est *libertas conscientiae,* prout conscientia nominat normam *subiectivam* agendi. Nam « dictamen conscientiae », de quo agitur sine addito in verbis prius citatis, est titulus conferens hominibus singulis atque universis ius exercendi privatim et publice religionem *suam* (lin. 10). Non frustra itaque *Relatio* appellabat principia quaedam, quibus iniiceretur frenum subiectivismo et subsequenti indifferentismo, qui in principio latet!

Idem libertatis primatus eminet ubique in universa *declaratione.* Inde fit ut etiam dum contextus postulat loqui de officio, sententia ita componitur ut prae omnibus encomium concinatur libertati. Sic, e. g., in n. 29, pag. 30, linn. 38-39 dicitur quod vocatio divina iter *praescribit* homini ad salutem assequendam. Eiusmodi *praescriptum* gignit in homine *officium* obediendi, ut patet. Sed *declaratio* tacet de officio et viam invenit invehendi libertatem et hoc per modum illationis: « *quapropter* in humano convictu libertas sequendi hanc vocationem sine ulla imposita vel impediente coactione... » (n. 29, pag. 31, linn. 1-2).

Ex eodem fonte promanat quod damnatio coactionis in materia religiosa mirabili instantia iteretur. De ea agit totus n. 28; de eadem re n. 26, lin. 11; n. 29, pag. 31, linn. 2-5 et 19, pag. 32, lin. 1; n. 30, pag. 32, linn. 33-37. Coactio est utique damnanda. Estne tamen necessarium tot damnationes proferre? Nonne iidem illi qui libertatem maxime student passim proclamant res atque doctrinas proponendas esse positive?

Primatus libertatis conscientiae deducitur ad extremum fere incredibile. Libertas Ecclesiae ad credendam fidem catholicam eamdemque religiosis ritibus palam profitendi oritur, si *declarationem* inspicias, a dictamine conscientiae suorum fidelium et a iure, quod habent promiscue omnes confessiones, religionem *suam* privatim publiceque profitendi, n. 30, pag. 32, linn. 25-29. Verba quae immediate sequuntur textum citatum, possent intelligi, si cursim tantum legerentur, uti agnitio superioris iuris, divini nempe, unde libertas Ecclesiae hauriatur et roboretur. Id tamen non est verum, quia ea quae ibi dicuntur, etsi obiective pertineant ad ius divinum, non habent vim demonstrandi nisi praesupposita « ipsorum (catholicorum) *animi persuasione* » (lin. 29). Semper igitur ratio subiectiva!

Et haec mirabilis conclusio roborabitur, si quis attendat alium *declarationis* locum, ubi dicitur *animi persuasionem* seu *dictamen conscientiae,* quamvis aliud et aliud sit in hominibus diversae confessionis religiosae, omnibus tamen aequalia iura conferre: n. 29, pag. 31, linn. 11-20. Quae doctrina fundamentum est eorum quae dicuntur in priori parte n. 30. Sic pervenitur ad postremum numerum, ubi fit summarium et commendatio totius doctrinae praecedentis, et ubi ius Ecclesiae subsequitur iura personae et connumeratur iuri aliarum communitatum religiosarum: n. 31, pag. 33, linn. 11-13.

Sed dicet quis forsitan haec omnia extra quaestionem esse, quia iam in n. 26 legitur libertatem religiosam non tollere *officium* « rectam sibi de rebus religiosis conscientiam formandi » (n. 26, linn. 18-19). Haec verba mihi placent quam ma-

xime. Sed quaero: cur *officium* hoc, quamvis praecedat omnia iura conscientiae, tacetur dum enuntiatur principium? Nonne ut magis fulgeant ea quae dicuntur conscientiae iura? Cur nec etiam de *rectitudine* conscientiae dicitur quidquam in enuntiatione principii illius, et tamen affirmatur quod singuli homines habent ius exercendi privatim et publice religionem *suam?* Memoretur demum quod, fatente ipsa *Relatione,* haec scripta fuerunt ad cavendum periculum subiectivismi et subsequentis indifferentismi (pag. [27] 67, 4.), quod proinde agnoscitur subesse. Cuius autem efficientiae sit haec infirma appellatio ad principium obiectivum, videat qui possit. Etenim principium eiusmodi prius amovetur a sua sede, ut non impediat efferre maxime subiectivam libertatem; deinde vero, ne libertas ducat ad subiectivismum et indifferentismum, appellatur. Licetne cum principiis ludere in re tam gravi? Cur sumitur a principio id solum quod placet, et non totum id quod ibi continetur? Si *declaratio* incipit principium illud amovendo a sua sede, atque ita mitigando, ut solum inserviat ad id quod placet, alii cito advenient qui principium proiiciant e fenestra. Demum, frustra regulae obiectivae appellantur aliquando in documento, quod ubique spirat subiectivismum.

3. *De fontibus illius summi principii.* Planum est principium non inveniri in divina revelatione. Abest etiam a commentariis Patrum, atque ignotum est in traditione theologica. *Declaratio* id agnoscit, saltem implicite, quia nihil ex iis fontibus allegat in confirmationem. Appellat vero « Romanos Pontifices recentiores » (notula 1, pag. 34 sub finem) et nominatim Ioannem XXIII et Paulum VI; simul etiam nititur ostendere doctrinam hanc latuisse iam ab antiquo in magisterio pontificali, eamque, faventibus adiunctis externis, maturasse his nostris temporibus, quapropter illi duo Romani Pontifices illam diserte proposuerunt. Haec omnia videri possunt explanata in diffusa notula 1, pag. 33-35.

A priori tantum ratiocinando difficile est opinari in Magisterio pontificali doceri aperte id quod a ceteris omnibus auctoritatis fontibus abest. Sed accedamus ad ipsos textus allegatos. Allocutio Pauli VI, qua inchoata est secunda sessio Concilii, omnino ad rem non pertinet. Summus Pontifex, feliciter regnans, ibi conqueritur de oppressione *Ecclesiae catholicae* in multis gentibus, i. e., in illis omnibus quae iugum communismi portare coguntur. Non agit *de libertate religiosa,* prout in *Declaratione* intelligitur, sed solum *de libertate Ecclesiae catholicae debita,* qua ius habet profitendi *catholicam religionem.* De hac eadem re egit Paulus VI pluries, e. g., in Nuntio Radiophonico quem e Bethleem misit orbi universo, atque fusius in Encycl. *Ecclesiam suam.* Reliqui omnes Pontifices priores Ioanne XXIII *de una tantum Ecclesiae libertate* loquuntur, cum attingunt res pertinentes ad libertatem religiosam. Quo autem iure proferatur pro *declaratione* auctoritas Leonis XIII, Pii XI et Pii XII (notula 10, pag. 36-37) videat qui possit.

Sed *declaratio,* ut apparet inspicienti notulas bibliographicas, fidit maxime auctoritati Ioannis XXIII. Quaeramus tamen utrum *declaratio* cohaereat reapse cum doctrina huius egregii Pontificis, textuum collationem facientes.

Ioannes XXIII	*Declaratio*
« In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, *ad rectam conscientiae suae normam,* venerari possit, et religionem privatim et	Homines « officium et honorem habent ut, *secundum dictamen conscientiae,* voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur. Inde

publice profiteri » (*Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], p. 269).

exoritur ius ad libertatem religiosam in societate, vi cuius homines religionem *suam* privatim et publice exercere valent, nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt » (n. 26, linn. 7-12).

Ubi Ioannes XXIII effert conscientiam *rectam,* declaratio vocabulum hoc essentiale omittit et loquitur tantummodo de *dictamine conscientiae*; et sic parat viam subiectivismo, qui plenitudinem iurium vindicat sibi in posteriore vocabulo *suam* deficiente apud Ioannem XXIII. Recessus ergo declarationis a textu Ioannis XXIII est evidens.

Verum est quod postea fit sermo de *rectitudine* conscientiae; sed inanitatem practicam huius industriae iam satis patefecimus in superioribus, praesertim in fine praecedentis numeri harum Animadversionum.

Si ergo principium non sumitur ab ullo e praedictis fontibus, quomodo poterit adhiberi a Concilio in ratione principii? Posset adhiberi ad explicationes tradendas hominibus qui sunt extra Ecclesiam, minime ut principium doctrinae ipsius Ecclesiae de re quacumque.

Qui pergere velit inquirendo originem illius principii, ut principii, adire debet novas doctrinas philosophicas de personalismo individuali, legem universalem negligente aut impugnante, ac de subiectiva conscientia, cui ius agnoscendum sit redeundi ad moralitatem quamdam primigeniam, in qua normae obiectivae aut tollantur aut facile immutari possint secundum eiusdem conscientiae dictamen. De hac re possunt videri multa apud Pium XII, Nuntius Radiophonicus *de christiana conscientia recte efformanda*: *A.A.S.,* 44 (1952), pp. 270-278. Quaestio redit apud eumdem in aliquibus Allocutionibus super simili argumento.

Minime negare intendimus subsidia quae conscientia suppeditare potest ad pervestigandum Ecclesiae mysterium. Paulus VI pluries locutus est de Ecclesia quaerente conscientiam sui. Via conscientiae est utilis universe ad veritatem inquirendam, cum habet coniunctam « illam mentis conformationem, *qua homo veritatem detegit ubi ea in rebus ipsis sane continetur* » (PAULUS VI, *Ecclesiam suam*: *A.A.S.,* 56 [1964], p. 619); secus enim causa erit plurium a veritate deviationum, a quibus non sunt immunes « magni nominis philosophi » huius temporis (*ibid.*). Eadem conscientia est utilis speciatim in perscrutando Ecclesiae mysterio, dummodo « clarius noscat *quid revera ipsa sit secundum Iesu Christi mentem* » (*ibid.,* pag. 618).

E dictis superius, constat *declarationem* tribuere conscientiae plus iuris quam quod ei reapse competit, siquidem eam statuit loco principii. Veritas autem obiectiva appellatur tantum per modum cautionis. Via conscientiae, prout in *declaratione* proponitur, transgreditur limites in praecitatis documentis assignatos, ideoque censenda est non idonea ad exarandum documentum quodcumque Concilii.

4. *De methodo declarationis.* Est methodus mere philosophica et fere scholastica, quamvis adhibita ad proponendam doctrinam omnino aliam ab ea quam scholastici communiter tradiderunt. Enuntiatur primo *thesis* de conscientia, cuius dictamine potest homo sequi religionem *suam*; et postea sumuntur hinc inde argumenta, quibus demonstrare contenditur praenotatam *thesim,* nullo respectu ha-

bito tot tantorumque theologorum, qui doctrinam *declarationi* adversam tradiderunt et tradere pergunt: in quo utique *declaratio* recedit a sana methodo scholastica, cui semper cura est dissidentes recensere eisque vim agnoscere suam.

5. *De conscientia.* In *declaratione* effertur prius *dictamen conscientiae* tamquam regula libertatis religiosae. Deinde dicitur oportere eamdem conscientiam esse *rectam* (n. 26, linn. 8 et 19). Postea dicitur eam conscientiam esse rectam, cuius iudicium *prudenter* efformatur (n. 29, pag. 31, lin. 14), quia tunc est revera vox Dei et proinde qui dictamen illud sequitur oboedit Deo (*ibid.,* linn. 15-16).

Sed intra quos limites dictamen conscientiae potest esse prudens quod attinet ad res religiosas? Potest esse prudens, dum praecipit adhaerere confessioni non christianae (n. 29, pag. 30, linn. 34-37, pag. 31, linn. 11-20). Potest esse etiam prudens, dum approbat multa, quae obiective sunt sequelae peccati originalis (n. 29, pag. 31, linn. 32-33). Demum, attento integro hoc n. 29, limites dictaminis prudentis videntur esse iidem atque limites iuris ad libertatem religiosam, cum universa *declaratio* ius libertatis a dictamine conscientiae oriri dicat. Ius tamen libertatis religiosae est amplissimum et ibi tantum desinit, ubi incipit ius potestatis civilis impediendi quosdam actus religiosos, uti communitati civili nocivos (n. 29, pag. 31, linn. 29-40). Aliunde, civilis auctoritas nullam directam competentiam habet in res religiosas (n. 30, pag. 33, linn. 4-6; n. 31, pag. 33, linn. 20-22).

Conclusio quae ex iis omnibus sequitur, haec est: dictamen conscientiae *potest* esse prudens, quoties non praecipiat actum externum, communitati civium nocivum. Non est sensus quod quilibet homo singularis possit prudenter agere transeundo indistincte a quolibet determinato dictamine conscientiae ad quodlibet aliud; sed solum quod, ratione habita adiunctorum, prope in infinitum variantium, in quibus alii et alii homines vitam suam agunt, dictamen conscientiae *potest* esse prudens, dummodo non vergat in detrimentum communis civium boni, quod curat civilis auctoritas. Conscientia non laedens commune civitatis bonum est recta, prudens, refert ipsam Dei vocem et proinde sequenda est. Et id non solum propter rationes practicas pacifici convictus in aliqua determinata regione, sed propter ius natura omnibus inditum, cum universa *declaratio* intendat enuntiare ius libertatis religiosae, prout ab ea intelligitur, uti ius naturale.

Sed quaerimus nunc: estne verum quod conscientia religiosa *potest* esse prudens hac solum conditione servata, ut scilicet non inclinet ad aliquid communitati civium nocivum? Libertas religiosa est de iure naturae, cauto solum quod civitati non noceat? Secundum declarationis mentem utrique quaestioni respondendum est affirmative. Et non possumus mirationem cohibere, dum videmus allegatum Pium XII ad confirmationem huius theoriae (cf. notulam 13, pag. 37). Pius XII in documento illo agit de *tolerantia,* a qua tamen universa declaratio abhorret. Licetne sensum documentorum Ecclesiae ita pervertere?

6. *De vocatione divina.* Vocationem divinam legimus pluries in declaratione. Quid autem sit numquam dicitur aperto.

Initio n. 26 legitur: « homines ad imaginem Dei formati et *ad consortium divinae naturae vocati* officium et honorem habent ut, secundum dictamen conscientiae, voluntatem Creatoris et *Salvatoris* in re religiosa sequantur » (n. 26, linn. 6-9).

Postrema verba fundamentum praebere possent ad distinguendam duplicem categoriam hominum: aliorum nempe qui Deum sequuntur tamquam *Creatorem,* et aliorum qui eum colunt uti *Salvatorem.* Hinc posset concludi quod declaratio distinguit religionem naturalem a supernaturali, et viceversa, atque proinde quod *vocatio divina,* sumpta locutione sensu communiter usitato, percipitur tantum ab iis qui *salutis* habent conscientiam, abstrahendo nunc a quaestione an conscientia percipiat omnia elementa salutis, aut solum aliqua.

Sed haec interpretatio, quae, si non haberemus nisi textum praecitatum, esset possibilis, non videtur tamen declarationi congruere. Ea quae dicuntur in priori parte textus respiciunt homines universos: Deus enim omnes homines *formavit,* omnes etiam *vocavit* ad consortium naturae suae divinae. Ideo illi homines qui sequuntur voluntatem Dei ut Creatoris iidem sunt atque illi qui sequuntur voluntatem eius ut Salvatoris, et viceversa. Aliunde, cum haec sequela Creatoris et Salvatoris fiat secundum *dictamen conscientiae,* eo ipso affirmatur omnes homines percipere in conscientia sua voluntatem Creatoris et *Salvatoris,* eamque si sequantur, recte agere rectitudine non tantum naturali, sed etiam *salutari.* Hinc, ulterius ratiocinando, sequitur omnes religiones, quibus alii et alii homines adhaereant secundum dictamen conscientiae, esse *salutares* seu supernaturales et proinde a Deo procedentes supernaturaliter secundum eam mensuram, qua Ipsemet conscientiae innotescit. Dictamen vero conscientiae intelligendum est secundum eam universalissimam amplitudinem, de qua in numero praecedenti harum Animadversionum.

Omnium quae praecedunt conclusio haec est: homo *potest divinam vocationem* sequi eo sequelae genere, quo efficiatur consors divinae naturae, dummodo conscientia eius non admittat dictamen communitati civium nocivum. Sic ergo sequela *divinae vocationis* potest eamdem latitudinem habere atque conscientia recta.

Haec conclusio confirmatur aliis declarationis sententiis. Dicitur enim, saltem aequivalenter, libertatem religiosam, quam supra vidimus e dictamine conscientiae ortam, esse statum in quo Deus vult ut sibi *vocanti* homines respondeant (n. 29, pag. 30, linn. 34-39 et universa fere pag. 31; n. 30, pag. 33, linn. 7-10; n. 31, pag. 33, linn. 23-25. Vide insuper *relationem,* pag. [26] 66).

Et en sistimus coram gravi conclusione. Si enim haec vera sunt, dicere oportet quod omnis actus emanans a conscientia recta est *eo ipso* actus salutaris, actus quo homo ordinat se ad Deum sicuti est. Nullus actus est, immo *nec esse potest,* moraliter bonus quin eo ipso sit supernaturalis. Moralitas ergo est una tantum, eademque supernaturalis. Inde sequitur, in ordine practico, quod ethica, uti disciplina distincta a theologia morali, est inutilis et propterea tollenda.

Haec sequela de unica moralitate est sane gravissima. Praetermittimus multa, quae de hac re iam inveniuntur in Magisterio Ecclesiae. Hic tantum animadvertere volumus unicitatem hanc esse necessariam, cum pertineat ad ipsam naturam conscientiae rectae, ita ut in nulla hypothesi potuerit Deus res aliter ordinare.

Tunc ergo, quomodo visio beatifica potest esse revera supernaturalis et revera gratuita? Nam quilibet actus eo ipso quod a conscientia recta, sensu explicato, procedat, ducit natura sua ad visionem illam. Nonne iam olim dicebat Pelagius ad vitam moralem honeste secundum Christum ducendam sufficere liberum arbitrium? Existimabat enim ille gratiam idem esse cum libertate. Nunc dicitur homi-

nem sequi Deum *vocantem,* dummodo sequatur conscientiam. Diversae formulae, eadem res!

7. *De iure Ecclesiae ad praedicandum Evangelium.* De hac re loquitur n. 27. Nihil est nobis obiiciendum. Vellemus tamen ut in pag. 30, lin. 7 vocabulum *satagant* mutaretur in aliud maioris roboris, quia fideles *debent* lumen Christi diffundere.

Sed, attenta universa declaratione, numerus hic debilitatur nimis, et amittit totam, aut fere, efficientiam, quae derivatur ex institutione Ecclesiae a Christo. Praedicatio enim est pars libertatis religiosae (n. 30, pag. 32, lin. 38 - pag. 33, lin. 3); et proinde ius praedicandi non potest excedere ius ad libertatem religiosam. Aliunde, ius libertatis religiosae est idem in omnibus qui religionem *suam* sequuntur secundum dictamen conscientiae (n. 26, linn. 8-9; et totus n. 30). Ius ergo Ecclesiae ad praedicandam catholicam fidem est omnino aequale iuri, quod habent ceterae quaecumque religiones, quibus homines adhaereant secundum dictamen conscientiae. Res vere mirabilis! Ut quid, ergo, Christus mortuus est et dedit universale de praedicatione mandatum?

Immo ius Ecclesiae ad praedicandum hominibus, qui iam nunc adhaereant alicui religioni secundum conscientiae suae dictamen, periclitatur ob alia verba declarationis, scil.: « si quis igitur, quantumvis conatus sit recte videre quid Deus ab ipso in concreto petat, in erroneam interpretationem incidat, nullus homo nec ulla humana potestas ius habet illum inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen » (n. 29, pag. 31, linn. 16-20).

Quis est horum verborum sensus? Non dicitur aperte, sed esse videtur quod homo ille ita errans non potest induci ut adhaereat alii religioni, et proinde nec Ecclesiae catholicae. Ecclesia ergo amisit ius praedicandi illi homini omnibusque aliis qui in simili animi statu inveniantur?

In his omnibus animadvertere oportet hic non agi de quaestione aliqua practica, quam, suadentibus adiunctis, solvere oporteat sic vel aliter, sed de doctrina, immo de doctrina declarante ius naturale atque *vocationem divinam* quod ad vitam religiosam attinet (n. 30, pag. 32, linn. 14-18; n. 31, pag. 33, linn. 24-25).

8. *De incompetentia Status in rebus religiosis.* De habitudine Status ad religionem declaratio habet aliqua, quae sunt omnino probanda, scilicet ius Statui non esse « communitates religiosas temporalibus finibus reipublicae subordinare » (n. 30, pag. 33, linn. 6-7). Sed de aliis sententiis est aliter iudicandum.

Videamus quae de incompetentia dicuntur. Primo, eadem incompetentia affirmatur simpliciter (n. 30, pag. 33, linn. 4-5), et, deinde, dicitur orta e natura ipsa civilis principatus: « rem publicam ob ipsam etiam iuridicam sui regiminis configurationem ineptam esse ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda » (n. 31, pag. 33, linn. 20-22). Potestas ergo civilis *e sua ipsius natura* nequit iudicia religiosa proferre. Et si haec incompetentia est a natura, sequitur quod quotiescumque in historia magistratus civilis aliqua edixit aut praecepit de vita religiosa, non solum in Ecclesia catholica, sed etiam in quacumque alia communitate, abusum commisit.

In confirmationem doctrinae de omnimoda incompetentia Status allegatur Ioannes XXIII, Pius XII, Pius XI et Leo XIII (notula 10, pag. 36-37). De habitudine *declarationis* ad Ioannem XXIII iam diximus supra, n. 3 harum Animadversionum. Insuper Ioannes XXIII ibi agit de iure religioso singulorum hominum

et, adhuc abstrahendo a diffusissima interpretatione illorum verborum, quam declaratio non potest ignorare, quaeritur: iura personae adimunt totaliter civili potestati competentiam in obiectum iurium illorum? Status ergo non habet ullam competentiam in scholam?

Quoad reliquos Pontifices mirum est eos hic allegatos videre. Quia illi agunt tantum de incompetentia Status ad moderandam vitam religiosam *Ecclesiae catholicae,* cum iure divino illud moderamen Ecclesiae ipsi unice reservetur. Mirabilis sane libertas in detorquendis documentis a sensu suo primigenio!

Sed redeamus ad quaestionem. Si Status est natura incompetens in rebus religiosis, impossibile est eum habere obligationem ullam religiosam, etiamsi agatur de Statu, cuius subditi sint catholici, cuius etiam regimen sit in manu hominum catholicorum; immo, si quando civilis auctoritas, uti talis, intersit actibus religiosis, peccat contra naturam, id ipsum vetantem. Status ergo ut *iuri naturae* sit conformis, debet esse *neuter* in rebus religiosis. Quid ergo de Leone XIII, de aliis Pontificibus, de doctrina communi circa officia Status, ut Status, erga Deum colendum, immo erga Deum *christiane* colendum?

Aliunde dicitur in declaratione Statum debere suppeditare conditiones propitias religioni (n. 30, pag. 33, linn. 7-10), i. e., omnibus religionibus, ne peccet contra ius naturae aliam eligendo prae aliis. Sed ad tenorem praedictorum, Status non potest esse propitius religioni per actus proprie religiosos vel per sententias spectantes directo rem religiosam, quia in iis omnibus est prorsus incompetens. Favor ergo Status erit tantum ope illius ordinationis totius vitae civilis in qua homines libere possint dictamen suae conscientiae sequi. Et sic patet quod coram Statu omnes religiones, catholica minime excepta, sunt aequalis iuris; et Ecclesia non potest habere ius ullum praedicandi doctrinam Christi ultra ius quod habent aliae religiones praedicandi dogmata sua. Secundum declarationem, ius naturae postulat Statum esse neutrum; et proinde idem naturae ius adimit Ecclesiae omnem facultatem vindicandi sibi aliquod speciale iuvamen Status ad diffusionem doctrinae Christi. Et haec doctrina enuntiatur in documento Conciliari, cuius suprema lex debet esse ipsum Iesu Christi evangelium!

Demum, si Status seiungendus est a religione, unde sumitur regula ad iudicandum de moralitate aut immoralitate legis civilis? Quia esset absurdum legem aliquam improbare propterea quod non congruat alicui religionis dogmati, cum Status, ut Status, de dogmate nihil sciat, immo nec scire possit.

9. *De « iuribus » peccati originalis ac de permissione divina.* Ea quae spectant ad hanc rem habentur in n. 29, pag. 31, linn. 32-33 et n. 28, pag. 30, linn. 11-20. Mirabile est revera legere quod peccatum originale conferat *ius errandi*; quod quidem, in contextu, est *ius naturale* cum fundamentum praebeat iuri sequendi propriam religionem secundum dictamen conscientiae. Absurda sane theoria! Nonne peccatum originale hominem spoliavit gratuitis donis et eum vulneravit in naturalibus? Et ecce id quod semper habitum est vulnus naturae, mutatur in titulum dignificantem ipsam naturam et conferentem ei naturalia iura, quorum exercitio melius possit homo respondere *vocationi divinae!* Quid ergo remanet de peccato originali? Quare hic non commemorantur ea, sane multa, quae dixit Ioannes XXIII de obligatione erga veritatem?

Permissio divina, de qua in numero 28, proponitur etiam tamquam argumentum pro libertate religiosa. Fatemur sane fidem internam esse liberam et nemi-

nem cogi posse ad eam amplectendam. Sed, in contextu, illud temperatum consilium Dei, quo ipsemet decrevit mala permittere in mundo, fundamentum est illius amplioris libertatis religiosae, quam universa declaratio propugnat. Mira tamen est haec appellatio divini consilii, sensu declarationis. Quia illud consilium permittendi ducit ad doctrinam Pii XII de *tolerantia* seu *permissione* alicuius religionis praeter catholicam. Declaratio vero nec nomen tolerantiae seu permissionis in hac re audire vult. An dicemus peccatorem, propterea quod Deus permittit peccata, habere *ius peccandi?* Est ergo ineptum appellare hanc rationem pro libertate religiosa sensu declarationis.

Postulatur ergo *declarationem* retractari *totaliter,* cum principia doctrinae illius sint vel falsa vel nimis infirma ut possint textum conciliarem offerre, qui Evangelio congruat.

10

Exc.mus P. D. CORNELIUS LUCEY

Episcopus Corcagiensis et Rossensis

Venerabiles Fratres,

Declaratio in genere placet. Loquor tamen ut quasdam observationes proferam.

1. Libertas religiosa significare potest vel libertatem, secundum dictamen conscientiae, profitendi hanc religionem potiusquam illam, vel libertatem profitendi nullam omnino religionem, i. e., esse atheista. Declaratio nostra primam tantum libertatem proponit. Sed mihi videtur, eius argumentatio nos ducit vel affirmare quoque libertatem infidelitatis vel asserere non dari omnino atheistas bonae fidei. Et cum ratio habeatur illius « propaganda » quae in nonnullis regionibus fit pro atheismo, quin ulla contraria « propaganda » pro religione permittatur, quis serio affirmaret omnes atheistas hodie esse in mala fide?

2. In ordine obiectivo ...[1], i. e. in ordine statuto a Deo pro hominibus libero arbitrio praeditis, non datur ius ad aliquid erroneum credendum vel aliquid pravum faciendum. Nemo igitur habet ius morale profitendi aut propagandi vel religionem falsam vel atheismum. Ea sola religio quam persona aut communitas habet ius *plene*[2] morale profitendi vel propagandi est illa unica vera religio quam Deus hominibus dedit.

An sequitur tamen ex hoc nullum omnino ius dari profitendi religionem erroneam? Nullo modo. In primis, exsistit et ordo moralis subiectivus in quo ius quoddam tribuitur hominibus bonae voluntatis, i. e., hominibus qui dictamina conscientiae sequuntur. Insuper non omnia quae homo credit et facit, etiam cum religionem falsam profitetur, sunt

obiective reprehensibilia. E contrario, fere omnes actiones eius religionis sunt per se actus Deo acceptabiles. Deinde Deus voluntatem liberam nobis hominibus dedit; ideoque, relate saltem ad concives et ad auctoritates plene humanas, ex natura nostra habemus ius hoc liberum arbitrium nostrum independenter ab illis exercendi. Si Deus nos non coercet ne libero arbitrio nostro abutamur, quomodo possunt alii homines vel ipsa auctoritas civilis ius vindicare nos in exercitio huius liberi arbitrii coercere? Ex quo sequitur ius ad libertatem religiosam a nobis vindicandum non esse praecise ...[3] morale personae individuae inhaerens profitendi aut exercendi aut divulgandi quidquid credit, etiamsi sit in bona fide, sed potius et principalius ius ne ab aliis, propter ea quae facit, prohibeatur aut impediatur aut persecutionem subeat. Uno verbo, libertas religiosa est melius intelligenda ut ius negativum ne ab aliis coerceamur aut impediamur quando liberum arbitrium nostrum in re religiosa exercemus.

An limites dantur quoad hanc libertatem negativam? Certissime. Inter quos, e. g. ...[4]: non licet alicui ...[5] iura aliena laedere in opinionibus suis profitendis aut divulgandis, ut accidit si alios decipit, vel eorum solitudini se ingerit, vel, et hoc est maximi momenti hodiernis temporibus, si media communicationis monopolizat.

3. Quodvis Gubernium non est natura sua defensor et promotor cuiusvis formae religionis aut irreligionis. Quod ex parte Status requiritur hoc est, ut omnes illas religiones toleret, et tolerandas curet, quas cives eius pacifice profiteri et colere volunt. Hoc cum eo non repugnat quod Status positive faveat religioni particulari, e. g., religioni maioris partis civium. Equidem libertas religiosa componi potest etiam cum religione Status seu religione stabilita in aliqua regione. Quod una religio est prae omnibus aliis privilegiata non necessario imminuit debitam aliarum libertatem exsistendi et operandi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] morali. [2] deest. [3] ius. [4] hi sunt. [5] esse pacis socialis vel unitatis perturbator, nec licet alicui.

Moderator: Audiatur nunc monitum secretarii generalis.

Secretarius generalis: Velint omnes Patres ad sua loca redire, quia em.mus moderator quaestionem maximi momenti proponendam habet.

Moderator: Sed audiatur statim exc.mus D. Carolus Colombo, ep. tit. Victorianensis.

11

EXC.MUS P. D. CAROLUS COLOMBO

Episcopus tit. Victorianensis

Venerabiles Patres,

Tria videntur mihi dicenda de hac declaratione: ante omnia, quaedam de ratione componendi declarationem; secundo loco, de principiis quibus fundatur doctrina catholica de libertate religiosa; tertio loco, quaedam additamenta declarationi.

De methodo componendi declarationem.[1] 1. Declaratio *haec, ut patet,*[2] maximi momenti est *tum*[3] ob practica consectaria quae ex ea sequi possunt, sed etiam ...[4] ob crisim quam de ea ferent homines provectioris culturae — *etiam inter nos in Italia*[5] — qui eam exspectant tamquam punctum saliens vel possibilis dialogi, vel insanabilis *discidii*[6] inter catholicam doctrinam et sentiendi rationem hominum nostri temporis.

Qua de causa « declaratio » haec attente expendi debet, et tali modo componenda est ut catholica doctrina quantum fieri potest omnibus hominibus bonae voluntatis intelligibilis reddatur.

Doctrina quae continetur in nn. 29 et 30 huius declarationis, ubi proponuntur applicationes practicae de libertate religiosa tum singularum personarum tum coetuum religiosorum in civili societate, quoad substantiam placet. *Videtur tamen*[7] melius enucleanda et ordinanda et aliquatenus etiam complenda, praesertim ubi fundamenta doctrinae catholicae de libertate religiosa proponuntur. Haec « declaratio » enim, etsi in intentione sit praesertim pastoralis, revera est etiam doctrinalis, atque ut talis — scil. tamquam adaequate exponens doctrinam catholicam in hac materia — a plerisque lectoribus intelligetur.

Quare *omnia principia* doctrinalia, quae materiam de relatione personae humanae cum veritate religiosa et morali regunt, sunt exponenda, ne ex partiali expositione veritatis aliqua illius deformatio facile oriri possit, et ne, *ex ignoratis principiis quibus fundatur,*[8] doctrina proposita appareat veluti accommodamentum quoddam *practicum*[9] (vulgo « compromesso »), et non tamquam nova applicatio principiorum immutabilium.

Ad « declarationem » ergo perficiendam, iuxta desideria relatoris, haec sunt quae humiliter consideranda *propono de principiis quibus fundatur doctrina catholica de libertate religiosa.*[10]

2. Tria sunt *principia ...*[11]: duo naturalia, tertium vero revelatum; et distincte proponenda videntur.

A) *Primum principium* est ius naturale uniuscuiusque hominis ad veritatem inquirendam, praesertim in re religiosa et morali, et ad eamdem sectandam prout illa sese conscientiae uniuscuiusque manifestaverit.

Inter Ecclesiae auctoritates, ni fallor, prima vice hoc principium clare affirmavit card. Ioannes B. Montini (*tunc*[12]), in hac aula conciliari die 5 mensis decembris anni 1962 *quando disceptabatur de annuntiatione Evangelii et de relatione inter Ecclesiam et Statum; en eius verba*[13]: « Ius naturale et primarium a nobis aperte hac oblata occasione affirmari debet, cum sit etiam ius divinum, videlicet hominum ius accedendi ad veritatem, praesertim ad veritates quae quasi fundamentum vitae efficiunt, et e quarum genere sunt veritates religiosae: ius dico, quod vi impediri nequit sine iniustitia ». Idemque principium solemniter declaravit, ut omnes norunt, felicis recordationis Ioannes XXIII in Litteris Encyclicis *Pacem in terris ...*[14].

Iamvero ius inquirendae veritatis in re religiosa et morali duo consectaria secumfert. *Primum consectarium*[15]: libertatem inquisitionis, quae nulla vi physica vel morali impediatur, quia mens humana non coactione vincitur sed ratione; *secundum*[16]: socialem communicationem vel expositionem veritatis quam quis invenerit vel se invenisse iudicaverit. Data enim hominis natura sociali, persona humana non potest in veritate maturare et crescere nisi per dialecticam, ut ita dicam, conversationem cum aliis hominibus. Ex quo patet liberam expositionem propriae sententiae etiam in re religiosa inter fundamentalia iura personae, quae a potestate civili impediri non possunt, esse agnoscendam.

B) *Secundum principium quo fundatur doctrina de libertate religiosa*[17] est obligatio, ex qua ius inviolabile consequitur, sectandi dictamen propriae uniuscuiusque conscientiae certae, *etiam*[18] in re religiosa, quae intime connectitur cum primaria hominis vocatione. De quo iure eiusque consectariis et limitibus satis clare loquitur textus « declarationis », cui assentio.

C) *Tertium principium,* revelatum, est libertas et supernaturalitas fidei christianae catholicae.

Ex hoc principio duo maximi momenti pro nostro problemate solvendo consequuntur: *a*) fidem esse tanto magis genuinam scil. christianam et catholicam, quanto magis liberam et personalem in sua adhaesione ad Deum et ad Ecclesiam; *b*) et alterum: relationem singulorum civium uniuscuiusque populi vel status cum veritate christiana et catholica omnino subtrahi iudicio moderatorum rei publicae: isti enim scire non valent

quandonam singuli subditi donum supernaturale fidei a Deo accipiant; dum *vero debent pro omnibus civibus tutari iura naturalia.*[19]

Ex *tribus*[20] his principiis, quae nuper commemoravi, clare sequitur iuxta catholicam doctrinam rectam ordinationem rei publicae ad hoc tendere debere ut omnibus quam maxima libertas concedatur in materia religiosa, ita ut unusquisque iuxta dictamen practicum propriae conscientiae veritatem inquirat et exponat, eam sectetur et secundum eam vivat, tam privatim quam publice, tam singulariter quam in religiosa communitate.

Haec libertas tamen, ut iure dicitur in textu « declarationis », « eam mensuram excedere non potest sine qua nec dignitas essentialis personae humanae illaesa maneret, nec revera possibilis esset societas hominum »: scil. libertas religiosa personarum et coetuum non eximitur ab observanda lege naturali tam individuali quam sociali, de qua *etiam*[21] moderatores rei publicae *curare debent.*[22]

Cum vero haec principia, super quae fundatur catholica notio libertatis religiosae *in civili societate, non in dogmatica materia,*[23] sint immediate connexa cum ipsa natura humana et cum divina revelatione, et ideo immutabilia, pro omnibus locis et temporibus valent, et pro omnibus hominibus eodem modo eademque ratione: scil. non solum ubi fideles Ecclesiae catholicae minorem partem civilis communitatis constituunt, sed etiam ubi maiorem.

3. Sed post claram expositionem principiorum libertatis religiosae, « declaratio » nostra ...[24], non minore vigore, alia duo declarare debet, *scil.*[25]: *a*) obligationem quae unicuique incumbit inquirendi veritatem, praesertim in re religiosa, et quidem per media apta: inter quae, in praesenti ordine Providentiae, iusta aestimatio auctoritatis doctrinalis magisterii Ecclesiae admittenda est; *b*) et alterum: valorem veritatis revelatae tamquam elementum essentiale boni communis in quacumque humana societate.

Quae tamen relatio boni communis cum religiosa veritate sedulo perpendenda est. Veritas, et praesertim revelata veritas, communicari non potest mediis politicis; ...[26] omnes scimus moderatores rei publicae nullam *habere*[27] facultatem gratiam impertiendi. Veritas communicari potest tantum libera eius expositione et testimonio illorum qui in eam credunt. Quare rei publicae moderatores sese abstinere debent ab omni immixtione in problematibus religiosis solvendis; sed eorum officium est ut omnibus civibus libera pateat via ad expositionem veritatis in quam credunt, et *praesertim*[28] ut *Ecclesia liberam habeat viam ad suam doctrinam exponendam.*[29]

Neque ex hoc timendum est ne veritas ab errore vincatur. Veritas, quae ex Deo est et ipsius divinae maiestatis quaedam manifestatio est, fortis est, vincens omnem humanam debilitatem vel mentis angustiam, immo et malitiam. Et quia adiuvatur a gratia Dei, « qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » ...[30], fieri non potest quin ipsa demum omnes inimicos suos in hominibus bonae voluntatis non vi vel politicis mediis sibi submittat, sed per arma iustitiae et virtutis Dei. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] de libertate religiosa. [3] in hodierna vita Ecclesiae, non tantum, ut patet. [4] et fortasse praesertim. [5] deest. [6] pugnae. [7] Sed videtur; [8] deest. [9] deest. [10] proponere audeo. [11] quibus catholica doctrina de libertate religiosa *in civili* societate fundatur. [12] deest. [13] his verbis. [14] (cf. *A.A.S.*, 1963, pp. 260-261). [15] *a*). [16] *b*). [17] Secundum principium naturale. [18] praesertim. [19] ipsi iura naturalia omnium civium tueri tenentur. [20] deest. [21] deest. [22] curam habere tenentur. [23] non in re dogmatica et coram Deo, sed in civili societate. [24] ne subiectivismo cuidam vel relativismo aditum aperiat. [25] deest. [26] ut. [27] habent. [28] deest. [29] Ecclesiae plena pateat via ad doctrinam salutis annunciandam. [30] (*1 Tim.* 2, 4).

Secretarius generalis: Velint Patres ad sua loca remeare; necessarium prorsus est ut sedeant. Interea lego exitus suffragationum quatuor mane peractarum.

Suffragatio XXVII:

Praesentes votantes	2.187
Dixerunt *placet*	2.140
non placet	46
Suffragium nullum	1

Suffragatio XXVIII:

Praesentes votantes	2.187
Dixerunt *placet*	2.139
non placet	46
Suffragia nulla	2

Suffragatio XXIX:

Praesentes votantes	2.180
Dixerunt *placet*	2.155
non placet	25

Suffragatio XXX:

Inter Patres	2.162
dixerunt *placet*	2.139
non placet	21
Suffragia nulla	2

Ergo omnes quatuor textus probati sunt a congregatione generali.

Moderator: Audiant Patres venerabiles! Moderatores rogant Patres utrum eis placeat necne finem imponere discussionibus de libertate religiosa. Qui vult finem imponere huic discussioni velit surgere!

[*Intervallum*]

Gratias! Si quis adhuc loqui desiderat de hoc capite, hoc faciat iuxta normas traditas nomine 70 Patrum.

Nunc vero referet super declaratione *de iudaeis et de non christianis* em.mus card. Augustinus Bea. Em.mus vir loquitur hodie, quia proxima feria II erit in urbe Patras ut praeses legationis pro deferendo venerando capite S. Andreae.

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

RELATIO

SUPER DECLARATIONEM DE IUDAEIS ET DE NON-CHRISTIANIS

Venerabiles Patres,

1. De schemate Declarationis « De Iudaeis et de non-Christianis » locuturus, unde incipiam nisi a facto, quod haec Declaratio certe inter eas materias numeratur pro quibus opinio publica, quae dicitur, maximum « interesse » ostendit. Vix aliud schema est de quo tanta scripta sunt in ephemeridibus, iisque maxime diffusis, ac de hoc schemate. Quidquid est de rationibus huius interesse deque iudicio quod de eiusdem valore ferendum est, ex solo facto huius interesse clare patet opinionem publicam praecise hac in re oculos ad Ecclesiam convertere ac ex huius Declarationis approbatione aut improbatione multos de Concilio bene aut male iudicaturos esse. Hoc certe non est nec sola nec principalis ratio cur haec Declaratio necessaria est. Ipsa enim primario exigitur a fidelitate Ecclesiae in sequendo Christi et Apostolorum exemplo amoris erga hunc populum. Tamen alia ex parte etiam hae rationes potius externae

negligi non debent. Ipsae etiam luculenter manifestant plane impossibile esse id quod aliqui Venerabiles Patres postulaverunt, ut scilicet haec quaestio a programmate rerum tractandarum omnino removeatur. Secretariatus noster rationes ab his Patribus propositas, serio examinavit et omnem adhibuit curam, ut hic textus Declarationis iuxta placita a Patribus Concilii hucusque expressa diligenter recognosceretur. Etiam membra Commissionis laboribus Concilii Coordinandis praepositae sciunt sibi circa hunc brevem textum non parum temporis insumendum fuisse.

2. Ecce quomodo talis recognitio facta est. Ac primum quidem, secundum placita in secunda Sessione Concilii in Aula expressa, brevis illa introductio, quae in priore textu initio capitis habebatur, amplius elaborata et pars secunda Declarationis facta est ...[1]. Unde nunc schema duabus fere aequalibus partibus constat, altera de Iudaeis, de non-Christianis altera ...[2].

3. Quantum ad priorem partem, *quae Iudaeos respicit* ante omnia textus paulo melius ordinatus est, ita scilicet ut melior idearum sequela habeatur. Item aliquae novae ideae additae sunt, maxime duo textus ex Epistula ad Romanos, de praerogativis scilicet populi electi (9, 4) et de spe christiana in eiusdem finalem adunationem cum populo electo Novi Testamenti, id est Ecclesia (11, 25).

4. Punctum *centrale* circa quod mutationes maioris momenti inductae sunt est quaestio sic dicta « deicidii ». Notum est rem amplissime discussam fuisse in ipsis ephemeridibus, id quod tamen sine ulla cooperatione vel interventu Secretariatus factum est. Quare hac de re vobis principalia elementa indicanda esse videntur. Agitur de quaestione, num et quo modo damnatio et mors Christi Domini culpae populi Iudaici *ut talis* adscribendae sint. Plures enim e Iudaeis hodiernis affirmant persuasionem de dicta culpabilitate populi *ut talis* radicem principalem sic dicti antisemitismi esse et proinde fontem multorum malorum et persecutionum quibus Iudaei per saecula obnoxii fuerunt. Haec affirmatio utique minime teneri potest. Iam in relatione anno elapso de hoc eodem schemate hic in Aula habita clare asseveravi: « Scimus optime adesse plures rationes antisemitismi, quae non sunt ordinis religiosi sed politico-nationalis, vel psychologici vel socialis vel economici? ». Tamen ex alia parte negari non potest adesse non pauca exempla in historia variarum nationum, quod illa persuasio de culpabilitate populi Iudaici ut talis christianos induxit, ut Iudaeos quibuscum vivebant, ut populum « deicidam » a Deo reprobatum et maledictum considerarent et appellarent, et proinde despicerent, immo etiam persequerentur. Inde hodie Iudaei omni ope contendunt, ut Concilium e contrario publice et sollemniter profiteatur mortem Domini populo iudaico *ut tali* minime ascribendam esse. Iam

vero quaeritur: estne talis declaratio ex parte Concilii possibilis? Si est possibilis, quo modo facienda est et cuius tenoris esse debet?

Uti patet nullo modo hic agitur, neque agi potest, de negando ullo puncto doctrinae, quae ...[3] in Evangeliis habetur. Quaestio est potius haec: Certe primores Synedrii hierosolymitani, etsi non erant democratice electi a populo, secundum mentem illorum temporum et S. Scripturae ipsius ut legitima populi auctoritas habebantur et habendi sunt. Hac ergo in re consistit gravitas et tragedia eorum, quae haec ...[4] auctoritas circa damnationem et mortem Christi Domini egit. Sed quaerendum est, quaenam est haec gravitas? Num illi primores populi in Ierusalem *plene* intellexerunt divinitatem Christi, ita ut *formaliter* deicidae dicendi sint? Dominus in Cruce ad Patrem orans dixit: « Pater dimitte illis; *non enim sciunt quid faciunt* » (*Lc.* 23, 34). Si haec ratio non est formula vacua — quod absit — certe significat Iudaeos minime plene perspexisse facinus quod patrabant. Etiam S. Petrus, populum Iudaeorum alloquens de crucifixione Domini, dicebat: « Scio quia *per ignorantiam* fecistis, sicut et principes vestri... » (*Act.* 3, 17). Ergo Sanctus Petrus etiam ipsos principes aliquomodo excusat! Similiter S. Paulus (*Act.* 13, 27). Praeterea, quidquid est de cognitione quam habuerunt primores in Ierusalem, numquid totus populus iudaicus illius temporis *ut talis* sic et simpliciter *accusari potest propter illa quae egerunt primores in Ierusalem,* ut Christum perderent? Statistice constat tempore apostolico diasporam iudaicam in Imperio Romano circiter quatuor et dimidium miliones numerasse ...[5]. Num hi omnes ...[6] accusandi sunt eorum, quae a synedristis illa tristi feria VI peracta sunt? Et etiam dato, non concesso actus illos toti populo illius temporis *ut tali* ascribi posse, quo iure *hodierno* populo iudaico exprobrarentur? Numquid unquam in ullo casu exprobramus cuiquam alteri populo, quae eius avi vel primores ante undeviginti saecula fecerunt?

5. Secretariatus noster harum condicionum rationem habere studuit ita, ut ex altera parte culpa illorum, qui Christum Dominum in crucem agendum decreverunt, secundum ipsas Evangeliorum narrationes assereretur, ex altera parte autem non populo *ut tali,* et multo minus populo hodierno adscriberetur ...[7]. Non tamen iuvat hac in re provocare ad factum quod Christus Dominus pro omnibus hominibus mortuus est. Hoc *enim* [8] minime significat culpam pro morte Domini *in ordine historico* — de quo solo hic agitur — ad omnes homines transferendam esse *eosque in ordine historico* causam efficientem mortis Domini fuisse. Ex alia autem parte populus Iudaicus *ut talis* — tum temporis Christi tum eo magis temporis nostri — minime de culpa arguendus est, quam non

habet. Rogo ergo ut hoc problema eiusque variae partes prae oculis habeantur in hac parte Declarationis diiudicanda.

E rei difficultate intelligitur successive unam post aliam complures formulas tentatas fuisse, etiam ut optatis vel difficultatibus Patrum satisfieret. Unde multae huc illucque factae sunt consultationes, quae uti plures inter vos norunt, etiam publice, nescio qua via, innotuerunt. Qua occasione tum Patres Concilii tum alii, etiam non Catholici et non-Christiani, suppliciter rogaverunt, ut quaestio « deicidii » in Declaratione tamen aliquo modo tractaretur. Longum esset has deliberationes per singula referre. Sufficiat indicavisse qua via ad textum quem prae manibus habetis perventum sit. Liceat hoc unum addere: has deliberationes longum tempus insumpsisse. Unde iam non licuit hanc Declarationis partem submittere Membris Secretariatus examinandam. Cum enim Secretariatus omnes alias materias in sessione mense Martio habita absolverit, visum non est ob hanc solam partem et eiusdem Membra Romam denuo convocare. Restat ergo ut schema Declarationis a vobis, Venerabiles Patres, examini subiciatur et discutiatur. Uti videtis, agitur de re magni momenti, sed simul valde difficili.

Unde Secretariatus noster grato animo omnes vestras suggestiones circa hanc Declarationis partem grato animo accipiet ad rem, meliori quo fieri potest modo, secundum voluntatem Concilii bene solvendam.

6. Aliquid dicendum restat de *secunda Declarationis* parte, quae habitudinem nostram ad religiones non christianas respicit ...[9]. Uti iam dixi, in disceptatione generali schematis « De Oecumenismo » anno elapso habita, a pluribus desiderabatur, ut fusius ...[10] de habitudine erga asseclas religionum non christianarum ageretur, et ab aliquibus Patribus postulatum est etiam, ut Musulmanorum explicita mentio fieret. Momentum huius rei in hodierno rerum statu neminem fugit, quippe cum et repraesentantes variarum religionum non christianarum passim contactus aliquos cum Ecclesia Catholica quaerant et omnes omnino religiones hodie sive ab irreligiositate practica sive etiam ab atheismo theoretico militante late grassantibus circumdatae sint. Quando Secretariatus noster hoc thema primo tetigit, immo usque ad mensem Maii huius anni, nulla alia adfuit Commissio vel Secretariatus, quae rem aggredi posset (Secretariatus pro Religionibus non christianis nonnisi circa festum Pentecostes huius anni institutus est); ideo nihil remanebat nisi ut Secretariatus noster huius quoque rei ...[11] curam in se susciperet. Quare ope aliquorum peritorum Concilii primum aliquod schema elaborare studuimus. Hoc schemate examini subiecto, Commissio Coordinatrix litteris d.d. 18 Aprilis datis statuit ut tres ideae potissimum in hac parte exponerentur: Deum scilicet esse Patrem omnium hominum hosque

eius filios; eosdem proinde esse inter se fratres; unde damnandam esse omnem speciem discriminationis, vis et persecutionis ob rationes nationales vel stirpis (razza) cuicumque illatas. Cui decisioni, Secretariatus secundum vires obtemperare sategit.

In schematis autem elaboratione secundum desiderium a pluribus Patribus expressum etiam explicita mentio Musulmanorum facta est. De hac autem liceat dicere textum eos respicientem a viris hac in re apprime peritis laudatum esse, scilicet ab Instituto Studiorum Orientalium a Patribus Dominicanis in Civitate Cairensi exstante et a Patribus Missionariis Africae (Pères Blancs) Pontificii Instituti Studiorum Orientalium in Tunisia.

Cum vero ceterae omnes materiae a Secretariatu tractandae iam inde ab initio Martii absolutae essent, hanc Declarationis partem iudicio Membrorum Secretariatus subicere non licuit, id quod nunc fieri poterit, postquam vos, Patres Venerabiles, mentem vestram de schemate aperueritis.

7. Antequam ad finem perveniam, unum verbum *de relatione huius Declarationis ad schema de Oecumenismo* addere liceat. Uti meministis ex disceptatione anno elapso hic habita, inclusio huius materiae in schema « De Oecumenismo » pluribus Patribus non placuit. Quod facile ex eo intellegitur quod « Oecumenismus » sensu stricto actionem ad *christianorum* unitatem promovendam significet. Quia tamen profunda necessitudo specialis exsistens inter Ecclesiam, id est populum electum Novi Foederis et populum electum Veteris Foederis omnibus christianis communis est, patet dari nexum inter motionem oecumenicam et quaestionem in hac Declaratione tractatam. Attamen nexus christianorum cum populo Iudaico minus arctus est quam relationes, quae intercedunt inter christianos ipsos. Unde materia haec habitudinis nostrae erga Iudaeos aliquomodo a schemate « De Oecumenismo » separata est et proinde non tractatur in aliquo *capite* schematis « De Oecumenismo », sed *separatim* in aliqua Declaratione, quae potius externe tantum ad schema « De Oecumenismo » additur. Hoc modo fortasse omnibus satisfieri poterit, eo vel facilius, quia quaestio loci non sit tanti momenti.

* * *

Concludendo liceat naturam et momentum quaestionum in hoc brevi schemate tractatarum efferre. Agitur enim de rebus maximi momenti pro Ecclesia et pro mundo hodierno. Quantum ad habitudinem erga non christianos, momentum rei iam ex eo apparet, quod thema hoc prima vice in historia Ecclesiae ab aliquo Concilio tractatur; et etiam

ex eo quod Sancta Sedes organum speciale ad relationes cum religionibus non christianis fovendas instituit. Idem abunde apparet ex Litteris Encyclicis programmaticis Summi Pontificis « Ecclesiam Suam », ubi de non Christianis deque dialogo cum eis sermo fit. Cogitemus insuper agi in hac re de habitudine catholicorum ad centenos miliones hominum, de caritate erga eosdem, de iis fraterne iuvandis vel de cooperando cum eis ...[12].

Quantum ad populum Iudaicum oportet iterum iterumque clare efferre, *non agi hic de ulla quaestione politica,* sed de quaestione pure religiosa. Non loquimur hic de Sionismo nec de Statu politico Israel ...[13], sed de asseclis religionis mosaicae, ubicumque in mundo commorentur. Neque agitur de populo iudaico honoribus et laudibus cumulando, super alias nationes extollendo, vel de privilegiis quibusdam ei tribuendis. Aliquibus visum est schema eo laborare, quod non faciat mentionem omnium eorum — et non sunt pauca — quae Christus Dominus severe ipsis Iudaeis vel de eis dixit, nec ea memoret, quae hic populus ex beneficiis divinis propter suam incredulitatem perdidit. Unde dicitur, schema non offerre imaginem satis aequam status realis huius populi. Si pluribus Patribus ita visum fuerit, evidenter rem iterum accurato examini subiciemus. Liceat tamen iam nunc monere, scopum Declarationis minime eum esse, ut imaginem eamque completam et omnibus numeris absolutam status populi iudaici praeberet. Quanta secus dicenda fuissent, quanta testimonia ...[14] afferenda! Certe ipse Dominus Iesus severissime de populo hoc et ad populum locutus est, uti novimus v. g. ex Evangelio S. Matthaei, sed totum hoc ex caritate fecit, ut eos de hora quae vertebat moneret, ut « cognoscerent tempus visitationis suae » (cf. *Lc.* 19, 44), ac gratias sibi oblatas acciperent, sicque salvi fierent. Etiam S. Paulus ad Thessalonicenses scripsit de Iudaeis: « qui et Dominum occiderunt Iesum et Prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui ut salvae fiant, ut impleant peccata sua semper; pervenit enim ira Dei super illos usque in finem » (*1 Thess.* 2, 15 s.). Sed idem Apostolus alia ex parte affirmabat: « Veritatem dico in Christo ... quoniam tristitia mihi magna est et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis ... » (*Rom.* 9, 13). Hic est ergo finis et scopus Declarationis, ut Ecclesia Christum et Apostolos in hac caritate imitetur, in hac imitatione renovetur, considerans, qua via Deus eius salutem operatus sit, quanta per hunc populum ei contulerit beneficia. Etiam in quantum agitur de damnatione et morte Domini Hierosolymis per operam primorum Iudaeorum adductis, nostrum est imitari caritatem Christi Domini in Cruce ad Patrem pro ipsis orantis, persecutores suos excusantis verbis illis: « nesciunt quid faciunt »;

imitari caritatem Principis Apostolorum et Apostoli gentium. Si Dominus, dum ipse persecutionem patiebatur, erga suos persecutores ita egit, quanto magis nos erga membra hodierna populi Iudaici, qui nullam in illa re culpam habent, caritatem fovere debemus. Dum ergo Ecclesia in hoc Concilio propriae renovationi studet, ac secundum notam expressionem S. Pont. Ioannis XXIII ven. mem. se in maiore fervore suae iuventutis renovare satagit, etiam huic rei manus admovenda videtur, ut Ecclesia in hoc quoque renovetur. Quae renovatio tanti momenti est, ut operae pretium sit, nos etiam periculo exponere, ut aliqui forsan propter fines politicos hac Declaratione abutantur. Agitur enim de officiis nostris erga veritatem et iustitiam, de officio gratitudinis erga Deum, de officio imitandi fideliter et quam arctissime Christum Dominum ipsum eiusque Apostolos Petrum et Paulum. In his praestandis Ecclesia et hoc Concilium nullo modo pati possunt, ut in ea re ulla immisceatur auctoritas aut ratio politica.

In oratione: [1] (n. 33). [2] Hae duae partes concluduntur (n. 34) damnatione omnis speciei discriminationis. [3] in Novo Testamento, praesertim. [4] legitima. [5] ergo multo plus, multo plus quam ipsa Palaestina. [6] in diaspora stantes. [7] Ideo nunc proponitur textus in n. 32 (pag. 47), duabus ultimis lineis: « Caveant praeterea (christiani) ne Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione et Morte Christi perpetrata sunt imputentur ». Non igitur tractanda videbatur in schemate quaestio deicidii principum populi et populi illius temporis. [8] certe verissimum est, sed hoc. [9] dico ad religiones non-christianas: in titulo est « de Iudaeis et de non-christianis », sed non-christiani sunt etiam athei, ergo clarius res exprimenda videtur. [10] etiam. [11] satis difficilis. [12] in rebus quae ad religionem et mores pertinent. [13] in Palaestina fundato. [14] doctrinalia et historica.

Moderator: Gratias agimus em.mo relatori. Congregatio proxima erit feria secunda, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXXIX

28 septembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS LXXXIX

28 septembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem octogesimam nonam moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

In hac congregatione, prosequentur suffragationes de cap. III schematis *de Ecclesia,* quae complebuntur crastina. Feria autem quarta, fiet suffragatio super integrum cap. III, ac deinceps suffragatio super cap. IV, super cap. V, super cap. VI, praemissis circa haec tria capita praescriptis relationibus.

Ut iam dixi, suffragatio pro his capitibus, nempe pro integro cap. III, IV, V et VI, fiet triplici formula: *Placet, Non placet, Placet iuxta modum.* Ergo velitis, Patres ornatissimi, praeparare modos, ita ut exhibeantur una cum tessera suffragationis. Ita commissio doctrinalis poterit statim suum laborem incipere et nobis quam citius praebere fructus sui studii et laboris.

Forsan utile est ut aliquam explicationem praebeam circa suffragationem ultimam cap. III, quae fiet tamen crastina, sed bonum est anticipare hanc explicationem.

Explicatio iam habetur in notula, videatis pag. 23 [*cf. vol. III, pars I, pag. 414*].

Tota materia quae spectat ad diaconatum divisa est in quatuor propositiones. Quae tamen, ex tenore ipsarum, non omnes suffragandae erunt, nam altera alteri subiicitur et subordinatur. Quapropter, videamus primam suffragationem, quae respondet n. 36. In hac periodo, approbatur, vel non approbatur, iuxta responsionem, principium restaurati diaconatus, et hic, nulla difficultas. Certe, si maior pars suffragiorum essent pro non restaurando diaconatu, ceterae veluti cadunt.

Transeamus ad 37 suffragationem, ubi determinatur auctoritas competens, quae competens auctoritas hic statuitur territorialis coetus episcoporum. Si circa hanc propositionem habetur maior pars negativa, unica potestas competens necessario remanet Summus Pontifex. Nam si in prima votatione iam statutum est v. g. diaconatum restaurari, requiritur quidem aliqua auctoritas competens quae regat totam hanc materiam; quapropter, si circa hanc propositionem maior pars respondet negative, haec auctoritas unica esse potest Romanus Pontifex.

Tertia suffragatio, quae respondet n. 38, quaerit hoc, versatur circa

hoc: « Supremae auctoritati competit decernere, utrum hic diaconatus viris maturioris aetatis etiam in matrimonio viventibus conferri possit ». Uti videtis, Patres venerabiles, hic fit alius gressus. Nam potest restaurari diaconatus cum lege caelibatus; hic e contra proponitur, ut renovetur diaconatus conferendus viris maturae aetatis qui sint uxorati. Certe si ad hanc quaestionem respondetur negative, a fortiori cadit prima pars suffragationis 39, in qua quaeritur: « vel imo iuvenibus idoneis quibus non imponatur lex caelibatus ». Si caelibatus imponitur diaconis maturae aetatis, a fortiori imponendus est iuvenibus qui sint tantum diaconi.

Sed supponamus quod ad 38 suffragationem respondeatur affirmative, non exinde sequitur affirmativa responsio ad primam partem suffragationis 39, igitur est suffraganda haec prima pars.

Si huic primae parti respondetur negative, nempe desideratur ut iuvenibus diaconis maneat lex caelibatus, iam inutile est suffragari secundam partem huius suffragationis. En qua ratione dicebam de his quaestionibus, alteram alteri subiici; proinde in faciendis suffragationibus, nos exspectabimus exitum suffragationis, ita ut logice procedere possimus.

Ceterum hanc explicationem crastina repetam — forsan clariore modo in facto, nonne? — quando fient suffragationes. Hodie volui tantum anticipare. Et peto veniam si clarus non fui.

Nunc lego nomina eorum qui verbo uti petierunt nomine 70 Patrum, circa schema *de libertate religiosa.* Hi sunt: exc.mi PP. DD. Ioannes Heenan, arch. Westmonasteriensis in Anglia; Hadrianus Ddungu, ep. Masakaënsis in Uganda; Ioannes Wright, ep. Pittsburgensis Latinorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioannes Zoa, arch. Yaundensis in Africa Aequatoriali.

Deinde transitus fit ad disceptandum circa declarationem *de Iudaeis et non-christianis,* circa quam verbum petierunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis in Gallia, Ignatius Tappouni, patr. Antiochenus Syrorum, Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia, Paulus Léger, arch. Marianopolitanus in Canada, Richardus Cushing, arch. Bostoniensis in Statibus Foed. Amer. Sept., Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Statibus Foed. Amer. Sept., Ioseph Agilmarus Ritter, arch. S. Ludovici in Stat. Foed. Amer. Sept.; deinde exc.mi PP. DD. Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Jugoslavia, Philippus Pocock, arch. coad. Torontinus in Canada, Petrus Nierman, ep. Groningensis in Neerlandia, Iulius Daem, ep. Antverpiensis in Belgio, Ivo Plumey, ep. Garuensis in Cameroun, Sergius Méndez, ep. Cuer-

navacensis in Mexico, Laurentius Nagae, ep. Urawaënsis in Japonia, Edmundus Nowicki, ep. Gedanensis in Polonia, Hoa Nguyen Van Hien, ep. Dalatensis in Vietnam, Leo Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia, Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Stat. Foeder. Amer. Sept., Bernardus Stein, ep. aux. Trevirensis in Germania, Antonius Añoveros, ep. Gadicensis et Septensis in Hispania, Ioannes Heenan, arch. Westmonasteriensis in Anglia, Patritius O'Boyle, arch. Washingtonensis in Stat. Foed. Amer. Sept., Petrus Sfair, arch. tit. Nisibenus Maronitarum, Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensis in India, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Stat. Foed. Amer. Sept., Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus in India.

Nunc, venerabiles Patres, lego textum primae suffragationis hodie peragendae. Videatis pag. 18. Est suffragatio XXXI [*cf. vol. III, pars I, pag. 409-410*]. Placetne an non placet?

PATRUM ORATIONES
(Declaratio *de libertate religiosa*)

1

Exc.mus P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Venerabiles Fratres,

Brevem hanc interventionem facere audeo, quia hierarchiae Angliae et Cambriae necnon pluribus episcopis Scotiae, Hiberniae, Australiae, Novae Zelandiae et viciniorum nostrorum Galliae et Belgiae, opportunum videtur aperire Patribus Conciliaribus modum quo principia in hac declaratione proposita saltem in una mundi regione ad praxim iam redacta sunt.

Ut bene notum est, exinde a saec. XVI in Anglia Protestantes et Catholici acerbissimum bellum inter se gesserunt. Per totum regnum libertas religiosa omnino est sublata. BB. Angliae et Cambriae Martyres morte sua testes sunt saevitiae huius persecutionis. Nec iustum esset praetermittere quod, regnante regina catholica Maria, Protestantes similiter necati sunt. Exeunte saeculo Protestantes triumphaverunt et vix vigebat in regno Britannico Ecclesia maiorum nostrorum catholicorum. Pauci illi qui Sanctae Sedi fideles manebant poenis subiciebantur saevissimis. Anno vero 1828, lex introducta est, quae *Catholic Emancipation Act* nuncupatur, quaeque plura etsi non omnia iura civilia catholicis restituit.

Hodie nullo sensu regnum Britannicum regnum catholicum dici

potest. Ecclesia anglicana est officialis ecclesia Status eiusque caput est regina nostra. Verum est quod maior pars civium religionis praxi non est addicta. Angli, tamen, generatim se christianos esse profitentur. Infantes fere omnes baptizantur, cives perplures nuptias caeremoniis religiosis celebratas ineunt, quasi omnes cum ritibus christianis sepeliuntur. Alii plures, ut patet, nullam profitentur religionem.

En ergo societas pluralis in qua nihilominus religio honoratur tum publice tum privatim. Nunc autem sincere dicamus quod, licet Ecclesia anglicana sit religio officialis nostrae nationis, omnibus civibus plena libertas religiosa tribuitur. Verum est quod Ecclesia anglicana certis privilegiis fruitur: sed nullo modo libertas aliarum Ecclesiarum in periculo versatur. Gubernium civile, e. g., adiutorium notabile dat scholis confessionalibus. Magistri et magistrae, etiam si sint sacerdotes, religiosi vel sorores, stipendia statuta a civitate accipiunt. Et — nota hoc bene — eadem iura et privilegia scholis catholicis et anglicanis tribuuntur. Omnibus ergo in Anglia catholicis sicut et acatholicis persuasum est tale regimen aequalitatis et libertatis unicum esse quod fovere potest pacem inter cives.

Ideo laudamus et approbamus sine reservatione ea quae schema proponit de libertate religiosa et interna et externa.

Iamvero Pius Papa XII dixit quod obligatio moralis incumbere possit in civitatibus sic dictis catholicis tolerandi confessiones acatholicas. Hodie magis et magis mundus fit unus. Id quod accidit in uno Statu consectaria habet in aliis *civitatibus* [1] omnibus. Bonum commune totius generis humani exigit ut libertas religiosa floreat in omnibus Statibus.

Timent aliqui, quod periculum adest in permittenda propagatione erroris. Non sunt spernendi isti timores. Nemo potest aequo animo contemplare possibilitatem ut iuvenes vel simplices inducantur in errorem. Sine dubio periculum nostrae aetatis est respuere omnes restrictiones ita ut libertas in licentiam facile vertatur. Attamen cum libertas sit tam pretiosa, huiusmodi periculis non obstantibus audacter libertas est servanda.

Si restrictiones unilaterales sunt applicandae, quis eas imponet? Nemo nisi Status potestatem physicam habet eas imponendi. Iamvero omnis experientia humana monstrat quod ingerentia Status in rebus religionis tandem aliquando funesta est. Quamobrem nobis persuasum est religiones omnes iuridice aequales esse debent nec ullis restrictionibus subiectae nisi quae absolute necessariae sint ad ordinem publicum servandum.

Auctores huius schematis laudandi sunt, eo quod conati sunt fun-

damentum libertatis religiosae invenire magis positivum quam simplex tolerantia et bonum commune.

Haec omnia patientiam requirunt, caritatem mutuam et firmitatem in professione fidei nostrae, ne in indifferentismum cadere velimus.

Hoc denique addere licet: dictum est in hac aula quod principia tantum a Concilio enuntiari deberent, quin evolutio doctrinae catholicae hac in re ullo modo exponatur. Haec argumentatio minus recta mihi videtur. In documento pastorali necesse est dare aliquam indicationem methodi quo ad conclusiones nostras devenimus. Hoc saltem certum est. Multi extra Ecclesiam credunt catholicos non sincere libertatem religionis tueri. Semel et pro semper mundo declaremus nos imo corde praedicare plenam libertatem omnium filiorum Dei. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

[*Adhaeserunt etiam*] Beck George, AR Liverpool, Black James, VR Paisley, Cowderoy Cyril, VR Southwark, Cunningham James, VR Hexham e Newcastle, Dwyer George, VR Leeds, Ellis Edward, VR Nottingham, Foley Brian, VR Lancaster, Grasar William, VR Shrewsbury, Gray Gordon, AR S. Andrews e Edinburgh, Grimshaw Francis, AR Birmingham, Hart William, VR Dunkeld, Holland Thomas, VR Salford, McGee Joseph, VR Galloway, McGill Stephen, VR Argyll e the Isles, Murphy John, AR Cardiff, Parker Thomas, VR Northampton, Petit John, VR Menevia, Restieaux Cyril, VR Plymouth, Rudderham Joseph, VR Clifton, Scanlan James, AR Glasgow, Wall Bernard, VR Brentwood, Grant Charles, VT Alinda, Hornyak Augustine, VT Ermontis, Pearson Thomas, VT Sinda, Tickle Gerard, VT Bela, Ward James, VT Sita, Wheeler William, VT Teudali, Conway William, PR Armagh, Farren Neil, VR Derry, Morris Thomas, AR Cashel, Moynihan Denis, VR Kerry, Murphy Henry, VR Limerick, O'Doherty Eugene, VR Dromore, Rodgers Joseph, VR Killaloe, Ryan Thomas, VR Clonfert, Walsh Joseph, AR Tuam, Dooley John, AT Macra, Clyde Young Guilford, AR Hobart, Goody Launcelot, VR Bunbury, O'Brien Eris, AR Canberra Goulburn, Rush Francis, VR Rockhampton, Simonds Justin, AR Melbourne, Kavanagh John, VR Dunedin, McKeefry Peter, AR Wellington, Delargey Reginald, VT Irina, Snedden Owen, VT Acheloo, Lefebvre card. Joseph, CP Bourges, Audrain Henri, AR Auch, Barthe Gilles, VR Fréjus-Toulon, Bézac Robert, VR Aire, Chevalier Paul, VR Le Mans, Donze Henri, VR Tulle, Garrone Gabriel, AR Toulouse, Guerry Emile, AR Cambrai, Guilhem Jacques, VR Laval, Johan Roger, VR Agen, Kervéadou François, VR Saint-Brieuc, Martin Joseph, AR Rouen, Pioger André, VR Sées, Puech Pierre, VR Carcassonne, Rougé Pierre, VR Nîmes, Urtasun Joseph, AR Avignon, Vignancour Paul, VR Valence, Desmazières Stephane, VT Biblo, Jenny Henri, VT Licaonia, De Smedt Emile, VR Brugge, Jaeger Lorenz, AR Paderborn, Willebrands Giovanni, VT Mauriana, Butler Christopher, SG Congr. Angliae O.S.B., Mahon Gerald, SG Soc. S. Ios. Mill Hill.

Secretarius generalis: Proceditur ad suffragationem XXXII, pag. 19: [*cf. vol. III, pars I, pag. 410*]. Placetne an non placet?

2

EXC.MUS P. D. HADRIANUS NDUNGU
Episcopus Masakaënsis

Eminentissimi Principes, venerabiles Patres,

Loquor nomine plurium episcoporum ex Continente Africae et Insulis adiacentibus.[1]

Principia enunciata et elaborata a commissione de libertate religiosa valde placent et, factis hinc inde aliquibus expressionum emendationibus, videntur ab hac Sacrosancta Synodo ex necessitate declaranda.

Praeter ea, quae luculenter et egregie locuti sunt em.mi cardd. Ritter et König necnon exc.mus D. Parente, liceat mihi sequentia addere:

1. In Statibus Africae, qui magna ex parte nuperrime ad autonomiam politicam pervenerunt, agnitio libertatis religiosae maximi momenti est. Haud raro enim accidit, ut hi novi Status, sive in scholis sive in associationibus iuventutis (vulgo « *youth movements* ») et aliquando in ipso exercitio cultus, libertatem religiosam aut restringant aut denegent prorsus. Qua in re oportet Ecclesiam defendere libertatem cuiuscumque hominis ad seligendam et exercendam religionem secundum propriam conscientiam.

2. Ecclesiae, Matri et Magistrae, officium incumbit omnibus mentem suam clare patefaciendi circa iura aliorum in societate. Iamvero libertas religiosa est unum ex his iuribus sacris et inviolabilibus.

3. Non desunt proh dolor! in Africa exempla influxus ex aliis continentibus, qui sive materialismum sive aliquam religionem non christianam omnibus etiam vi imponere conatur. Quomodo potest Ecclesia talibus conaminibus non opponere principium libertatis religiosae?

4. Si quis censeat in Statibus christianis tuendam esse religionem christianam, restricta libertate ad alias religiones profitendas, admittere debebit in Statibus non christianis aequo iure libertatem ad religionem christianam esse restringendam! Quod valde damnosum esset Ecclesiae, praesertim in Asia et Africa.

5. Honor quem debemus « iis qui ignorant et errant », de quo agit schema, non est ita intelligendus quasi nos illum errori tribuamus sed personae, quemadmodum peccatum odientes, peccatorem diligere tenemur.

Conclusio. Secundum humilem sententiam multorum Patrum ex Continente Africae, ad tuendam et defendendam vitam et prosperitatem Ecclesiae, necesse est ut haec Sacrosancta Synodus verbis claris agnoscat

et declaret principium libertatis religiosae in schemate nostro elaboratum. Tutela talis libertatis non erit in nocumentum, sed in bonum Ecclesiae quia defensio erit veritatis, et veritas, sicut nobis promisit Christus Dominus, liberabit nos. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

[*Subscripserunt etiam*] Peter Dery, J. Essuah, Ntuyahaga Michel, Gabriel Champagne, Jean Lesourd, L. card. Rugambwa, G. Bertrand, Owen McCoy, Ignatius Phakoe, Vincent McCauley, Marcel Daubechies, Joseph Houlihan, J. Komba, A. Lanctòt, Guido del Mestri, J. Blomjous, J. Holmes Siedle, E. Mchonde, Chabukanska, Marcus Mihayo, C. Chitsula, C. Kihangire, H. Van Elswijk, J. Jobidon, H. Winkelmolen, A. van Oorschot, Hugh Boyle, J. B. Cesana, Adam Kozlowiecki, Eduard McGurkin, J. De Reeper, J. Corboy, Eugen Butler, Dennis V. Durning, Joseph Kilasara, G. Nkalanga, Jos. Fady, Marcel Maradan, Owen McCann, P. Kelleter, F. Van Hoeck, Ernest Green, Francis Markall, A. Schmitt, D. Hurley, Francis Esser, Victor Haelg, C. Ulyatt, Urban Murphy, John Durkin, Rud. Koppmann, E. Kinsch.

3

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH WRIGHT

Episcopus Pittsburgensis Latinorum

Venerabiles Fratres,

Libertatem loquendi peto, quia timeo quod de quaestione nostra nimis pragmatice loqui solet et quia nimis restricte et caute, fortasse, loquitur etiam praesens schema de nexu inter libertatem religiosam et bonum commune.

Omnes partes consentiunt quaestionem de libertate religiosa et de eius exercitio tandem aliquando tangere quaestionem de bono communi. Analysis ergo et defensio libertatis religiosae rationem reddere debet de natura et tutamine boni communis quod ipsam « rem publicam » aliquomodo constituit et ergo a moderatoribus rei publicae promovendum est.

Sunt qui asseverant defensionem libertatis religiosae etiam pro eis qui errores contra veritatem catholicam propugnant, bonum commune turbare seu laedere, quod quidem saepe negari vix potest. Sunt, e contra, qui affirmant quod, ex alia parte, etsi sit paradoxica, negatio agnitionis libertatis religiosae bonum commune suo modo etiam et plerumque peius nocet, *quia bonum commune ex ipsa sua natura talem libertatem et eius agnitionem a potestate civili positive exigit et praesumit tamquam elementum integrale et essentiale.*

Pro hac parte, pauca dicere velim.

Bonum commune est ordo aliquis rerum et virtutum; certe includit ordinem pacificam inter concives. Sed conceptus boni communis nequaquam aequiparari debet tali ordini quieto seu conformismo coacto qualis placeret fortasse statui totalitario sive « Police State », sed qualis minime congrueret societati humanae personarum in imaginem Dei creatarum et Deo tandem aliquando responsabilium: Deo « qui fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae ... *quaerere Deum,* si forte attrectent eum aut inveniant », secundum illud S. Pauli.

Profecto in his verbis S. Pauli adumbratio suggeritur necessitatis libertatis religiosae inter elementa illius boni communis quo communicat omne genus hominum inhabitantium super universam faciem terrae ad Deum quaerendum, si forte attrectent Eum ... etsi aliquando periculum controversiarum et contentionum oritur ex ipso quaerendo Deo.

Bonum commune personis dignum semper supponit elementum morale, intellectuale et spirituale tamquam essentiale et fundamentale; oboedientia et conformitas legi morali, divinae et positivae, in bono communi et inter alias virtutes adesse semper debent, sed huiuscemodi oboedientia, ad verum bonum commune nutriendum, debet esse *virtus* [1]..., virtus personarum scientium et volentium — et ergo libere agentium secundum iustitiam.

Bonum commune non est tantum cumulus aliquis physicus seu mathematicus bonorum materialium quae concives communicant. Includit certe servitia civica, vias publicas, instrumenta adversus incendia, securitatis urbanae curam — et alia huiusmodi ne tumultus fiat inter populum. Sed haec omnia non constituunt bonum commune ...[2]. Nam bonum commune est semper quid vivum, ethicum, spirituale, intellectuale et plene ergo humanum.

Ad rem nostram scripsit philosophus christianus Jacques Maritain, cuius verba in versione italica sic sonant: « *Il bene comune è cosa eticamente buona. E in questo bene comune stesso è incluso come elemento essenziale il massimo sviluppo possibile* hic et nunc *delle persone umane, di quelle persone che costituiscono la moltitudine unita, per costituire un popolo, secondo rapporti non solo di forza, ma di giustizia* ».

Exinde sequi videtur quod bonum commune humanum, in quantum ethicum et morale exigit et praesumit *fidem religiosam, veram et integram, fortem, fructuosam* et propterea semper *obsequium rationabile* et ergo libere acceptam et professam. Sed inde etiam, aeque ex iustitia, sequitur necessitas libertatis a coactione externa in re religiosa nisi

bonum commune perdat ipsam suam animam, quae est *virtus* et praesertim virtus *iustitiae.*

Dixit mihi professor aliquis acatholicus: « Dicere potes quod libertas religiosa pragmatice sese iustificare debet catholicis ut, e. g., probari videtur in regionibus ubi Ecclesia florescit sub regimine talis libertatis ». Sed hoc argumentum pragmaticum minus placet quia minime videtur condignum *rei.*[3] Melius est agnoscere, simplicitate christiana, quomodo libertas religiosa correspondet *veritati,* veritati de natura non tantum personae sed etiam ipsius boni communis.

Qui ergo bonum commune plenum et vero sensu inquirunt — et secundum doctrinam authenticam et catholicam, cum cuius principiis philosophicis et theologicis *praxis* conformari debet et non vice versa — qui tale bonum commune defendunt, desiderabunt omnes libertates vere humanas quam maxime roborare, educare et amplificare, praesertim libertatem religiosam ...[4].

Constat pro certo quod catholici, praesertim pastores animarum, orabimus et laborabimus assidue ut omnes homines libertate sua utantur ad progrediendum constanter in plenam et perfectam agnitionem solius Dei veri et, quem misit, Iesu Christi. Testes erimus Ei usque ad fines terrae, verbo et opere; arguebimus, obsecrabimus, increpabimus in omni patientia et doctrina ut error nullum *locum* habeat, utrum necne ullum *ius habet,* sed attentis semper iuribus errantium. Ius et officium nostrum implebimus gratia Christi, lumine Evangelii, virtute Spiritus Sancti, armis spiritualibus Ecclesiae roborati... potestatem coactivam regni huius mundi *nec* timentes *nec* adhibentes. Quidquid sit de temporibus praeteritis et culturis politicis olim fortasse operi Evangelii magis consentientibus sed nunc obsoletis, nunc tempore plus expedit christianos petere a potestate civili tantummodo ut ius nostrum *mandata Christi implendi iuste observet; ut partem necessariam et debitam nostram in promovendo bonum commune per opera educationis et pacis iuste secundet*; et *ut iuste relinquat* inviolatam libertatem religiosam eorum quibus nuntium Evangelicum et gratia Christi destinantur, scil. omnibus hominibus ...[5].

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] nec est mere thesaurus rerum acquisitarum, machinamenta technica, artefacta et opes quales in musaeis coacervantur et quae non sunt nisi praeda seu spolia, potius quam bonum commune, si ethice non acquiruntur et excoluntur. [3] deest. [4] i. e. libertatem comperire, meditari et cultu honorare Summum Bonum Deum, omnium bonorum fontem et auctorem. Huiuscemodi libertas religiosa componi potest cum regimine favente religioni particulari propter rationes historicas — sicut in Anglia, ubi Ecclesia pro-

testantica privilegia specialia gaudet (Established Church) uti dixit arch. Heenan, sed nunc saltem omnes, rege seu regina fortasse exceptis, ni fallor, plenam libertatem religiosam habent. [5] Deus qui nobis ius, officium et libertatem praedicandi dedit, hominibus quibus praedicamus dedit ius, officium et libertatem audiendi et credendi ut ad illam perfectionem religiosam perveniant quam potestas civilis nec donare nec auferre potest et cui ergo obsequi scrupulose debet, praesertim quoad eius libertatem. Nos, successores apostolorum, homines Dei, episcopi Ecclesiae catholicae, facile principes et impavidissimi inter praecones libertatis esse debemus, quia historice nos heredes sumus libertatis acquisitae in re religiosa quasi semper et fere ubique nonnisi per sanguinem et lacrimas patrum nostrorum; sic per experientiam historicam scimus quam cara est libertas et quam fructuosa. Supernaturaliter quidem heredes sumus libertatis istius maioris qua Christus nos liberavit libera sua obedientia, quam liberam obedientiam libenter imitabimus, semper in spe et proposito libere persuadendi proximos et fratres nostros ad similem obedientiam liberam: ad libertatem salutiferam quia obedientem; ad obedientiam salutiferam quia liberam.

Secretarius generalis: En textum suffragationis XXXIII: [*cf. vol. III, pars I, pag. 410-412*]. Placetne an non placet, Patres venerabiles?

Moderator: Loquatur exc.mus D. Ioannes Zoa, ultimus circa disceptationem *de libertate religiosa,* et post eum, gradum faciendo ad disceptationem super declarationem *de Iudaeis et de non christianis,* velit loqui em.mus card. Achilles Liénart, ep. Insulensis in Gallia.

4

EXC.MUS P. D. IOANNES ZOA
Archiepiscopus Yaundensis

Venerabiles Patres,

Corde amplectens omnia quae dixit clarissime exc.mus D. Ioannes Wright, nomine multorum episcoporum Africae et plurium aliarum regionum, qui interpellari potuerunt in brevi temporis spatio nobis concesso, loquar.[1]

Circa libertatem religiosam nihil aliud iure exspectat mundus a Concilio quam solemnem declarationem de reverenter tractanda quacumque humana persona in omni ordine et imprimis in ordine religioso. Ideo illa tam exspectata declaratio 1. *universalis* esse debet quoad modum considerandi libertatem religiosam; 2. *doctrinalis* quoad fundamentum, sicuti 3. est *necessaria* quoad contentum.

1. Nostra declaratio debet esse universalis quoad modum considerandi libertatem religiosam. Ut mos est, unusquisque loquitur de hac libertate, sicut de omni alia re humana, secundum suam propriam experientiam personalem aut nationalem, sive libertatis, sive persecutionis. Hoc facile intelligitur. Attamen haec ratio procedendi nullo modo Concilio Oecumenico sufficere, nec, si sola adhibeatur, convenire potest.

Concilium enim Oecumenicum seu universale nihil debet considerare nisi modo universali. Concilium revera non contemnit valorem experientiarum diversarum nationum; sed ipsum non decet loqui nisi secundum exigentiam humani generis universaliter considerati. Aliter, nec fidele esset suo ingenio oecumenico, nec ipsi generi humano, et consequenter nec ipsi eius Creatori Deo. Idcirco ita loquendum nobis est de libertate religiosa, ut quilibet homo, ut talis, nostris assertionibus assentire possit.

2. Nostra declaratio debet esse doctrinalis quoad fundamentum.

Hic non sufficit mera declaratio plus minusve pragmatica, sine ulla consideratione vere doctrinali. Etenim, iuste aut iniuste (parum hic refert), Ecclesia catholica accusatur concedendi libertatem si ad hoc ab extrinseco compellitur, denegandi autem illam ab intrinseco. A. v., intolerantia haberetur a nobis ut regula, et illam applicaremus quoties potestate publica potimur; libertas religiosa, et ipsa tolerantia, haberetur ut exceptio. Et revera, hic est sensus illius lugendae doctrinae de thesi et hypothesi: ratio agendi, de iure, est intolerantia; si, de facto, conditiones existentes ad hoc cogunt, est tolerantia.

Istam doctrinam tenere censemur a multis non catholicis aut non credentibus. Ideoque, si declarationem de libertate religiosa modo tantum pragmatico, non doctrinali etiam, fecerimus, i. e. si non reiecerimus explicite, clare et sine ullo effugio istam lugendam doctrinam de coercitione legitima in re religiosa, videbimur concessionem parvam mentalitati hodiernae fecisse, sed nullam veritatem proclamasse. Habiles, politici aut diplomatici videbimur, sed a nullo seriam fiduciam consequemur, et existimabunt homines quod, ubi res favorabiles nobis erunt, futurum est ut coercitionem in re religiosa denuo defendamus.

Quae cum ita sint, absolute requiritur non solum libertatem religiosam pragmatico modo declarare, sed etiam doctrinaliter eam iustificare. Quod duobus modis perficiendum est. Uno modo, positive, in memoriam revocando dignitatem absolutam personae humanae, ad imaginem Dei creatae, et reverentiam ei debitam, praesertim in re religiosa, in quantum scil. vita religiosa e singulorum hominum intima convictione procedere debet, quam nulla unquam potestas humana eis legitime imperare potest; altero modo, negative: i. e. solemniter reiiciendo sic

dictum ius coercendi personas, etiam si possibilitas concreta ita agendi hic aut illic denuo daretur ...[2].

3. Nostra declaratio absolute necessaria est quoad contentum. Haec declaratio sic intellecta necessaria videtur, non solum propter rationes oecumenicas, sed etiam ad favendum Missioni ipsius Ecclesiae. Et hoc, propter triplicem rationem:

a) Si non declaramus absolutam reverentiam personae humanae in re religiosa debitam, homines nostri aevi attingere nequimus; si attingere poterimus, servare non possumus; si autem servamus, eos educare incapaces sumus. Etenim contemporanei nostri nihil habent pretiosius quam hanc dignitatem et libertatem personae humanae. Ideoque nos cum eis tractare debemus sicut Paulus ipse erga omnes se habebat ...[3].

b) Si libertatem religiosam non aperte declaramus, ipsius Ecclesiae honorem laedimus, eam aequiparando cuilibet sectae vel etiam, proh dolor!, totalitarismo. Sectae enim aut omnes species totalitarismi solent ignorare iura personae humanae propter sic dicta iura veritatis. Si ergo omittimus declarare quod iura veritatis numquam seiungi possunt a iuribus personae humanae, iam Ecclesia non signum sed scandalum pro contemporaneis nostris in mundo levatur.

c) Denique, si non sincero corde et doctrinaliter libertatem religiosam agnoscimus, quasi proditores Christi, inconscii quidem sed reales, erimus. Nullo modo enim Ille venit ad nos in coercitione, armatura iuris aut forma potentiae; sed potius et unice in spiritu demissionis, caritatis et patientiae. Semper se habuit ut signum vivum et vivens inexhaustae caritatis, seu, ut Patres aiunt, philanthropiae Dei, illius caritatis qua Deus dilexit mundum et cuius testes sumus in universo mundo.

Conclusio. Haec est summa Veritas cuius iura vindicare debemus, amando, praedicando, testificando et, si necessarium est, vitam nostram ponendo pro hominibus.

Finem imponendo huic interventioni, dicam quod declarationi *iam ab em.mo card. König et ab exc.mo Čekada prolatae*[4] contra persecutionem religiosam libenter assentimur nos, qui illa pretiosissima libertate non raro diversis in locis privati sumus. Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Ut autem haec declaratio doctrinalis definitiva appareat et sit, perutile videtur sobrie, sed clare, veniam petere de omnibus iniuriis quibus homines Ecclesiae, ratione veritatis tuendae vel promovendae, dignitatem personae humanae in decursu temporis afficere potuerunt. [3] (*1 Cor.* 9, 19-22). [4] deest.

Secretarius generalis: Notum facio exitum suffragationis XXXI:

Suffragati sunt Patres	2.176
Dixerunt *placet*	2.088
non placet	86
Suffragia nulla sunt	2

Ergo textus est approbatus.

Lego nunc textum suffragationis XXXIV, quae continet paragraphos novas, uti videtis, quae non erant in priore schemate [*cf. vol. III, pars I, pag. 412-413*]. Placetne an non placet?

PATRUM ORATIONES

(Declaratio altera *de Iudaeis et de non-christianis*)

5

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART
Episcopus Insulensis

Venerabiles et carissimi Fratres,

Opportunitas reservandi religioni iudaicae aliisque non christianis religionibus capitulum integrum vel saltem appendicem unum in decreto *de Oecumenismo,* vehementer iam fuit controversa. Anxietates corde percipio quibus hac de re afficiuntur nonnulli nostri, praesertim fratres Ecclesiarum orientalium, propter tensionem quae in re politica gravis hisce diebus existit inter Israëlem et nationes arabes in quibus degunt.

Verumtamen si de re religiosa agatur, de qua, exclusis aliis, unice tractare intendit Concilium, necessarium mihi videtur ratione oecumenismi necnon et pastoralis curae, textum propositum non solum servare sed et complere.

Quod ad Oecumenismum attinet. Quamvis de non christiana religione hic agatur, est nihilominus religio iudaica stirps ille seu radix communis omnium Ecclesiarum christianarum; est bona illa oliva in quam, iuxta S. Pauli verba, omnes nos ex naturali excisi oleastro inserti sumus ex Dei miseratione ...[1]. Abrahae filii sumus et nos secundum fidem, haeredesque promissionis quam illi fecit Dominus et semini eius.

Huius populi prophetae, prophetae nostri sunt; eorum psalmi quotidianam nostram orationem constituunt; eorum libros sanctos pro divinitus inspiratos tenemus, intime connexos nostris libris Novi Testamenti ad exponendum complete historiam salutis nostrae. Iure igitur proclametur, sicut et in proposito schemate fit, quomodo fundator noster sanctus, Iesus Filius Dei, cum homo factus sit, Iudaeus fieri elegerit; quomodo Maria mater sua, et nostra, Iudaea fuerit; quomodo apostoli quorum successores sumus, et ipsi Iudaei erant; ideoque populo huic peculiarem devotionem exhibere ac reverentiam certo debemus. Instanter ergo peto, ut primae quatuor paragraphi art. 32 huius appendicis, in schemate *de Oecumenismo* integre custodiantur.

Quod autem ad pastoralem curam attinet, mihi necessarium videtur plura etiam dici quam quae habent ultimae duae paragraphi huius art. 32. Non enim ex solo motivo caritatis cavere tenemur in catechesi impertienda et in praedicatione verbi Dei, ne Iudaeos ut reprobum genus consideremus; sed et propter veritatis exigentiam qualis nobis in Sacra Scriptura praebetur.

SS. apostoli Petrus et Paulus populum iudaicum ut reprobatum non tenuerunt. Iudaeos enim alloquens S. Petrus in Actuum Apostolorum libro ...[2], postquam ipsos exprobrasset quod Iesum crucifixissent, explicite eisdem non quasi reprobis sed semper vocatis et electis textualiter dicit: « Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi... et accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim est *repromissio* et filiis vestris et omnibus qui longe sunt ». S. Paulus et ipse in Epistola ad Ephesios ...[3] scribit quod per mortem suam « fecit Iesus utraque unum, medium parietem maceriae solvens » (qui antea separabat Iudaeos a Graecis) « ut duos condat in semetipso in unum hominem novum... et reconciliet ambos in uno corpore Deo »; et in Epistola ad Romanos ...[4] fidelem declarat Deum et quod « sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei » etiam post peccatum; ibique exponit quomodo mirabili ac mysterio plena dispositione providentiae salus Iudaeorum iterum inseretur in historia Redemptionis postquam plenitudo gentium intraverit, et sic omnes salvi fient. Manent Iudaei, iuxta Pauli apostoli verba, « secundum electionem carissimi propter patres ». Non est ideo populus iudaicus populus reprobatus, neque ullo modo licet nobis illum ut talem habere vel tractare; quinimmo ut Scripturae Sacrae fideles simus, contrariam plane doctrinam exponere tenemur.

Idem dicendum venit de accusatione alia, quae magis etiam Iudaeos affligit atque vulnerat, quod nempe sit populus deicida. Alio modo prorsus hac de re loquitur S. Petrus in libro Actuum ...[5]. Iudaeis quidem sibi audientibus exprobat quod « Sanctum et Iustum negastis, et peti-

stis virum homicidam donari vobis; auctorem vero vitae interfecistis »; sed continuo eosdem his verbis excusat: « Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri ». Nesciebant enim hunc virum vere Filium Dei esse; ita ut ipsis applicari valeat illud S. Pauli ad Corinthios ...[6] de principibus huius saeculi loquentis: « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent ». Eorum culpa non in deicidio consistit, sed in hoc quod Christum negaverunt et in illum a Patre missum credere noluerunt. Sacrae Scripturae doctrina est quod nos omnes, Iudaei simul et Gentiles, sub peccato sumus, et quod propter peccatum omnium crucifixus est Filius Dei.

Ideo ut catechesis et praedicatio nostra fideles sint, necesse est ut Sacra nostra Synodus explicite declaret quod ex hoc nunc a labiis nostris arceri oportet vocabula: « reprobatum » et « deicidii reum », in loquendo de Iudaeis; et ex altera parte, quod Iudaei, iuxta Providentiae divinae arcanam misericordiae dispositionem, locum reservatum habent in praesenti salutis oeconomia.

Propter iustitiam ergo, enixe peto ut textus duarum ultimarum paragrapharum huius art. 32 recognoscantur et compleantur. Et scriptis novum textum Secretariatui Concilii hac mente conceptum remitto.

In textu scripto tradito: [1] (*Rom.* 11, 17). [2] (2, 38-41). [3] (2, 14-16). [4] (11, 26-29). [5] (3, 17-19). [6] (*1 Cor.* 2, 8).

Textus additus:

Loco par. 5 « Memoria insuper » et par. 6 « Ideo curent » opto quod scribatur sic: « Ideo curent omnes ut a catechesi et verbi Dei praedicatione quidquid suggerere poterit despectum aut odium erga Iudaeos excludant. Praesertim praecipit Sacra Synodus ut verba quae Iudaeos denuntiant tanquam populum reprobatum, imo deicidii reum, stricte arceantur quia nullo modo cum dictis Sacrae Scripturae consonant. Sed potius satagant praedicatores et catechistae ostendere vocationem populi iudaici adhuc subsistere et secundum arcana consilia Dei ab apostolo Paulo memorata (*Rom.* 11) partem habere in oeconomia praesenti historiae salutis huius mundi ».

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis XXXII:

Inter Patres	2.169
Dixerunt *placet*	2.155
non placet	14

Placuit igitur textus.

Lego textum suffragationis XXXV, pag. 22: [*cf. vol. III, pars I, pag. 413*]. Utrum placet an non placet?

6

Em.mus P. D. IGNATIUS GABRIEL card. TAPPOUNI

Patriarcha Antiochenus Syrorum

Venerabiles Patres,

Loquor tum nomine meo, tum nomine beat.morum patr. Stephani Sidarouss, patr. Alexandrini Coptorum, Maximi Saigh, patr. Antiocheni Melchitarum, Pauli Cheikho, patr. Babylonensis Chaldaeorum, atque Ignatii Petri Batanian, patr. Ciliciae Armenorum.

Declarationes quas, durante sessione II Concilii fecimus, de argumento nunc discusso, iterum *nunc* [1] confirmamus. Ista confirmatio nullatenus est oppositio contra iudaicam religionem, quacum tot coniungimur vinculis, neque est discriminatio erga gentem determinatam, scil. semiticam, ad quam nos fere omnes quoque pertinemus.

Propositum nostrum est, si iterum has declarationes facimus, ut vitentur nostrae activitati pastorali graves difficultates, neque accusetur Concilium Oecumenicum, immerito quidem, favorem suum tendentiis politicis determinatis conferre, sicut iam aliqua instrumenta preli asseruerunt.

Quapropter, cum vera et plena causae cognitione, officii nostri pastoralis censemus esse, venerabiles Patres, reverenter et instanter in memoriam revocare illud quod iam diximus, inopportunam esse hanc declarationem Concilii de Iudaeis, vosque rogare ut iuxta petitionem nostram, declaratio illa simpliciter ab actibus Concilii deleatur. Sic!

In textu scripto tradito: [1] deest.

7

Em.mus P. D. IOSEPH card. FRINGS

Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

Placet quod ex cap. IV et V decreti *de Oecumenismo* factae sunt duae declarationes, una de libertate religiosa, altera de Iudaeis et ceteris non christianis. Placet etiam ut secunda declaratio, de qua nunc loquimur, fusius et profundius agat de re ibi proposita, praesertim de Musulmanis, sicut etiam Beat.mus Papa Paulus in suis Litteris Encyclicis dialogum cum non christianis valde laudat et commendat.

Ad textum liceat mihi aliquas correctiones proponere. Deplorandum videtur quod in iis quae dicuntur de Iudaeis deciderunt illa theologia perpulcherrima et admirabilis quam exhibet Epistola ad Ephesios, in cap. II, ubi apostolus dicit: ipse Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum, solvens parietem medium maceriae, mandatum decreti solvens. Et pergit dicens Christum unum novum hominem per suam crucem et mortem creasse in Corpore suo mystico, cum vocaret eos qui longe et eos qui prope sunt. Hic locus est classicus pro relatione inter Gentes et Iudaeos, inter Populum Novi et Veteris Testamenti.

Deplorandum etiam mihi videtur ut [ceciderit] sententia illa in qua dicebatur ut non toti populo Iudaeorum culpa attribui possit in morte Domini Iesu Christi; quia haec sententia, ex iis quae dicunt Evangelia et Actus Apostolorum, clare eminet. Quapropter mihi restituendum videtur ad pristinos textus de Iudaeis.

In secunda parte, in qua dicitur de aliis religionibus non christianis, dicitur has religiones in multis opinionibus et doctrinis discrepare a nostris, sed tamen in multis reflectere « radium veritatis illius quae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat ». Sed rectius mihi videtur dicere in aliis religionibus, imperfecte quidem et multis humanis erroribus admixtis, loqui de religiosis rebus sed tamen reflectere in multis radium veritatis illius quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Tertio: in ultima incisa optime dicitur monitio ut omnis incriminatio stirpium vel religionum vitetur. Sed dici non potest ut ibi legitur: Haec Sacra Synodus praecipit ut non solum proximum sed etiam inimicos, si quos censeamus habere, diligamus. Hoc enim est mandatum Domini Iesu Christi ipsius, quod dixit suum mandatum. Ideo Ecclesia illud inculcare et de novo in mentem vocare potest, sed non in sensu stricto praecipere, quia hoc fecit iam Dominus Iesus Christus. In hoc sensu rogo, ut retractentur textus.

Textus scripto traditus:

Placet, quod ex cap. IV et V decreti *de Oecumenismo* factae sunt duae declarationes, una *de libertate religiosa,* altera *de Iudaeis et de non christianis,* quia Oecumenismus sensu stricto sumptus non respicit habitudinem christianorum ad non christianos sed relationem christianorum inter se. Placet etiam, quod nostrae relationes ad non christianos, speciatim ad Musulmanos, fusius tractantur, sicut Beat.mus Papa Paulus VI in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* dialogum etiam cum non christianis expresse laudat.

Quoad vero textum nostrum aliquas correctiones proferre audeo, scil.:

1. In textu, qui agit de Iudaeis, valde deplorabile videtur theologiam istam pulcherrimam et grandiosam, quam exhibet epistola ad Ephesios, fere exstinctam

esse, secundum quam ex mysterio a saeculis abscondito per Christum facta est pax inter eos, qui erant longe, et eos, qui erant prope, id est inter gentes et inter populum electum Dei Iudaicum, Christo in corpore suo crucifixo faciente unum novum hominem medium parietem solvente, qui fuit inter Iudaeos et gentes. Hic vere locus classicus est in Sacra Scriptura pro antiqua et nova relatione inter populum veteris foederis et novi.

Deplorandum etiam videtur cecidisse sententiam, quae non toti populo iudaico Christi temporibus viventi culpam in morte Christi attribuebat, sententia, cuius veritas ex Evangelio et ex Actibus Apostolorum omnino patet. Redeundum ergo videtur in his duobus punctis ad pristinum textum.

2. In textu de nostra habitudine ad ceteros non christianos non placet locus, in quo dicitur has religiones a nobis discrepare opinionibus et doctrinis, sed tamen in multis referre « radium illius Veritatis quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum », sed dici debet has religiones « quamvis imperfecte et non sine erroribus humanis admixtis, tamen in multis » referre « radium illius Veritatis etc. ».

In fine non placet, quod dicitur, haec Sacra Synodus... « praescribit » christifidelibus, « ut diligant, non tantum proximum suum, sed et inimicos, si quos se habere censeant... », sed Sacra Synodus hoc mandatum Christi Domini tantum in mentem revocare et de novo inculcare potest.

Secretarius generalis: Notum facio exitum suffragationis XXXIII:

Votum dederunt Patres		2.164
quorum dixerunt	*placet*	2.125
	non placet	38
Suffragium nullum		1

Ergo textus est approbatus.

En, venerabiles Patres exitum suffragationis XXXIV:

Inter Patres		2.168
pronunciaverunt	*placet*	2.157
	non placet	11

Ergo uterque textus placuit.

Attendatis, venerabiles Patres, antequam legam textum ultimae suffragationis pro hac die. Commissio doctrinalis petiit ab em.mis cardd. moderatoribus, ut, post suffragium de singulis numeris vel etiam paragraphis cap. III schematis *de Ecclesia,* quod nunc suffragationi subiicitur, non fiat una suffragatio finalis de integro illo capite, sed duae suffragationes finales, videlicet: una de parte priore capitis, i. e. de nn. 18-23 — bene est ut adnotetis, Patres ornatissimi — de nn. 18-23, qui in libello « Quaesitum circa modum suffragandi schema constitutionis de

Ecclesia » suffragationes complectuntur a prima ad 21; ergo prima suffragatio: a prima suffragatione partiali ad 21 suffragationem. Altera, de parte posteriore eiusdem capitis, i. e. de nn. 24-29, qui in eodem libello complectuntur suffragationes 22-39.

Ergo prima suffragatio circa nn. 18-23; altera suffragatio de nn. 24-29.

Et dant rationem Patres commissionis doctrinalis: ratio huius petitionis est, quia duae illae partes clare inter se distinguuntur, et iudicium de iis ferendum potest non parum differre. Labor autem huius commissionis a iudicio de utraque parte ferendo multum dependet et, si fiat divisio, spes est fore ut labor ille probabiliter valde allevietur et acceleretur. Cui petitioni em.mi moderatores assentiendum censuerunt. Quapropter feria IV proxima de cap. III fient duae suffragationes finales: prima suffragatio a n. 18 ad n. 23, altera suffragatio a n. 24 ad n. 29. Uti patet, etiam circa has duas suffragationes finales formula suffragii ferendi eadem manet, nempe *placet, non placet, placet iuxta modum*.

Nunc lego textum ultimae suffragationis hodiernae; et est suffragatio XXXVI: « Cum vero haec munera, ad vitam Ecclesiae summopere necessaria, in disciplina Ecclesiae latinae hodie vigenti in pluribus regionibus adimpleri difficulter possint, Diaconatus in futurum tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae restitui poterit ». Placetne an non placet?

8

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI

Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

1. Laudes quibus Iudaei in declaratione altera cumulantur, iunctae cum sint, panegyricam orationem, etsi brevem, efficere dicerentur; sed eas infitiari minime audeo quia verae sunt.

Potissimum autem assentiri mihi placet em.mo card. Bea, relatori, dum ipse contendit populo Iudaico, in universum, et praesertim Iudaeis hodiernis culpam Crucifixionis Christi attribuere non licere; propterea eos vocare deicidas non possumus, eo magis quod nomen « Deicida » insulsitatem quamdam exprimit, nam nemo Deum occidere unquam valeret. Ceterum quemadmodum Iesus Cruci affixus pro carnificibus suis, qui ignoranter egerant, veniam a Patre caelesti cum lacrymis multis deprecatus est ...[1], nos quoque eis, quicumque fuerunt, parcere ex animo debemus.

Attamen animadvertendum esse censeo a nobis merito expectari ut Iudaei — qui Israëlitas appellari forsan nunc praeferunt — tandem agnoscant Christum iniuste damnatum esse ad mortem ...[2].

2. Ast, ut verbis S. Pauli in secunda ad Corinthios utar, « obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum diem ... cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum » ...[3].

Quod velamen, ut auferatur, preces ad Deum, qui est Jahveh, fervidissimas effundimus.

Pluribus autem in locis et tempestatibus sincerum apertumque amorem Iudaeis testificati sumus. E. g.: immani bello paucis ante annis fere ubique furente, quot populi Israëlitici filios adversus nazistas — qui dicebantur — nos proteximus impediendo ne deportarentur et, deinde, ne interirent!

Bello enim confecto, caput ipsum Rabbinorum officium suum putavit Praelatis huius Urbis pro summo beneficio gratias agere, quia haud paucos Hebraeos in aedes Sanctae Sedis cum recepissent, eos ex certa morte eripuerant.

Itaque non multa nos indigemus exhortatione ut Iudaeos diligamus, quorum ex stirpe praeclara et Iesus Christus, et B. Virgo Maria, et apostoli orti sunt; etiam pro ipsis Christus passus et mortuus est; sed potius — ut opinor — inducendi sunt Iudaei ut christianos, nominatim catholicos, diligant vel saltem non vexent.

Neminem quidem fugit Iudaeos usque adhuc doctrinam Talmudis ...[4] sequi, iuxta quam ceteri homines contemnendi sunt utpote bestiis similes ...[5], atque compertum habemus omnes religioni nostrae eos saepe infensos esse. Etenim, ut id uno confirmem exemplo, perniciosa secta, longe lateque diffusa, massonum, cuius asseclae excommunicatione, S. Sedi Apostolicae simpliciter reservata, mulctantur ...[6], quia contra Ecclesiam multa machinari solet, nonne a Iudaeis fulcitur ac fovetur? Propterea velim ut in declaratione, disceptationi nostrae subiecta, Iudaei efficaciter provocentur ut amori quo eos sincere prosequimur, amore suo ipsi respondeant.

3. Denique: Benevolentia quae — agendo de religionibus non christianis — in pag. 48, linn. 21 ss. confertur erga Musulmanos — quos etiam sincere diligimus — quamquam opportunam haberi possit quia alicubi illi proximi sunt Iudaeis, timeo tamen ne exinde obtrectatio excitetur in asseclis reliquarum religionum, praesertim in Buddhistis et in Induistis, qui numero et momento minores non sunt Mahommedanis neque a religione christiana remotiores vel disiunctiores mihi videntur quam Mahommedis discipuli.

Proinde rogo eos ad quos ultima declarationis confectio pertinet,

ut perpendant utrum melius sit omnes religiones non christianas, in primis illas quae in mundum maxime vulgatae sunt, recensere, an easdem simul, verbis universis, commemorare sufficiat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Lc.* 23, 24; cf. *Hebr.* 5, 7). [2] ut ex Passionis eius historia certo colligitur. [3] (2 *Cor.* 3, 14 s.). [4] (fideliter). [5] (cf. Talmud, *Baba Metzia,* fol. 114, col. 2). [6] (cf. *C.I.C.,* can. 2335).

9

Em.mus P. D. IACOBUS card. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

Venerabiles Patres,

Alii oratores dixerunt (vel dicent) rationes proximas, sensum et momentum effectivum huius declarationis de Iudaeis. Ego velim una in re haerere, i. e. illustrare rationem ultimam et causam summam, quae ut puto necessario Synodum nostram ad huiuscemodi consultum nunc adducit, in hoc prorsus tempore Ecclesiae Christi.

Quae enim ratio est omnino extranea reipublicae negotiis et sollicitudinibus quibuscumque; nullo modo attingit publicas relationes inter diversas nationes.

Immo ad hanc declarationem Ecclesia ne praecipue quidem adducitur eventis historicis ultimi magni belli (quae sane omnes homines merito commoverunt) neque proprie argumentis suggestis a sensibus (quamquam debitis) humanitatis et honestatis.

Sunt potius impulsus ipsi Ecclesiae intimi qui — praeter quodvis eventum et praeter quamvis stimulationem ab extra — prorsus hodie maturescunt in profundo et in arcano supernaturalis vitae et conscientiae Ecclesiae Christi.

Ad haec consulta Ecclesia hodie venit quia hodie Ecclesia profundiorem cognitionem accipit aliquorum aspectuum sui mysterii et suae vitae in actu. Itaque declaratio de Iudaeis quasi dici potest naturalis fructus examinis constitutionis *de Ecclesia* et praesertim constitutionis *de sacra Liturgia.* Miranti quod hodie tantum, post tot saecula, Ecclesia haec de Iudaeis doceat, multis argumentis responsum dari potest, opportune etiam commemorando antecedentia statuta Iuris Canonici, veteris et novi, ad libertatem religiosam filiorum Israël tuendam; sed verius dici debet hodie sane ab Ecclesia illa statuta renovanda et complenda esse, quia hodie Ecclesia ex professo tractat non solum aliquem

aspectum suae divinae institutionis vel suarum notarum vel potestatum, sed plenitudinem amplissimam suae realitatis ontologicae (in constitutione *de Ecclesia*) et bonorum pretiosissimorum quibus ipsa quotidie vivit, i. e. Verbo Dei et Eucharistico convivio (in constitutione *de sacra Liturgia*).

Hinc mihi videtur oriri plenissima ratio huius declarationis de Iudaeis, quae ratio eius elementa postulat et notas praecipuas, quas velim melius firmatas quam in textu proposito. Velim plenitudinem robustiorem declarationis, parem plenitudini mysterii Ecclesiae quod constitutio dogmatica illustravit, et velim sensum non tantum humanitatis sed etiam et magis religiosae reverentiae erga peculiarem vocationem cum in praeterito tum in praesenti et in futuro populi iudaici.

Propter temporis angustiam dicam praecipue de congruentia inter declarationem *de Iudaeis* et constitutionem *de sacra Liturgia.*

1. Declaratio loquens « de communi christianorum patrimonio cum Iudaeis » videtur respicere, sicut ipsa dicit, « fidei et electionis initia », i. e. utcumque illa quae Ecclesia a populo iudaico in praeterito hereditate accepit, usque ad Virginem Mariam, ad Christum Iesum Dominum nostrum, ad apostolos.

Sed populus iudaicus oculis Ecclesiae non tantum pretium et dignitatem supernaturalem praeteriti temporis habet et pro originibus Ecclesiae, sed etiam in praesenti et pro eo quod attinet ad elementa essentialissima et divinissima in vita cotidiana Ecclesiae: maxime si verum est quod constitutio *de sacra Liturgia* voluit illustrare et ad effectum adducere in Ecclesia nostri temporis, i. e. culmen omnis activitatis ac fontem virtutis Ecclesiae *ipsius*[1] esse illud quo cotidie Ecclesia se alit et vivit, *Sacra Scriptura* nempe in *Liturgia Verbi* et *Agno Dei* in *Liturgia Sacrificii.* Quae duo bona — praesentis Ecclesiae pretiosissimum patrimonium — utraque nobis veniunt e patrimonio Israël: non tantum Scriptura Sacra, uti patet, sed etiam quodam modo, Eucharistia, iam Paschate et manna praefigurata, et a Christo ipso instituta secundum ordinem *haggadah* paschatis Hebraeorum. Immo Verbum Dei et Eucharistia — « Ecce Agnus Dei... », « Agnus » — etiam nunc arcanam ...[2] communionem efficiunt inter congregationem liturgicam, quae est Ecclesia in suo actu perfectissimo in terra, *in Missa,*[3] et sacrum *Qahal* filiorum Israël; etiam nunc alunt profundius commercium Verbi et *Spiritus,*[4] ita ut nos in supremo momento divinae liturgiae possimus Abraham Patriarcham nostrum, i. e. patrem nostrae stirpis, legitime appellare: « ... et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae ».

Etiam si istud commercium non est hodie Iudaeis plene detectum, est tamen semper vinculum effectivum et praesens, natura et vi omnino

peculiare. Itaque mihi videtur necessaria mentio expressa colloquiorum *biblicorum* cum Iudaeis et quaedam significatio muneris quod etiam nunc Iudaeis competere potest, quippe qui etiam in praesenti oeconomia (dummodo fidem patrum suorum sincere et humiliter colant et sensum religiosum Scripturarum caste custodiant) quoddam testimonium biblicum et paschale reddere possunt. Quod testimonium, quamvis adhuc sub velamine ...[5], potest tamen etiam nobis christianis perutile esse, ad fovendam pietatem Ecclesiae, quae pietas revera magis magisque biblica et paschalis sit oportet.

Omitto, propter angustiam temporum, aliqua, sed haec addo[6]:

Semper commemorandum est non esse noviter inventam sed constanter traditam catholicae Ecclesiae doctrinam: peccavisse Hebraeos qui per ignorantiam ...[7] « Auctorem vitae interfecerunt », sed non minus crucifigere Dominum et ...[8] peccare christianos, scienter Nomen Iesu blasphemantes et eius mandatum novum amoris et sanctitatis spernentes. Ita iam Catechismus S. Concilii Tridentini (Parte I, art. IV ...[9]) docebat. Satis.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quandam. [3] deest. [4] vitae. [5] (*2 Cor.* 3, 15). [6] 2. Iure declaratio nostra affirmat: « odia et vexationes (verbum vexatio levius videtur in comparatione ad omnia noxia quae adversus Iudaeos historia nostri temporis sicut omnium saeculorum in tabulas retulit) contra Iudaeos deplorat et damnat » ... « sicut iniurias hominibus ubicumque illatas ». Nihil depromitur aestimatione et obsequio quae Christi Ecclesia debet et vult praestare omnibus hominibus, omnibus gentibus et omni fidei sincere religiosae, si Concilium nostrum declaret peculiarem prae aliis observantiam iudaeis, quos hic unice qua *sodalitate religiosa* spectare volumus. Nullo modo potissimum minuitur honos ab omnibus nobis praestandus Arabiae gentibus et Mahomethanae legis cultoribus in quibus nos iuvat recognoscere, quamvis alio modo, Abraham progeniem et aliquem usum cum biblica revelatione: sicut ipse ego cum gaudio nuper expertus sum in Hebron humanissime acceptus, in Haram-El-Qalhil, i. e. ad veneratissimum sepulcrum Patriarchae Amici Dei. 3. « *Adunatio* autem populi iudaici cum Ecclesia », de qua declaratio nostra loquitur, forsitan ab aliquibus aequivoce interpretari poterit, i. e. secundum sensum inconditum et extrinsecum; nos vero volumus simpliciter fidem et spem Pauli profiteri: nempe quod « *non reppulit Deus plebem suam quam praescivit* » (*Rom.* 11, 2) et « *sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei* » (*Rom.* 11, 29): propterea illi adhuc sunt Deo carissimi (*Hebr.* 11, 28) et nondum revelatur τό πλήρωμα αυτῶν (*Rom.* 11, 12). Quomodo illa « plenitudo » revelabitur? Certissime per vias, quarum a nobis religiosum mysterium observandum est. Illae viae in altitudine sapientiae et scientiae Dei (*Rom.* 11, 33) absconduntur; propterea non sunt confundendae cum viis hominum, i. e. ostentationis et persuasionis ab extrinseco: non transeunt per mundanas transmutationes, sed per animorum intentionem eschatologicam ad commune aeternum Pascha messianicum. 4. Tandem ultima animadversio. Semper propter pro-

fundius obsequium erga mysterium magnum consilii Dei et consummationis Scripturarum in Christo, ipsa Iesu damnatio et crucifixio per iudaeorum principes certissime iudaeis nostrorum temporum imputari non potest. Sed etsi magnum peccatum fecerunt principes populi qui Iesum repudiaverunt et crucifixerunt, tamen revera ipsi universi generis humani, errori et peccato subditi, vicem quodammodo gerebant. Immo. [7] (*Act.* 5, 17). [8] magis. [9] 5, 11.

10

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Neminem praeterit quam gravis momenti sit declaratio *de Iudaeis et de non christianis* in schemate *de Oecumenismo* proposita.

Est enim actus necessarius Ecclesiae renovatae quae sese ad mundum non christianum vertere et cum eo fraternum dialogum incipere intendit. Duo ultimi articuli opportune additi sunt priori textui, ita ut nemo ab illo dialogo excipiatur.

Illa declaratio videtur etiam necessaria pro ipsis fidelibus Ecclesiae. Illi enim saepe nesciunt tantos non christianos homines esse, qui Deum sincero corde quaerunt, et, ob quamdam confusionem doctrinalem, in animis suis opiniones praeiudicatas servant quae cum fide catholica minime concordant. Illis rationibus invitamur ad plane pleneque loquendum ...[1].

Nunc quasdam particulares observationes proponere intendo.

1. *De iudaicis originibus Ecclesiae.* Linn. 11-30, opportune refertur origo iudaica Christi, Mariae Virginis et apostolorum. Ne autem illa mentio menti appareat sicuti mera concursio materialis, in textu dici posset ea omnia ipsum Deum voluisse. Etenim secundum ipsa verba Iesus in Evangeliis relata, « salus ex iudaeis est » ...[2], et Evangelium vult « non solvere, sed adimplere » Legem antiquam ...[3].

2. *De damnatione odii contra Iudaeos* ...[4]. Cum, in primis paragraphis schematis, populum iudaicum speciali dignitate gaudere merito dicatur, mentio fieri deberet in textu de peculiari ratione cur damnatur odium erga Iudaeos. Odia et vexationes contra Iudaeos deplorari et damnari debent non solum quia quaevis iniuriae hominibus illatae reprobandae sunt, sed etiam quia, sicut scripsit Apostolus Gentium, Iudaei « secundum electionem carissimi propter patres. Sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei » ...[5].

Propterea oporteret explicite dicere Ecclesiam catholicam praesertim

damnare vexationes et iniurias Iudaeis allatas, quae e falsis philosophiis vel erroneis interpretationibus veritatum christianarum oriuntur.

3. *De unione Iudaeorum et christianorum* ...[6]. A lin. 23, exprimuntur desiderium et exspectatio Ecclesiae quoad populum iudaicum; et opportune tunc adhibetur expressio « accessus » — non autem « conversio » — populi iudaici ad fidem christianam. Nullam reiectionem fidei antiquae postulat pro Iudaeis adunatio cum Ecclesia Christi. Quam ob rem, ut manifestentur elementa positiva quae Iudaeos et christianos uniunt, in ipso textu exhortentur Iudaei ut fidem propriam pernoscant, libros suos sacros legant, de historia salutis cogitent et cum Psalmis ad Deum orent; quae omnia eos ad plenitudinem gratiae et veritatis certe perducant. Aliunde, illa invitatio psychologiam eorum offendere nequit.

4. *De habitudine christianorum erga Iudaeos* ...[7]. Exhortatio « ne quid dicant aut faciant, quod animos a Iudaeis alienare possit » nimis generica et etiam ambigua ...[8] mihi videtur, et forsan mutanda in alteram istam: « neque verbis neque operibus opiniones praeiudicatas contra iudaeos foveant ». Praeterea, ad comprobandam assertionem dicentem populum iudaicum a Deo reprobatum non fuisse, memorandum est, cum Apostolo Gentium, quod « non repulit Deus plebem suam, quam praescivit » ...[9].

5. *De accusatione deicidii contra Iudaeos* ...[10]. Infeliciter non clarius dicitur populum iudaicum in crimen deicidii vocandum non esse. Cum reiectionem talis accusationis priores textus continebant, iudicium Iudaeis contrarium nimis facile deduci potest. Certe cavendum est, sicut textus dicit, « ne Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur ». Sed tamen non de Iudaeis nostrorum temporum agitur, sed de populo iudaico ut sic. Explicite declarandum est quod nequit imputari e culpa quae criminibus nostris et peccatis omnium hominum, sicut ipsa traditio christiana docet, imputanda est.

Denique, in parte secunda declarationis ubi de non christianis in genere agitur, addere oporteret quaedam verba quibus nostra reverentia exprimeretur relate ad moralia bona quae in variis religionibus inveniuntur. Item exprimi deberet, sicuti fit in Litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam,* desiderium nostrum una cum eis provehendi et tuendi « alta et praeclara, quae in campo libertatis religiosae, fraternitatis humanae, eruditionis ac doctrinae, beneficientiae socialis et ordinis civilis sunt communia ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Spero illae Concilii declarationi ampla vox in universo mundo fraterne respondebit. Credo enim neminem dubitare de unica in-

tentione Patrum Concilii, nempe declarationem non procedere nisi ad pacem et amorem promovendos inter omnes homines. Quod tamen si necessarium sit, in ipso textu dicatur. [2] (*Io.* 4, 22). [3] (*Mt.* 5, 17). [4] (linn. 20-21). [5] (*Rom.* 11, 28-29). [6] (linn. 23-27). [7] (linn. 30-31). [8] (il ne faut pas empêcher les peuples qui auraient des raisons objectives de le faire, de montrer aux autres ce qu'ils estiment être des torts politiques des Juifs). [9] (*Rom.* 2, 2). [10] (linn. 31-32).

Animadversiones additae:

Ephésiens 2, 15, cité implicitement à la ligne 7 et employé en dehors de tout contexte, ne signifie nullement ce que voulait dire saint Paul. Tout Ephésiens 2, 15-18, tend à montrer que l'Eglise est un peuple nouveau réunissant en lui *Juifs et Païens,* supprimant la barrière qui les séparait, ne faisant plus qu'un à partir de *deux* éléments jadis séparés. Tel qu'utilisé dans la déclaration, le texte de saint Paul dit seulement que l'Eglise est une *créature nouvelle.* Il faudrait ou bien supprimer les mots « nova in Christo creatura », ou les compléter par les mots « *faciens utraque unum* » inspirés du contexte, ou encore « *reconcilians Paganos et Iudaeos* » qui seraient plus explicites.

Art. 25. Hic numerus non videtur utilis, nam omnes declarationes Concilii momentum habent. Praeterea, si de momento huius declarationis loqui oporteret, alias considerationes addi deberent. Libertas religiosa enim momentum habet non tantum ad dialogum oecumenicum instaurandum, sed etiam in seipsa et ad dialogum cum aliis religionibus et cum toto mundo instaurandum.

Art. 26, lin. 8. Loco verborum « secundum dictamen conscientiae », dicatur « secundum dictamen conscientiae suae », ut clarius appareat agere ibi de conscientia singulari non autem de quadam conscientia abstracta.

Art. 26, lin. 12. Scribere oportet: « Haec libertas religiosa postulat ut in humana societate conditiones promoveantur, in quibus omnes... etc. ». Verbum « *necessarium* » in lin. 13 non necessarium est.

Art. 28, lin. 28. Scribere oportet: « Quae norma Ecclesiae pro unaquaque persona valet... ». Verbum « *traditionalis* » omitti posset cum inutilis sit ad scopum huius sententiae. Praeterea, sic vitaretur necessitas historice probandi hunc punctum.

Art. 29. Initium huius articuli a lin. 34, pag. 30 usque ad lin. 20, pag. 31, sat intricatum et obscurum est nec sententiae huius partis articuli logice et rigorose inter se connectuntur.

a) Argumentum quod affertur ad probandum libertatem religiosam ad omnes religiones sese extendere non videtur clarum firmumque. Textus dicit, a lin. 34, pag. 30 usque ad lin. 1, pag. 31, libertatem religiosam ab omnibus et pro omnibus observandam esse quia vocatio divina maximam humanae personae dignitatem constituit. Non video consequentiam.

b) Praeterea, prima et secunda paragraphi (a lin. 34, pag. 30 usque ad lin. 6, pag. 31) ea quae in n. 26 (lin. 6 ad lin. 15, pag. 29) habentur repetit; alia ex parte, linn. 6 et 20, pag. 31 plus minusve repetunt linn. 15-21, pag. 29.

Ad has repetitiones vitandas, optima solutio esset ea omnia quae de libertate religiosa in genere et de fundamento eius in unico articulo exponere, nempe in art. 26. Tunc art. 29 tractaret de iuribus *personarum* dum art. 30 iura *coetuum* exponeret.

11

EM.MUS P. D. RICHARDUS IACOBUS CARD. CUSHING
Archiepiscopus Bostoniensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Declaratio *de Iudaeis et de non christianis* in genere mihi placet.

Per hoc Concilium Oecumenicum, Ecclesia debet manifestare toti mundo et omnibus hominibus, sollicitudinem non fictam, aestimationem universalem, caritatem sinceram, uno verbo debet manifestare Christum. Et in hoc schemate *de Oecumenismo* cum eius declarationibus *de libertate religiosa,* necnon *de Iudaeis et de non christianis,* in certo modo hoc facit.

Tres emendationes tamen propono, nominatim de Iudaeis.

1. Debemus facere nostram declarationem de Iudaeis magis positivam, minus timidam, magis caritativam. Bene illustratum est in textu nostro patrimonium pretiosum, quod nova Israël recepit ex lege et prophetis. Et bene illustratum est, quod Iudaei et Christiani communiter habent. Sed certe oportet nos indicare quod, propter hoc patrimonium commune, nos filii Abrahae secundum Spiritum, pro filiis Abrahae secundum carnem debemus ostendere aestimationem specialem et amorem peculiarem. Ut filii Adae, hi sunt fratres nostri; ut filii Abrahae, sunt germani Christi. Manifestentur haec et illa nostra obligatio aestimationis specialis, in paragrapho quarta huius declarationis, quasi conclusio logica fluens ex prima parte.

2. De culpabilitate Iudaeorum pro morte Salvatoris nostri. Sicut legimus in Sacra Scriptura, reiectio Messiae a propriis est mysterium; mysterium nempe ad nos instruendos, non ad nos exaltandos. Parabolae et vaticinia Domini nostri hoc nos docent. Non possumus nos iudicare illos duces antiquae Israël, quorum iudex solus Deus est. Et certissime non possumus audere attribuere generationibus posterioribus crucifixionem Domini Iesu vel mortem Salvatoris mundi, salva illa culpabilitate universali, cuius omnes nos homines participes sumus. Scimus et credimus Christum mortuum esse libere, pro omnibus hominibus et propter peccata omnium, tum Iudaeorum, tum Gentium.

Ergo in hac declaratione, cum verbis claris et perspicuis debemus negare Iudaeos esse reos mortis Salvatoris nostri, nisi in quantum omnes homines peccaverunt et propterea Eum crucifixerunt, et imo Eum iam crucifigunt. Imprimis, debemus reprehendere illos qui tentarent iustificare inaequitatem, odium vel etiam persecutionem Iudaeorum tamquam actiones christianas.

Nos vidimus omnes fructum malum huiusmodi ratiocinationis. In hoc augusto conventu, in hoc solemni momento, debemus clamare: nulla est ratio christiana — nec theologica, nec historica — pro inaequitate, odio vel persecutione erga fratres nostros iudaicos. Spes magna est tum apud catholicos, et fratres christianos seiunctos, tum apud amicos nostros iudaicos in Mundo Novo, ut haec Sacrosancta Synodus declarationem talem aptam faciat.

3. tandem: quaeso, Fratres venerabiles, utrum debeamus confiteri humiliter coram mundo quia christiani sat frequenter sese non ostenderunt tamquam christianos veros, christifideles, erga fratres suos iudaicos? Hac nostra aetate, quanti passi sunt! Quanti mortui sunt propter indifferentiam christianorum, propter silentium? Non est necessitas enumerandi illa crimina in nostris temporibus perpetrata. Si non multae voces christianae clamabant in annis recente elapsis contra iniustitias magnas, nihilominus exclament humiliter nunc nostrae! Dixi.

12

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KÖNIG

Archiepiscopus Vindobonensis

Patres venerandi,

Declaratio de Iudaeis et de non christianis in nova forma proposita in genere placet. In ea exhibetur ex una parte Dei amor universalis erga omnes homines simulque eius benevolentia erga populum iudaicum. Ex altera parte simili modo Ecclesia in hoc documento manifestat suam benevolentiam erga omnes homines et insuper speciale vinculum quo cum illo populo coniungitur ex quo Dominus Noster ortus est, ostenditur.

Ad schema perficiendum liceat mihi quaedam pauca breviter proponere:

1. In prima pagina declarationis, a lin. 34 ad linn. 1-16 alterius paginae, optime de paternitate divina erga omnes gentes sermo est. Sed quoad Vetus Testamentum mihi notandum videtur quod Deus quidem revelatur tamquam Pater, Creator, Iudex omnium hominum, eius paternitas quoad populum iudaicum autem speciali modo exhibetur. Quod in verbis introducendis prophetae Malachiae exprimendum esset.

2. Laetatus sum quod mentio specialis fit de Mohamedanis, qui unicum Deum personalem, Allah scil., misericordem adorant. Si autem rationes brevitatis et spatii non obstarent, mentio fieri posset eorum,

qui in religionibus venerandae vetustatis in Asia scil. et Africa proxime ad monotheismum accedunt.

3. ...[1] In linn. 20 ss., Sancta Synodus deplorat iniurias illatas contra Iudaeos. In priore textu legebatur: « ... odia et persecutiones contra Iudaeos, sive olim sive nostris temporibus perpetratas, materno animo deplorat et damnat ». Non video cur in nova redactione illa verba deleta sunt, scil. « sive olim, sive nostris temporibus »?

Ob rationes historicas, *i. e. ex historia desumptas,*[2] magis placeret si textus originalis restitueretur.

4. ...[3] In prima pagina, lin. 29, ad melius exprimendam intentionem schematis propono ut dicatur « gentem reprobatam *vel maledictam* », loco verborum « gentem reprobatam » *tantum.*[4]

Ita ad mentem prioris textus in linn. 30-31 dicatur: « Caveant praeterea ne populo Iudaico ut tali, quae in passione Christi perpetrata sunt, imputentur. Mors enim Christi non a populo tunc vivente, et multo minus ab hodierno populo adducta est ». Insuper addi posset non esse opus praedicationis christianae culpam Caiphae Summi-Sacerdotis vel Pilati vel aliorum adamussim describere, quia peccata omnium hominum causa fuerunt. Potius ostendendum esset quod in Cruce salus et fons omnium gratiarum simulque signum amoris et redemptionis pro omnibus exhibetur.

Si autem quidam nobis obiiciunt in Sacris Scripturis non tantum positiva sed etiam negativa de Iudaeis dici, respondendum est: in declaratione proposita non omnia repetenda sunt quae in Sacris Scripturis exhibentur, sed potius ea corrigenda sunt, quae usque nunc falso modo contra populum iudaicum mala intentione et falsa interpretatione Sacrae Scripturae acta sunt ...[5]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In prima paragrapho, i. e. sub n. 32 patrimonium commune christianorum cum Iudaeis optime describitur, sed nova redactio, quae concinnior facta est priore affectu caret. [2] deest. [3] Ea quae in linn. 23-26 leguntur de spe eschatologica agunt. Haec idea eschatologica interdum ita interpretatur ac si Ecclesia proselytismum nudum hac spe intenderet, quod verum non est. Hoc loco non agitur de opere humano, sed de gratia Dei qua historia salutis implebitur. Ne illud mysterium eschatologicum male interpretetur, melius esset si describeretur quomodo hic historia Dei cum hominibus exprimitur. 5. [4] deest. [5] Ideo non de hominibus hic agendum, sed Deus misericordiae laudandus est.

Secretarius generalis: Audiant Patres, qui sunt in suis sedibus et qui sunt in diaspora. Communico imprimis exitum suffragationis XXXV:

Praesentes votantes	2.152
Dixerunt *placet*	2.055
non placet	94
Suffragia nulla	3

Suffragatio XXXVI et ultima hoc mane:

Praesentes votantes	2.148
Dixerunt *placet*	1.903
non placet	242
Suffragia nulla	3

Ergo hi bini textus probati sunt.

Audiatis, Patres! Quaesitum est utrum, in suffragatione facienda *iuxta modum,* demandari possint modi alicui Patri, qui nomine aliorum suffragetur *iuxta modum,* et alii tranquille suffragentur *placet.* Sed notum fit hoc esse contra Ordinem Concilii Celebrandi. Unusquisque Pater qui vult addere modum, debet ipse scribere et subscribere modum; *unusquisque Pater.* Non est admissa delegatio nullius generis. Gratias.

13

EM.MUS P. D. ALBERTUS GREGORIUS MEYER

Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Fratres,

Schema *de Iudaeis et non christianis* [1] placet, eo sensu quod datur schema hac de materia tractans. Etenim, Concilium de Oecumenismo loquens, bona ratione modo speciali et nominatim de Iudaeis agit ...[2]. Momentum igitur huius declarationis sub omni respectu iam abundanter ab em.mo relatore illustratum est, *et etiam ab aliis oratoribus qui hoc mane locuti sunt.*[3] Non est necesse *igitur* [4] cur rationes amplissimas ab *ipsis* [5] datas repetam, nisi ut eas ex toto corde approbem.

Praesens ...[6] schema placet iuxta modum, hoc sensu: Mea opinione, prior textus anno elapso nobis exhibitus quaestionem quantum ad Iudaeos modo meliori et magis oecumenico tractabat. Quod ut iterum fiat cum nostro praesenti textu, aliquas emendationes commendare vellem.

1. *In n. 32, linn. 14-16, mihi videtur has lineas melius poni* [7] ante

lineas 11-13. Ita, *mihi videtur,*[8] ordo logicus textus Paulini conservatur ...[9]. His deinde duabus paragraphis ita ordinatis, opportune claudi possunt cum sententia quae explicite effert fidem Ecclesiae initium sumpsisse directe ab illis Iudaeis qui primi, gratia Dei movente, animos suos evangelio Christi aperuerunt et laetum nuntium cum aliis communicaverunt. Ideo proponitur hac in re novus textus linearum pro linn. 11-16, quem brevitatis causa non hic lego sed scripto trado ...[10].

2. *Ad linn. 20-22 in eodem n. 32.* Non sufficit dicere, ut mihi videtur, Ecclesiam deplorare et condemnare odia et vexationem contra Iudaeos, simpliciter ideo quia « iniuriae hominibus ubicumque illatas severe reprobat ». Iustitia exigit ut explicite animos advertamus ad ingentem vim malorum quibus homines per saecula Iudaeos affecerunt. Hae speciales afflictiones, quas populus Iudaeorum subiit, exigunt ut speciali quoque modo omnem formam anti-semitismi condemnemus, sicut iam fecit noster prior textus, ubi dicit: « ita magis odia et persecutiones contra Iudaeos, sive olim sive nostris temporibus perpetratas, materno animo deplorat et damnat » ...[11].

3. *In eodem n. 32, ad linn. 23-27.* Quae hac paragrapho continentur clarae doctrinae S. Pauli ...[12] certo innititur. Quaeritur tantummodo num in documento, quod ceteroquin de Oecumenismo tractat, haec doctrina aliquo modo paulo fusius explicari potest, fere ad mentem principiorum quae in n. 4 primi capitis totius schematis *de Oecumenismo* enunciantur, ut iam innuit, *si eum bene intellexi,*[13] em.mus Léger *hoc mane.*[14] Si secus, timendum est, ut opinor, hanc nostram declarationem ansam praebituram esse falsae interpretationi de nostra vera intentione quoad hanc declarationem.

4. *In eodem n. 32, ad linn. 28-32* ...[15]. Schema nostrum *his lineis*[16] nimis parum dicere videtur ...[17]. Breviter, sed modo meliori, ut puto, prior textus hac in re declaravit: « iniuria tamen diceretur populus maledictus, cum Deo maneat carissimus propter Patres et dona eis data ...[18], vel gens deicida, quia omnium hominum peccata, quae causa fuerunt passionis et mortis Iesu Christi, Dominus passione et morte sua luit ».

Nonne, in hac re, nostrum potius est ut plenam de Iudaeis veritatem exponamus, *sicut iam fecit S. Thomas*[19] (in Summa Theologiae, parte III, Q. 47, art. 5 ad corpus) ...[20]? Etenim S. Thomas, ex doctrina Sacrae Scripturae, haec duo statuit: 1. Nemo Iudaeorum temporis Christi formaliter et subiective reus erat deicidii, quia omnes divinitatem Christi ignorabant. Hoc explicite debet dici in nostro textu. 2. *S. Thomas dicit etiam quod*[21] multitudo Iudaeorum ab omni formali culpa absolvenda est, quia propter ignorantiam secuti sunt principes; *et citat*[22]

verba S. Petri, *quem iam audivimus pluries hoc mane*[23]: « Scio quod per ignorantiam hoc fecistis, sicut et principes vestri » ...[24].

5. *Quoad secundam partem nostrae declarationis* ...[25]. Quae in nn. 33 et 34 habentur, certissime maximi momenti sunt, et omnino oportet ut Concilium, etiam breviter ut hic, de his duobus punctis tractet, nempe de divina paternitate erga omnes homines, et de condemnatione omnis speciei discriminationis.

Aliqui Patres forsitan putant has doctrinas melius tractandas esse in schemate XIII, ubi agitur de Ecclesia in mundo huius temporis. Quaestio autem ubi res agatur mihi videtur esse minoris momenti, et bene, ut opinor, includitur hic in nostra declaratione.

Duo tamen, quoad textum nobis exhibitum, digna mentione esse videntur:

1. Rationes in textu pro speciali mentione Musulmanorum aequaliter ad alias quoque communitates non christianas applicationem habent. Ideo vel simul cum ipsis mentio earum explicita facienda esset, vel tantum generalis mentio eorum omnium qui « sunt monotheistae et culturaliter cum nobis coniuncti sunt » sufficeret.

2. Iure meritoque vocem nostram contra omnem speciem discriminationis, sive propter religionem, sive propter stirpem aut colorem aut conditionem hominum, extollere debemus. Attamen cum discriminatio propter colorem vel stirpem vel conditionem hominum sit vere unum ex problematibus urgentioribus mundi hodierni, vellem ut doctrina Ecclesiae huic discriminationi opposita paulo fusius et magis positive evolveretur, ita ut imago Ecclesiae omni ex parte splendido exemplo refulgeat iuxta verba sanctissima Domini Nostri: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ». Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ut iam em.mus relator in sua relatione luculenter demonstravit. Scimus enim, divina revelatione edocti, Iudaeos habuisse et adhuc habituros esse partem distinctam in oeconomia salutis. Insuper, notum est ex historia quod multi christiani hanc partem populi iudaici in oeconomia salutis non semper debito modo agnoverunt, imo eam quandoque conviciis affecerunt. Nostrum igitur est removere causam huius diffidentiae et in memoriam fidelium revocare indubiam Sacrae Scripturae doctrinam de hoc populo. Ideo exigentiae religionis et caritatis Christi urgent nos ut specialiter et nominatim de Iudaeis tractemus. [3] et. [4] deest. [5] ipso. [6] autem. [7] Linn. 14-16 n. 32 melius ponantur. [8] enim. [9] (*Rom.* 9, 4-5). [10] « Verba quoque apostoli Pauli semper habet et habebit prae oculis Ecclesia de Iudaeis " quorum adoptio est filiorum et gloriae et testamentum et legislatio et obsequium et promissa, quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus " (*Rom.* 9, 4-5). Neque obliviscitur Ecclesia ex populo iudaico natam

esse Christi Matrem Mariam Virginem, et natos esse apostolos, Ecclesiae fundamentum et columnas, et plurimos illos christianos qui doctrinam Christi mundo dederunt ». [11] ut dixit card. König. [12] (cf. *Rom.* 11, 25). [13] deest. [14] deest. [15] Hae lineae, uti stant, populum christianum admonent ne de Iudaeis tanquam de gente reprobata loquantur, et « ne Iudaeis nostrorum temporum imputent quae in Passione Christi perpetrata sunt ». Iam em.mus relator in sua relatione, nobis indicavit difficultatem aptam formulam inveniendi, sed nos etiam invitavit ut schema declarationis in hac parte iterum « examini subiiciatur et discutiatur ». Iamvero. [16] deest. [17] in hoc loco. [18] (cf. *Rom.* 11, 28). [19] fere ad mentem S. Thomae. [20] ut iam fecit prior textus. [21] deest. [22] Ad hoc probandum S. Thomas affert. [23] deest. [24] (*Act.* 3, 17). Tandem aliquando efferendum erit ubi vera culpa pro supplicio Christi quaerenda sit: « Mortuus est pro nobis et propter nostram salutem! ». [25] (nn. 33-34).

14

Em.mus P. D. IOSEPH card. RITTER

Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

Loquor de schemate in quantum de Iudaeis tractat ideoque de par. 32. Hanc declarationem libentissime excipio quae necessitati hodiernae tam directe et tam apte respondet. De necessitate loquor, non pressus politici aut ethnici evitandi vel conciliandi, nec favoris hominum prosequendi, sed simpliciter iniustitiae saeculorum reparandae.

Et nos christiani, iam per multa saecula, rei sumus erroris et iniustitiae contra Iudaeos. Deum abandonasse istum populum nos ut in pluribus assumebamus. Christiani, etiam documenta ecclesiastica, populum iudaicum accusabant passionem mortemque Christi. In orationibus, ille vocabatur « gens perfida », « gens deicida » quae « super seipsam sanguinem Salvatoris olim clamabat ». Opportunitas hodie se praebet ut nos, in Concilium Oecumenicum congregati, tales errores et iniustitias deleamus et reparemus.

Schema declarationem offert quae bonum initium facit in hunc finem. Sed adhuc melior potest esse declaratio, et aliquibus emendationibus, ut mihi videtur, indiget. Inter quas, sequentes propono.

1. Loquatur declaratio modo pleniore et explicitiore de patrimonio religioso quod populum iudaicum et populum christianum tam arcte etiam hodie consociat. Promissa Abrahae facta a Deo, qui fidem nec fallit nec fallere potest, Iudaeis adhuc pertinent. Ad Iudaeos et christianos speciali modo extenditur ipse amor divinus, propter quem inter nos et illos vigere debet unitas amoris et aestimationis arctissima. Proinde, ille spiritus amoris, qui in schemate originario inveniebatur,

in hac declaratione etiam magis elucescat. Debitum et habitudines nostrae erga Iudaeos, quae in hoc schemate haesitanter ac quasi invitus agnoscantur, magno cum gaudio proclamentur.

2. In linn. 23-27, modus tractandi de « adunatione populi iudaici cum Ecclesia » *conversionem Iudaeorum* sapit ideoque errores eorum subiicit, praesertim quia neque de Musulmanis, neque de paganis, neque de hominibus in genere sic tractatur. Et tamen missio Ecclesiae, sicut etiam Mysterium Christi, omnes homines christiana spe amplectitur. Melius esset, immo fere necessarium est, ut conformius naturae Ecclesiae et minus offensivum omnibus, ad finem totius declarationis « De non Christianis » transferre has lineas, in forma tamen universali, ut omnes homines comprehendentes.

3. Mihi minime placet ultimus articulus in par. 32. Ad errores corrigendos, ad iniustitias reparandas, nihil confert. E contra, ratione ultimae sententiae in qua solos Iudaeos nostrorum temporum exhonorat, tum errorem tum iniustitiam duplicat.

Venerabiles Patres! Eradicemus illum errorem qui populum facit reum criminis ab individuis patrati, qui etiam cordibus infantium spiritum odii imbuit erga populum a Deo tam amatum. Removeatur hic articulus ultimus et, in ipsius loco, inseratur haec paragraphus vel alia similis:

« Ideo curent omnes ne populum iudaicum ut gentem reprobatam, maledictam, aut deicidam ullo modo exhibeant; ne soli aut toto populo iudaico tunc viventi neque a fortiori Iudaeis nostrorum temporum imputentur quae in passione Christi perpetrata sunt. Haec omnia revera debent omnibus hominibus peccatoribus et praesertim christianis qui in peccatis prolabuntur imputari. Etenim, sicuti clarissime meminit Catechismus Concilii Tridentini: " hac culpa omnes teneri iudicandum est qui in peccata saepius prolabuntur. Nam cum peccata nostra Christum Dominum impulerint ut crucis supplicium subiret, profecto qui in flagitiis et sceleribus volutantur rursus, quod in ipsis est, crucifigunt in semetipsis Filium Dei " ». Dixi.

15

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Venerabiles Patres conciliares,

Declaratio in genere placet. Sed populus noster post crimina contra istum populum commissa valde desiderat, ut in n. 32 Concilium Oecu-

menicum clarius adhuc in lucem ponat patrimonium commune cum Iudaeis, ut in *posterum* [1] omnis discriminatio istius populi eradicetur.

...[2] Mutetur *insuper* [3] titulus Declarationis in hanc formam: « De Iudaeis et de aliis non christianis ». Cum et ...[4] Iudaei non christiani sunt, addendum videtur verbum « *aliis* ».

In pag. 47, lin. 24, loco verborum « partem spei christianae esse », potius dicetur: « ad spem christianam spectare », vel simpliciter « spei esse christianae », latinitatis causa.

In pag. 48, lin. 17, post verbum « observantia », addatur: ...[5] « et debita aestimatione », quia Summus Pontifex Paulus VI, in allocutione inaugurali die 29 septembris 1963, sic locutus est de hac debita aestimatione.

Aliquas animadversiones quae spectant testimonia ex Sacra Scriptura assumpta, quae ni fallor ad rem proprie dictam non pertinent, tradam in scriptis.[6] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] futurum. [2] N. 33 (Omnes homines Deum ut Patrem habent) affert testimonia sacrae scripturae, quae ad rem proprie dictam non pertinent. 1. Generaliter loquendo omnes textus ex Veteri Testamento allati praesupponunt foedus Dei cum populo suo electo Israël; ideo non respiciunt paternam habitudinem Dei ad omnes homines, sed solummodo ad ipsos Iudaeos. Hoc valet tam de loco *Malachiae* 2, 10 quam de *Paralipomenon* 19, 7, ubi agitur de iudicibus in populo Israël, in quo Deus non accipit personas. 2. Dominus Iesus Deum « Patrem » dixit eorum, qui gratia Christi participant filiationis divinae ipsius Christi. Pater in Novo Testamento est potius nomen Patris Iesu Christi eiusque fidelium. Locus *Eph.* 6, 9 loquitur de habitudine dominorum christianorum ad suos servos; *Col.* 3, 25 admonet solummodo christianos et *1 Pt.* 1, 17 similiter christianos alloquitur. Textus *1 Io.* 4, 20-21 de communitate christiana est intelligendus, nam Ioannes alio loco (*2 Io.* 1, 10) dicit: « Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere cum in domum nec ave ei dixeritis... ». Ideo etiam textus pag. (8) 48 lin. 3 de fraterna habitudine erga omnes cautius formulari debet. 3. Adsunt autem scripturae testimonia, quae recte hoc in contextu possunt adhiberi (v. g. *Sap.* 11, 25-27; *Rom.* 10, 12-13). [3] deest. [4] ipsi. [5] « et reverentia » vel. [6] Pag. 48, linn. 21 ss.: mutentur in hanc formam: « Sic amplectamur imprimis Musulmanos, qui ad Abrahae familiam libenter se referant atque suo modo Deum unicum personalem et remuneratorem adorantes et eius etiam occultis iudiciis sese ex toto animo submittere studentes sensu religioso atque permultis humanae culturae communicationibus propius ad eos accesserunt ».

Ratio. Aliquid dicendum videtur de indole religiosa musulmanorum. Unde tria hic proponuntur:

1. Mahometani se ad Abrahae familiam pertinere iam a tempore originis suae religionis affirmant;

2. ut iam in schemate dicitur, Deum unicum personalem et remuneratorem adorant atque colunt;

3. « Islam » notat deditionem totalem et submissionem hominis voluntati inscrutabili Dei omnipotentis.

Tamen caute nobis loquendum erit, ne verba nostra aliquem syncretismum prae se ferre videantur. Ideo dicendum, quod ad Abrahae familiam libenter sese referant, cum non eadem sit relatio christianorum et Iudaeorum et Mahometanorum ad Abraham patrem fidei. Ideo etiam dicendum, quod suo modo Deum adorant, nam omnino negant Deum trinum et Patrem Iesu Christi Domini nostri.

Moderator: Exc.mus D. Franciscus Šeper loquetur crastina die. Interim accedat ad microphonium et loquatur exc.mus D. Philippus Pocock, arch. coad. Torontinus in Canada.

16

Exc.mus P. D. PHILIPPUS POCOCK

Archiepiscopus tit. Isauropolitanus, coad. c.i.s. Torontinus

Patres venerabiles,

In hac brevi interventione laudes meas adiungo illis quae iam de praesenti declaratione dictae sunt. Accedo etiam illis, qui postulaverunt 1. ut phrasis « nec deicidii arguant », quae in priore textu inventa est, in praesenti textu restauraretur, et 2. ut declaratio condemnaret ac deploraret persecutiones sive discriminationes religiosas et raciales, quas Iudaei olim passi sunt et in nostro etiam saeculo patiuntur.

Nunc[1] liceat mihi pauca addere verba in defensione declarationis et contra obiectionem ac si in illa declaratione Iudaei magis favorabiliter repraesentarentur, quam in ipsa Sacra Scriptura *verificatur.*[2]

Verum quidem est prophetas Israëlis haud raro populum accusasse quod esset durae cervicis et duri cordis. Huiusmodi accusationes usque ad Novum Testamentum resonant. Christus ipse duro sermone increpabat magnos sacerdotes et pharisaeos, et quandoque populi turbam. Idem modus loquendi habetur in sermonibus S. Stephani, ut Actus Apostolorum referunt (in cap. 7) et in verbis S. Pauli, in Epistola prima ad Thessalonicenses (cap. 7 ...[3]). In his locis populus Israël accusatur repetitae infidelitatis. Attamen non est obliviscendum has accusationes contra Iudaeos oriri ab illis qui ipsi etiam Iudaei sunt. Nam Christus, Stephanus et Paulus filii sunt populi iudaici. Eorum durus sermo nil aliud erat nisi exhortatio ad convertendum populum quem diligebant, ad quem pertinebant, quocum aliquomodo sese identificabant. Eiusmodi expressiones sumi nequeunt tamquam litteralis descriptio populi; erant enim sermones exhortatorii ad commovendos animos auditorum.

Prae oculis etiam tenere oportet, quod in Ioannis Evangelio ter-

minus « Iudaei » saepe saepius usurpatur non quidem pro toto populo iudaico, sed solummodo pro inimicis Christi, i. e. pro illo coetu pharisaeorum et sacerdotum, qui Christo infensus erat. Verba quae Dominus in quarto Evangelio contra illos profert, nequeunt applicari populo in totali sed solummodo aliquibus inter eos.

Et concludimus. Ad recte enuntiandam relationem inter populum iudaicum et Ecclesiam Christi, non tam attendendum est ad condemnationes exhortatorias populi Israël, sed praeprimis adducendi sunt illi Scripturae loci, qui Vetus Testamentum in Novo compleri et impleri asserunt, et qui mysterium divinae misericordiae in populo electo proclamant. Ita et non aliter intellegi quis potest verum sensum Sacrae Scripturae quoad populum Dei electum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] 15 ss.

17

EXC.MUS P. D. PETRUS NIERMAN
Episcopus Groningensis

Nomine conferentiae episcoporum Neerlandicae relate ad declarationem *de Iudaeis et de non christianis,* sequentia ...[1] proferre velim.

Declaratio imprimis valde laudanda est, eo quod exprimit clare Ecclesiam de die in diem magis magisque percipere necnon magni aestimare valores religiosos, qui imprimis apud populum iudaicum, necnon apud ceteros non christianos, speciatim Musulmanos, inveniuntur, et originem trahunt a Patre luminum, qui vult omnes homines salvos fieri.

Quae aestimatio non tantum fundamentum praebet caritatis erga non christianos, sed allicit atque invitat ad colloquium, quo nos ipsi christiani quoque adiuvari possimus in magis et magis penetrando in mysterium salutis. Quod valet imprimis relate ad Iudaeos, quia speciali modo nobiscum coniuncti sunt.

Ut vis et harmonia huius declarationis adhuc magis perficiantur ac roborentur,

Ut sensus textuum, qui ex Sacra Scriptura deprompti sunt, adhuc magis in lucem proferatur,

Ut evitetur omnis quidem fucata species ac si Ecclesia hoc modo loquens solummodo quaerat conversionem Iudaeorum, Musulmanorum ceterorumque non christianorum, quo respectus supradictus labefactaretur, sequentes emendationes proferre velim:

1. Pag. 47, lin. 6. Proponitur lectio: « Quare nequit Ecclesia, nova in Christo creatura ...[2], *ex Iudaeis et gentibus condita in unum novum hominem* ...[3], oblivisci se continuationem populi illius esse... ». Clarius ita indicatur pacem Christi simul complectere tum Iudaeos tum gentes, eo quod Christus duos condidit in unum novum hominem faciens pacem, reconcilians ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiensque inimicitias in semetipso ...[4].

2. *Pag. 47, lin. 20.*[5] Proponitur lectio: « Atque insuper *odia et vexationes contra Iudaeos damnat deplorans iniurias huic populo olim a Deo electo et laudato ut " radix sancta " ...*[6] illatas ... ». Ita differentia inter iniurias hominibus ubicumque illatas et illas populo iudaico ex animo anti-semitico inflictas melius apparet et character specialis populi iudaici melius enuntiatur.

3. *Pag. 47, lin. 23.*[7] Proponitur lectio: « Memoria insuper dignum est *salvationem totius populi iudaici* partem spei christiani esse... ». Verba « adunatio populi iudaici cum Ecclesia » suggerere videntur studium Ecclesiae intendentis solummodo conversionem Iudaeorum, id quod colloquium cum Iudaeis nimis difficile, si non impossibile faceret ...[8].

4. *Pag. 47, lin. 30.*[9] Proponitur lectio: « Caveant praeterea, ne *simpliciter Iudaeis,* quae in passione Christi perpetrata sunt, imputentur ». Haec imputatio enim non tantum iniuriosa est erga Iudaeos nostrorum temporum, sed etiam erga Iudaeos saeculorum praeteritorum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in aula conciliari. [2] (*Gal.* 6, 15). [3] (*Eph.* 2, 15). [4] Verba « nova in Christo creatura » non in *Eph.* 2, 15, sed in *Gal.* 6, 15 inveniuntur. [5] (pag. 47 (7), n. 32, linn. 20 ss.). [6] (*Rom.* 11, 16). [7] (pag. 47 (7), n. 32, lin. 23). [8] 4. pag. 47 (7), n. 32, lin. 28: deleatur verbum « Ideo ». Eo quod verbum « ideo » ponitur immediate post lineas in quibus agitur de spe Ecclesiae, innui potest Ecclesiam solummodo conversionem Iudaeorum intendere. [9] 5. pag. 47 (7), n. 32, lin. 30.

18

EXC.MUS P. D. IULIUS DAEM
Episcopus Antverpiensis

Venerabiles Fratres,

Declaratio *de Iudaeis* peropportune insistit in spem christianorum qui accessum israëlitarum ad plenitudinem populi Dei a Christo instauratum exspectant. Iuremerito Concilium Oecumenicum christianos ad

fraternum dialogum cum israëlitis invitat, ut mutua cognitio et aestimatio spiritualis patrimonii in dies augeatur. Saepe experti sumus israëlitas in Deum eiusque consilium confisos magni facere, quod nos christiani eorum salutem cordi habemus atque praesertim de eorum vera aemulatione Dei non dubitamus. « Non repulit Deus plebem suam quam praescivit » ...[1]. Haec verba apostoli optime sonant in auribus israëlitarum qui religionem suam in praxim deducunt.

Reprobamus iniustitias, odia et vexationes et homicidia et « pogroms » israëlitis facta. Speramus fore ut cesset quaecumque vexatio stirpis vel religionis causa illis et aliis iniecta. Christianos honoramus qui caritate pleni optimas relationes inter catholicos et israëlitas instaurare vel fovere conantur.

Patres conciliares iam animadversi sunt declarationem de Iudaeis optatum dialogum fundare in locum quem Israël in consilio divino in praeterito obtinuit et etiam in bona religiosa quae Israël et Ecclesia in praesenti communia habent.

Ad nostrum sensum, declaratio de Iudaeis maiorem valorem pastoralem habere potest, si praeter considerationes historicas et theologicas, concreta habitudo christianorum erga nostratum israëlitas describitur.

Declaratio in caritatem multum insistit. Haec tamen *caritas*[2] facilior redderetur si constanter in mente habemus valorem positivum qui animae israëliticae huius temporis inest. Nonne hic valor apparet ex eo quod credentes israëlitae etiam nunc memores sunt foederis populi sui et Jahweh? Magni pretii est quod credentes israëlitae Dei mandatis fideles esse velint, etiam si dura quaedam ab eis exigantur ...[3]. In coetus suos conveniunt ut sacros libros legant, qui sunt etiam nostri. Eosdem psalmos cantant quos nos ipsi cantamus. Multi eorum pericula vigentis materialismi optime perspiciunt et deplorant et, in quantum in eis est, impugnant. Misericordiam Dei implorant et veniam pro peccatis suis petunt praesertim in celebratione diei reconciliationis ...[4]. Agnoscunt Deum puniturum esse malos et mercedem retributurum bonis. Cordi habent exemplum dare fidelitatis erga traditiones suas atque magna spe futurorum niti ...[5].

Hi diversi valores humani ac religiosi nostris diebus tantopere aestimati suum momentum habent in determinandis dialogi conditionibus, quas tamen in sacros libros fundamus.

Christianus in sacris textibus antinomiam quamdam apparentem habet explicandam. Novum Testamentum nos docet hanc prophetiam Iesu: « Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum; filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores... » ...[6].

Hanc tamen monitionem christiani non possunt habere ut ultimum verbum revelationis de sorte Israëlis. Nam S. Paulus haec habet verba: « Secundum evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem, carissimi propter patres. Sine paenitentia enim sunt dona et vocatio Dei » ...[7].

Verba Iesu et apostoli referri debent ad realisationem historicam consilii divini. E contextu verborum Iesu patet, quod Iesus loquitur de sequelis immediatis oriundis ex eo quod israëlitae Christum ut Messiam non agnoverunt. Sed S. Paulus sortem finalem israëlitarum, i. e. consummationem in Deo, prae oculis habet, quae quidem gratia Dei ab omnibus hominibus, etiam ab israëlitis, attingi potest. Exinde apparet quod in relatis verbis non est vera contradictio. Christus non reiecit israëlitas a salute aeterna. Vocantur ...[8] sicuti ceteri homines ut a Christo in unum corpus coadunentur et domum Patris ingrediantur. Etsi apostolus deplorat quod israëlitae « in lapidem offensionis offenderunt » ...[9], gaudet tamen de misericordia Dei quae salvum faciet omnem Israël. « Conclusit enim Deus omnia in incredulitate ut omnium misereatur » ...[10].

Perutile erit, *venerabiles Fratres,*[11] dialogo christianorum cum israëlitis normas sequi quas *ipse*[12] apostolus in ordine ad habitudinem christianorum indicat.

1. Christianus debet vitare omnem superbiam. E paganismo ortus agnoscere debet se esse « oleastrum olivae » et se non ferre radicem sed a radice ferri ...[13].

2. Christianus debet in mente habere consilium divinum ab apostolis revelatum. Etsi usque ad praesens tempus Israël non intellexit, dies tamen veniet in qua plena Dei misericordia sese exercere poterit ...[14].

Christianus huius memor sit, quod israëlitae et nos christiani consilio divino ad eandem consummationem impellimur, i. e. ad revelationem in communi foedere misericordiae Dei. Hoc consilium divinum sequi nos oportet non aliquo proselytismo inopportuno sed sinceritate et humilitate perfecta. Necesse est moveamur eadem tristitia et eodem dolore quibus ipse apostolus movebatur cum diceret sese optare « anathema esse a Christo pro fratribus » ...[15].

Venerabiles Fratres, optamus hanc duplicem habitudinem humilitatis et communionis in una spe communi adhuc melius in declaratione indicatum iri in lumine doctrinae S. Pauli. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Rom.* 11, 2). [2] deest. [3] v. g. in observantia sabbati. [4] Yom Kippur. [5] Vocatione sua ad meliorem mundum impulsi ardenter laborant. [6] (*Mt.* 8, 11-12). [7] (*Rom.* 11, 28-29).

[8] enim. [9] (*Rom.* 9, 32). [10] (*Rom.* 11, 32). [11] deest. [12] deest. [13] « Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte tibi parcat » (*Rom.* 11, 20-21). [14] « Nam si tu (christiane) ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam, quanto magis ii, qui secundum naturam inseruntur suae olivae? » (*Rom.* 11, 24). [15] (*Rom.* 9, 3), cognatis secundum carnem « qui sunt israëlitae quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa, quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem... » (*Rom.* 9, 4-5).

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DECLARATIONIS DE LIBERTATE RELIGIOSA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DECLARATIONIS DE LIBERTATE RELIGIOSA *

1

EM.MUS P. D. BENIAMINUS CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Multa de ea scribuntur. Ego, omnium minimus, tantum volo dicere damna ex tot disputationibus iam incepisse.

De cetero sufficiat meminisse solum Christum Magistrum esse, et apostolos, solos quos ipse nominavit, eorumque successores, i. e., Ecclesia catholica. Nemo alius ius habet Evangelium praedicandi.

Proselytismus erit verum flagellum pro Ecclesia Christi.

In Hispania fructus iam inceperunt: exceptionismus religiosus et etiam aliquae apostasiae.

Mea humilis opinio est ut solutio relinquatur conferentiis episcopalibus in singulis nationibus cum approbatione Sedis Apostolicae absque ulla disceptatione in Concilio.

2

EM.MUS P. D. NORMANNUS THOMAS CARD. GILROY
Archiepiscopus Sydneyensis

A quibusdam archiepiscopis et episcopis Australiae quorum nonnulla nomina infra subscribuntur, submissa.

Submissio haec est: ut tota par. 5, n. 30 declarationis, quae nempe incipit a verbis: « Ius pariter coetibus religiosis competit » usque ad verba: « libere eorum Communitati adsocient », a textu declarationis expungatur. *Rationes* sunt:

1. Iniuria esset divinitus instituto Ecclesiae magisterio admittere communitatibus religiosis, quae haeresim tradunt, ius competere (imo ius strictum naturale, uti ex relatione constat) ad suas falsitates propagandas. Num Concilium Oecumenicum dicere queat unicuique haeretico ius competere fideles a Christo Summo Pastore alliciendi ut eosdem ad pascua venenata adducat?

2. Verum est in hac paragrapho mentionem haberi de iure quo gaudent communitates religiosae alios ad suam persuasionem inducendi per

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio clausa est.

media tantum iusta et honesta, excluso semper « proselytismo ». At vero, quis iudex est de iustitia vel iniustitia mediorum quae, teste tristi experientia, haud pauci, zelo fanatico, ne dicam quasi diabolico, imbuti, adhibent ad fideles praesertim simpliciores et minus doctos (quos Ecclesia a falsis prophetis praeprimis protegere debet) in suas partes alliciendos?

3. Haec paragraphus obnoxia est falsae interpretationis (indifferentismi etc.).

4. Verum est propagationem aliarum religionum ab Ecclesia tamquam malum tolerandam esse, et ab auctoritate civili permittendam esse dummodo iuribus aliorum et ideo bono communi non offendat. Vix tamen possit hoc a Concilio coram mundo hodierno asseri. Ergo melius esset de hac re nihil dicere, asserto tamen iure omnium ad religionem tum privatim tum publice *colendam* intra limites praedictos.

[*Subscripserunt etiam*] E. M. O'Brien, arch. Canberra et Goulburn; Matthaeus Beovich, arch. Adelaidensis; Th. McCabe, ep. Vollongongensis; Patritius M., arch. tit. Pelusiotanus; Thomas Cahill, ep. Cairnensis; J. Rodgers, ep. tit. Sbidensis; William Brennan, ep. Toowoomba; F. X. Thomas, ep. Geroldton; Leo Arkfeld, vic. ap. Wewak, N. G.; Paschal Sweeney, praef. ap. Vanimo N. G.; Patrick Farrelly, ep. Lismore; John E. Crawford, ep. tit. Caffensis; A. A. Noser, vic. ap. Alexishafen; E. Klein, ep. tit. Echinensis; Bryan Gallagher, ep. Port Pirie; Bernardus Stewart, ep. Sandhurst; James P. O'Collins, ep. Ballaratensis; John O'Loughlin, ep. Darwin; John Toohey, ep. Maitland.

3

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA
Episcopus Veliternus

« Declaratio » negat licere cuiuslibet religionis professionem impediri: « nefas est » (cf. par. 26, pag. 29, lin. 11; par. 29, pag. 31, linn. 18-20; par. 29, pag. 31, lin. 41, pag. 32, lin. 13).

Iamvero historia indubie testatur Ecclesiam praeteritis saeculis nonnumquam rei publicae rectoribus suasisse ut, per poenales quoque sanctiones, impedirent quominus acatholicorum cultus et praedicatio inter catholicos populos admitterentur iidemque acatholici paribus ac catholici iuribus civilibus fruerentur.

Ecclesia potest quidem sententiam vel praxim circa argumentum mutare; attamen, ad praecavendam malae fidei suspicionem vel accusationem et multorum fidelium incertitudinem atque difficultatem recte rem percipiendi, iuvat sententiae disciplinaeque mutationem ac eiusdem causas palam declarari.

Maxime denique novo examini subiiciatur necesse est documentorum alligatio in pagg. 35-36, ubi textus de antiqua Ecclesia mutili citantur et multi alii contra dicentes negliguntur ita ut ex allatis opinio eruatur Ecclesiam de libertate religiosa semper sensisse ad mentem « Declarationis ».

« Declaratio » praeterea videtur sibimetipsi non cohaerere quippe quae, post largissime affirmatam libertatem religiosam, a nemine impediendam, concedat: « si in sensus religiosi manifestationibus usus inveniantur perversi qui personae dignitati et iuribus aliorum clare noceant, populorum rectores secundum prudentiae regulas iis obstent oportet » (par. 29, pag. 31, linn. 38-40).

Iamvero praedicatio doctrinarum religiosarum contra veritatem revelatam et institutio communitatum a vera Christi Ecclesia aberrantium, semper sunt actus « perversi », qui baptizatorum dignitati opponuntur et iura laedunt eorum qui per falsam hanc praedicationem in errorem inducentur et a vera Christi Ecclesia separabuntur.

Illud etiam animadvertendum est et ipsos Ecclesiae adversarios, falsis suis principiis fretos (quibus principiis « Declaratio » in prima parte favet plenamque agnoscit libertatem) appellari posse ad assertam limitationem hanc ad catholicos insectandos quorum fidem ipsi acatholici dignitati iuribusque hominum contrariam censent.

Videtur ergo in « declarationem » duos libertatis aspectus confundi *subiectivum* unum, cuiuslibet conscientiae iura defendens; *obiectivum* alterum veritatis communisque boni iura spectans.

4

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Cum praesertim in hodiernis adiunctis maxima cura adhiberi debet de dignitate personae humanae a Deo creatae et redemptae necnon de iuribus et officiis talis personae, schema declarationis de libertate religiosa omnino pergratum. Tandem aliquando, non solum acatholici et infideles sed etiam ipsi fideles ideam tantum partialem vel etiam erroneam sibi efformant de mente Ecclesiae circa personam errantem eiusque ius ad libertatem religiosam. Quam ob rem, opportunius videtur ut vindicatio ab Ecclesia huius libertatis elaboretur et quasi systematice redigatur. Perpulchra dicta de dignitate personae humanae eiusque iure in societate ad libertatem in re religiosa, de iure in materia religiosa conscientiam sequendi, de valore et consideratione obedientiae conscientiae sincere datae, de exclusione omnis externae coactionis in materia religiosa. Similiter, optime notatur quod ius ad libertatem conscientiae externe exercendam semper et ubique valet et agnosci debet. Quae omnia verissima sunt necnon christifideles eorumque pastores apud homines disparis cultus et diversae religionis degentes vere iuvabunt.

Utilissime declaratio decernit de catholicorum cooperatione cum eis qui non sunt catholici et de relationibus inter Ecclesiam et societatem civilem. Simili fere modo ac antea, multi hodierni omnino ignorant quod Ecclesia catholica approbat societates civiles modernas quando, in practice ordinanda

vita civili, libertatem religiosam et aequalitatem politicam asseclis cuiusvis religionis tribuendam esse statuunt vel etiam quod secundum mentem Ecclesiae status civilis nequit imponere civibus professionem determinatae religionis tamquam conditionem ut pleno et integro iure vitae nationali et civili participare valeant. Ecclesia solummodo desiderat statum esse impartialem et benevolum erga omnes qui in re religiosa dictamini suae conscientiae obediunt.

5

EXC.MUS P. D. ALOISIUS ALONSO MUÑOYERRO
Archiepiscopus tit. Sionensis

I. Die 23 huius mensis, em.mus card. Ruffini aliquam emendationem proposuit in paragrapho ultima n. 29, pag. 32, qui incipit: « Publicae rei moderatores », etc. et finit his verbis: « difficultates ponantur ».

Maximam gravitatem concessit huic dispositioni, videns inter consectaria, ruinam concordatorum inter Sanctam Sedem et Gubernia civilia.

Certo certius, huic praescripto tenentur obedire moderatores catholici, non vero illi moderatores qui extra Ecclesiam sunt. Catholici tenebuntur libertatem religiosam « efficaciter tueri », et, quod est amplius, « apte promovere ». Catholici illarum nationum ubi Unitas catholica viget et Concordatum habent cum Sede Apostolica, si verbis attendamus citatis, si praecepto illi obedire velint, ut debent, Concordatum rumpent et unitatis catholicae sacrificium facient, si illa fruuntur.

Hic erit casus Hispaniae: unitate catholica gaudet a saec. VII, tempore Recaredi. Tolerantiam habuit cum iudaeis per multa saecula. Tolerantiam habuit et habet cum protestantibus, quibus legem parat quae iura ipsorum tueatur quin unitati catholicae valedicat. Vi huius unitatis religio catholica viget in 22 Republicis Americae et in Insulis Philippinis. Huic religioni hispanorum debetur quod religionis catholicae remanet in regionibus protestantium. Illi etiam debetur magna ex parte Concilium Tridentinum, victoria super mahumetanis in Hispania et in loco dicto Lepanto, etc. His temporibus magna et unica victoria contra Communismum in Hispania obtenta fuit.

Alia ex parte, protestantes (cum iudaeis et mahumetanis non est problema) sunt tantum, inter hispanos et extraneos, 30.000 (numerus admissus ab omnibus), ex quibus hispani sunt dumtaxat 15.000. Hi in maiori parte capti sunt vi proselytismi, et conditionem socialiter humilem non excedunt.

Reverendissimi Domini, oro ut prae oculis habeantur haec ad vitanda mala quae praedici valent si Gubernium hispanum Concordati cessationem decidit et libertatem promovet in re religiosa, ut in schemate proponitur.

Propono igitur: 1. dicatur « Publicae rei moderatores ex alia parte tenentur ius personae ad libertatem in re religiosa opportune et efficaciter tueri », remotis verbis « apte promovere » quia esset absonum et scandalosum invitare moderatores ut se in missionarios liberales convertant.

2. Addatur altera paragraphus, videlicet, sic: « Moderatores autem catholici illarum nationum quae Concordatum habeant cum Sede Apostolica, antequam ad rem religiosam ordinandam procedant, si casus ferat, consulant oportet hierarchiam ».

Ita adimpletur quod Pius XII dicit in Allocutione ad iuristas italos, 6 decembris 1953.

Etiam Ioannes XXIII verba habet ad hunc respectum in Encyclica *Pacem in terris* in pag. 31 *A.A.S.* Dicit: « Neminem enim praetereat oportet Ecclesiae ius itemque officium, non solum fidei morumque doctrinam tutari, sed etiam auctoritatem suam apud filios suos in regione rerum externarum interponere, *cum diiudicare opus est quomodo doctrina eidem sit ad effectum deducenda* ». Ex quibus verbis clare apparet eadem principia eamdemque doctrinam non semper eodem modo ad effectum esse applicanda.

II. Alteram emendationem propono relate ad verba schematis, pag. 32, linn. 38-43.

Si verba quae libertatem concedunt propagationis in re religiosa non tollantur, ut opus esset (errorem enim et malum in eadem linea ponere ac veritatem et bonum, offensivum est Deo, et fidelibus scandalum gignit), necesse est illam limitationem addere quam Ioannes XXIII adhibet, scil. « morali ordine communique omnium utilitate servatis » (Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55, pag. 260).

III. Nisi has et alias fortasse emendationes servet Commissio, Ecclesia gravissimum onus in se suscipit, compromissum acquirendo in facie mundi, respectu libertatis religiosae cum gravissimis consectariis; dum moderatores rei publicae non catholici, liberi a praecepto Ecclesiae nostrae poterunt agere iuxta ideologias et convenientias politicas factionum quae auctoritate publica potiantur. Ecclesia fugere videtur martyrium, et tamen martyrium semper in Ecclesia aderit. Recurrere ad O.N.U. magna erit simplicitas.

Post hunc schema discutienda est *declaratio de Iudaeis*. Mihi videtur opportunum et libenter adhaereo. Videatis, quaero, phaenomenum quod dabitur si declaratio de libertate religiosa non adhibet emendationes opportunas: ex una parte magna laetitia erit, inter iudaeos et protestantes; ex alia luctus et scandalum in regionibus catholicis, inter illas personas praesertim maioris pietatis et apostolatui addictas. Item Ecclesia, scienter et volenter acceptet censuras quae praevidet sibi obventuras ex decreto de iudaeis; et ad catholicos, qui religionem catholicam servarunt magnis cum sacrificiis, Concilium videretur non attendere, dolorem ipsorum non considerans et fortasse, Deus avertat, defectiones a fide propter scandalum secuturas.

Ignoscite mihi, dilectissimi Patres, Praelatus hispanus sum. Praeses etiam sum Commissionis Ortodoxiae et Moralitatis. Nihil mirum vobis erit si has considerationes ad Commissionem vestram retuli.

Deus Vobis adsit in labore cui incumbitis.

6

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Non mihi videretur bonum si disputatio nostra clauderetur in ambiguitate. Multos enim audivi vere anxios de re quam disputavimus. Ex una parte quasi omnes consentimus normis practicis quae in textu continentur; ex alia autem parte, debilitatem sentimus fundamenti in quo innituntur hae regulae practicae.

Quid respondissemus, si moderatores a nobis petiissent utrum textus noster possit denuo praesentari Concilio cum quibusdam tantum emendationibus, an debeat penitus recognosci?

Unde petii verbum, cum spe aperiendi viam quae forsan ad solutionem problematis nostri ducere posset. Nihil autem ex iis quae vobis dicam vere novum est. Unice quaesivi, ex textu nostro atque ex iis quae in aula audivi, quasi synthesim novam efformare.

Mihi videretur omnino necessarium redigere novum prooemium tribus constans propositionibus.

Primum recoleretur quod ab em.mo Ottaviani et exc.mo Parente dictum est de iure supremo quo gaudet ipsa veritas. De hoc enim immutabilem habemus doctrinam in Ecclesia. Affirmaretur ergo officium quod omnibus hominibus imponitur quaerendi veritatem eique adhaerendi necnon secundum veritatem ambulandi. Quod officium adhuc maius est, quando Deus Ipse sese manifestat per Revelationem. Tunc omnes debent fideliter adhaerere Ei et omnibus quae nos docuit.

Inde reiiceretur tanquam « deliramentum » ut aiebat Gregorius XVI, theoria eorum qui conscientiam humanam tanquam normam supremam veritatis et moralitatis adstruerent. Insuper pro omnibus hominibus postularetur libertas seu ius adhaerendi veritati, corde et opere, in re religiosa et morali.

At non sufficit loqui de officio et de iuribus consequentibus *in ordine obiectivo.* Etenim, ut praeclare nobis recoluit exc.mus Colombo, rationem habere debemus de modo agendi concreto personarum, quae non possunt moraliter agere, nisi *mediante conscientia.* Unde debemus agnoscere, in hominibus, ius quaerendi personaliter veritatem, quae inquisitio non potest fieri sine periculo erroris. Hic proinde habetur alius aspectus libertatis religiosae quae, et ipsa fundatur in ordine obiectivo, *sed exercetur in ordine personali.* Tunc conscientia nullo modo consideratur tanquam norma suprema sed, secundum constantem doctrinam Ecclesiae, tanquam norma proxima cui semper oboedire tenemur. Unde ius et officium coram Deo habemus, vivendi secundum veritatem quam invenimus, atque aliis eam communicandi.

Tandem aliqua in prooemio dicenda erunt de « dimensione historica », ut aiunt, problematis nostri, sicut optime eam ostendit nobis exc.mus Garrone.

His in prooemio positis, securo praesentare poterimus normas practicas

quae, ex his quae in textu et in Aula dicta sunt, in tribus numeris poterunt inscribi.

1. Quod ad evangelizationem pertinet. Certo tenemur, ex praecepto Domini, Evangelium omnibus annuntiare, sed modo qui libertatem religiosam uniuscuiusque, in secundo sensu, omnino veretur. Hoc autem semper Ecclesia docuit. Unde possumus et hanc doctrinam recolere et nostros defectus quos historia narrat deplorare et alios invitare ut eodem modo agant in communicanda doctrina sua.

2. De modo agendi societatis civilis: Societas civilis *rationem certo habere debet* iurium et officiorum quae hominibus competunt, sed *modo qui ei convenit*. Certo fovere debet civibus adimpletionem officiorum suorum sed semper observando libertatem civilem qua frui debent in vita sua, salvis semper exigentiis boni communis.

Exinde deducitur a societate civili excludendam esse omnem discriminationem ratione religionis. Insuper societas civilis nullo modo potest reprimere inquisitionem veritatis religiosae neque ipsam vitam religiosam; neque valet societas civilis iudicare de veritate aut de errore, et intervenire non potest nisi in quantum propagatio erroris aut pravitas morum contrariae essent debitis exigentiis boni communis. Pro tuenda tandem libertate religiosa, societas civilis prohibere potest usum mediorum qui hanc libertatem vere laederet.

3. Aliqua tandem dicenda essent de libertate religiosa in relationibus inter homines. Tria praecipue, ex his quae iam dicta sunt, notanda mihi videntur:

a) Numquam nobis licitum est iudicare de rectitudine conscientiae hominis in quaerenda veritate aut in ea annuntianda. Unde omnes honorare debemus, etiam qui non eamdem fidem profitentur.

b) Periculum indifferentismi sedulo vitandum est. Unde in societate sic dicta plurali, magis tenentur homines ad studia perficienda in re religiosa et ad vitam authentice ducendam, secundum exigentias veritatis.

c) Neque possumus remanere indifferentes circa proximos nostros, si non plena gaudent veritate. Unde, ex una parte, cum eis gaudebimus de veritate religiosa aut morali quam iam possident; ex altera parte, sive testimonio vitae, sive testimonio verbi annuntiare eis possumus et debemus, cum omni reverentia, in mansuetudine et caritate, thesauros quos recepimus, etiamsi non satis secundum veritatem ambulamus.

7

EXC.MUS P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAÚN

Episcopus Gadicensis et Septensis

In n. 29, linn. 20-28, ubi sermo est de publico exercitio libertatis religiosae, transitus ex ordine interno ad ordinem externum manifeste significatur sine argumentis gravibus, sine doctrina magisterii pontificii, qua fulcia-

tur talis affirmatio; « quum libertas religiosa elemento essentiali privaretur et inanis evaderet, si publice exerceri non posset ».

Oportet accurate distinguere et exordiri incipiens a simplicioribus affirmationibus iuris naturalis, quibus ad certas conclusiones applicationesque ducamur.

Adfirmationes iuris naturae.

1. Deum inter et hominem quidam extant respectus, cum Deus sit principium et finis hominis, necessarii et inviolabiles, qui vitae religiosae vel religionis usu exprimitur.

2. Hae relationes cum Deo, ab Ipso significantur ope revelationis veritatum, tum ordinis naturalis, tum ordinis positivi.

3. Habere cum Deo alias relationes seu respectus ab his quas ipse Deus ostendit, exire e veritate est, quod quidem errorem profiteri vocatur.

4. Minime negandum est, quamquam homo satagere debet ut sua vita veritati divinae aptetur, hominem habere dictamen propriae conscientiae ut ultimam necessariam regulam actionis.

5. Hoc vero conscientiae dictamen, aut veritati aut errori conformari potest. Si tamen error sit invincibilis, conscientia erronea est norma secura, et, ut vera tenenda et sectanda in ordine religionis.

Conclusio. Oportet, et cum obligatione quidem, hominem, dictamen suae conscientiae sincerae attendere, sequi et executioni mandare in praxi suae vitae religiosae, quamvis veritati non aptetur.

Nemini licet coercere ius hominis suae sequendae conscientiae, et certae religionis exercendae. Homo sui iuris est. Ita intelligenda est libertas hominis, religionis vel conscientiae.

Applicationes.

1. *Libertas religiosa privata vel interna.* Apertum est omnes homines ea frui; principium est clare ex praefatis deductum.

2. *Libertas religiosa publica.* Anceps et periculosus est transitus ex ordine interno ad ordinem externum, eoque summa cura haec sunt perpendenda:

a) Libertas externe profitendi propriam religionem in suis ecclesiis et communitatibus, etiam publicis manifestationibus, ius est illius qui veram religionem amplectitur, eiusque etiam qui falsae adhaeret, dum periculum non sit ut alii a vera religione secedant.

b) Libertas mediis licitis propriam religionem externe propagandi: si vera est religio, proprium est ius. Si vero falsa, nullum est ius. Et rationes expono.

1) Nullum sibi ius error sumere potest ut publice divulgetur, quamvis bona fides ei tribuatur. Ius semper veritati adstat. Ius in veritate fundatur. Contrarium duceret in lugendum relativismum. Nimis saepe tamen ferenda et toleranda videtur positiva erroris propagatio, cum ex eo potiora expectantur bona, vel mala maiora vitentur. Cum igitur loquatur de libertate propagationis, bene intelligatur loqui de tolerantia cultuum falsis religionibus.

2) Genuina boni communis conceptio eo nos ducit ut quandam eventorum congeriem et vitae socialis conditiones admittamus, quibus homo invenit necessaria ut suam personam plene et perfecte evolvat, maximeque proprium spiritum. Sed intelligentia plane perficitur possessione veritatis obiectivae. Bonum igitur commune ius errori diffundendo tribuere nequit. Tantummodo et unice potest permitti vel tolerari erroris propagationem, ut minus veritas patiatur.

3) Ex hoc deducitur nullum ius esse ei qui falsam religionem amplectatur, ad eam propagandam, quamvis interdum ea propagatio toleranda sit.

8

EXC.MUS P. D. XAVERIUS M. ARIZ HUARTE

Episcopus tit. Baparensis, vic. ap. Portus Maldonadi

N. 25. *Prooemium.*

Neminem fugit momentum esse maximum huius problematis, quod tam fortiter mentes hominis hodierni perturbat. Inde peropportunum videtur quod Concilium specialem attentionem ad ipsum convertat ut mentem Ecclesiae illustrando proponat, doctrinam ad captum hodiernorum accommodando in speciali applicatione ad circumstantias societatis actualis.

Sed primum quod occurrit notandum iam in initio verborum prooemii est ratio tam partialis et nimii opportunismi, quae affertur, tamquam motivum proponendi hanc declarationem et in hoc loco: Quia est « conditio omnino necessaria ut dialogus oecumenicus haberi possit », lin. 4, i. e., « ad contactus et relationes pacato animo instaurandos inter christianos », lin. 3. Haec tamen motivatio non congruit cum contextu toto declarationis. In ipso enim principia et normae generales formulari intenduntur « de iure personae et communitatum ad libertatem religiosam », ait titulus subiacens. Et in toto eius decursu omnes coetus religiosi, etiam non christiani, omnesque professiones religiosae conscientiae, non exclusa negativa atheismi, comprehenduntur. Non ergo huiusmodi declaratio debet determinari solo scopo practico Oecumenismi, qui se refert ad confessiones christianas. Nisi haec ratio dogmatica significet eamdem cum illis doctrinam, et tunc magis incongruum apparet. Nam sicut Oecumenismi principia nequeunt eadem Ecclesiae catholicae et aliorum christianorum esse, ita nec circa religiosam libertatem, quam protestantes ex libero examine sub omni aspectu plenam proponunt.

Quare videtur cum aliis hanc declarationem iam extra locum proprium esse, et remandari debere ad schema XIII: *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Ibi enim esset proprior locus ut, intra ceteras rationes praesentiae Ecclesiae in mundo hodierno, etiam definiantur iura generalia conscientiae religiosae personae humanae, uti iam n. 12 ibi basis habetur.

Adhuc tamen rationes fortiores sunt ut textus praesens declarationis non recipiatur tamquam basis disceptationis. Sit prima generalis, defectus

ordinatae compositionis, cum nec facile sit in eo perspicere ordinationem debitam paragraphorum, aut nexum logicum assertionum. Ita, ea quae dicuntur nn. 27 et 28 logice veniebant in priori textu immediate post Prooemium ad significandum scopum pastoralem ac propriora fundamenta theologica huiusce declarationis. Textus vero novus initium sumit cum n. 26 in quo, iuxta relationem, exhiberi intenditur « accurata et exacta notio » libertatis religiosae ad praecavendas confusiones. Reapse autem continet substantiam totius declarationis seu principium omnimodae libertatis religiosae, quam ex abrupto textus proclamat, magis imitando declarationem absolutae libertatis religiosae ab O.N.U. factam (Declaratio universalis iurium personae humanae, artt. 18, 19) quam recolendo et profitendo doctrinas evangelicas.

Declaratio amplius evolvitur et finitur nn. 29-31, in quibus saepe repetitae occurrunt eaedem assertiones et phrases. Inde duae interiectae paragraphi, nn. 27-28, quae recolunt aliquos textus S. Scripturae quaeque ideo aliquid evangelicum continent, potius videntur interrumpere discursum.

Sed iam ad sensum textus veniendum, ipsum analysi submittendo. Ad quod ordinate faciendum necessario colligere debemus praecipua assertionum capita, in unum trahendo plures textus qui dispersi inveniuntur.

1. *Notio libertatis religiosae.*

Statim describitur terminus in secunda sententia, n. 26, linn. 9-11: « Ius ad libertatem religiosam in societate vi cuius homines religionem suam privatim et publice exercere valent nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt ».

Haec libertas deinceps continuo explicatur, et quidem tamquam « strictum ius », n. 29, pag. 31, lin. 4, pertinens ad « suprema iura » personae, linn. 24, n. 31. Et eius ambitus amplissime patens describitur, nam, quantum ad materiam vel obiectum, infra dicitur comprehendere non modo manifestationes religiosas privatae personae, eiusque opiniones, verum et omnes ritus publici cultus omnesque activitates cuiusque coetus religiosi cuiuscumque religionis, n. 29, pag. 31, linn. 21-27. Expresse insuper asseritur, quantum ad extensionem personarum et cultuum, hanc « libertatem religiosam non tantum a christianis et pro christianis, sed ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis in societate humana observandam esse », n. 29, pag. 30, linn. 34-36. Haec extensio universalis saepius repetitur, n. 26, linn. 23-24, n. 31, pag. 33, lin. 14. Consequenter dicitur etiam indistinctim comprehendere omnes religiones, nam singuli homines ubique terrarum « religionem suam » possunt liberrime exercere (n. 26, lin. 10; cf. n. 29, pag. 31, lin. 23).

Iamvero *haec notio libertatis religiosae omnimodae et universalis,* nedum est aliena a Magisterio Ecclesiae, verum *adversatur declarationibus recentiorum Pontificum*: *a*) Imprimis est aliena a genuino textu Enc. *Pacem in terris,* a quo inspirationem immediate recipit et plura verba materialiter desumit. Nam textus praedictus sic sonat: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, vene-

rari possit, et religionem privatim publice profiteri » (*A.A.S.*, 55 [1963], pp. 260-1). Sed ex contextu apparet Pontificem hic proclamare ius aliquod naturale et absolutum, proinde et obiectivum, in aliqua norma universali veritatis innixum. Inde ius agitur ad religionem in generali, seu ad Deo cultum tribuendum iuxta normas rectitudinis rationis in ordine naturali, et ex consequenti in ordine actuali ad cultum christianum in Ecclesia. Id quod manifestius fit ex locis immediate adductis tum Lactantii, appellantis ad veram religionem, non ad paganas, tum praesertim Leonis XIII, Enc. *Libertas,* qui patenter loquitur de sola religione in Ecclesia. Redactores autem declarationis textum Ioannis XXIII consulto truncaverunt, scribentes in praecedenti sententia directiva « secundum dictamen conscientiae », omissa voce *recta,* quae indicat conscientiam veram seu conformem regulae obiectivae, et inde interpretantes hoc ius in ordine subiectivo atque de qualibet religione.

Similiter in Documentis aliorum Pontificum libertas religiosa numquam talem sensum habuit, tamquam ius ad *indifferenter* exercendum quemlibet cultum religiosum, sed ut ius libere exercendi verum christianum cultum. Nam, uti pernotum est, Gregorius XVI Enc. *Mirari vos* (DENZ. 1613-14) et Pius IX, Enc. *Quanta cura* (DENZ. 1690-91) « libertates conscientiae et cultuum » tamquam liberum ius externe profitendi et publice exercendi religiones cultusque falsos, vocarunt libertates perditionis ac « deliramenta », illasque dixerunt contrarias revelatae doctrinae. Eamdem reprobationem suam fecit Leo XIII Enc. *Immortale Dei* (DENZ. 1867-1878). Idem S. Pontifex Enc. *Libertas,* probe distinguens inter libertatem conscientiae in sensu quo aeque liceat colere Deum in qualibet religione, atque libertatem conscientiam ad exercendam veram Iesu Christi religionem, nullo impediente, hanc vindicavit tamquam ius et officium societatis, illam vero reprobavit, immo et atheismo parificavit, dicens: « Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum cognoscat necesse est ... et colat. Vetat igitur iustitia, vetat ratio atheam esse, vel, *quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem,* eademque singulis iura promiscue largiri » (*Acta Leonis XIII,* 8 [1888], pp. 237-38).

Pius XI itidem proclamavit « libertatem conscientiarum » ad verum cultum, denuo eam distinguens a « libertate conscientiae » sequendi religionem quam homines maluerint, ipsam damnando (Enc. *Non abbiamo bisogno*: *A.A.S.*, 23 [1931], pp. 301-302). In quo sensu debent intelligi ea quae leguntur in altero eius documento *Mit brennender Sorge,* declarante « ius inalienabile hominis credentis » ad confessionem et exercitium eius fidei. Ex contextu et circumstantiis liquet agi de iure ad veram Iesu Christi religionem.

Pius vero XII, qui prius « inter fundamentalia iura personae » collocavit: « il diritto al culto di Dio, privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa » (Alloc. *Con sempre*: *A.A.S.*, 35 [1943], p. 19) evidenter hoc intellexit de iure tum ad cultum religiosum in generali, tum ad religionem veram, cum et alias solemniter vindicans libertatem Ecclesiae, eam

parificat cum ipsa humanae conscientiae libertate, dicens: « Qui vero *Ecclesiae libertatem humanaeque conscientiae iura conculcare* temerario ausu enitatur, tandem aliquando intelligant civilem quamlibet consortionem, *sublata religione* ... consistere numquam posse ... Atque adeo debita ubique restituatur Ecclesiae libertas » (Alloc. *In hoc sacrum*: *A.A.S.,* 41 [1949], pp. 44-45).

Denique, in notis relationis adducitur locus Pauli VI, qui vehementer dolet et reprobat « religiosam libertatem » esse conculcatam in quibusdam nationibus: « Ob huiusmodi dolores quanta afficimur tristitia, et quam vehementer dolemus cum cernimus in quibusdam territoriis *religiosam libertatem,* sicut et alia praecipua hominis iura, opprimi eorum principiis et artibus, qui opiniones a suis diversas de re politica, de hominum stirpibus, de cuiusvis generis religione non tolerant... » (*Alloc. ad Patres Conc.*: *A.A.S.,* 55 [1963], pp. 855-856). Sed, quare locus truncatur a suo contextu, in quo evidenter est sermo de libertate exercitii religionis catholicae, tot modis oppressae et vexatae in terris sub ditione communismi positis? Nam verba praecedentia fortiter appellant ad hanc persecutionem Ecclesiae et catholicorum: « Ubinam sunt nostri Fratres ex iis Nationibus, ubi Ecclesiae bellum indictum est? Atque in quanam condicione religio versatur?... de ingenti fidelium multitudine, qui ob invictam suam erga Christum et Ecclesiam fidelitatem ... oppressionibus sunt obnoxii? ». Postea autem paragraphus sic finitur: « Ut tandem desinant animum gerere catholicae religioni sine causa infensum. Catholicae enim religionis asseclae non inimici vel infidi, sed potius honesti et operosi cives nationis, ad quam pertinent, sunt habendi ». Declaratio igitur immerito huic textui tribuit suam novam notionem libertatis religiosae, ut comprehendentis aequum ius ad praxim cuiuslibet falsi cultus.

Ex illis aliisque multis concluditur documenta Magisterii illam libertatem agnovisse et vindicasse, quae venit ius inviolabile ad libere exercendam veram religionem catholicam, et quandoque etiam ius naturale ad cultum Dei in communi, ita ut non liceat religionem penitus opprimi aut deleri aliqua potestate humana. Falso ergo et contra praedictam doctrinam, declaratio introducit novam notionem libertatis religiosae, ut significantis ius aequa lance exercendi quemlibet cultum religiosum, non exclusa idololatria et polytheismo. Nonne hoc sonat totalis indifferentismus, saltem practicus?

2. *Fundamentum praedictae religiosae libertatis.*

Ponitur in sententia praecedenti, seu prima, n. 26, linn. 6-9: « Homines ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati officium et honorem habent ut, secundum dictamen conscientiae, voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur. *Inde* exoritur ius ad libertatem religiosam »...

Quod haec assertio statuatur ut principium, patet ex insistenti repetitione eius, ex quo ut consequentia trahitur libertas religiosa. Sic statim recolitur, n. 26, lin. 14, haec vocatio divina ut finis libertatis religiosae. Et praesertim n. 29, pag. 30, linn. 38-39, pag. 31, linn. 1-2 amplius repetita expli-

catur, tamquam praemissa et ratio deducendi ius libertatis religiosae in publica societate: « Vocatio autem divina, quae homini iter ad Deum et salutem in Deo assequendam aperit atque praescribit, maximam personae humanae dignitatem constituit. *Quapropter* in sociali convictu libertas sequendi hanc vocationem »...

Et indubie vocatio haec divina intelligitur unica vocatio hominum in hac oeconomia salutis, i. e., ad « consortium divinae naturae », seu ad vitam supernaturalem in Christo. Nam in fine iterum ipsa appellatur « suprema ac sanctissima vocatio » n. 31, lin. 24.

Iam vero in hoc toto adest aequivocatio et confusio maxima. Sane ex officio libere tendendi ad finem ultimum infertur dignitas personae humanae atque eius iura relate ad omnia media. Sicut ex vocatione ad finem supernaturalem in Christo oritur dignitas maxima hominis christiani atque ius supremum libere exercendi religionem catholicam in Ecclesia, quae unicum aptum medium est ad salutem aeternam.

Sed quo pacto inde deduci possit libertas religiosa tamquam *aequum ius* ad omnes religiones et cultus falsos exercendos? Hoc est mysterium, ne dicam maxima incongruentia et falsitas. Nam praedicti cultus et religiones non sunt media instituta ad salutem aeternam habendam, praeter elementa quae ex Ecclesia in aliis christianis confessionibus habeantur. Igitur ad dictam consequentiam eruendam, ut declaratio facit, opus esset admittere *omnes religiones legitimas et aeque volitas a Deo,* ut media apta ad salutem christianam habendam. Sed hoc est *indifferentismus religiosus!* Insuper concedere consortium hoc vitae divinae constituere vocationem connaturalem hominis. Et *hoc esset naturalismus,* sive rationalisticus, sive hodierni existentialismi. Uterque implicite negat totum ordinem supernaturalem.

Igitur ex principio quod extollitur, si bene perpendatur, solum sequitur verae catholicae religionis, ut Pontifices asserebant.

3. *Conscientiae subiectivae primatus.*

Sed forsan dicet quis nos in hac interpretatione excessisse, quae quidam solum valida est pro ordine obiectivo; dum praedictum principium cum sua declaratione absolutae libertatis asseritur in ordine conscientiae subiectivae. Statim enim declaratio affert hoc secundum principium ordinis obiectivi, n. 26, linn. 16-21. In quo admittitur tota traditionalis doctrina de conscientia humana quae nullatenus est independens a Deo, sed quod homini officium incumbit veram religionem inquirendi et « *rectam* sibi de rebus religiosis conscientiam formandi », lin. 19, nec ideo libere religionem amplecti quam maluerit, sed veram. Proinde « recta conscientia » est sola efformata secundum normas obiectivae et divinae veritatis. Quod quidem assertum dein amplius evolvitur, n. 29, pag. 31, linn. 7-10, ubi asseritur quod dicta vocatio omnesque relationes ad Deum subiciuntur normae obiectivae et absolutae Legis divinae. Unusquisque obligatur omni studio hanc divinam ordinationem cognoscere atque ei se conformare. Attamen hunc ordinem divinae

voluntatis accipit homo per dictamen conscientiae, quae saepius errore invincibili laborat, linn. 11-20.

Haec doctrina est verissima et satis superque nota. Difficultas vero est in eam concordando cum principio universalis libertatis religiosae. Videtur potius *mera iuxtapositio* utriusque principii, et quod hoc secundum, quod prius enuntiari debuisset utpote promulgans ordinem obiectivum, cui conscientia subiectiva se conformare debet, nullum exerceat influxum in illud subiectivae conscientiae.

Hoc quidem apparet, nam ordo ille subiectivus sequendi voluntatem divinam « secundum dictamen conscientiae » (ideoque non rectae, sed prout de facto est in qualibet persona) *ita universalis supponitur* ut sine addito inferat ius ad plenam libertatem omnium religionum. Et sic consideratur haec libertas in decursu declarationis, prout *de facto se extendit ad omnes coetus religiosos.*

Igitur, impressio non vitatur quod in tota declaratione a priori supponitur *omnes homines aberrantes a religione catholica esse in bona fide.* Nam omnibus, christianis et non christianis, aeque tribuitur « verum strictum ius », pag. 31, lin. 25, ac « libertas adimplendi ritus propriae religionis », pag. 31, lin. 25. Et continuo inculcatur hoc « ius ad libertatem religiosam ubique et ab omnibus observandum esse » (pag. 33, lin. 14; pag. 30, lin. 36). Et hoc nonnisi ex principio posito quod omnes isti per errorem non percipiunt obligationem legis divinae amplectendi veram religionem. Nullibi enim fit distinctio inter conscientiam culpabilem, errore vincibili et mala fide gravatam, atque inculpabilem, invincibili errore laborantem; sed in proprio loco dumtaxat dicitur quod qui dictamen conscientiae prudenter efformando « in erroneam interpretationem incidat », sincere etsi inscie Deo oboedit et aequo honore ac iure est dignus (n. 29, pag. 31, linn. 11-21).

Consequenter omnes errantes in re religiosa essent universaliter in bona fide, nullumque esset amplius peccatum haeresis, vel infidelitatis vel apostasiae (quidquid definiat in contrarium Conc. Vaticanum I, Denz. 1794, 1815), immo nec ipsius *atheismi,* in quo pariter homines supponuntur sincere sequi « dictamen suae conscientiae ».

Haec « conscientia subiectiva sincera » — quo termino intelligitur omnis conscientia erronea, sive invincibili, vel vincibili et crasso errore — ita praevalens supponitur in mundo ut plane locum sumat ordinis conscientiae rectae et legis divinae, atque ipsum *annullet.*

Sed praedicta suppositio, tam enormis et inaudita, certe adversatur S. Scripturae et doctrinae Ecclesiae, immo principiis ethicae rationalis et christianae moralis. Nonne pagani antiqui erant, saltem plurimi, hac ratione bona fide colentes Deum? Et quare S. Paulus illos omnes damnat de peccatis idololatriae ceterisque aliis, « ita ut sint inexcusabiles »? (*Rom.* 1, 20; cf. 1, 17-32). Ipsimet pagani damnabant, ut maximo crimine obnoxios, suspectos de atheismo. Et Ecclesia semper damnavit de culpa paganismum et paganos

ipsos, et generaliter damnabat haereticos, saltem omnes apostatas, actu deficientes ab Ecclesia.

Enimvero, iuxta inconcussa principia moralia, conscientia subiectiva non est *norma de se* recte agendi, nisi conformetur ordini obiectivo legis. At quamvis illa invincibiliter erronea excuset, immo etiam subiective obliget, sed hoc per accidens et in casibus particularibus occurrit. Principia enim moralia per se nota sunt omnibus. Idem dicendum de principiis legis naturalis, saltem in praeceptis circa opera externa. Nemo enim committens delicta homicidii, furti, vitabit coactionem poenasque auctoritatis, allegando se hoc fecisse iuxta conscientiae dictamen. Nam leges non parcunt « obiectoribus conscientiae » qui ex hoc recusant legi obedire. Iamvero, revelatio christiana patenter omnibus praedicatur, modo ad captum mentis tum antiquorum tum modernorum accommodato. Et Vaticanum I declaravit motiva credibilitatis revelatae religionis, maxime prout in Ecclesia elucent, tam irrefragabiles esse, quae faciunt « evidentem fidei christianae credibilitatem » (DENZ. 1794).

Haec argumenta denuo enumerans Leo XIII Enc. *Immortale Dei,* asserebat: « Vera autem religio quae sit, non difficulter videt *qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit*: argumentis enim permultis... liquet, eam esse unice veram, quam Iesus Christus instituit et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit ». Idipsum in Enc. *Libertas* repetebat: « Cum igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est, *quaeque non difficulter,* praesertim in civitatibus catholicis, agnoscitur ».

Quare ergo in declaratione reclamatur haec eadem libertas pro omnibus religionibus et coetibus atque individuis ex eo quod supponuntur « iudicium conscientiae sibi *prudenter* efformare eiusque dictamen fideliter sequi »? (pag. 31, lin. 14). Haec directe adversantur praedictis assertis, ubi prudens conscientiae efformatio quasi necessario ducit ad agnitionem verae religionis, cum secus non esset prudens.

Et in generali praedictus primatus conscientiae subiectivae solum adstrui potest ex diffusa conceptione *Moralis situationis* atque theoriae libertatis existentialis, quae semper supponitur sincera et norma moralis recta, utpote expressio ipsius personae humanae.

Sed quamvis bona esset, praedicta theorizatio conscientiae subiectivae *non valeret ad fundandam in praxi plenam libertatem religiosam.* Nam libertas in societate civili adhibenda est pro omni profitente religionem falsam, sive sit in bona fide et errore invincibili, sive in errore vincibili; aut etiam mala fide et contra conscientiam operetur, modo clare non offendat aliorum iuribus. Non enim in respectu nostro erga catholicos discrimen facere possumus, v. g. inter protestantes bona vel mala fide, sed civilis auctoritas aeque tuetur eorum iura, non distinguens bonam vel malam fidem eorum. Respectus enim est ob eorum personas, non obstantibus falsis opinionibus. Ex quo iam constat hanc conscientiam subiectivam sincere errantem non

esse validum, ut sufficiens principium ad fundandam in praxi libertatem religiosam.

4. *Libertas actus fidei.*

Hoc alterum principium fuit semper validum quoad effectus negativos religiosae libertatis attinet, et in hoc sensu semper in vigore fuit ut traditionalis doctrina Ecclesiae. Nimirum, quia actus fidei interne liber est, ex natura sua postulat ut nulla coactio exterior adhibeatur ad fidem habendam; nam coactio interioris actus voluntarii impossibilis est. De facto Ecclesia semper prohibuit ne ulla coactio talis exerceretur ut quis religionem christianam amplecteretur.

Declaratio vero hoc axioma sat secundario loco adhibet, n. 28, pag. 30, linn. 27-33, et ut merum correctivum principii de gravissimo officio quo discipuli Christi officio adstringuntur veritatem evangelicam annuntiandi et defendendi.

Alia ex parte, late nimis sumuntur consequentiae huiusmodi libertatis, cum dicitur: « In annuntianda veritate ab omni directa vel *indirecta coactione abstinendum est* », linn. 25-26, et quod attractio ad fidem suavis et liberrima et « sine ulla reprehensione » fiat, lin. 24.

Haec autem non recte dicuntur. Nam de natura fidei est excludere directam omnem et psychicam coactionem; non autem indirecta media persuasionis, contrariae reprehensionis atque alicuius moralis inductionis quibus homines solent duci ad fidem.

Textus autem falso libertatis conceptu videtur excludere hos modos inducendi ad fidem, quibus utitur quaelibet christiana praedicatio, per spem bonorum et timorem malorum, praesertim spiritualium. Quod implicat quemdam practicum indifferentismum, seu non adlaborandi ut ceteri christiani convertantur ad fidem. Saltem deberet distinguere iniustos terrores malorum temporalium et proportionaliter spem bonorum, ut istos tantum excludat tamquam coactionem moralem.

5. *De iure ad profitendam et propagandam falsam religionem.*

Consequenter ad haec principia, declaratio alte et pleno ore proclamat illam libertatem religiosam *tamquam verum propriumque ius* privatae personae et communitatum ad privatim et publice exercendam tum religionem catholicam tum quamlibet aliam religionem iuxta conscientiam cuiusque. Hoc ius insistenter et saepius extollitur, sive redactione confusa sed tamquam « verum strictum ius » n. 29, pag. 31, lin. 5 et lin. 24; sive indubie « tamquam ius ad libertatem religiosam », n. 29, pag. 32, linn. 9-10, n. 30, pag. 32, lin. 14. Recapitulatio finalis maiori vi reaffirmat omnium aequum « ius ad libertatem religiosam in societate ubique et ab omnibus observandum esse », n. 31, linn. 13-14.

Huic tamen iuri sequentia praecipue obstant:

a) Falso et incassum derivatur hoc ius ex officio et consequenti iure primario sequendi vocationem divinam, n. 26, linn. 9-10, n. 29, pag. 31,

linn. 1-5. Ut enim dictum fuit, ex divina vocatione « ad consortium divinae naturae » solum derivatur ius ad amplexandam et exercendam veram religionem, ut Pontifices deduxerunt.

b) Praedictum ius directe adversatur doctrinae expressae Leonis XIII, declarantis: Enc. *Libertas*: « Nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, *veluti totidem iura*... quae homini natura dederit ».

Quae similiter repetebat Pius XII, enuntians principium contrarium in Alloc. *Ci riesce*: « *Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né alla azione* » (*A.A.S.*, 45 [1953], p. 798). Idipsum dixerat loquens de veritate fidei Ecclesiae: « Ciò che a questa verità si oppone è necessariamente un errore ed all'errore non si possono oggettivamente riconoscere gli stessi diritti che alla verità » (Discursus *Ecco che già un anno*: *A.A.S.*, 38 [1946], p. 294).

His in locis enuntiatur principium universale, proinde et aeternum, nec dependens a temporum mutatione. Nec valent interpretationes hodiernae volentes tollere vim principii, opponendo quod nec veritas nec falsitas subiecta sunt iurium, sed personae. Sane hoc nemo unquam negavit. Praedictae autem formulae exprimunt in abstracto obiectum specificans ac velut fundans titulum iuris, et significant hoc aequivalens: Personae non habent ius ad falsa, sicut non habent ius ad inhonesta. Ius omne, quod est facultas moralis ad aliquid secundum legem, non datur homini nisi ad honestas actiones ideoque veras. Falsum autem, maxime in materia religionis, est simul malum quid, nec fundat titulum iuris. Nemo recte dicet se habere ius ad mendacia, calumnias, falsas doctrinas aliaque id genus propaganda.

c) Rursus falso praedicta iura ad religionum libertatem eruuntur ex iure conscientiae erroneae, n. 29, pag. 31, linn. 15-19. Nam conscientia invincibiliter erronea excusat a peccato cum quis ex tali errore contra legem divinam agit. Numquam vero ex se fundat iuris titulum ad aliquod opus externum, ad quod quis obiective non habebat ius. Iura enim constituuntur ad alterum et criterio stricte obiectivo, non in ordine subiectivo.

Ita de eo qui subiective putat aliquem agrum esse suum, obiective autem omnibus et iudici constat non esse eius sed alterius domini, nefas est dicere ex tali conscientia erronea oriri ei ius proprietatis ad agrum; et recte societas coactione contra eum utetur, ne repetat quod suum non est.

Similiter qui ex conscientia erronea contra legem divinam amplexandi Ecclesiam egerit, non eo ipso acquirit ius coram communitate exercendi cultus falsos, propagandi doctrinas contra veritatem revelatam.

Pontifices uno ore in casu appellarunt, ex Scriptura, Traditione Patrum et theologiae ad principium tolerantiae falsae religionis. Mala enim proprie tolerantur, quatenus homines et societas permittunt, exemplo Dei, quae non approbant, nec prohibent aut impediunt illa, iusta de causa. Agentes autem ex errore inculpabili habent ex se iustam causam ut ab aliis tolerentur, modo

aliorum bono non noceant. Et amplius societates possunt multa mala et inhonesta tolerare, licet ex prava et culpabili conscientia fiant.

Numquam vero dici potest homines vera iura acquirere ad has omnes activitates contra divinas aut naturales leges, v. g. ad praxim prostitutionis etsi in locis forsan a lege humana toleratis.

Solutio ergo venit, non ex declaratione aequi et indifferentis iuris ad quamlibet religionem, sed ex principio alio *indirecto,* ex iure nempe generali personae. Nam persona humana numquam ex toto amittit sua iura inviolabilia, licet male operetur. Etiam cum opera iniqua committat, v. g. occidendo vel furando, solum amittit iura respectu publicae potestatis coercitivae et punitivae, aut alterius in suo iure laesi. Multo minus amittit iura personalia qui, conscientia erronea laborans, ex hoc activitates exercet contra ordinem divinum cultus religiosi.

Is enim rationem excusationis habet et tolerantiae in exercitio sui cultus, ideoque *ex parte personae* vero iure pollet ad respectum libertatemque etiam in exercitio praedicti cultus, saltem sicut ad alias actiones permissas, modo non noceat bono communi.

En quo modo conceptus traditionalis tolerantiae facile potest verti in *veram libertatem civilem* quoad alias confessiones religiosas, licet relativam et restrictam et potiore iure verae religionis in societate habente maioritatem catholicam.

6. *Libertas religiosa in societate.*

Plura de hac materia dicuntur in declarationis secunda parte, quae videntur inordinata, inter se incohaerentia atque falsa principia implicare contra doctrinam Magisterii Pontificum. Paucis aliqua complectar.

a) Imprimis asserta de hoc inordinate et permixtim sparsa sunt in declaratione. Prius enim enuntiatur, circa haec munera Status in materia religiosa, aspectus negativus seu *principium limitationis* libertatis religiosae, hoc modo: « Exercitium iurium in re religiosa propter naturam socialem *limitatum est* », n. 29, pag. 31, linn. 29-30. Sed hoc est in oppositione cum principio primo statuto de libertate religiosa etiam publica, n, 26, linn. 10-11, et quod homines propriam religionem etiam in societate exercere valent « *sine ulla* imposita vel impediente coactione », n. 29, pag. 31, lin. 2. Quare nunc statuuntur limitationes huic libertati?

b) Sed fundamenta muneris et interventus Status in materia religiosa magis incongrue et falso indicantur. Asseritur enim hoc munus unicum publicae auctoritatis esse, videlicet iura personae — indeque illam omnimodam libertatem religiosam — non solum « agnoscere », sed et efficaciter tueri, apte promovere et impedire ne eorum exercitio difficultates ponantur, n. 29, pag. 32, linn. 9-13. Et hoc quia liberalistico nimis conceptu, finis societatis dicitur esse creare complexum condicionum quibus homines suam perfectionem facilius consequi et iura sua exercere possunt, n. 29, pag. 31, linn. 34-36; n. 30, pag. 33, linn. 8-9.

Haec tamen partialis et impraecisa formula, quae truncate appellat ad

textum quemdam Enc. *Mater et Magistra,* adversatur doctrinae sociali Pontificum et totius theologiae catholicae, quae nedum hac sola ratione negativa, sed et positive admodum intelligit conceptum *boni communis* ut finis societatis; quod bonum commune plures functiones assignat politicae auctoritati, et non solum hanc vigilantiae iurium (Etat-police), in toto ambitu valorum spiritualium et socialis activitatis hominum.

c) Consequenter doctrina quae deinceps toto n. 30 insinuatur circa functiones Status prorsus negativa est. Iam ab initio, linn. 14-24, omnis vita vel manifestatio religiosa adscribitur tum singulis individuis tum coetibus religiosis. Istae « communitates religiosae » describuntur tanquam associationes libere constitutae voluntario incepto individuorum ex exigentia colendi eorum religiosam vitam, ad modum syndicatus operariorum, vel sicut antiqua « collegia religiosa » paganorum. Quibus coetibus ut *munus proprium* assignatur ordinatio publici cultus in societate, omnisque cura vitae religiosae organizandae cum omnibus suis institutis, iuxta principia religiosa cuiusque sectae vel confessionis.

Hinc exsurgit, implicite quidem sed necessario, conceptus Status *neutri,* seu natura sua areligiosi et laici, plane separati ab Ecclesia et aeque se habentis sua externa regulatione ad omnes coetus religiosos. Quae figura Status neutri, plane incompetentis in re religiosa, confirmatur declaratione finali, pag. 33, linn. 4-7: « Civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes civium cum Creatore et Salvatore suo possident, ideoque non possunt communitates religiosas reipublicae finibus temporalibus subordinare ». Formula adhuc peiore idipsum ad finem occurrit, n. 31, linn. 20-22.

Haec quidem valerent, recte intellecta, de competentia Status ad religionem supernaturalem vel circa Ecclesiam; sed nullatenus sunt vera erga quoslibet coetus et cultus religiosos, cum Status curam habet totius boni communis, non exclusis valoribus spiritualibus. Excluderent etiam omnes interventus et leges quas Status ferret in favorem religionis, uti de requie dominicali, de educatione religiosa, de tributis pro ministris cultus, etc., in oppositione ad prius dicta, scil. quod civiles auctoritates possunt quandoque limitare religiosas activitates et coetus ipsos religiosos fovere.

Illogice etiam ponitur consequentia secundi membri, nam civiles moderatores per hoc quod fovent, iuvant et protegunt rectam religionem subditorum, non eo ipso subordinant ipsos fini temporali reipublicae: e contra, hoc ipsum bonum commune ulterius ordinant fini aeterno subditorum ipsiusque Status.

Sed, praeterea, nemo non videt quod tota haec figura Status neutri et laici directe adversatur communi doctrinae, constanter declaratae in magisterio Pontificum, *de obligatione cultus publici* ex parte totius societatis eiusque auctoritatum, seu de confessionalitate Status, saltem de iure et in principio, cum omnibus officiis hinc secutis positivae unionis et collaborationis Status cum Ecclesia et ad omnes activitates religiosas eius.

d) Demum vere deplorabilis est figura quae describitur Ecclesiae paragrapho sequenti, n. 30, pag. 32, linn. 25-32 in hac futura organizatione societatum cum plena libertate religiosa. Ecclesia catholica proponitur tamquam unus inter plurimos coetus qui organizantur libero pacto eius membrorum, et a societate exspectat par ius cum aliis.

Sed incomprehensibile est quod, in aliqua declaratione conciliari, Ecclesia proponatur mundo hodierno ut coetus religiosus fundatus in libera electione membrorum, et non in iure divino suae institutionis a Christo. Vel si ad ius divinum appelletur, hoc fiat iuxta dictamen conscientiae illorum fidelium Ecclesiam libere eligentium, quam «ex ipsorum animi persuasione, a Deo volitam» credunt, lin. 29, forsan conscientia mere subiectiva et erronea, sicut et alii coetus.

Hoc, inquam, nec ex animo irenico et intentione reclamandi libertatem ab inimicis atheis dici debet. An S. Paulus et alii apostoli, praedicantes Evangelium ad incredulos paganos et hostiles iudaeos, appellabant ad subiectivas persuasiones propriae conscientiae, vel potius ad verissimum nuntium obiectivum, quem a Deo ex revelatione acceperant?

e) Denique nec tristis ista perspectiva Ecclesiae catholicae, quae apparet in paritate iurium cum aliis coetibus religiosis, sustinetur, sed verba sequentia declarationis in peiorem condicionem ipsam reddunt quam ceteri coetus religiosi. Nam ibidem, n. 30, linn. 38-40, pag. 32 et linn. 1-3, pag. 33, pro aliis coetibus ius plenum adiudicatur publice propagandi propriam religionem atque persuadendi aliis ad conversionem, vitato solo proselytismo per media inhonesta. Prius vero de Ecclesia dicebatur eam sese abstinere debere, ob motivum libertatis credendi, « ab omni directa vel indirecta coactione »; et declaratur illicita omnis « inductio », i. e., indirecta persuasio erga asseclas aliarum religionum, ad operandum contra conscientiam suam errantem, hoc est, ut mutent iudicium et se convertant ad veram religionem, n. 29, pag. 31, linn. 19-20.

Ex his theoriis statim eruitur illicitum fore baptizare infantes illosque catholica religione imbuere, quippe hoc indubie cadit sub indirecta coactione. Et totus sensus missionalis christianae praedicationis, seu laboris persuadendi acatholicos ad conversionem, labefactatur per hanc declarationem.

7. *Verum principium practicum religiosae libertatis.*

Denique iam ad finem quaedam verba ponuntur (n. 31, linn. 17-19, licet ad alia indebite divertendo) quae insinuant principium solutionis, ex quo pro praxi deduci potest illa positio ardenter exoptata libertatis religiosae.

Est factum sic dictae *socializationis*, phaenomenon siquidem in dies augentis unionis omnium gentium et populorum totius orbis, ex quo homines diversae culturae et religionis magis magisque connectuntur, eorumque relationes arctiores fiunt, ope maxime emigrationum et mediorum communicationis mundi hodierni.

Ex hac tam arcta interdependentia hominum sequitur quod respectus ad opiniones modosque vivendi et operandi aliorum proportionaliter debeant augeri.

Hinc ratio sufficiens in mundo hodierno exsistit ut tolerantia aliarum religionum, atque per consequens *libertas religiosa in ordine civili,* plena undique paulatim fiat, aut fieri debeat. Et ita perveniri potest ad libertatem religiosam *in praxi* declarandam, harmonice tamen ipsam componendo cum principiis doctrinalibus Pontificum.

Conclusio. Ob tam graves rationes inordinatae et impraecisae redactionis, confusionis conceptuum atque attentatae veritatis plurimarum veritatum Magisterii Ecclesiae, immo et dogmatum, *nullo modo admitti debet praesens textus* tamquam *basis* huius declarationis conciliaris.

Alia siquidem redactio aliusque modus pro hac declaratione exquiratur necesse est, qui non inducat in tot confusiones dogmaticas, maxime in indifferentismum religiosum, theoricum et practicum. Haec via est illa nuper indicata, quam Paulus VI in Allocutione inaugurali vocavit *pluralismum practicum.*

Ex facto enim pluralismi religiosi nunc in mundo imperantis arctiorisque nexus populorum, iam via strata manet ad causam sufficientem agnoscendam, quam plures dixerunt hypothesim, ut habeatur, tamquam fere universalis norma moralis respectus ad ritus aliarum religionum, ac inde practicae libertatis religiosae.

Ne tamen destruamus aut attentemus, quaeso, ob bonum tam relativum obtinendum, fundamentalia dogmata Ecclesiae catholicae.

Votum. De hac declaratione religiosae libertatis velim proprias praeoccupationes hucusque hic praeclare dictis etiam addere, et quasdam positivas suggestiones insinuare.

1. De primo aspectu, certe ad nos directe non spectat problema doctrinale in ea contentum considerare. Sed iam hac in aula plura de hoc audivimus, et multis aliis visum est actualem textum declarationis adhuc graves difficultates involvere, contra communes doctrinas, immo et contra dogmatica principia.

a) Ita, declaratio introducit novam notionem libertatis religiosae, quae spiritum extremi laicismi magis quam spiritum christianum redolet, cum inde ab initio quasi ex abrupto proclamet ius inviolabile publice exercendi omnes cultus cuiuscumque religionis, potius in hoc imitando declarationem absolutae libertatis religiosae ab O.N.U. evulgatam, quam recolendo et profitendo doctrinas evangelicas.

b) Sed adhuc magis aequivocum videtur quod declaratio hanc libertatem omnimodam fundet super principium sequendi vocationem divinam, qua homines advocantur ad « consortium divinae naturae ». Inde consequentia implicita non vitatur, scil. omnes religiones aeque apta media esse ad salutem aeternam consequendam, sicut vera religio et Ecclesia catholica a Christo instituta; ideoque *omnes religiones legitimas esse* et aeque volitas a Deo. Rursus finis supernaturalis « consortii divinae naturae » constitueret vocationem connaturalem hominum. Utrumque implicat naturalismum, cum negatione ordinis supernaturalis.

c) Alia ex parte, principia declarationis videntur fundata in primatu conscientiae subiectivae erroneae, eiusque praedominio supra ordinem Legis et veritatis divinae. Certe hic ordo obiectivus ut obligans expresse agnoscitur, sed nullum influxum exercere videtur, cum ius ad plenam libertatem religiosam innitatur in facto conscientiae subiectivae erroneae, nulla adhibita distinctione inter conscientiam culpabilem seu vincibiliter erroneam, atque inculpabilem seu errore invincibili laborantem.

Quare impressio non vitatur quod omnes aberrantes a religione catholica supponantur esse in bona fide. Nullum inde amplius esset peccatum haeresis, vel infidelitatis, aut apostasiae; immo nec atheismi, cum similiter athei supponi debeant sincere sequi « dictamen suae conscientiae ». Et tunc, quare S. Paulus universaliter damnavit paganos colentes suos falsos ritus, « ita ut sint inexcusabiles »? (*Rom.* 1, 20; cf. 1, 17-32). Et Ecclesia omnes hos semper damnavit, maxime apostatas, ex defectione a vera fide.

d) Has pluresque alias difficultates perpendere ad me non spectat, licet ob motivum conscientiae in observationibus adiunctis explanatas Secretariatui tradam. Licet unam tantum notare quae directe ad nos missionarios attinet. Iuxta varios textus declarationis, Ecclesia catholica videtur in peiori conditione versari quam ceterae religiones. Nam istis adiudicatur plenum ius propagandi proprias doctrinas, et persuadendi alios ad conversionem, vitato solo proselytismo per media inhonesta. Ecclesia autem, ex praetextu libertatis actus fidei, debet se abstinere ab omni « indirecta coactione »; omnisque « inductio », quae includit persuasiones communes ad asseclas aliorum cultuum ut se ad fidem veram convertant, declaratur illicita.

Ex quo facile eruitur illicitum fore baptizare infantes illosque fide catholica imbuere, quippe hoc implicaret indebitam coactionem conscientiae. Rursus supremum ius et officium missionis praedicationisque evangelicae, cum toto labore nostro missionali persuadendi et inducendi, licet suaviter, quoslibet non catholicos ut se convertant ad fidem, partialiter rueret ex hac declaratione.

Dolendum igitur est quod sic attentetur ad fundamenta nostrae activitatis missionalis, ex falso conceptu libertatis credendi.

2. Quaedam adhuc notare vellem ex parte meae suggestionis positivae.

a) Sincere enim putarem ad illum exoptatum scopum *libertatis religiosae* assequendum, melius quam per declarationem iuris absoluti ad omne genus cultus religiosi, quae in tot confusiones principiorum, maxime in indifferentismum religiosum, inducit, perveniri posse, et cum maiori pace et concordia omnium, per illam viam quam Paulus VI in Allocutione inaugurali vocavit *pluralismum practicum.* Factum enim pluralismi religiosi nunc in mundo magis magisque imponitur, ex phaenomeno socializationis in dies crescente, ex quo homines tam diversae culturae ac religionis inter se connectuntur eorumque relationes arctiores fiunt, ope maxime migrationum et mediorum communicationis.

b) Ex hoc pluralismo religioso iam causa sufficiens habetur ut respectus ad personas coetusque omnes proportionaliter augeatur. Et ut ratio

sufficiens in fere omni natione agnoscatur ad hoc quod tolerantia aliarum religionum atque consequens libertas religiosa ordinis civilis plenior paulatim fiat, nihil abnegando de principiis doctrinae catholicae.

Etenim *ius directum* ad falsa et contraria Legi divinae non datur, sicut nec ad inhonesta opera, cum iura constituantur tamquam morales facultates ad res licitas, criterio pure externo et non per respectum ad conscientiam subiectivam. Sic enim aliquis occupans bona fide agrum, illum putans esse suum, non eo ipso acquirit ius proprietatis in eum. E contra, personae ex conscientia erronea non recte agentes, retinent indirecta iura ut ipsis respectus et libertas debeatur, etiam exercendo opera obiective illicita, modo sint permissa.

c) Ex eodem principio pluralismi practici potest melius perveniri ad diversas regulationes ordinis libertatis religiosae, iuxta diversa problemata regionum et circumstantias temporum, et non damnando praxim totius historiae Ecclesiae vel facta aliarum nationum. Nam problemata eadem non sunt in omni natione. Ut ex directa notitia loquar, huius generis problemata in variis populis Americae meridionalis diversa sunt, inter se et cum aliis nationibus. Et ego expertus sum missionarios confessionum protestantium offerre indigenis neophytis nostrae Missionis honoraria pecuniae, immo et diplomata institutoris sine studio, hac condicione ut ad eorum confessiones transirent.

d) Relinquatur igitur, iuxta hunc pluralismum practicum, libertas pluralis regulationis secundum varias circumstantias et indolem populorum. Et haec facultas regulandi materias, semper delicatiores, religiosae libertatis *concedatur variis Conferentiis Episcopalibus,* quae etiam agere possunt in concordi cooperatione cum civili auctoritate propriae nationis.

e) Et ut tandem concludam, instanter quaeso ne nobis Concilium imponat principium rigidum absolutae libertatis, quod ob eius difficultates dogmaticas offendit nostras conscientias et simul respectum denegat nostrae libertati nationum catholicarum.

Sufficeret inde simplex declaratio practica, sine appellatione ad dubia principia, quod iam in mundo hodierno via aperta est ad pleniorem respectum et libertatem omnium religionum, ut deinceps singuli Coetus Episcopales per particulares normas solvant problemata secundum conscientiam nationum atque ex applicatione principii collegialitatis.

9

EXC.MUS P. D. ALOISIUS BETTAZZI

Episcopus tit. Thagastensis, aux. Bononiensis

Humillime peto ut commissio « de Oecumenismo », in revisenda declaratione « De libertate religiosa » velit notionem plenam libertatis in lucem ponere. Initium enim sumendum est a notione libertatis non formalistica seu

extrinseca (ius ad agendum, ceteris non obstantibus) sed potius intrinseca et substantiali (clara et plena affirmatio, quasi electio suiipsius). Quae, prouti respicit ipsam personam, praecedit et fundat priorem, quae respicit ceteros. Utique verba et conceptus sumenda sunt prouti in usu veniunt inter homines huius temporis (et hac de causa iuremerito de libertate potius quam de tolerantia loquimur), attamen non est negligenda opinio hominum sapientium et excultorum, qui tam late, ultimis praesertim annis, locuti sunt de libertate.

Libertas ergo, prius quam notio iuridica, est realitas metaphysica seu substantialis, quasi qualitas ipsius personae, crescit crescentibus cognitione et conscientia mundi et suiipsius necnon crescente lucida et voluntaria adhaesione ad realitatem et ad officia omnia quae ex plenitudine realitatis pro unoquoque homine derivantur. Ad haec omnia maxime confert ipsa agnitio religiosa Dei, utpote fundamenti realitatis et officiorum omnium, in luce praesertim Revelationis et Gratiae: non solum quia sic extenuantur, immo tolluntur incertitudines et errores necnon debilitas ipsa quae post peccatum originale atque post tot ac tanta peccata personalia tam calamitose incumbunt, sed praeprimis quia sic homines in Veritatem ipsam et Amorem inseruntur, ergo in supernaturalem suiipsius possessionem. Hac de causa revera « ubi Spiritus Domini, ibi libertas ». Quae omnia si prae oculis habeamus, iam videtur cur tam intente libertas religiosa praedicanda et laudibus tollenda veniat. In statu historico in quo versamur, homo *sincere* quaerens veritatem et diligens Deum iam est in mundo supernaturali et suam personalitatem ad Deum extollit; dum econtra qui etsi exterius in structuris Ecclesiae videatur sed veram et rectam adhaesionem deneget, hic non est in vera libertate, ergo non habet Spiritum Domini.

Hoc minime videtur extenuare vim religionis verae atque indifferentismum parare: quin potius homines sinceros invitat ut, numquam quiescentes in passiva nativae traditionis receptione accuratius semper incumbant in realitate intimius agnoscenda, sicuti ex altera parte catholicos suadet ut, proselytismo exterioristico non contenti, in sua vita illuminata et magnanima validum et suasivum dent testimonium autenticae libertatis.

10

Exc.mus P. D. STANISLAUS BRZANA

Episcopus tit. Cufrutensis, aux. Buffalensis

In genere. Schematis declaratio « de libertate religiosa » in genere placet mihi. Talis declaratio omnino necessaria est. Propter multas obiectiones, autem, constat quoddam compromissum requiri ad approbationem Patrum obtinendam.

In particulari. N. 26, pag. 29. Clarius dicendum est libertatem, de qua agimus, non esse aliarum ecclesiarum vel religionum positivam approbationem, sed omnium hominum in re religiosa a coactione immunitatem. De-

clarando hanc libertatem, Concilium nostrum non iudicium fert de aliis ecclesiis et religionibus, sed fortiter vindicat dignitatem et iura personae humanae.

N. 26, pag. 29. In linn. 16-21 stylus loquendi simplicior fiat, e. g. « Per libertatem religiosam homo a Dei potestate nullo modo emancipatus est. Non licet ei verum et falsum aeque aestimare. Non solutus est ab omni obligatione erga Summum Numen... etc. ».

N. 29, pag. 30, lin. 38 ad pag. 31, lin. 10. Cum non omnes vocationem divinam bene intelligant, forsan melius esset fundamentum libertatis in primo loco in natura hominis poni. Conveniens videtur aliqua exempla ex vita Iesu citare. Etsi non omnes agnoscant Iesum ut Deum et Salvatorem, fere omnes agnoscunt Eum saltem ut Prophetam vel Doctorem sapientissimum. Frequenter Iesus et verbis et suo modo agendi, directe vel indirecte, libertatem aliorum in credendo ac Eum sequendo agnoscit.

En aliqua loca ex evangeliis sumpta: *Mt.* 10, 5-15; *Lc.* 9, 1-6; *Lc.* 10, 1-12; *Mt.* 13, 9; *Mc.* 4, 9; *Lc.* 8, 8; *Mt.* 13, 24-30; *Mt.* 16, 24; *Lc.* 9, 23; *Mt.* 19, 21-22; *Mc.* 10, 17-22; *Lc.* 18,18-23; *Mc.* 9, 37-39; *Lc.* 9, 49; *Io.* 3, 16-18; 4, 24; 5, 39-47; 6, 44; 6, 52-58; 6, 61-70; 10, 25-28; 10, 32-38; 12, 37-50; 14, 16; 14, 23; 15, 6-10.

N. 30, pag. 32, lin. 38. Multi possunt quaerere quaenam iura atheistae et materialistae habeant in propaganda contra Deum et religionem ferenda.

N. 30, pag. 33, lin. 4. Melius esset propositionem de incompetentia civilis potestatis moderare. Verba citata videntur opponi praxi Ecclesiae conventiones (*concordatus*) cum statibus faciendi.

11

EXC.MUS P. D. GABRIEL PAULINUS BUENO COUTO

Episcopus tit. Leucenus, aux. Taubatensis

1. Fortasse res « de libertate religiosa » clarior fiet, si disquisitio de ea intra simplices legis naturalis limites evolvatur. Sermo est enim de iure sequendi propriae conscientiae dictamen in re religiosa ac de iure ad libertatem religiosam.

2. Nunc autem quid est ius? Ius dicit *relationem entis rationalis* (nempe homo) *ad omne id quod ipsum perficere censetur.* Haec iuris definitio originalis est eaque firmantur omnes conceptus quos S. P. Ioannes XXIII evolvit in encyclicis litteris *Pacem in terris.* Nihil aliud vult esse quam simplex legis naturalis applicatio sic a S. Thoma definita: omne ens quaerit perfectionem suae formae.

3. Ad rem nostram quod attinet: Agitur de homine qui affirmatur ius habere ad libertatem conscientiae in re religiosa et ad religionem colendam. Aliis verbis affirmatur quod libertas conscientiae et cultus religionis sunt

bona quibus homo indiget ad suam perfectionem (*perfectio* sumitur hic pro *esse* et pro *melius esse*).

4. Ex examine autem hominis, *plura* inveniuntur quibus ipse indiget ad essendum et ad melius essendum: bona materialia sicut cibus, vestis, domus, labor; bona spiritus: oblectamenta, relaxationes lusoriae, etc.; bona spiritualia: scientia, virtutes, etc. Illius legis naturalis vi, homo *strictum ius habet ad omnia ista bona,* ut patet. Libertas religiosa seu conscientiae religiosae et cultus religionis *non sunt* consideranda tamquam *bona* quae horum bonorum ordinem excedunt; haec bona, de quibus in praesenti, etsi aliis bonis dignitate excedunt, sunt aeque homini necessaria ac sunt eidem necessaria cibus, vestis, domus, labor, scientia, virtutes, membrorum integritas etc., etc. Nullo modo videtur ad expositionis claritatem conferre, illa bona de quibus in praesenti, ab hoc contextu auferre; ansam enim praebet aequivocationibus, quod sane nocivum causae ipsi erit.

5. Qui negare vellet hoc hominis ius, deberet duplici via procedere: *a*) sive negando libertatem religiosam et cultus religionis esse *bona quibus homo perficitur,* sicut quidam negare posset hominem indigere cibo, veste, domo, etc., ad suam perfectionem, *b*) sive affirmando hominem *non indigere his bonis, de quibus agitur,* ad suam perfectionem, sicut reapse indiget cibo, veste, domo, scientia, etc. In primo casu, inutile omnino est insistere *in ipso iure* affirmando, contra illum qui prima via procederet. Econtra necessario omnino erit contra ipsum probare libertatem conscientiae et religionem esse reapse *bona* quibus mirifice homo perficitur. In altero autem casu, probandum erit hominem esse animal rationale, cui inest tamquam proprium, libertas conscientiae et qui non de solo pane vivit.

6. Duplici ex capite dicitur homo privari ab his iuribus, de quibus agitur seu violentiam aut coactionem pati: 1. ex parte *obiecti*: destructione templi vel altaris; destructione librorum religiosorum eos comburendo, vel eorum publicationem quoquo modo impediendo; scholas confessionales claudendo vel quocumque modo eis obsistendo; falsarum doctrinarum disseminatione, etc. etc., 2. ex parte *subiecti,* scil. hominis, ipsum in carcere detrudendo, ipsum chimicis agentibus cuiuscumque naturae submittendo; suggestionibus, cavillationibus, minis, clamoroso proselytismo, obruendo, etc. etc.

7. Perquam evidens est hic agi de vera religione et de conscientiae libertate ad veram religionem. *Veritate* enim *obiectiva* et *illa sola* perfici censetur homo, eaque sola proinde indiget, sicut indiget *vero* cibo, *vera* domo, *veris* vestibus, *vera* scientia. Nemo sane perficitur vel vivit e cibis falsis, habitat fictitiam domum, et ita porro. Nullum aliud ius proinde concipi potest nisi ad veram religionem (ex parte obiecti) et quoad libertatem conscientiae (ex parte scl. subiecti), nullum ius nisi relate ad veram religionem (sermo est de libertate conscientiae *religiosae non* de simplici *conscientiae* libertate, cum haec sit aliquid *proprium* ipsi rationali creaturae, sicut manus, pedes, etc. corpori humano).

8. Neque ex parte obiecti neque ex parte subiecti (cf. n. 6) hoc ius

impediri vel restringi potest ab auctoritate ulla humana. Nam haec auctoritas, cum sit humana, homini inservit, veris suis bonis consulendo, quae inter, eminet bonum verae religionis. Potest accidere quod auctoritas civilis leges conficiat quibus huius iuris *exercitium* aliquomodo restringatur ab aliud bonum, etiam *humanum,* ut est, pacifica civium conviventia vel quies nocturna, etc. Nullomodo tamen potest totaliter de hoc iure disponere ut ipsum supponat simpliciter omnibus aliis humanis bonis, ipsum nempe ad novissimum locum remittendo.

9. Neque ipse cultor verae religionis ius suum amittit vel quidquam de ipso remittere debet eo quod inter homines vivit, qui, pro maiori eorum parte, falsam religionem sequuntur. Falsa religio *nullum ius generat* unquam. Prudenter tamen agere debet pro rerum circumstantiis. Attamen suo iuri plene respondere oportet cum pro ignavia, in verae religionis dedecus, sua prudentia definitur.

10. Nulli auctoritati publicae vel coetui vel individuo *falsam* religionem profitenti ius inest falsam religionem disseminandi, proselytismo indulgendi mediis quibuscumque. Falsa enim religio definitur, metaphysice, a privatione veritatis, seu est non-ens, sicut error, malum, illud quod *non* est, nequit quemquam perficere indeque nequit ullum ius cuiquam parere. Hoc valet etiam cum bona fide vel invincibili errore detinetur. Invincibilis error vel bona fides non generat cuiquam homini *ius* (dico ius) quemquam occidendi, rem alienam furandi, etc. Sine dubio haec illi non imputantur, simpliciter quia *humano modo* egit, scil. sequendo suam naturam rationalem, seu liberam. Ius autem nullum ei assistit, praecise quia *rationalis* est, scil., non solum libere agens sed etiam a *vero* bono tantum perficiendus, quod ius inducit.

11. Etsi *falsa* religio nullum ius tribuat iis qui eam, invincibili etiam errore, colant, eam scl. propagandi vel etiam colendi, attamen ex caritate non sunt prohibendi a sua religione sequenda, modo convenienti; neque in eorum erroribus refutandis atque in signandis limitibus intra quos cultus falsae religionis contineri debet, sunt neganda *iura* ad alia bona, quae ipsis, sicut aliis hominibus, competunt, ut *ius* ad vitam, ad incolumitatem membrorum, ad bona materialia (ut sunt libri, domus, etc.), ad bonam famam, etc.

12. *Catholici* praesertim testimonium caritatis eisdem praebere debent, ut omnes Christo lucrifaciant, contra errores instantes semper opportune, importune, arguentes, obsecrantes in omni patientia et doctrina.

12

Exc.mus P. D. IOANNES CARBERRY

Episcopus Lafayettensis

Quamvis textus novus *de libertate religiosa* mihi sicut etiam fere omnibus ceteris episcopis Statuum Foederatorum placeat in genere, manent quaedam difficultates, sicut ipse Relator excellentissimus candide et modeste con-

fessus est. Ea quae dicenda sunt iuxta traditionem catholicam, nostris temporibus rite accommodatam, in hac declaratione dicta sunt, et quidem bene sunt dicta.

Liceat mihi igitur, primo, quamdam suggestionem facere, quae respicit structuram declarationis, non eius substantiam. Inter quaestiones, quae in hac declaratione tractantur, duae sunt, quae in mundo hodierno maximi sunt momenti. Una quaestio versatur circa competentiam potestatis publicae in re religiosa. Et cum hac quaestione intime connectitur alia quaestio, scil., de criterio secundum quod exercitium libertatis religiosae in societate legitime limitari possit a potestatibus publicis.

In textu, prout iacet, hae quaestiones quasi separatim tractantur, et quidem diversis locis. Ut mihi videtur, structura declarationis esset clarior eiusque doctrina magis organice composita, si in speciali sectione seu numero simul tractarentur hae duae quaestiones, ut tota doctrina de hac materia complexa facilius a legentibus caperetur.

Nunc vero volo pauca verba facere de prima quaestione, quae est de competentia potestatum publicarum in re religiosa. Est quaestio, in qua nonnisi principia generalia tradere possumus, quin ad applicationes particulares descendamus. Haec principia continentur in traditione ipsa catholica et simul in traditione saeculari de constitutionalismo, qui dicitur.

Primum principium illud est Leonis Papae XIII, quod in nota 11 citatur, in pag. 37. Edicit hoc principium, quod in cura animarum vel in regimine animarum potestas publica nullas habet partes. Tanti valoris est hoc principium, ut omnino debeat in ipsum textum declarationis assumi.

Alterum principium est etiam Leonis Papae XIII in Epistola Encyclica *Cum multa,* quae quidem Epistola scripta est ad totum episcopatum in regione Hispaniae. Inter alia, graviter monet Summus Pontifex, ne res religiosae cum rebus politicis permisceantur. Et pergit Summus Pontifex dicendo: « Igitur oportet, rem sacram remque civilem, quae sunt genere naturaque distincta, etiam opinione iudicioque secernere. Nam hoc genus de rebus civilibus, quantumvis honestum et grave, si spectetur in se, vitae huius quae in terris degitur, fines nequaquam praetergreditur » (*A.S.S.,* 15 [1898], p. 243).

Saepius alibi Summus Pontifex eamdem effert doctrinam de limitatione societatis civilis ad fines terrestres. Magni pretii erit, si haec doctrina includatur in speciali illa sectione de qua dixi.

Complet hanc doctrinam traditionalem Pius Papa XI, in Litteris encyclicis, *Non abbiamo bisogno.* In quodam contextu agit Summus Pontifex de iuribus et officiis status in re educationis, et pergit ad principium generale enuntiandum. Textus originalis est lingua italica conscriptus, et forsan licebit in hac aula conciliari hac lingua vernaculari pontificia uti. En textus: « La Chiesa di Gesù Cristo non ha mai contestato i diritti e i doveri dello Stato circa l'educazione dei cittadini... diritti e doveri incontestabili, finché rimangano nei confini delle competenze proprie dello Stato; competenze che

sono alla loro volta chiaramente fissate dalla finalità dello Stato; finalità certamente non soltanto corporee e materiali, ma di per se stesse necessariamente contenute nei limiti del naturale, del terreno, del temporaneo » (*A.A.S.*, 23 [1931], p. 303).

Haec est doctrina luce clarior, prorsus traditionalis in Ecclesia. Est enim doctrina, quae communiter his diebus accipitur a peritis, immo a populis, qui in traditione saeculari constitutionali sunt eruditi.

Iterum magni erit pretii, ad commendandam nostram declarationem opinioni publicae per orbem, si haec doctrina positiva includatur in ipsa declaratione. Simulque delenda sunt ea, quae dicuntur in n. 30, pag. 33, linn. 4-5. Non enim statim patet, quid intelligatur per « directam capacitatem et competentiam » civilium potestatum in religiosa. Minus enim etiam patet quodnam genus competentiae indirectae possit concedi potestati publicae.

Textum emendationis in sensu huius interventionis opportuno tempore tradam secretario generali.

In fine, maxime in votis est, ut per hanc nostram declarationem totus mundus duo clarissime intelligat. Primo, loquendo per se et secundum principia catholica, potestas publica nullum habet officium nullumque ius ad hoc, ut bonum proprium Ecclesiae promoveat. Habet tamen officium, ut libertatem Ecclesiae agnoscat atque defendat, ut deinde Ecclesia ipsa possit, nulla re impediente, promovere proprium suum bonum.

Secundo, iterum loquendo per se et secundum principia politica et iuridica, a communi conscientia probata his diebus, potestas publica nullum habet officium nullumque ius ad hoc, ut regimen animorum quovis modo suscipiat.

Habet tamen officium, ut agnoscat curetque libertatem religiosam in societate, et quidem aequali mensura pro omnibus ecclesiis et pro omnibus civibus, ut dein ipsae ecclesiae civesque ipsi possint, nulla re impediente, promovere proprium suum bonum religiosum.

13

Exc.mus P. D. ALBERTUS CARINCI

Episcopus Boianensis-Campobassensis

Declaratio *de libertate religiosa* in appendice ad schema *de oecumenismo* mihi videtur deducere velle nimia consectaria ex principio utique legitimo: fidem nempe esse actum liberae voluntatis, qui nemini possit imponi, sive personae individuae, sive collectivitati.

1. Tale principium, *si modo absoluto* applicetur, ducit ad syncretismum religiosum, ad irenismum excessivum, qui aufert a viro catholico zelum et fervorem quibus animari debet, nec sollicitat eos qui sunt in errore ad inquirendam, per apta media, veritatem. Unde facilis est lapsus in scepticismum.

2. In textu declarationis videtur religio catholica aequari cum aliis religionibus. Verum est fidem non posse imponi coactione, sed erga eos qui sunt in errore adhibenda est agendi ratio diversa ac erga eos qui sunt in veritate, quia, ut ait Concilium Vaticanum I, « minime par est condicio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur: illi enim qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam umquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi » (Denz. 1794).

Haec autem agendi ratio diversa manifestat firmam persuasionem quae de propria fide habetur.

Ratio humana demonstrat, inter tot religiones, unam esse veram, nempe religionem catholicam.

Oportet igitur homini suadere ut recte utatur ratione ad investigandam veritatem.

In falsis religionibus semper aliquid est quod legi naturae contradicit, v. g. polygamia, divortium, limitatio prolis, cultus immorales, odium stirpis diversae; ipsae proinde non possunt aequiparari religioni catholicae.

3. Nec mihi videtur errantes minime esse inquietandos. Iesus venit bellum ferre, non pacem, quamquam Princeps pacis est. Quaestio erit de modo meliori trahendi errantes ad veritatem, sed tandem modica ac suavis vis moralis adhibenda. Oportet ad eos loqui clare et praecise ut eorum conscientia moveatur et convertantur.

Munus essentiale Ecclesiae est praedicare Evangelium omni creaturae, nec Verbum Dei nimiis humanis ratiocinationibus submittendum, ne obnubiletur.

Si homo non esset inquietandus in cultu cuiusvis religionis, ius etiam ei esset praetermittendi investigationem veritatis. In ista hypothesi difficiliter iustificaretur ius divinum et humanum apostolatus catholici in evangelizatione mundi pagani et in oppositione erroribus.

Temporibus praeteritis Ecclesia persecutiones passa est quia veritatem praedicavit clare et aperte.

4. Textus huius declarationis loquitur de libertate pro omnibus religionibus, sed hodie adest etiam religio atheismi; numquid etiam ista religio habet eadem iura ac religio quaevis theistica?

Solliciti sumus de praedicanda libertate pro omnibus, dum eam amittimus in dies!

Magna res est libertas, sed iura veritatis praeeminent. In concedendo nimium libertati hominum, periculum est auferendi a Deo quod Dei est.

Nec videtur Ecclesia uberiorem animarum messem ita posse colligere: mundus enim, qui in maligno positus est, ex ista Ecclesiae agendi ratione potest argumenta desumere ad facienda omnia quae sibi magis placuerint.

Hodie Ecclesia regressus patitur in populis non christianis et in multis populis christianis: in his multoties Ecclesia non est vita, sed tantum tra-

ditio, consuetudo ex animi motibus; in illis missiones gressum signant vel recedunt.

In litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam* SS. D. N. Paulus PP. VI sic loquitur: « Attamen videtur Nobis posse Ecclesiam, aliis sibi non praeclusis rationum modis, tales cum hominum genere necessitudines coniungere, quae verius colloquii naturam praeferant; quod quidem hinc non sit univocum, illinc sit consentaneum sive cum eorum ingenio, cum quibus sermo nobis est conferendus, sive cum rerum adiunctis ».

Ex his claris verbis Summi Pontificis eruitur dialogum cum mundo esse *unam* inter tot vias quas Ecclesia hodie sequi intendit in exercenda sua missione nuntiandi Verbum salutis et non excludi alias vias item validas quas Ecclesia aliis temporibus secuta est.

Non videtur igitur opportunum in documento tanti ponderis, uti est declaratio conciliaris, quae ex se respicit homines omnium temporum, canonizare, ut ita dicam, viam quae potest apta non esse pro omnibus temporibus.

Conclusio haec est: meo humili iudicio, in hac declaratione de libertate religiosa magis clarificentur fusiusque exponantur libertatis conscientiae et cultuum, clare reiecta libertate absoluta.

14

EXC.MUS P. D. LAUREANUS CASTÁN LACOMA

Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

In declaratione *de libertate religiosa* multa legi quae valde mihi placent. Ea tamen quae habentur in pag. 33, linn. 20-22, omnino admittere non possum. Hoc in loco asseritur: « Rem publicam ob ipsam etiam iuridicam sui regiminis configurationem ineptam esse ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda ». Haec assertio omnino a *declaratione* auferenda est.

Hic, enim, non affirmatur incompetentia seu incapacitas iuridica Status ad *directe* rem religiosam regendam, quod iam supra est assertum et ab omnibus catholicis est tenendum; nec asseritur nudum factum vi cuius negetur convenientia, ut in hodiernis adiunctis, Status recognoscat veram religionem, scil. catholicam, quod etiam in praxi forsan defendi posset; sed statuitur, ut explicatur in « relatione », absoluta incapacitas Status cuiuslibet « ad iudicia » logica « de veritate circa rem religiosam ferenda », seu aliis verbis, clare ac sine ambagibus omnibus proponitur *agnosticismus absolutus Status circa religionem.*

Omnia autem haec mihi videntur non modo falsa, sed absurda. Candide sinceraque mente fateor.

Sine dubio Status, in praesentibus rerum adiunctis, non facile de singulis veritatibus religiosis directe iudicare potest; sed ei fas est, ut saepe Summi dixerunt Pontifices, veram Ecclesiam recognoscere, et deinde, iuxta singulas veritates ab Ecclesia propositas Rem Publicam regere.

Ideo, doctrina quam praedictum schematis comma proponit, penitus est reicienda. Est enim contra omnes revelationis fontes et organa. Et quidem:

1. Est *contra Sacram Scripturam.* Quis negare audebit in V. Testamento a Deo constitutum fuisse Statum Theocraticum, in quo Iahve ut Deus et Dominus agnoscebatur, et unicus veri Dei cultus imponebatur? Ergo Status, iuxta suam ipsius constitutionem, habet capacitatem cognoscendi Deum verum, secus Deum cognoscere non potuisset. Procul a me abest ut nunc Statum theocraticum defendam; factum hoc tantum indico, in V. Testamento, ut inde conclusionem feram, nempe, Statum veram religionem agnoscere posse.

2. Propositio schematis est doctrina *contra totam traditionem Ecclesiae.* Absque magno labore colligi possent plus quam centum SS. Patrum ac Conciliorum testimonia in quibus Rerum Publicarum moderatoribus non tantum permittitur sed ab iis exigitur ut iuxta exigentias doctrinae revelatae regna populosque componant.

3. Sententia praedicta schematis est *contra doctrinam Romanorum Pontificum.* Non enim semel sed pluries, non obiter sed etiam directe, non in documentis practicis sed etiam doctrinalibus, non in uno aliove loco alicuius encyclicae sed in pluribus Romanorum Pontificum encyclicis directe hac de re agentibus, doctrina contraria et incompatibilis cum doctrina proposita proclamata est. Propositio schematis non sine contemptu Summorum Pontificum proponi potest, qui sententiam contrariam damnaverunt. Plures encyclicae integrae agunt hac de re, v. g. encycl. *Mirari vos,* Gregorii XVI; *Quanta cura,* Pii IX; *Diuturnum, Immortale Dei, Libertas, Sapientiae Christianae,* Leonis XIII; *Vehementer,* S. Pii X; *In hac quidem,* Benedicti XV; *Quas primas, Dilectissima nobis,* Pii XI; *Summi Pontificatus,* Pii XII, ut alia non pauca taceam, doctrinam in verbis huius declarationis supra allatis propositam omnino damnant, proscribunt, et absurdam ac impiissimam dicunt.

Gravissimum est quidem hoc; sed multo absque comparatione gravius est contemptus qui inde sequeretur contra auctoritatem doctrinalem Papae. *Fere eodem modo grave existimo* — non inconsulte aut leviter dico — *propositam schematis doctrinam approbari quam praedictas encyclicas publice in Sancti Petri foro a nobis comburi.*

Nec fas est appellare ad principium continuitatis et ad principium progressus in hac quaestione, sed potius ad legem traditionis et legem contradictionis. Pontifices enim saepe dixerunt principes ac Respublicas non modo posse sed per se teneri Iesum Christum ut Deum et Catholicam Ecclesiam tamquam unice veram recognoscere, indeque secundum praecepta vel exigentias vel sub lumine verae religionis leges ferre: haec est lex traditionis. In « declaratione », e contra, asseritur Principes ac Rerum Publicarum moderatores non modo non teneri sed neque omnino posse Deum, Christum et Ecclesiam recognoscere: en lex contradictionis. Aut erraverunt Summi Pontifices, aut erronea est propositio de qua agitur. *Num in*

Ecclesia instituendus est etiam processus « despontificationis », sicut in quadam Republica processus « desestalinizationis » institutus fuit?

4. Schematis propositio est etiam *contra doctrinam ordinariam theologorum.* Auctores vel S. Theologiae vel Iuris Publici Ecclesiastici, a S. Thoma usque ad S. Bellarminum, a Bellarmino usque ad nos, omnes asserunt pro Statu non modo possibilitatem seu facultatem vel capacitatem, sed quod amplius est, officium et agnoscendi veram religionem et sub huius magisterio seu lumine Statum constituendi et leges ferendi.

5. Praedicta schematis propositio est etiam *contra praxim Sanctae Sedis.* Etenim Sancta Sedes in multis Concordatibus non modo permittit sed etiam exigit a Statu recognitio de vera religione, v. g. quando exigit ut Ecclesia catholica recognoscatur ut unica vera, vel matrimonium agnoscatur velut sacramentum, sibique reservetur tota iuridica matrimonii celebratio. Si assertio « declarationis » vera est, Ecclesia coegisset eos aut ad impossibile aut ad impietatem.

6. Schematis propositio est *contra historiam.* Per multa saecula Ecclesia admisit sui ipsius ut vere religionis recognitionem a Rebus Publicis, etiamque cum Principibus ac Praesidibus catholicis qua talibus pacificas et concordes relationes publicas habuit, quin umquam de hoc principio recognitionis et concordiae Principes ac Praesides accusaret, sed contra persaepe laudaret. Ergo, non tantum de facto sed etiam de iure, Ecclesia illam Status capacitatem recognoscit; immo Reges multos qui Status sub lumine verae religionis constitutos regebant, sollemniter canonizavit, ut S. Ludovicum Galliae, etc.

7. Schematis propositio est *pessima in suis consectariis.* In « relatione » dicitur: ex doctrina proposita « immerito concluderetur Rem Publicam secundum nos debere esse neutralem, hoc sensu ac si deberet esse ad minus " separata " seu indifferens erga religionem. E contra, potestates publicae oportet de facto indirecte faveant vitae religiosae quam cives iuxta dictamen suae conscientiae ducunt ». Haec conclusio caret logica, nam Status, iuxta proposita principia de ineptitudine, eodem modo se gerere deberet erga religionem ac erga eos qui atheismum profitentur; eodem modo erga eos qui iuxta dictamen suae conscientiae sunt polytheistae, animistae, fetichistae, ac erga eos qui Christum colunt; eodem modo erga catholicos ac erga eos qui materialismum, impietatem, atheismum propagant totis viribus; *nam alios ab aliis discernere nequit quin iudicium emittat de veritate religiosa.*

8. Est etiam propositio schematis *contra finem ipsius « declarationis »*, qui finis pastoralis dicitur. Iam vero, loco normarum practicarum pro re pastorali, proponitur nobis principium quoddam doctrinale contra doctrinam Ecclesiae, quod saepe a Romanis Pontificibus impiissimum dictum fuit, quodque asserit Statum incapacem esse ad ullam veritatem cognoscendam circa religionem. Quis est qui non videat hoc esse « summopere » pastorale?

9. Propositio schematis est *contra doctrinam clarissime expositam in Sacra Liturgia,* maxime in festo D. N. Iesu Christi Regis, quem praecise ad

hoc Pius Papa XI instituit, ad praecavenda et reparanda mala multa ex laicismo dimanantia, ut ipse Pontifex asserit in Encyclicis Litteris *Quas primas*. In hac enim Encyclica Summus Pontifex non modo non prohibet regibus et principibus ac Rerum Publicarum moderatoribus quominus Iesum Christum agnoscant, verum e contra, de ipsorum silentio in hac re dolet, dicens: « Quo indigniore suavissimum Redemptoris nomen in conventibus inter nationes habendis et in Curiis silentio premitur, eo altius illud conclamari et regiae Christi dignitatis potestatisque iura latius affirmari oportet ».

Si verba schematis supra allata approbaverimus, nec ius nec ratio nobis amplius erit festum Domini N. Iesu Christi Regis celebrandi, vel canendi ea quae in hymno Vesperarum dicuntur: « Te *nationum Praesides* - honore tollant *publico*, - colant *magistri, iudices*, - leges et artes exprimant. - *Summissa Regum* fulgeant - *tibi dicata insignia*: - mitique sceptro patriam - domosque subde civium ».

Lex credendi statuit legem orandi. Si orandi legem tollimus, auferamus pariter legem credendi, et loco praecedentium verborum dicamus: « *Omnes gentes ac nationes genu flectant coram simulacro laicismi et agnosticismi religiosi* ».

Quae cum ita sint, instanter peto ut verba praedicta omnino a declaratione tollantur, et ut tota *declaratio* penitus reficiatur ac cognoscatur, donec optime componi possit cum traditionali Ecclesiae doctrina.

Adnexus: *Romanorum Pontificum doctrina.*

Pius IX, in Encycl. *Quanta Cura*, vocat « impium et absurdum » principium asserens « optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine (cf. *Biblioteca de Aut. Cristianos*, vol. 174, *Doctrina Pontificia, Documentos Politicos*, Madrid 1958, p. 8).

Leo XIII, in Encycl. *Cum multa*: « Solent nonnulli rem politicam a religione non distinguere solum, sed penitus seiungere ac separare nihil ut esse utrique commune velint, nec quicquam ab altera ad alteram influere putent oportere. Hi profecto non multum ab iis distant, qui in civitate constitui administrarique malunt, amoto cunctarum procreatore Dominoque rerum Deo »... « Iste tam impius ac declinandus est error... » (*l. c.*, p. 131).

In Encycl. *Immortale Dei*: « Hac ratione constitutam civitatem, perspicuum est, omnino debere plurimis maximisque officiis, quae ipsam iungunt Deo, religione publica satisfacere. Natura et ratio, quae iubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem... Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit: argumentis enim permultis atque illustribus veritatem nimirum vaticinorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel

per medios hostes ac maxima impedimenta propagationem, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram... » (*l. c.*, pp. 193-195).

In Encycl. *Libertas*: « Cum igitur sit huius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est, quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis agnoscitur, cum in ea tamquam insignitae notae veritatis appareat. Itaque hanc qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt prudenter atque utiliter ut debent, civium communitati consulere » (*l. c.*, p. 245).

In Encycl. *Sapientiae christianae*: « In ipsa disciplina civitatum quae a legibus morum officiis religionis separari non potest, hoc est potissimum perpetuoque exspectandum, quid maxime expediat christiano nomini » (*l. c.*, p. 282).

S. Pius X, in Encycl. *Vehementer vos*: « Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae separari oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est. Primum quidem quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati esse curae, magnam infert iniuriam Deo: qui Ipse non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; proptereaque non privatim tantummodo necesse est, sed etiam publice » (*l. c.*, p. 384).

Benedictus XV, in allocutione *In hac quidem*: « Nullus enim negabit rei civilis religiosaeque consensionem ad tranquillitatem ordinis publici, quod bonum est fundamentum ceterorum, non parum conferre » (*l. c.*, p. 483).

Pius XI, in Encycl. *Dilectissima nobis*: « Haud mediocri sane dolore comperimus aperte legumlatores imprimisque edicere, nullam esse Civitati religionem propriam, atque adeo... de civili societate ab Ecclesia seiungenda... Quam remote a veritate hi aberrent, qui huiusmodi discidium licitum in se probatumque habent; praesertim quum de natione agatur quorum cives omnes catholico nomine glorientur » (*l. c.*, p. 628).

Pius XII, in *Instructione ad Ordinarios Brasiliae,* reicit liberalismum affirmantem Statum debere esse indifferentem in re religiosa, ac eadem iura et libertatem veritati et errori tribuenda esse (*A.A.S.*, 42 [1950], p. 841).

In textu schematis *de Ecclesia,* cap. III, statuitur magisterium Romani Pontificis, « etiam quum non ex cathedra loquitur », reverenter agnoscendum esse, « et sententiis ab eo prolatis sincere adhaereatur et voluntatem manifestatam ipsius, quae se prodit praecise sive ex *indole* documentorum, sive ex *frequenti propositione eiusdem doctrinae,* sive ex dicendi ratione ».

His testimoniis inspectis RR. Pontificum, quum tot tantaque sint, quis audebit doctrinam ibi contentam reicere?

15

EXC.MUS P. D. BENIGNUS CHIRIBOGA

Episcopus Latacungensis

In genere. In tota hac declaratione non sufficienter distinguuntur aliquae notiones fundamentales, quae omnino accuratius adhiberi debuissent, ut graves confusiones doctrinae vitarentur.

a) Non satis prae oculis habetur distinctio fundamentalis in hac re, *libertatis* nempe *physicae vel psychologicae* a *libertate morali* et a *libertate iuridica.*

Libertas religiosa physica seu psychologica, quae est facultas hominis vere in se immunis a necessitate et qua homo fit dominus responsabilis suorum actuum, a nemine cordato in dubium revocari potest nec revocatur. Ideo homo habet etiam facultatem physicam peccandi, licet gravissimum habeat officium moraliter abstinendi a peccato.

Libertas moralis est eadem libertas physica, *quae et quatenus* praeterea *immunis* est *a vinculo morali* obligationis, praecepti, legis, honestatis, etc.

In re religiosa libertas moralis simpliciter non datur:

Non datur libertas moralis *contradictionis,* ad Deum nempe *colendum vel non colendum*: quia semper homo *lege naturali* aut *positiva* vel *utraque, divinitus obligatus est ad Deum positive colendum.* Ideo non datur libertas moralis contradictionis.

Non datur libertas moralis *contrarietatis* vel *specificationis,* ad Deum nempe colendum *vel uno vel alio modo*: quia semper homo obligatus est ad Deum colendum *modo quo Ipse vult coli*: Aut *secundum dictamen legis naturalis* a Deo cordibus impressae, iis qui unquam exstiterunt tempore *Legis Naturae*: aut iuxta *praescripta in Vetere Testamento,* iis qui unquam exstiterunt sub *Lege Mosaica*: aut *secundum mandata Legis Novae* a Christo revelatae, pro iis qui exstiterunt *post Evangelium promulgatum.* Ideo non datur libertas moralis simpliciter specificationis.

Libertas religiosa iuridica est libertas naturalis quam omnis homo habet *relate ad alios homines* in rebus religiosis, vi cuius homini *nullum obstaculum,* neque a persona privata neque ab auctoritate civili est imponendum, *sine ratione sufficienti,* quominus cultum privatum et publicum Deo tribuat iuxta dictamen suae conscientiae. Dicimus *sine ratione sufficienti,* quia haec *libertas iuridica limitationibus iuridicis* subiecta est, quales sunt *iura certa,* legitime acquisita et praevalentia aliarum personarum, cum quibus componi forte nequeat exercitium libertatis religiosae iuridicae alterius personae, vel etiam ac praesertim *iura certo praevalentia boni communis,* maxime quando agitur *de publico exercitio* cultus religiosi.

Haec libertas religiosa iuridica cum supra adnotatis limitationibus certo agnoscenda et in praxim deducenda ubique est.

In schemate ergo aperto declarandum est in eo non agi *de libertate reli-*

giosa morali simpliciter, quia non datur, prout indicavimus, et prout abunde et amplius docet Leo XIII in sua Encyclica, quae incipit: « Libertas praestantissimum » (*A.S.S.,* 20, pp. 593-613).

b) Non satis accurate adhibetur vel prae oculis habetur *distinctio* magni momenti in hac re, *de iure* ad exercendam propriam religionem. Distinguenda enim probe sunt *iura vera et propria a iuribus mere exsistimatis et putativis.* Nam *contra veritatem* et *contra divinam* legem, sive naturalem sive positivam, *iura vera* et *propria* nulla dari possunt, etenim ius nullum *verum* est nisi sit in veritate fundatum, neque ius ullum *proprium* hominis dici potest nisi sit legi divinae consentaneum. Attamen in casu *erroris invincibilis* et *in homine bona fide decepto,* admitti debet et consideratione dignum est *ius eius,* quod tamen *mere existimatum* et *putativum* reapse est, quodque propterea *iuribus* aliorum *veris et propriis* cedere debet.

In schemate hae distinctiones non videntur prae oculis haberi. Tamen ex earum consideratione patet schema debere in non paucis locis accuratius omnino secundum rectam doctrinam corrigi. Bonus enim christifidelis caritate tenetur errantes, etiam bona fide, ad veritatem cum omni prudentia conducere quantum possit.

c) Neque sufficienter per totum schema servatur et attenditur *distinctio,* magni momenti in hac re, qua probe discriminandus est *ordo obiectivus ab ordine subiectivo.* Immo, cum constet *ordinem subiectivum subordinandum esse ordini obiectivo,* tamen in toto schemate adeo effertur dictamen *conscientiae individualis* in re religiosa, ut de facto *conscientia subiectiva* appareat esse velut *fons originarius* omnium iurium omniumque officiorum hominis in re religiosa, cum iuxta veritatem omnino asserendum sit, *dictamen conscientiae subiectivae* plane subiici debere *normae obiectivae divinitus statutae* et homini sive per naturam sive per revelationem sufficienter manifestatae.

Certum quidem est in schemate, post brevem introductionem n. 25, in n. 26 fere solummodo agi de norma obiectiva, et in eo intenditur statuere *principium* in quo fundetur *ius ad libertatem religiosam,* sed ea quae asseruntur in hoc numero videntur posterius addita postquam iam reliqua erant composita, et inde evenit ut asserta huius numeri non constituant reapse veluti nervum, ex quo robur derivetur ad ea quae in ceteris numeris proponuntur prout erat in votis.

Ulterius autem ea quae in hoc n. 26 circa normam obiectivam dicuntur, omnino complenda essent iis quae positive Apostolis eorumque successoribus, i. e. Nobis, divinitus mandata sunt. Nempe:

1) Non est in aliquo alio salus: neque aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi Dominus Iesus Christus (cf. *Act.* 4, 10-12).

2) Unica est a Christo fundata Ecclesia, cui Dominus demandavit opus suum redemptionis ac salutis perenne reddere et omnibus hominibus integrum et fideliter distribuere et applicare usque ad consummationem

saeculi, et quidem ita ut « qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 16; cf. *Mt.* 28, 1-20; *Lc.* 24, 47; *Io.* 20, 21-23; *Act.* 1, 8).

3) Legitimi Pastores ovium Christi, quales sumus Nos, si nolunt tamquam mercenarii a Domino improbari, cum vident lupos venientes, non debent dimittere oves ut lupi rapiant et disperdant gregem, sed tenentur oves a lupis defendere etiam usque ad mortem (cf. *Io.* 10, 12-15).

Maxime ad lucem horum principiorum a nobis definiri potest doctrina vere catholica *de libertate religiosa.* Propterea oportet haec revelationis principia clare enuntiare, atque deinde ex illis eruere fideliter normas, quae de hac re ab omnibus tenendae sunt.

In specie, ad particularia quaedam descendendo. Ad n. 26, pag. 2, linn. 6-9 legitur: « Homines ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati officium et honorem habent ut, *secundum dictamen conscientiae,* voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur.

Incisum illud « secundum dictamen conscientiae » omnino tollendum est.

1. Quia pertinet ad ordinem *subiectivum,* atque ita inseritur in contextu de ordine solum *obiectivo* agente, ut dictamini conscientiae *subiectivae* divinus ipse ordo obiectivus, a Creatore et Salvatore antecedenter ad omne conscientiae dictamen statutus, subordinari videatur.

2. Quia quamvis verum est *dictamen rectae conscientiae* esse homini *normam* subiectivam praeceptivam et immediatam, attamen haec norma, eo quod prorsus falli, errare, perverti et obscurari potest, ideo debet plane subiici *normae* obiectivae, constitutivae et supremae *divinitus statutae,* quae falli nequit et ab omni errore et perversione est immunis.

3. Quia si verum esset, quod schema asserere videtur, conscientiam scil. individualem esse homini simpliciter normam agendi in rebus religiosis, inde sequeretur hominem, qui secundum dictamen suae conscientiae credit quamcumque religionem esse veram, revera eum voluntatem Salvatoris sequi et adimplere indiscriminatim hanc vel illam amplectendo religionem. Porro huiusmodi doctrina aperte repugnare videtur iuri naturali, divinae revelationi et manifestis Summorum Pontificum doctrinis.

Ad doctrinam Pontificum quod attinet, valde dolendum est in *Nota 1,* perperam interpretari doctrinam Pii IX et Leonis XIII de hac re. Falsa enim est restrictiva interpretatio quae in Nota proponitur, quasi Pontifices voluerint *solummodo* condemnare vel improbare *rationalismum atheum* et *statismum absolutum,* quia manifeste et saepius affirmant se velle vindicare iura *catholicae Ecclesiae* divinitus attributa contra impugnationes, non solum *statistarum* et *rationalistarum,* sed etiam *liberalismi,* prout plane patet ex Encycl. *Libertas* Leonis XIII (*A.S.S.,* 20, pp. 602-605). Itaque concludendo, deleantur verba « secundum dictamen conscientiae » in lin. 8, propter rationes allatas, et etiam quia inferius in linn. 18-19 accuratius exprimitur id quod intenditur illis aliis verbis: « vel homini officium non incumbere

rectam sibi de rebus religiosis conscientiam efformandi », in quibus bene subiectiva norma normae obiectivae subordinatur.

In n. 26, lin. 10 ubi legitur: « homines religionem *suam*... exercere valent », censeo delendam esse vocem « *suam* », quia haec vox pertinet ad *ordinem subiectivum,* in quo potest esse sermo de religione quam quilibet habet ut *suam*: sed in contextu *ordinis obiectivi,* de quo agit n. 26, *unica* datur *religio,* a Deo omnibus praescripta et quam omnes amplecti debent.

In n. 29, pag. 30, linn. 34-37 asseritur: « Libertatem religiosam, non tantum a christianis et pro christianis, sed ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis in societate humana observandam esse, Ecclesia catholica asserit ».

Assertum hoc mirum est et ab ore successorum Apostolorum alienum sit oportet. In illo enim videtur statui omnimoda paritas religiosa omnibus et pro omnibus, nulla facta distinctione inter veram et falsas religiones, inter debitum Deo cultum et indebitum, inter veritatem et falsitatem. Eiusmodi doctrina nec iuri naturae, nec Evangelio, nec documentis Pontificum consentanea esse videtur, sed potius iisdem contraria.

Ecclesia catholica, quae fide explicita tenet, sibi soli Christum dedisse missionem, mandatum et ius, atque inde manantem veram libertatem, custodiendi, propagandi et defendendi integrum depositum *religionis unice verae* et omnibus ad salutem necessariae; potestne sine contradictione solemniter in Concilio agnoscere et proclamare, huiusmodi ius et ex eo deductam libertatem pariter competere alii cuicumque religioso coetui? Censeo nobis, apostolorum successoribus, non licere tale decretum edere.

I nn. 29, pag. 31, linn. 22-29 legimus: « ab Ecclesia catholica vindicatur libertas *opinionis*... libertas adimplendi *ritus propriae religionis*... ius verum et proprium ad totam vitam ordinandam secundum postulata *suae cuiusque religionis* in omnibus humanae vitae activitatibus... ».

Imprimis haec doctrina aperte contradicere videtur Encyclicae Leonis XIII *Libertas praestantissimum,* in qua data opera, accurate et ample doctrinam catholicam explicat de « libertatibus, quae dicuntur, cultus, loquendi, docendi et conscientiae » (*A.S.S.,* 20, pp. 600-609).

Animadvertere iuvat. Contra *unicam veram,* a Deo *omnibus praescriptam* religionem, immo *praeter eam,* quippe quae omnibus ut ad salutem necessariam divinitus imposita est, nequit omnino dari *verum* et *proprium ius* hominis. Solummodo, in casu nempe *erroris invincibilis* vel in homine *bona fide decepto,* admittendum prudenter est ius *mere existimatum* vel *putativum.* Nam contra divinam veritatem aut contra Dei legem naturalem vel positivam, *ius verum et proprium* nullum dari potest. Vera et proprie dicta libertas *moralis* bona fide errantibus simpliciter non competit, quia talis libertas *moralis* solum iuxta veritatem et divinam legem consistere potest. Iisdem tamen, ob dignitatem personae humanae, quae ab omnibus agnosci et revereri debet, agnoscenda est libertas *iuridica,* vi cuius nec a personis privatis nec ab auctoritate publica impediri possunt quominus cultum Deo tri-

buant *secundum dictamen rectae suae conscientiae,* salvis tamen potioribus iuribus aliorum et maxime boni communis civium. Accuratissime de hac re loquitur Leo XIII in Encyclica *Libertas,* cum variis modis inculcat, bona fide errantibus concedi et agnosci debet licentia, permissio, tolerantia, cum omni benevolentia, ut iuxta suam rectam conscientiam in rebus religiosis procedant. Attamen relate ad ipsos, quos etiam benignissimus *Deus vult salvos fieri* et *ad agnitionem veritatis venire* (*1 Tim.* 2, 4), omnes christifideles et maxime Ecclesiae Pastores urget caritas Christi, movens nos ad errantes vel ignaros edocendos.

Si verum esset quod in schemate simpliciter dicitur, tum Concilium nostrum proclamaret libertatem opinandi quamcumque religionem esse veram, quemcumque religiosum cultum esse licitum, quamcumque vitae humanae ordinationem iuxta postulata cuiuscumque religionis esse conformem voluntati Dei et aptam ad salutem obtinendam!

Aliud enim est *facultas* a Creatore hominibus data cogitandi verum vel falsum, operandi bonum vel malum; aliud autem prorsus diversum est *ius* cogitandi verum vel falsum, operandi bona vel mala. Homo qui *facultate* et *libertate psychologica* gaudet, et ideo *physice* potest Deo revelanti non credere et Deo praecipienti non obedire: attamen gravissime obligatus est ad credendum Deo revelanti et ad obediendum Deo praecipienti, et ideo in his *libertate morali* a Deo destitutus est.

In n. 30, pag. 32, linn. 38 ss., legimus: « Ius pariter coetibus religiosis competit ut sincerae honestaeque propagationi religionis studeant... Illi coetus impediri nequaquam possunt quominus rationes suae religionis proponant, ut apud auditores persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum communitati adsocient ».

His verbis Concilium agnosceret et proclamaret simpliciter *ius aequale competere coetibus religiosis quibuslibet annuntiandi et propagandi* suam religionem, sibique *libere associandi suis communitatibus* homines.

Hoc teneri non potest, quia esset agnitio aperta *paritatis iurium* et *valorum omnium religionum.* Iam vero contrarium prorsus a nobis proclamandum est, quia *in re religiosa ius* nullum dari potest nisi quod a Deo mandante vel mittente proveniat, et *valor ad salutem* nulli religioni agnosci potest, nisi illi quae *lege divina* praescripta revera fuerit. Si ergo fide divina et catholica credimus, *unicam* esse veram Christi Ecclesiam, et *ipsi solummodo* commissum fuisse mandatum divinum annuntiandi Evangelium *omni creaturae,* et quidem ita ut *non sit spes salutis nisi* in hoc Evangelio: concludere debemus necessario, Ecclesiam unam, sanctam, catholicam et apostolicam esse *unicam* religionem quae habet *ius* ad sibi aggregandos *omnes homines,* et *unica* quae habet *valorem* ad eos salvandos. Ergo simile ius ac valor aliis religionibus concedere vel agnoscere non possumus. Immo a nobis subscribenda sunt illa Pii XII praeclara verba: « Quod non respondet veritati et legi morali *nullum obiectivum ius* possidet nec ad exsistendum, nec ad propagationem, nec ad actionem » (Alloc. *Ci riesce, A.A.S.,* 45, p. 799). Et nisi

velimus ut Pastores *mercenarii* a Domino improbari, tenemur nostris fidelibus praedicare, maxime ex hac aula conciliari, id ipsum quod S. Paulus fidelibus Galatiae nervose dicebat: « Non est aliud Evangelium » et « si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit » (*Gal.* 1, 7-9).

Haec sunt quae *maioris momenti* corrigenda censeo. Alia praeterea essent accuratius exprimenda, quorum aliqua tantum innuam:

In n. 28, pag. 30, linn. 25-26 legitur: « In annuntianda veritate, ab omni vel indirecta coactione abstinendum est ». Hoc potius est delendum. Nam terrores damnationis aeternae, quos saepe Christus in auditoribus excitabat, illud « compelle intrare » ad nuptias quas Paterfamilias paraverat Filio suo (*Lc.* 14, 23) et alia huiusmodi, coactiones *indirectae* dici possunt. Instructio catechetica et religiosa quae *pueris* et rudibus impertienda est, nonne *coactio indirecta* dici potest? In homine *lapso,* qui contra Evangelium *indirectam coactionem* multiplicem de facto patitur, tum propter humani cordis propensionem in malum, tum propter adversas diaboli insidias (*Gen.* 6, 5; *Eph.* 6, 11; *1 Pt.* 5, 8), nonne commendandus est usus prudens coactionis indirectae, quatenus necessaria sit ad compensandam humanam et diabolicam coactionem contrariam? Hoc videtur esse consentaneum paedagogiae divinae, qua Deus « quos amat, arguit et castigat » (*Apoc.* 3, 19; *Prov.* 3, 11-12).

In n. 29, pag. 31, linn. 41 ss. legitur: « nefas est imponere civibus professionem vel reiectionem cuiuscumque religionis tamquam conditionem, qua plene vel partialiter vitae nationali vel civili participare possint ».

Hoc ita absolute et simpliciter assertum non videtur dici posse. Nam, magistra historia, ipsum bonum commune, ipsa praevalens voluntas maioritatis civium, ipsa legitima continuatio historiae et culturae nationis, aliaeque magni ponderis causae saepe imperaverunt ut ad exercenda aliqua munera civilia, in rebus, quae intimam connexionem cum religione habent, aliquae conditiones in eorum titulari impleantur, sine quibus talia munera civilia non posset exercere sine boni communis gravi detrimento. Haec a priori et ita rigide dogmatizare imprudens esset.

16

Exc.mus P. D. GUILFORD CLYDE YOUNG

Archiepiscopus Hobartensis

Schema de libertate religiosa placet in genere. Attamen ita emendandum est schema, ut clarius et fortius solutionem praebeat problematis practici, quod existit hodie in multis mundi regionibus.

Hoc problema non oritur in ordine theologico vel morali. Neque enim inter nosmetipsos catholicos, neque inter nos et fratres nostros seiunctos, neque inter christianos et ceteros homines bonae voluntatis datur discepta-

tio vel de necessaria libertate actus fidei religiosae vel de inviolabilitate conscientiae humanae in suis decisionibus religiosis et moralibus.

Oritur tamen problema in ordine politico et iuridico. Agitur enim quaestio de competentia potestatis publicae in re religiosa. Quaeritur nempe quaenam sit iusta extensio huius competentiae, et quaenam sint eius iustae limitationes hodie.

Haec quaestio practica est simul doctrinalis. Quaeritur enim quid doceat Ecclesia in hac re, sicut etiam quaeritur quid agere studeat Ecclesia. De his quaestionibus datur disceptatio.

Sunt enim inter nos qui dicunt, quod systema constitutionale libertatis religiosae, prout viget, e. g., in Australia, non est nisi practica quaedam solutio istius problematis particularis, quod oritur in societate, in qua sunt plures divisiones religiosae et minor est numerus catholicorum. Hoc tamen systema, aiunt, non est positive approbandum, quia non congruit cum doctrina catholica de iuribus et officiis, quae per se incumbunt potestati publicae in re religiosa. Per se enim potestas publica officium habet et ius stabiliendi religionem catholicam tamquam unicam religionem status, quae speciali favore et specialibus privilegiis gaudere debent in iuridica ordinatione societatis. Sequitur ergo, secundum hanc opinionem, quod systema constitutionale libertatis religiosae est tantummodo tolerandum, ut minus malum, propter rationes practicas.

Iamvero in Australia sicut alibi in mundo catholico, haec opinio de facto non admittitur a nobis catholicis. Porro, de iure non admittitur haec opinio, quia non est vera.

Verum utique est, quod systema libertatis religiosae non est « instantia idealis » iuris civilis constitutionalis. Ex altera parte, verum quoque est, quod nulla omnino datur nec dari potest « instantia idealis » in hac re. Verum tandem est, quod ius constitutionale, secundum quod liberum exercitium religionis in societate aequaliter vindicatur omnibus civibus et omnibus coetibus religiosis, est in se ius civile aequum et honestum. Eius utilitas et pro bono publico et pro bono Ecclesiae probatur ex experientia. Et, quod maius est, plane congruit huiusmodi ius constitutionale cum omnibus principiis catholicis, rite intellectis et accommodatis.

En igitur problema practicum simul et doctrinale, scil., ut tandem aliquando auctoritative declaretur, quod Ecclesia positive approbat, et non tantum tolerat, ordinationem iuridicam societatis, secundum quam agnoscitur ius universale et aequale ad liberum exercitium religionis in societate.

Haec declaratio auctoritativa debet fieri, sine ulla ambiguitate, in nostro textu conciliari de libertate religiosa. Ad hunc finem multum iuvabit, duo principia in lucem proferre atque dilucide docere.

Primum principium est theologicum. Est principium de libertate Ecclesiae, quod in hac re prorsus fundamentale est. Quod enim Ecclesia postulat pro seipsa in societate civili et coram omni potestate publica est illa libertas, qua donatur a Deo Patre et a Christo Domino. Ecclesia nempe postulat iure

divino, ut sit prorsus immunis ab omni interventione cuiusvis potestatis publicae, sive in suis rebus internis regendis sive in exercendo apostolatu suo religioso, educativo, sociali, caritativo. Praesertim postulat ne in filiis educandis discriminatio oeconomica fiat contra scholas catholicas.

Libertatem, dico, postulat Ecclesia, iure divino. Et per se et secundum ius divinum nihil aliud postulat. Per se non postulat favorem specialem moderatorum rei publicae, quicumque sint, neque postulat privilegia specialia, iure civili statuta. Multo minus Ecclesia permittitur postulare, ut potestas publica sit instrumentum ad fines spirituales Ecclesiae prosequendos.

Utique temporibus praeteritis, vel etiam hodie, in quibusdam nationibus Ecclesia multis privilegiis gavisa est. Sed haec est quaestio de facto, non de iure. Situatio quaedam iuridica privilegiata certo defendi potest, in quantum est utilis vel necessaria in quibusdam determinatis circumstantiis historicis. Non tamen defendi debet tamquam necessaria quaedam exigentia doctrinae catholicae. Multo minus potest extolli tamquam « ideale catholicum », quod esset semper obligatorium, ubicumque sit possibile, scil., ubicumque maior pars civium sit catholica.

Ex eo quod principium fundamentale in nostra materia est libertas Ecclesiae, sequitur conclusio magni momenti pro solutione problematis hodierni. Sequitur nempe quod Ecclesia potest et debet positive approbare id genus iuris civilis constitutionalis, quod agnoscit, curat, atque promovet libertatem Ecclesiae in eius debita amplitudine.

A. v., loquendo per se et secundum principia theologica catholica, potestas publica iam satis explet munus suum atque officium erga Ecclesiam eiusque moderatores et fideles, quando per leges aptas curam suscipit libertatis Ecclesiae. Neque amplius per se requiritur.

Alterum principium est potius politicum et iuridicum. Est principium aequitatis seu aequalitatis civilis.

In societate hodierna, in qua (ut dixit Ioannes Pp. XXIII) homines magis magisque conscii fiunt dignitatis suae personalis et civilis, non licet Ecclesiae sibi suisque fidelibus vindicare plenam libertatem religiosam, et simul denegare eamdem libertatem aliis coetibus religiosis vel aliis hominibus.

Vetat iustitia, vetat aequitas, ne introducatur in vitam socialem et civilem duplex quaedam mensura (a double standard), quod attinet ad libertatem religiosam, ac si esset alia mensura pro civibus catholicis et alia mensura pro civibus non-catholicis. Eiusmodi duplex mensura libertatis esset contra ipsam rationem aequalitatis civilis, quae in omni societate bene ordinata debet hodie obtinere, cum sit exigentia quaedam dignitatis humanae.

Item ex hoc altero principio sequitur conclusio magni momenti pro nostro problemate hodierno. Sequitur nempe quod potestas publica agit secundum iustitiam et secundum exigentias aequalis dignitatis civium, quando agnoscit, curat, atque promovet in societate exercitium religionis aequaliter liberum pro omnibus civibus.

Loquendo igitur per se et secundum sana principia politica et iuridica,

Ecclesia positive approbat id genus iuris civilis constitutionalis, secundum quod potestas publica suscipit curam generalem libertatis religiosae in societate, et quidem aequali mensura pro omnibus civibus et coetibus.

Si duo principia supra exposita simul sumuntur, elucet responsum quaestioni centrali, de competentia scilicet potestatis publicae in re religiosa. Haec nimirum competentia extenditur ad tutelam curamque libertatis religiosae; simulque haec competentia limitatur ad tutelam curamque libertatis religiosae.

Haec est doctrina, quae (me iudice) debet declarari in schemate conciliari. Est enim doctrina vera, et est praxis probanda, iuxta traditionem catholicam rite intellectam et nostris temporibus sapienter accommodatam.

En quidam textus maioris momenti, quibus hae animadversiones demonstrantur.

1. De principio theologico quod libertas Ecclesiae est principium fundamentale:

a) Leo XIII. Utitur hac formula « libertas Ecclesiae », vel alia aequipollente 81 vicibus in 60 documentis.

Loquitur de « le principe fondamental de la liberté de l'Eglise » (*Au milieu des sollicitudes, A.S.S.*, 24 [1892], p. 646). « In bonis autem Ecclesiae, quae Nos ubique semperque conservare debemus, ab omnique iniuria defendere, illud certe praestantissimum est, tantam ipsam perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat. Haec nimirum est libertas divina, ab unigenito Dei Filio auctore profecta, qui Ecclesiam sanguine fuso excitavit; qui perpetuam in hominibus statuit; qui voluit ipsi ipse praeesse. Atque adeo propria est Ecclesiae, perfecti divinique operis, ut qui contra eam faciant libertatem, iidem contra Deum faciant et contra officium » (*Officio sanctissimo, A.S.S.*, 22 [1887], p. 269).

b) Pius XI. Asserit quod « Ecclesiae, tamquam hominum societati, opus omnino esse ad vitae usuram atque incrementum iusta agendi libertate, ipsosque fideles iure gaudere in societate civili vivendi ad rationis conscientiaeque praescripta » (*Firmissimam constantiam, A.A.S.*, 29 [1937], p. 196).

c) Pius XII. Ita definit scopum concordati: « I concordati debbono quindi assicurare alla Chiesa una stabile condizione di diritto e di fatto nello Stato, con cui sono conclusi, e garantire ad essa la piena indipendenza nell'adempimento della sua divina missione » (*Ci riesce, A.A.S.*, 45 [1953], p. 802). Quod verum est de concordatis idem verum est de systematibus legis constitutionalis. Id quod postulat Ecclesia essentialiter est libertas.

2. De principio politico et iuridico aequalitatis civilis inquantum nexum habet cum aequalitate libertatis religiosae.

Argumentum sumitur ad hoc probandum a litt. encycl. *Pacem in terris.*

17

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY

Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Quaestio de libertate religiosa ubicumque terrarum maximi est momenti, sed his diebus modo speciali in regionibus missionum, praesertim apud nationes quae recenter autonomiam recuperaverunt. Ibi enim Ecclesia catholica saepe accusatur de intolerantia, non tantum ad exteros, sed etiam erga ipsos fideles, et ita sensu quodam exaggeratio libertatis et independentiae propriae, haud satis in fide et doctrina catholica fundatos, in errorem et inoboedientiam inducunt. Unde solutio a Concilio Oecumenico proferenda debet esse primo clara atque praecisa, secundo completa respiciens ipsos fideles, ita ut integrum problema apte in luce ponatur.

Sed ad evitandas ulteriores difficultates melius esset facere declarationem quamdam positivam prout iam monstravit em.mus card. Ritter potius quam evolvere argumentationem prolixam.

Unde liceat mihi sequentia hac de re proponere:

1. Relate ad libertatem religiosam duplex est principium bene perpendendum. Ex una parte libertas humana, a Deo ipso proveniens, omnino tuenda est. Ex altera parte non est obliviscendum quod ista libertas non est illimitata, sed a veritate obiectiva circumscripta.

2. Difficultas autem quae immediate exoritur, ut patet, est sequens: nempe non omnes conveniunt de significatione vel sensu « veritatis ». Multi enim eius obiectivitatem negant.

3. In praxi ergo statuenda sunt tantummodo principia, quae sunt omnino certa et ob omnibus admissa prout sunt sequentia: *a*) dignitas personae humanae est tuenda; *b*) similiter libertas conscientiae; *c*) status civilis habet ut finem suum proprium bonum commune temporale tantum; *d*) religiones sunt diversae et numerosae, et nemo religioni alicui adhaeret nisi eam esse veram credit.

4. His nisus principiis audeam proponere solutionem sequentem: Omnino servanda sunt iura personae humanae propter eius dignitatem. Primum horum iurium est libertas sese efficaciter ordinandi modo responsabili ad suum finem ultimum sibi naturaliter debitum. Talis libertas vocatur libertas conscientiae. Homo autem ordinatur ad finem non mere temporalem, sed ulterius ad finem spiritualem, transgredientem vitam eius mortalem. (Ita tenent omnes exceptis atheistis et, praesertim his diebus, fautoribus atheismi materialistici).

Ordinatio ad hunc finem ulteriorem vel potius ultimum et spiritualem excedit competentiam cuiusque societatis civilis, quae per se et directe agit tantum de rebus temporalibus. Quapropter status civilis nullam habet potestatem super conscientiam humanam et omnino tenetur honorare libertatem conscientiae sincerae.

Coetus seu societates vero religiosae et earum membra possunt tantum (et quidem debent) *tolerare* doctrinas religiosas a se diversas propter dignitatem personae humanae; sed, si admittant obiectivitatem veritatis, nulla sinceritate possunt cum istarum religionum fautoribus cooperare in re religiosa quam erroneam putent. (Nemo est qui non videat differentiam inter libertatem et tolerantiam. Libertas secum fert iura non vero tolerantia. Tolerantia ergo erroris non dat iura errori). Qui autem obiectivitatem veritatis negant (prout faciunt fautores Buddhismi), ne vestigium quidem rationis habent obstandi aliorum libertatem religiosam (Buddhistae negant obiectivitatem stabilem seu permanentem veritatis).

Doctrina vero catholica admittit et tenaciter tenet obiectivitatem veritatis. Tenet enim doctrinam Christi qui venit ut testimonium perhiberet de veritate et qui istud testimonium proprio sanguine et morte sancivit.

18

Exc.mus P. D. ANTONIUS CORSO

Episcopus tit. Moglaenensis, adm. ap. s. pl. Montisvidei

1. Una Institución como la Iglesia, por su misma naturaleza, única en su género, al hacer una declaración de esta importancia y por ser en Concilio, con trascendencia, repercusión y proyecciones incalculables, debe por la luz nueva que aportará a la doctrina tradicional de la Iglesia, antes de tratar el tema de la *libertad religiosa,* hacer una declaración a manera de introducción de que tiene *seguridad, certeza y plena conciencia de poseer la verdad religiosa,* de cuyo depósito ella se siente fiel custodia.

Pero no obstante ello, reclama una vez más no solo para si y sus hijos, sino también para todos los hombres de buena voluntad, *la plena libertad religiosa,* condición necesaria para predicar y aceptar el Evangelio.

Como el Evangelio se propone, no se impone, es necesario que todos los hombres del mundo *se sientan libres interna y externamente* para aceptarlo o rechazarlo.

2. Basada la Iglesia en el principio de Derecho Natural de que los hombres *deben cultivar la recta y cierta conciencia* en sus relaciones con Dios, este Sacrosancto Sínodo *reclama y defiende la libertad interna y externa* de todos los hombres de buena voluntad en el sentido expresado i. e. de búsqueda libre de la verdad.

Al reconocer y defender este Derecho Natural de todos los hombres, de ninguna manera intenta la Iglesia provocar el indiferentismo religioso *ni reconocer como válidas* las instituciones religiosas que se manejan en la verdad parcial, pero no total. (Si la Iglesia reconociera *aequo iure* a las demás instituciones religiosas, habría fatalmente defeccionado, lo que no es posible).

3. Está segura la Iglesia de que este reconocimiento ayudarà a la con-

cordia entre los hombres y a la convivencia fraternal; además en el clima de auténtica libertad los hombres pueden encontrarse y unirse en la verdad.

Este reconocimiento no quiere legitimar ninguna acción contraria a la predicación y ejercicio de la Fe Revelada que ella custodia.

4. Este Concilio deplora toda privación de los derechos que emanan de la legítima libertad religiosa y a la vez condena las persecuciónes de que son objeto por razón de su fe tanto los hijos de la Iglesia como aquellos que no lo son.

Me adhiero a las opiniones de los P.P. Ruffini, Ottaviani, Parente, Granados y Colombo.

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. CUENCO

Archiepiscopus Jarensis

Schema propositum circa libertatem religiosam liberalismo religioso nimis favere puto:

quia ius propriam conscientiam sequendi nimis extollit, illi idem momentum tribuens ac oneri, quod obiective magis fundamentale est, unicum verum Deum colendi;

unde confusio gigni potest inter libertatem conscientiae et libertatem religiosam.

Quare sequentia fundamentalia principia in huiusmodi declaratione de libertate religiosa exprimenda puto, quae vero in sequentibus modo tantum synthetico indicabo:

1. Priusquam natura libertatis religiosae exponatur, declaretur oportet in primis *onus* omnino fundamentale omnibus hominibus obiective incumbens, unicum verum Deum colendi, consequensque *ius* omnino pariter fundamentale unicam veram religionem profitendi (pro n. 26).

2. Ideoque vera dignitas personae humanae non adeo consistit in obtemperando simpliciter propriae conscientiae, sed in servando ordine obiectivo a Deo disposito.

3. Proinde *munus* Ecclesiae est et *ius* veram religionem propagandi (n. 27).

4. Cum tamen noluerit Deus ut libertati humanae vis inferatur, cuicumque homini ius inest propriam conscientiam sincere sequendi « privatim et publice » (n. 26); prout ius tamen minus fundamentale seu accessorium, quia *per se* iuxta ordinem Dei obiectivum ad unicam veram ab Ipso revelatam religionem se refert, per accidens tantum autem ad illam religionem quam unusquisque veram sincere existimet iuxta dictamina propriae conscientiae. Quod pari modo dicendum est etiam de coetibus religiosis (pro n. 30).

5. Quare nemo vi cogi potest ad aliquam religionem amplexendam, nec etiam illam, obiective unicam veram, a Christo institutam (n. 28).

6. Exinde autem minime sequitur idem omnino ius inesse, propriam religionem coram societate profitendi et immo eam propagandi, eis qui unicam veram religionem amplexi sunt ac eis qui aliam religionem, licet subiective bona fide, profitentur. Ideoque, cum « exercitium iurium in re religiosa propter naturam socialem hominis limitatum est », admitti debet quod *per se* legitime limitari potest huiusmodi ius minus fundamentale religionem obiective non veram iuxta dictamina propriae conscientiae coram societate profitendi et propagandi. Proindeque obligatio qua « publicae rei moderatores (...) tenentur ius personae ad libertatem in re religiosa efficaciter tueri ipsumque apte promovere », *per se* nequit indistincte referri ad eos qui veram religionem profitentur vel aliam sequuntur (pro n. 29).

7. Si demum nostrae aetatis adiuncta suadere possint quod de facto libertas religiosa cuicumque homini vel Communitati religiosae pari modo coram societate concedatur, hoc tamen *per accidens* tantum dari est agnoscendum (pro n. 31).

20

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

Ad *declarationem de libertate religiosa* quod attinet, nonnulla breviter exponam de « stylo et modo dicendi, de mentalitate et spiritu », quo textus propositus redactus esse videtur.

Libenter admitto opportunum immo et necessarium esse *declarationem de libertate religiosa* nunc iam proponere. Mundus hodiernus *declarationem* exspectat et mundi expectationi responsum dare tenemur.

Nostra vero declaratio sine dubio « conciliaris » esse debet. Conciliarem dixi, non tantum quia in hac aula, prope sepulcrum Petri, de facto promulgetur, sed quia *et tono et colore et sapore conciliaribus* reapse praedita declaratio nostra omnibus fulgeat oportet.

Concilium enim non est organizatio quaedam, una e pluribus internationalibus, quae, honore et aestimatione omnes utique dignae, hodie in mundo numerantur; non est Accademia aut Schola quaedam philosophico-historico-iuridica, nec aula, etsi praestantissima, Facultatis theologicae. Concilium non est *coetus virorum doctorum,* etsi Patres conciliares, me excepto, doctissimi omnes sint. Concilium est... *Concilium,* eiusque Constitutiones, Decreta et Declarationes, si quae sint, undequaque *conciliares* esse debent.

Estne talis nostra declaratio? Responsum affirmativum, sincero dicam, pro nunc dare non audeo. Liceat mihi primum diversas e diverso « angulo » offerre animadversiones generales:

1. Ex angulo philosophico-theologico: Declaratio proposita Naturalismum, Humanismum nempe naturalisticum sapit et subiectivismum ethico-moralem — *ethicam situationis* — favere videtur. In textu enim frequenter mentio fit « de iure naturae, de iuribus personae humanae, de conviventia

sociali, de sociali hominis natura ac dignitate, de diversis coetibus religiosis apparenter iure aequalibus, de dictamine conscientiae etiam erroneae, quae cum interna semper sit — de internis nemo iudicat neque Ecclesia — subiectivismo ansam praestare potest et de facto saepe praestat », dum e converso nihil aut fere nihil dicitur de « iuribus Dei, de facto Revelationis, de *ordine supernaturali,* de actuali unica *oeconomia salutis,* ad quam qui non pertinent extra *viam* certo sunt ». Deest ergo vera descriptio germanae dignitatis personae humanae, quae non tantum sociologice sed et imprimis theologice considerari debet. Desideratur igitur in nostra declaratione clara et indubia proclamatio et expositio *veri humanismi christiani,* sub luce revelationis divinae in Christo peractae.

2. Ex Oecumenismo: Consilium Ecclesiarum (WCC) plurima edidit documenta de « libertate religiosa » (Oxford 1937, Madras 1938, Amsterdam 1948, Nova Dehli 1961). Illarum declarationum fautores aperte dixerunt se expectare ab Ecclesia catholica documentum aliquod de « libertate religiosa ». Necessarium ergo est declarationem facere. At necessarium simul est ita loqui ut aperte appareat « libertatem etiam in re religiosa » minime esse *productum* quoddam ab hodiernis hominibus *adinventum,* a quibus Ecclesia catholica, sub pressione « actualis culturae humanae », politice mutuaverit.

Declaratio igitur ita proponatur ut clare appareat authentica doctrina catholica hac de re, semper in traditione agnita, semper vera et etiam pro hodiernis necessitudinibus socialibus positive valida, quin vel minimum quid « occultare vel decolorare » debeat.

Nunc autem, non obstantibus affirmationibus, quae *in notulis relatoriis* continentur, de *linea continuitatis et progressus,* doctrina traditionalis catholica, meo simplici iudicio, non apparet in declaratione sancte servata.

Facillimum quidem est verba Romanorum Pontificum, hinc inde desumpta, citare, illa extra contextum interpretare et in medium adducere tamquam argumenta ad « thesim » de libertate religiosa ultimo probandam. Pari enim facilitate possent alia eorundem Pontificum, utputa Pii XII et Ioannis XXIII verba non pauca in contrarium citari.

Opportunissimum nunc foret in memoriam revocare Allocutionem Pii XII decimo Conventui internationali de Scientiis Historicis, Romae habito, die 7 septembris a. 1955, sicut et verba Ioannis XXIII ad Iuristas Italiae, 29 iunii a. 1959. Progressus utique dari potest in doctrinae catholicae expositione. Attamen inter « positionem illam idealem Ecclesiae », unitatis nempe populi in vera religione cum unanimitate actionis inter Ipsam et Statum de quibus Pius XII expresse loquitur in memorata Allocutione, et affirmationes in nostra declaratione et speciatim in n. 29 contentas, longa adhuc nobis restat via (cf. verba Pii XII, *A.A.S.,* 24 oct. 1955, pp. 676-79 cum n. 29 *declarationis*).

3. Ex indole pastorali: Fideles catholici, ii praesertim qui in Nationibus sic dictis « catholicis » vitam degunt, instanter egent ut serio praemoneantur

et authentice instruantur de doctrina Ecclesiae in campo libertatis religiosae. Concilium hoc facere potest immo et debet; sic tamen fiat ut incommoda et pericula, quae certo certius imminent, prudenter vitentur.

Hac in re hoc unum vellem addere: Tot tantaque de iuribus sive personae individuae sive singulorum coetuum ad « libertatem religiosam » in declaratione dicuntur; tot tantaque in aula conciliari omnes nos audivimus, ut periculum forte appareat suspicandi *pluralitatem religiosam* nostris hisce temporibus esse *maximum omnium bonorum* humanae consortionis, *unitatem vero confessionalem,* si alicubi detur, esse quid *damnosum* utpote laesivum iurium et dignitatis personae humanae.

Liceat vero mihi in medium trahere aliqua verba Pii XII, qui, data occasione, volens statuere et determinare « relationes inter Ecclesiam et Statum », dixit: « L'Eglise... regarde comme un idéal l'unité du peuple dans la vraie religion et l'unanimité d'action entre elle et l'Etat » (Ad X Conventum Internationale de Scientiis Historicis, 1955, *A.A.S.,* 24 oct., p. 679).

Unitas confessionalis hodie, proh dolor!, fere nullibi est possibilis. Caveamus vero ne, ubi datur et utinam, Deo dante, in futurum servetur, a nobis nunc in declaratione antecedenter forte excludatur. Concilium debet esse *pastorale* et pastorale ministerium omnium nostrum. At pastoralitas non est tantum pro « fratribus » sed primo et per se pro « filiis ».

Conclusio. Declaratio, necessario facienda, emendanda et perficienda est et quidem ita ut non videatur *nuda, frigida et naturalistica proclamatio « libertatis religiosae »*, veluti simplex quoddam documentum iuridico-religiosum alicuius Organizationis humanae, sed ut vere *conciliaris* sit, quod certe alio modo non posse obtineri puto quam exponendo « Historiam salutis » ita quidem ut clare appareat, in caritate simul et in veritate, hominem, ad imaginem Dei factum et, per peccatum, servum peccati effectum, veram libertatem in praesenti oeconomia, supernaturali simul et historica, ullo modo consecuturum nisi in Christo et per Christum, una Ecclesia catholica aliquo modo mediante seu ministrante.

* * *

In *Voto,* secretariatui oblato die ultima disceptationis in aula, dixeram « declarationem non esse conciliarem », eo quod, etsi in aula discussa et, si casus ferat, in aula promulgata, tono et colore, ratione contenti, tandem, potius appareat instrumentum quoddam alicuius organizationis civilis iuridico-socialis, quam documentum solemne supremae auctoritatis Ecclesiae catholicae.

De facto textus declarationis redolere videtur « Ethicismum purum et simplex, Naturalismum sociologicum et Liberalismum religiosum ».

Absit a me, clarum est, quemlibet Patrum hac in re de illis accusare. Non intentiones et mentes; textum, prout iacet, solum iudico. Sub hoc aspectu liceat mihi aliquas adhuc suggerentias hic proponere.

1. Doctrina, in declaratione proposita, non videtur *accurate catholica.* Ne quid nimis? Ne quid nimis. Notare tamen oportebit statim ab initio non

identificari *verum et catholicum,* neque *omnem et quamlibet veritatem* esse ipso facto et eo ipso *veritatem catholicam.*

Haec applicari praeprimis debent in materia « ethico-religiosa ». Hoc in campo aliquid *verum* esse potest, dignum et vere iustum, quin propterea *catholicum* sit dicendum. Doctrina catholica agnoscere deberet in casu « *illa* esse utique vera in ordine Ethices, et non exinde necessario sequitur illa agnoscenda et servanda et applicanda in campo et ordine catholico et tamquam doctrina catholica ». Absonum quid? Forte non tanti.

Gratia utique non destruit naturam, sed elevat et nobilitat et perficit. At non raro, praecise quia elevat et nobilitat et perficit, quaedam quae sunt *naturae* (Ethices) substituit, subrogatur et, sub hoc respectu, quoad *praxim* et applicationem invalidat, ita quidem ut, etsi vera adhuc in ordine naturae sint, amplius tamen nequeant universaliter applicari, non quia *vera* iam non sint, sed quia in altiora et perfectiora transmutata fuere.

Hinc fieri potest et de facto fit ut in praesenti Oeconomia supernaturali gratiae non possint amplius applicari, sustentari et urgeri in vita nostra, tam individuali quam sociali, nonnulla, fortasse multa, quae in ordine naturali Ethices sustinenda et urgenda et applicanda forent, v. g. in matrimonio, in re cultuali et sacerdotio etc. etc.

Et *haec* omnia non possunt amplius sustineri in praesenti ordine historico oeconomiae salutis, quia, utpote Ethices pure naturalis, superata fuere ideoque non amplius iam affirmari valent tamquam normae hodiernae et principia *universalia et communia.* Possent utique applicari immo et applicanda necessario fuissent in « statu naturae », qui de facto numquam extitit; at in statu *elevationis,* unicus realis et historicus, tantummodo applicari possunt « circumstantialiter, per accidens et subordinatim », prout et in quantum « principia et normae supernaturalia revelationis et gratiae » *nota non sint.* Principia ergo illa *Ethices* nequaquam aequari poterunt principiis *gratiae,* quibus illa locum dare debent.

Nunc autem in declaratione non pauca apparent et dicuntur quae Ethicismum sapere videntur. Sermo enim fit, et quidem non semel, de « modo naturae humanae aptato, de iuribus naturae humanae, de dignitate personae, de iure totam vitam suam secundum postulata suae religionis (quaecumque illa sit) ordinandam in re familiari, educativa, culturali, sociali, caritativa et in aliis vitae humanae activitatibus », quin nihil aut fere nihil dicatur de « facto revelationis, de praesenti oeconomia salutis etc. etc. ». Nescio quo iure haec omnia fieri possunt.

2. Quoniam *religio* est *ad Deum,* primus in ipsa respectus *ad Deum* est et relate ad Deum considerari debet. Nunc autem in declaratione « religio » apparet tamquam phaenomenon quoddam humanum et ab hominibus mutua quadam conventione ordinandum. Attenditur nempe *religio* in sua hominis *ad alios homines proiectione sociali* magis quam in sua ad Deum ordinatione et proiectione *transcendentali.*

Hinc fit ut constanter et continuo sermo instituatur de « iure personae

humanae » in materia religiosa et ad religionem; quae vera utique dici possunt, habita ratione hominis ad alios homines, at negligi nequit, neque secundo loco considerari « *relatio hominis ad Deum* » coram *quo* potius quam de iuribus hominis et personae humanae sermo instituatur oportet de « officiis et obligationibus ».

Hac de causa, meo simplici iudicio, ordinatio declarationis eiusque dispositio totaliter alia esse debet. Non enim a *iuribus* personae humanae, sed ab *officio et obligatione* indeclinabili colendi Deum, et quidem hoc vel simili contextu:

a) Homo tenetur et ligatur indeclinabili officio colendi Deum.

b) Si Deus *modum* indicat (Revelatione) *talis modus acceptandus est,* dummodo, ut clarum est, sufficienter cognoscatur.

c) Quibus nondum nuntiatus est, ius inest Deum suo modo colendi iuxta principia Ethices naturalis recte intellecta. At talis positio iuridica vel iuridico-religiosa est circumstantialis, suppletoria et per accidens tantum valida. Nequit ergo affirmari, ut in declaratione, simpliciter et sine addito « libertatem religiosam... ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis » (n. 29).

d) Si modus a Deo determinatus, revelatus nempe, etsi propositus et vulgatus, nondum tamen aliquibus apparet *certus et indubius,* poterunt isti in sua *bona fide* persistere, quia conscientia *invincibiliter* erronea existimant positionem suam esse *veram* ideoque et *tenendam.* Et hinc obviam venit intricatissima quaestio de « iuribus conscientiae erroneae ». Intricatissimam dixi, non tam in ordine theoretico quam in practico; non praecise in foro conscientiae et coram Deo sed in foro externo, sociali et coram hominibus, in ordine ad relationes et facta socialia ordinanda.

Certe quidem, conscientia subiective recta, etsi invincibiliter erronea, norma certa est agendi et qui illam sequuntur recte agunt coram Deo, quin culpabilitatem ullam contrahant coram *ipso.* Verumtamen in declaratione nostra neque fit neque fieri potest quaestio hac de re. Omnes nos scimus non paucos *posse salutem aeternam* in « paganismo » adipiscere. De his tamen quaestio non fit.

Difficultas incipit cum transitus fieri intenditur a *foro interno* ad *externum.* Potestne fieri et quidem *pleno iure?* Admittiturne huiusmodi *ius* in *vita sociali hodierna* et quidem tamquam *principium generale,* pro *omnibus et singulis casibus et materiis?* Eritne verum hoc? Cur ergo minime admittitur in re v. g. sanitatis publicae, in casu alicuius infirmitatis contagiosae ignotae quidem *personae* patienti? Cur non in ordine publico et securitatis socialis? Cur non in ordine culturali? Cur non in educatione infantium immo et aliorum? Cur non in ordine oeconomico? Nequit ergo *transitus ille* proponi et propugnari tamquam *ius* et principium generale. Quando admittitur, admittitur exceptive, per accidens, permissive ideoque magnis cum limitationibus, attentis circumstantiis particularibus, quae utique diversa sunt diversis in locis, regionibus et casibus.

Inde venit quod in societate non pauca *permittuntur de facto* quae a nemine *recognoscuntur tamquam iura,* si de hominibus cordatis sermo est. Tandem aliquando et ipse Deus multa permittit, quin tamen propterea dicere liceat « actores *ius* revera habere v. g. ad facinora patranda ». Nequit ergo fieri transitus multoque minus « stabilire principium generale, quasi absolutum et universale », uti videtur proponi in declaratione nostra.

Aliud est *quaestionem practicam considerare et practicas normas* proponere, quod quidem fieri potest et fortasse debet. Attamen normae illae practicae, si dentur, *a*) sancta sertaque servare debent principia generalia et *b*) diversae erunt pro diversitate casuum. Caveat igitur Concilium ne, simplici criterio, omnibus et pro omnibus imponatur eadem ratio vivendi et ne, maxima cum ingenuitate, « diversi casus, qui certo certius in societate hodierna dantur, eadem cura medicinali eodemque pharmaco tractentur ». Considerentur ergo casus particulares, admittantur saltem, et diversis diversae applicentur normae et rationes agendi, ne, sub praetextu *libertatis,* criterium unius aliusve ceteris omnibus imponatur.

Cum ergo de « iuribus conscientiae invincibiliter erroneae » sermo fit, restrictiones et limitationes stabiliri debent, praesertim si de « proiectione externa et sociali » quaestio movetur. Aliquae iam in ipsa declaratione proponuntur, attamen nec sufficientes nec sufficienter clarae et explicitae videntur.

In declaratione enim nihil dicitur de differentia *revelatam* religionem inter et *naturalem*; nihil aut fere nihil de iuribus Dei revelantis; nihil de differentia inter societatem pluralisticam et uni-confessionalem et, quod adhuc peius est, statum et regimen iuridicum societatis pluralisticae, in qua necessario coexistentia dari debet, societati uni-confessionali imponere conamur.

3. In declaratione lata aperitur via *indifferentismo* religioso. Cum enim, tandem aliquando, dictamen conscientiae sit aliquid *internum et subiectivum* de cuius *realitate* solus Deus iudicare potest, de internis enim nemo iudicat neque Ecclesia, quomodo societati constare poterit de *invincibili bona fide et persuasione* hominis haec vel illa alia affirmantis exteriusque illa profiteri desiderantis? Quis et quomodo poterit iudicare de sinceritate illius? Nisi ergo norma quaedam *externa et obiectiva* statuatur, lata sine dubio aperietur via subiectivismo religioso, indifferentismo et, historia teste, tandem aliquando atheismo.

4. *Ethica situationis*: Religio et Moralis separari nequeunt. Non datur religio pure theoretica, sed nec dari potest. Si ergo cuilibet hominum *ius inalienabile* conceditur hanc vel illam aliam religionem profiteri iuxta dictamen suae conscientiae, etsi invincibiliter erroneae, eo ipso illi conceditur *ius inalienabile* hanc vel illam aliam *normam moralem* sequendi in vita sua etiam externa et sociali. Hoc autem idem est ac *ethicam situationis* canonizare vel melius « Ordinem moralem penitus destruere ». Quo enim iure hoc uni permitti et aliud alii prohiberi poterit? Ratione dignitatis personae humanae? Quaeque erit regula et norma authentica genuinae dignitatis humanae?

Quale eiusdem fundamentum? Exigentiae iuris naturae? Audiantur Missionarii. Ipsi nobis dicent quid et quae diversi homines hodierni dicant *in plurimis,* quae apud nos tamquam iuris naturae habentur; ipsi testimonium nobis reddent « de diversa conceptione morali diversorum coetuum religiosorum ». Quae cum de facto ita sint, quis nobis veram notionem dignitatis humanae necnon et moralitatis certo praestabit? Mahumetani? Buddhistae? Sinthoistae? Protestantes? Eruntne admittendae tot rationes morales quot personae et coetus religiosi?

5. *Ipsa vita socialis in periculum vertitur*: In declaratione proclamatur « ... verum propriumque personae ius ad... totam scil. vitam suam secundum postulata suae religionis ordinandam in re familiari, educativa, culturali, sociali, caritativa et in aliis humanae vitae activitatibus » (cf. n. 29, pag. 31, linn. 24-28).

Non facile intelligitur qualiter et quomodo haec omnia possint proclamari tamquam *iura propria* personae humanae multoque adhuc minus intelligitur qualiter et quomodo *conviventia pacifica* dari possit, si unicuique hominum ius proprium conceditur ordinandi *totam suam vitam* secundum postulata, quaecumque sint, *suae religionis.* Quid ergo dicendum de « polygamia, de divortio vinculari, de iure proprietatis, de educatione filiorum, de inviolabilitate vitae v. g. seniorum etc. etc.? Abs dubio restrictio admittenda est. Quae, tamen, et a quo stabilienda? Ob exigentias « boni communis »? Quousque sese extendit ratio boni communis et cuius est rationem et limites boni communis determinare?... Occurrit nunc novum problematis aspectum breviter considerare:

6. *Interventus Auctoritatis publicae*: Ni fallor, in « bono communi » determinando, *arbiter et iudex* dari debet, nisi negotium iudicio privato uniuscuiusque relinquatur, quod idem erit ac arbitrium et iudicem negare. Quis ergo? Doctrina Pii XII clara est: *Auctoritatis publicae* est iudicare, curare et defendere. Verum hoc in declaratione negari videtur, cum Auctoritati publicae « nulla hac in re, religiosa nempe, competentia concedatur ». Cuius ergo erit? Utinam angeli omnes nos fuissemus! Nullum certo fuisset problema.

Liceat mihi hac de re hoc unum addere: Nulla auctoritatibus publicis agnoscitur interventio in re religiosa, cum ipsae nullatenus competentes iudices, technici et magistri aestimari possint. Quaerere nunc liceat: Suntne technici competentes et magistri in re medicinali, culturali etc.? Nemo tamen auctoritati publicae interventum et ius interveniendi his in negotiis negabit. Ratio aliunde clara est. Quando enim auctoritas publica in negotio quodam publico v. g. sanitario partes agit, non agit necessario qua technicus, medicinae in casu, sed qua tutor societatis eiusque vicegerens; non *iudicat* de re technica, sed, dato iudicio technicorum, quod acceptat, normam vel normas dictat boni communis tuendi causa, de quo utique Status iudicare potest.

Forte etiam hoc trahi possit et applicari in « re religiosa ». Auctoritas publica, Status, non iudicat qua technicus, sed, dato iudicio technicorum, quod

utique acceptat, religionem tuetur eique auxilium praestat. De cetero, si in *religione naturali* auctoritas publica suas habet partes, non videtur cur *in revelata et supernaturali,* magis adhuc in concreto in catholica, nullum omnino ius nequidem acceptandi iudicium Ecclesiae Statui conceditur. Pauperes utique et miseri *Moderatores catholici,* quibus, praecise quia catholici, onus imponitur contra vel saltem praeter suam intimam conscientiam continuo agendi! Mirum utique « productum conciliare » in Ecclesia hucusque certo ignotum!...

7. *Societas pluralistica et societas uni-confessionalis*: En magnum hac in re problemata et pro aliquibus maximum, ut videtur, scandalum huius temporis: Societas uni-confessionalis! Vel sola enuntiatio vitanda, ac si laesiva iurium personae humanae necessario reputanda sit. Certe Pius XII contrarium dixit, attamen hodie... (cf. *A.A.S.,* 1955, 24 oct., p. 679). Liceat nihilominus quaerere: Quid si 98% Europae, Angliae et Americae Septemtrionalis catholicam profiteretur fidem? Etiam tunc societas uni-confessionalis motivum fuisset scandali?...

Certe fides nullatenus coactive imponi potest. Homo utique liber est. At simul *obligatione morali tenetur* amplectendi veram fidem, quando ipsi sufficienter proponitur. Potest utique, proh dolor!, fidem negare, quia physica gaudet libertate, at simul *tenetur vera obligatione morali* et quidem gravi suam fidem tueri et servare. Status non potest fidem modo coactivo imponere, at tenetur fidem veram defendere, curare et pro modo suo fovere, quia « et Caesar Dei est », simulque bonum commune subditorum curare.

8. In declaratione dicitur: « ... assensus — fidei nempe — ne detur nisi cum *plena libertate* » (n. 28, lin. 23) et « in annuntianda veritate ab omni *directa vel indirecta* coactione abstinendum est » (*ibid.*). Haec utique vera sunt, dummodo recte intellegantur. Prout iacent, tamen, sine adiecta explicatione, fortasse, nimis absolute dicta videri possent. Quid enim dicendum de « baptismo infantium deque ipsorum in fide catholica educatione iam a primaeva aetate »?

9. Meo simplici iudicio, declaratio proposita nimis *absoluta* est, in eaque iura personae humanae eiusdemque libertatis ultra quod iustum est extolluntur. Temperari igitur debet et opportune explicari, ne « fideles nostri » scandalum patiantur. Etiam sub hoc aspectu declaratio nostra pastoralis esse debet. Hac in re memorare iuvabit vel solo nuntio proximae declarationis conciliaris de « libertate religiosa » confusionem in populo productam — ipsi enim iuristae non sunt — et in ipsis Regionibus pluralisticis numerum « conversionum » imminutum fuisse. Quod sine dubio attendendum est. Concilium enim non pro « parva aliqua minoritate selecta in societate » sed et pro toto populo loqui debet, cuius *fides religiosa,* simplex utique at sincera, diligenter tutanda est. Hinc, si aliud obtineri nequeat, hoc unum a Concilio stabiliri debet:

10. Necessitas promulgandi *statutum iuridicum,* quo, singulis in casibus,

determinetur modus agendi et operandi, attentis diversis circumstantiis religioso-socialibus diversarum *regionum* vel *nationum,* cuiusque praescriptiones ab omnibus sancte serventur.

21

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Textus *de libertate religiosa,* nobis hodie propositus, valde opportune in memoriam revocat elementa et principia doctrinae, quae propter eorum veritatem intrinsecam, applicationem pastoralem et possibilitatem quam afferunt cum mundo dialogum habere, maximi sunt momenti. Nam hic textus quasi conditionem ponit totius universalis Ecclesiae missionis in hodierno mundo. Quod nobis patebit, si principaliora capita consideremus.

I. Prae primis, pag. 29, n. 26, linn. 6-15 et pag. 30-31, n. 29, linn. 38-6, affirmatur unumquemque hominem personam esse. Haec est veritas essentialis fidei christianae: nempe Deus, dilectione sua, unumquemque hominem ad se singulariter, vocatione propria et unica advocat eumque personaliter in intimo cordis alloquitur. In hoc enim fundatur eminens dignitas hominis.

Encyclica Summi Pontificis Pauli VI, *Ecclesiam suam,* hac veritate innita, Nobis doctrinam perpulchram *de dialogo* proposuit. Nam inquantum est persona homo cum Deo dialogum inire potest. Ex hoc sequitur modum proprium relationum inter homines dialogum esse, dum in dialogo unicuique de facto dignitas personae agnoscitur. Cum hac ergo dignitatis humanae personae agnitione, ponitur conditio omnis apostolatus Ecclesiae, cum Deus, cuius Ecclesia est instrumentum et ministra, sese personis ut talibus revelet. Atqui patet dialogum ipsum libertatem requirere.

II. Sed insuper, ut ex n. 29, pag. 31-32, linn. 41-13 (videatis etiam n. 30, pag. 31, linn. 33-37) constat, vindicando libertatem religiosam personae humanae, ex eo ipso Ecclesia hominem hodiernum contra gravissimum periculum, quod imminet, protegit: hominem dico protegit contra totalem subordinationem individui relate ad societatem vel ad statum, ita ut practice ipsi homini natura personae denegetur. Haec ergo vindicatio ex parte Ecclesiae protectio efficacissima contra omniformes totalitarismos ac collectivismos immanentistos evadit. Valde igitur importat ut clare indoles transcendens personae, in vita sua spirituali ac intellectuali, affirmetur. Quam indolem transcendentem Status explicite agnoscere eique positive favere debet.

In hac transcendentia fundatur ius personae ad libertatem relate ad res religionis et ad veritatis inquisitionem, quod Ecclesia pro omnibus hominibus, nullo secluso, expostulat (ut clare, n. 29, pag. 30, linn. 34-37 affirmatur).

III. In nn. 27-28, pag. 29-30, etiam principia magni ponderis quoad missionem propriam ipsius Ecclesiae opportune in memoriam revocantur.

Nam Ecclesia, exemplum Domini sui et apostolorum fideliter sequens, solemniter agnoscit diffusionem Evangelii non mediis saecularibus inniti, quamquam haec media in suo ordine, nempe temporali, adaequata esse possint. Sed e contra super solam potentiam verbi Dei innititur Ecclesiae supernaturalis apostolatus.

Hanc veritatem ac suae actionis normam proclamando, certo certius Ecclesia permultos homines bonae voluntatis liberabit, qui nonnullos abusus historicos considerantes putant Ecclesiam potentiam huius saeculi esse, spirituali imperialismo infestam, dominandique cupiditate inspiratam. E contra clarius ante omnium oculos haec sancta Ecclesia apparebit ut humilis serva, quod re vera est, caritatis Christi, qui animas numquam vi et coactione vincire voluit, sed semper suavitate amoris attrahit. Immo Dominus Noster, sese contra persecutores per arma defendere voluntarie recusavit, ut in sacro Evangelio refertur (cf. *Mt.* 26, 51-54 et *Io.* 19, 36-37).

Persuasum habeo hanc doctrinam de modo evangelico praedicationis ad opus pastorale et missionale Ecclesiae quam maxime conferre.

IV. Mihi etiam placet animadvertere, n. 29, pag. 31, linn. 6-21 et n. 26, pag. 29, linn. 16-20 doctrinam aequilibratam de conscientia proponi. Non tantum iura sed etiam debita ad conscientiam pertinentia explanantur, ita ut iudicium conscientiae, ut est norma actionis, ipsum sit a lege divina mensuratum et a virtute prudentiae rectificatum. Sic plene excluditur omnis forma subiectivismi. Insuper fundamentum iuris ad libertatem religiosam rite ipsa persona ponitur. Sic falsa vitatur opinio secundum quam ipsa conscientia, et quidem bona fide erronea, ipsum ius fundaret.

V. Prudenter quoque declaratio, n. 29, pag. 31, lin. 21-37, libertatem religiosam non ad solam libertatem interiorem limitat. Nam ex ipsa natura hominis, ex anima et corpore compositi essentialiterque socialis, ius oritur, id exterius exprimendi quod interius cogitatur. Exinde ius ad expressionem publicam vitae religiosae postulatur, quod hodie peculiariter convenit, cum sciamus in nonnullis regionibus Ecclesiam persecutionem pati, falso adhibito praetextu religionem rem individuorum mere interiorem esse.

Sed declaratio, ibidem, linn. 38-40, simul recte affirmat auctoritatem publicam, actus ex motivo religioso inspiratos sed legi naturae directe oppositos, si casu dentur, legitime prohibere posse.

Denique, ex dictis, n. 30, pag. 33, linn. 4-10 et etiam n. 29, pag. 32, linn. 9-13, constat Statum hodiernum, quem Statum iuris dicunt (« lo Stato di diritto »), suos proprios limites ac suam incompetentiam in veritate religiosa directe iudicanda dum agnoscat, nullo modo erga hanc religiosam veritatem et vitam indifferentem esse. Immo debet personae eiusque spiritualibus iuribus, inter quae ut fundamentum eminet ius ad libertatem religiosam, positive inservire.

VI. Ut ex n. 30, pag. 32-33 constat, hoc ius non ad individuum limitatur. Etenim etiam in re religiosa necessitatem principii subsidiaritatis oportet affirmare, ita ut ius ad libertatem religiosam coetibus quoque competat.

Certe Ecclesia scit sese directe super mandatum divinum fundari iurisque divini sic esse. Sed in mundo hodierno missionem suam, caritatis scil. apostolicae, plene adimplere potest, dummodo iura ex principio subsidiaritatis dimanantia ei sicut aliis coetibus religiosis agnoscantur.

Melius, sic eradicatur haec frequens contra Ecclesiam obiectio a multis hominibus, et quidem honestis, prolata: nempe quod Ecclesia sese non aequo modo erga hominum libertatem gerere, secundum quod magna vel parva potentia politica instrumentaliter uti potest.

Hodie plena reciprocitas in iuribus agnoscenda est, ita ut Ecclesia iura quae pro suis membris exigit, etiam pro membris aliorum coetuum sine dolo, immo laeto animo exigit. Hoc modo agit, quia, dignitate personarum agnita, super fidem et spem inconcussam in vi veritatis divinae innititur.

VII. Recte quoque, n. 30, pag. 32-33, linn. 38-3, dicitur ius naturale suam propriam cogitationem exprimendi etiam in re religiosa, omnibus, sive singulis personis sive coetibus ex personis constantibus, competere. Attamen media ad ideas diffundendas idonea semper honesta ac dignitati personae accommodata sint oportet. In hoc usu honesto mediorum proportionatorum, qui iam per se testimonium veritati reddit, Ecclesia super potentiam veritatis divinae suffulta, fiducialiter exemplum praebere intendit.

Ex tristi experientia historica constat, repressionem idearum etiam falsarum vi et metu adhibitam saepe saepius in triumphum earumdem idearum vertisse, quasi aureola martyris, ut ita dicam, splendescerent. Sed quod gravius est, simul res in confusionem defensorum veritatis quam plurime incedit, qui defensores ut materialistae considerabantur qui fidem suam ponebant in vi politica magis quam in capacitate veritatis, quae in homine, ad imaginem Dei veritatis creati, radicatur.

Sic, venerabiles Patres ac Fratres, septem asserta maximi momenti enumeravi, quae in declaratione inveniuntur. Quam igitur declarationem adprobandam esse puto.

Concludendo, pauca addam. Textus nobis propositus, ut initio iam dixi, maxime conferre potest ad universalem apostolatum totius Ecclesiae ac specialiter ad Missiones. Rite non limitatur ad hanc vel illam situationem particularem sed ambitum universalem mundi hodierni amplectitur. Sic plene respondet fini Concilii pastoralis. Insuper cum mundo dialogum aperit, dum mundi legitimam et profundam ad veram libertatem aspirationem agnoscat. Ad hoc iam ab initio textus affirmandum, emendationem propono: Nam, quae sub n. 31, pag. 33, linn. 16-25 de charactere universali quaestionis dicuntur, primo loco, n. 25, pag. 29 ponantur. Postea tantum momentum oecumenicum libertatis religiosae, ut magis particulare, affirmetur, n. 25, linn. 1-5.

Certe textus valde laudandus aliquas formulas continet, quae non semper aequivocationem satis vitant. Sed facile corrigi possunt, ad hoc ut declaratio vere perfecta evadat. Quoad hoc iam secretariatui antea emendationes mandavi ac proposui.

22

Exc.mus P. D. MAXIMILIANUS DRŽEČNIK

Episcopus Mariborensis

Cum omni reverentia propono quoad schema *de libertate religiosa,* ut commissio competens consulat articulum « De iuribus conscientiae invincibiliter erroneae praesertim in re religiosa », publicatum in *Gregoriano,* 1964, vol. XLV, 1 p. 94 s., a P. Marcellino Zalbà, S. I. In isto articulo videtur res optime exposita.

Proponere etiam humiliter vellem, ut nominatus pater pro hac materia ut peritus vocetur in commissionem competentem.

23

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA

Archiepiscopus Bhopalensis

Declarationem de libertate religiosa valde opportunam esse, iam varii oratores dixerunt. Liceat mihi ut civi unius e multis nationibus quae nuper ad politicam libertatem accesserunt, quaedam addere.

Ecclesia, utpote « Mater et Magistra », in omnibus sic dictis novis nationibus, summopere salutarem influxum exercendum habet. Etsi saepe perantiquas et magni valoris culturas possident, fere omnes hae nationes, ingenti et plerumque laborioso conatu, novum aequilibrium, novos modos evolvendi se, et, ut ita dicam, ad statum adultum perveniendi quaerunt. In hoc titanico conatu periculum tamen est ne aliquot aspectuum fundamentalium dignitatis humanae insufficienter ratio habeatur. Urget finis prosequendus, difficultates saepe immanes sunt. Ideoque magna tentatio est, ut a civibus rigida disciplina exigatur quae uniformitatem omnimodam requirit.

In specie periculum est, ne ad colligendas omnes energias, nationalismus etiam sic dictas mysticas religionis vires adhibere conetur, ne quaedam religio nationalis ut elementum supremum cohaesionis adhibeatur, cum aperta aut larvata persecutione minoritatum religiosarum.

Sane, non ubique sic ab auctoritatibus civilibus proceditur. Testari possum in mea patria Constitutionem plenam libertatem assicurare, et auctoritates fere omnes in hac re irreprehensibiles esse, immo quandoque vere amicas, et etiam permultos et influentes Hinduismi sectatores ab omni coercitione refugere. Sed neque illic absunt ferventes nationalistae qui Hinduismum cum patriotismo confundere vellent.

Itaque tanti momenti est, etiam ut sic dicti novi populi ad veram maturitatem adducantur, Ecclesiam erga conscientiam personalem summam vene-

rationem inculcare. Et etiam — sed applicationes concretae huius principii ad alia schemata referuntur —, ut doceat membra sua plene et actuose cives suae patriae esse, culturae et legitimarum aspirationum suae gentis studiosissimos. Nam hoc est conditio sine qua non ut testimonium Ecclesiae in favorem libertatis religiosae vere audiatur.

Etiam alia conditio requiritur. Ut nos ipsi catholici ubique terrarum exemplum demus dissociationis ut ita dicam religionis a patriotismo. Scio me hic punctum delicatum tangere, sed ut episcopus nationis in qua nos parvam minoritatem constituimus, mei officii hoc esse aestimo.

Sane optamus ex toto corde ut omnes homines veritati catholicae adhaereant, et gaudemus quod in aliquot gentibus hoc iam realisari videtur. Nihilominus abstinendum est ab omni confusione inter ea quae sunt distincta, prorsus refugiendum ab imponenda, qualicumque modo, sive per leges, sive per recursum ad pressionem socialem et opinionem publicam, homogeneitate religiosa in populo vel natione.

Habeatis me excusatum si dico hunc modum cogitandi vel agendi praechristianum esse. Sic sentiebant Iudaei. Sic sentiebant Graeci: mementote quomodo Socrates capitis damnatus est eo quod deos civitatis non coleret. Sic agebant Imperatores Romani christianos persequentes. Etiam post adoptatum christianismum per saecula haec instinctiva intolerantia viguit, hic modus gregarius et politicus cogitandi. Pensate famosum principium « cuius regio, illius et religio ». Multorum saeculorum opus fuit, antequam plene realisaretur revolutionaria liberatio quam Christus attulit, nempe quod quilibet homo, personaliter, in sua intangibili conscientia, ante Deum et Patrem suum ponitur.

Magni laboris est totum genus humanum ad hoc intelligendum adducere. De facto solus christianismus et absolutum obiectivumque valorem veritatis, et iura conscientiae agnoscit. Foris viget aut intolerantia, aut agnosticismus, aut sicut in Hinduismo, relativismus et syncretismus.

Sed ut nuntius noster audiatur oportet omnes catholici logice et unanimiter eum in praxim deducant. Ideoque non sine quodam timore ultimam lineam paginae trigesimae secundae legi « ... vitato tamen " proselytismo " quippe qui mediis impropriis et inhonestis utatur ». Utique, quis non condemnabit usum medii inhonesti? Sed difficultas est in diiudicando characterem inhonestum alicuius medii. Etiam nos catholici non raro proselytismi accusamur. Fatendum est etiam nos quandoque mediis impropriis usos esse. Legatis quae de hoc Summus ille vir card. Costantini scriptis reliquit.

Utique principium ipsum proselytismi condemnemus. Sed summam prudentiam adhibeamus in accusandis aliis proselytismi. Timeo ne ut « boomerang » haec accusatio in nos revertatur.

Spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus. Ex actibus nostris iudicabimur. Ergo caveamus.

24

Exc.mus P. D. CLAUDIUS DUPUY

Archiepiscopus Albiensis

In textu declarationis circa libertatem religiosam, nonnisi fere de libertate personarum agitur religiosorumque coetuum, talibus personis libere constitutorum. Videtur etiam nonnisi de adultis causa excogitari.

Iamvero media fere pars humanitatis, nunc temporis, *e pueris ac adolescentibus constituitur*; qui non idonei sunt de sua religione personaliter statuendi. Ipsorum religiosa orientatio a parentibus pendet institutionibusque educativis quibus ab eisdem committuntur.

Necessarium mihi videretur fore ut in declarationis textu notetur quomodo libertas religiosa ius importet pro parentibus dandi suis pueris, vel invigilandi ut detur, educatio religiosa iuxta quod elegerint.

Timendum est enim ne de tali declaratione arguentes deque reverentia religiosae libertati in adultis debita, quidam ex nostris coaetaneis pro pueris vindicent ut in neutralitate nutriantur, ne eorum inclinetur libera determinatio quando ad adultam aetatem perventi, capaces fient proprie se determinandi. Ita negaretur ius parentum in liberam religiosam educationem filiis tribuendam, iusque religiosorum coetuum institutiones educativas sustinendi quae parentum iuri apte respondeant.

Opportune tamen adderetur hanc educationem, tam in familiae sinu quam extra, sic tribuendam esse ut nullo modo puer et adolescens in sua convictione religiosa coactionem patiantur, sese potius adiutos sentiant in conamine quo ad liberam, personalem luminosamque fidem perveniant.

25

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN

Archiepiscopus Ovetensis

Duplici ex capite eruitur, in n. 26 schematis, ius quod homini inest ad libertatem religiosam, nempe: quia « homines ad imaginem Dei formati » sint et quia sint « ad consortium divinae naturae vocati ».

Sane homo est creatura rationalis, anima spirituali praeditus, ad imaginem Dei — qui est purus spiritus — quo consequitur hominem dominari suis propriis actibus. Est ergo, sub aspectu psychologico, liber. Quae quidem libertas, melius et perfectius elucet si perpendatur hominis elevatio ad ordinem supernaturalem, eo quod homo nominatur et est filius Dei.

Igitur recte affirmatur (homines) « officium et honorem habent ut, secundum dictamen conscientiae, voluntatem Creatoris et Salvatoris in re religiosa sequantur ».

Actus fidei omnino libere elici debet. Unusquisque ducatur oportet dicta-

mine practico propriae conscientiae, quominus professio religionis esse queat actus humanus omni ex capite personalis, dignitati naturae humanae conformis, nec alienus ab eiusdem personae supernaturali praecellentia. Quicumque doctrinam catholicam profitemur, huiusmodi veritati obtemperare tenemur.

Nisus his praemissis textus schematis haurit consequentiam — « inde exoritur », dicit — scil.: homini ius inesse ad libertatem religiosam in societate et vi huius iuris, homini integrum est suam religionem « privatim et publice exercere » quin « ulla coactione ab ea exercenda prohiberi » possit.

Non eo recte, meo iudicio, prodit consequentia. Illa enim non stat in eodem plano ac praemissae. Ab ordine omnino personali et intimo, scil. libertas psychologica, progreditur ad ordinem externum, seu sphaeram conscientiae socialis. Quo in ordine, *alia* principia *aliaeque* normae stabiliantur oportet. Principia quidem et normae quae etiam pertinent ad provinciam *iuris naturalis,* cum homo ipsamet propria natura compellitur ad socialem conviventiam. Aliunde opportunum videtur respicere utrum dentur alia principia seu novae normae ex iure divino-positivo promanantes quae, nec spernendae nec obliviscendae sed servandae sint, cum sermo est de natura statuenda libertatis religiosae.

Certum est personam humanam iura possidere quae, in ambitu principiorum, inalienabilia dicenda sunt. Et verum est societatem a Deo institutam esse in commodum personae humanae eo quod haec indiget commercio consimilium et evolvi possit secundum eius integram capacitatem. Non ergo est persona societati sacrificanda, sed e contrario, societas inservire debet personis.

Sed non minori certitudine perspicuum est sociabilitatem secumferre semper quasdam limitationes iurium hominum in individuo, non modo exercitium talium iurium quod attinet, sed etiam in quantum respicit ipsamet iura. Cuiusmodi limitationes ipse Deus voluit, cum hominem socialem fecit. Quae quidem limitationes, in omni ordine dari, palam est. Etiam in ordine religioso.

Itaque conclusio ad quam pertingit schema transgreditur unam e logicae regulis, nempe « excedit praemissas ». Igitur, non potest absque reservatione accipi.

Ad rem elucidandam, ponamus casum. Quidam hominum coetus religionem profitentes quae dignitatem personae humanae ignorat, immo, et quae illam obstruit vel quae sese opponit iuribus primariis legis naturalis. Hypothesis non est arbitraria. Religio e. g. quae sacrificia humana veluti licita habeat vel quae talia sacrificia imponat offerri. Numquid homines talia nefanda exequentes seu profitentes habendi sunt tamquam iure gaudentes quominus suam religionem, privatim et publice exerceant? An nefas erit asserere publicam auctoritatem officium habere proscribendi huius generis religionem? Ut interventus auctoritatis publicae, in talibus rerum adiunctis

liceat, necesse non erit admittere reipublicae moderatores auctoritate pollere in ordine religioso. Satis est ut agnoscatur officium inesse apud publicam potestatem tutandi bonum commune subditorum.

Ipse schematis textus praefatum interventum auctoritatis populum regentis praevidit cum agit de religiosa personae libertate in societate (n. 29, par. 35).

Attamen bonum foret ut cum agitur de describenda natura libertatis religiosae, haec proponeretur formula clariori et precisiori. Etenim sicuti in modo allato exemplo elucet, non tantum iuris exercitium sed et ipsum ius limitationi obnoxium est. In determinandis igitur iuribus personae humanae ad profitendam privatim et publice suam propriam religionem, considerentur necesse est et aliae rationes quae in n. 26 schematis desiderantur.

Catholicos saltem quod attinet, non videtur dari posse aliqua discrepantia relate ad libertatem psychologicam qua homo gaudet ad exercendam suam propriam religionem. Nec ulla quaestio cum sermo sit de norma practica qua regi debeat activitas hominis sub hoc respectu, scil., dictamen propriae conscientiae.

Aliter sentiendum dicerem cum problema proponitur, non quidem in ordine principiorum conscientiam personalem regentium sed in ordine principiorum vitae socialis. Et non ipsum ius in se aspectum quod attinet, respiciens immunitatem conscientiae et personae humanae in sensu passivo — seu statico —, sed quatenus tale ius accipitur ut ius sociale, scil. facultas agendi positive — in sensu dynamico — in societate et versus societatem. Optandum igitur ut aliis verbis seu terminis proponatur quaestio ad extollendas quae oriri poterint confusiones.

Omnes qui veritati catholicae obtemperamus admittere tenemur tale ius limitationibus esse obnoxium, ab intrinseco et necessario, in suo exercitio. Sane dantur limitationes ab ipsamet hominis natura sociabili provenientes. Nec obliviscendae et aliae limitationes quae e peccati originalis consectariis promanant.

Cardo quaestionis erit in hoc reponendum: ut innotescat quaenam esse possint huiusmodi limitationes et ut statuantur donec ius personale immune debeat stare — etsi nitatur criteriis erroneis et agendi rationibus moraliter malis — a quavis extrinseca coactione, ut in tuto ponatur actus fidei et responsabilitas personalis in exequendis actibus religionis.

Cum autem agatur de quaestione ordinis practici, obvium est quin, incommovibilibus stantibus principiis in sede doctrinae, diversis advenientibus temporibus et aliis rerum adiunctis diversis accedentibus, perveniri possit ad conclusiones et opiniones diversas, eo vel magis quod applicatio practica principiorum subest locorum et personarum circumstantiis, et ambitus exercitii iurium amplior vel strictior evadere potest, firma stante ipsiusmet iuris agnitione.

Alia prodit in textu schematis assertio quae haud paucis confusionibus ansam praebere potest. Asseritur enim ius ad libertatem religiosam in am-

bitu societatis veluti ius quoddam absolutum et illimitatum — quod iam sat difficile intelligitur, prout supra notavimus — et habet illicitam quamlibet coactionem vi cuius imminui possit, non iam libertas illa interna et psychologica, sed et ipsa libertas externa et socialis. En verba quibus statuitur « ius ad libertatem religiosam in societate, vi cuius homines religionem suam privatim et publice exercere valent *nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt* ».

Fateor me non attigisse sensum et ambitum huius assertionis. Immo, si res ita sit, non videtur quonam ex capite probari possit constans ratio agendi Ecclesiae, inde ab aevo apostolico. Nec salvatur missio evangelizandi a Christo Domino Ecclesiae commissa, si verba quibus asseritur libertas socialis in schemate intelligenda sint in sua integra, vera et obvia significatione.

Fortasse bonum foret, praeprimis, stabilire verum et proprium sensum termini « coactio ». Secus quaestio oriri potest: Num pro coactione habendum est factum constans in historia Ecclesiae baptismum infantibus neonatis ministrandi, cum cautione ipsos educandi in doctrina catholica, prouti Ecclesia semper exigit? Eritne coactio educatio religiosa in sensu praedeterminato quae traditur in scholis, in sinu familiae, in templis?

Sincere fateor me non audere ut negem dari, in huiusmodi constante agendi ratione, grave influxum in voluntates, immo et veram coactionem in conscientias infantulorum et adolescentium, cui vix vel nullatenus sese possunt oppugnare.

Proscribenda erit ergo haec praxis tot longo saeculorum cursu ab Ecclesia probata, ut in tuto ponatur ius ad libertatem religiosam, quod est proprium personae humanae?

Et perpendendum valet heic non agi de coactione in actus ab extra — quae semper lenior habenda est — sed de illa quae invadit sphaeram intimam ad ipsa latebra conscientiae pertingens. Quaevis coactio ita afficiens personam humanam gravior habenda est prouti textus schematis agnoscit, eo quod vim infert ipsimet radici determinationum voluntatis humanae in ordine religioso. Et en quomodo, de facto, filii solent eamdem ac parentum religionem profiteri.

Num coactionem exercere dicendi sunt illi qui, vocatione apostolica compulsi, omni zelo conantur provocare atmosphaeram honestatis, austeritatis, sensus catholici vitae, boni odoris evangelici, in ambitu familiae, in officinis laboris, in commercio cum suis consimilibus?

Evidens est medium ambiens in sinu familiae, in loco ubi vita humana evolvitur, sit hic locus ubi labor quotidianus peragitur, forum, loca quorum ianuae cotidie patent invitantes hominem ad animum relaxandum, influxum haud parvum in hominem exercere ab extrinseco, immo et hominem hoc influxu doctum, intrinsecus coactionem subire. Facto talis influxus nititur apostolatus quem « specialisatum » vocamus, quisque sibi scopum proponit distincta media penetrare quo facilius possit homines evangelizare.

Numquid coarctare tenebimur has vocationes apostolicas quae tam mirifice, nostris temporibus, in Ecclesia floruerunt? Proscribendi erunt tot motus apostolici quod singula media invadere contendunt freti ambitione ea permeandi influxu Evangelii, ne homines coactionem subeant?

Palam est maximam hominum partem moveri et duci huiusmodi coactionibus ab extrinseco quae, nostra aetate, ope mediorum eo efficacium propagationis, influxum versus « massam » exercere, cuique difficile resistere, obvium est. Paucissimi enim sunt homines qui propriis criteriis regantur quique immunes sint ab influxu coetus socialis in quo versantur subeundo. Erunt ergo tot millia hominum relinquendi in gravi discrimine indifferentismi religiosi, ne dicamur coactionem inferre, nec revereri libertatem personalem hominum eorumque ius ut per semetipsos agnoscant vocationem divinam, eamque *libere et integre* prosequantur, sicuti in schemate (n. 29) asseritur?

Argumentum de libertate religiosa adiuncta omnino specialia prae se fert propriasque difficultates induit cum agatur de missione evangelica versus populos non christianos.

Nemo non videt quin bonum commune populorum qui nuntium evangelicum nondum acceperunt, si res consideratur cum criterio pure naturali — iuxta stylum quo schema redolet — poterit postulare, et de facto id in multis casibus exiget, ut auctoritas statalis interdicat diffusionem veritatis evangelicae. Tutanda erit pacifica civium conviventia. Inest ius praeferens harum communitatum libertatem religiosam quod spectat. Reverendum est illarum ius ad tranquillam possessionem propriae fidei. Proscribitur cuiusvis generis coactio.

Aliter rem considerasse scimus 12 apostolos qui, cum mundo nuntium evangelicum praedicarent, divisiones inter populos, immo, in sinu ipsarum familiarum pepererant, non raro cruentas persecutiones provocantes. Non videtur congruum eiusmodi agendi rationi ille spiritus pacifisticus et libertatis absolutae qui commendatur in schemate.

Dicta ipsa Christi in Evangelio loquentis de violentia, asserentis se non venisse pacem mittere in terris sed gladium, venisse enim separare hominem adversus patrem, matrem, filios, difficilius intelliguntur si serio consideretur doctrina prouti in schemate formulatur.

Videmur nos quaestionem proponere in campo pure naturali, descendentes ubi alii — non catholici — condescendere dignantur, quo dialogum oecumenicum ineamus, problema de libertate religiosa pertractantes quasdamque alias quaestiones connexas aggredientes ac si praescinderemus de facto divinae revelationis. Si ita procedendum sit, scil., praescindendo a tali facto et abstrahendo ab effectibus cosmicis quos secumfert insertio ipsiusmet Dei in vita humanitatis, omnia ratiocinia videntur perfecte progredi.

Si Ecclesia esset societas religiosa assimilata cuilibet societati humanae, si doctrina Christi esset doctrina mere humana, nihil dicendum. Nunc autem, non est ita. Et non potest praescindi a natura *mysteriosa* Ecclesiae seu

eius indole supernaturali. Nequit abstractio fieri a vera natura vitae christianae supernaturalis. Quae omnia nequeunt comprehendi adiumento solius rationis humanae.

Doctrina christiana — memorentur tantum octo « beatitudines » a Domino prolatae in sermone montano — erit semper aliis scandalum, aliis stultitia. Inefficax evadet semper omnis conatus talem doctrinam rationibus humanis exprimendi. Vita Ecclesiae eiusque agendi ratio relate ad facta quae prodeunt in historia, valde mysterio plena apparebit, quamquam adlaboremus et insudemus tentantes illam perscrutari.

Hodiernus neo-humanismus, cum comitatu technicismi, novam culturam novamque civilisationem ineuntes, radicalis est et absolutisticus. Consulto vitat ordinem supernaturalem. Et audet postulare ab Ecclesia doctrinas, formulas et actitudines quae capi possint ab humana ratione, plene et absolute. Quare humanitas iucundo animo salutavit litteras encyclicas *Mater et Magistra* et *Pacem in terris*.

Tamen, aspectus Ecclesiae interpretis, custodis et tutricis legis naturalis, licet magnum momentum habeat, nullatenus extinguit totam notionem Ecclesiae. Nec ostendit proprium et specificum characterem societatis a Christo Domino institutae, non ut homines bona ordinis materialis adipiscerentur sed ad omnia in Christo instauranda. Consectaria practica indolis specificae Ecclesiae, his qui fide orbati sunt, numquam desinent esse incomprehensibilia.

Magni habenda est Christi humanitas; nihilominus est Christi divinitas quae efficacem reddit eius redemptionem. Summum momentum habet opera humana Ecclesiae; attamen est Ecclesiae natura supernaturalis quae hominem iustificat.

Magni interest pax inter populos, et sub aspectu humano, vel tamquam maximum et summum bonum habenda est. Maxime optandum ut omni cautione tueatur libertas hominum infra ambitum ordinis. Omni laude dignum tenemus laborari pro statuenda iustitia sociali, etc.

Attamen, haec omnia — velimus, nolimus — non possunt haberi bona absoluta. Si pax ipsa — per hypothesim — obesset hominum saluti aeternae, malum positivum illam reputare tenebimur, in sensu christiano. Idem dicendum de cunctis aliis bonis ordinis mere naturalis, quia, ex voluntate Dei, humanitas — omnes et singuli homines — ducitur ad ordinem supernaturalem. Et, stante hoc ordine Providentiae, homines finem suum adipisci non possunt quin illis hic ordo innotescat et subordinantes cuncta alia bona huic ordini.

Gaudium nobis affert hodiernus motus qui, Spiritus Sancti ductu, invaluit quique « oecumenismum » audit, et ex illo magnos fructus carpendos speramus. Sed Ecclesia sese praebenda est in suo integro esse: unica et distincta ab omni alia societate humana; consciens se esse in possessione doctrinae et iurium quibus non licet renuntiare; missionem accepisse quam preficere constringitur versa facie ad omnes homines, sed semper

involuta mysterio, propter praesentiam, invisibilem sed realem, Christi illam regentis.

Summatim meum iudicium ita proferrem: Declaratio libertatis religiosae mihi visa est redolens excessu rationabilitatis. Namque ostendit Ecclesiam assimilatam coetui hominum qui regi debeat iisdem legibus, iisdem iuribus fruens, ac ceterae societates quae humanam familiam integrant. Non elucet illa Ecclesia cuius natura non attingitur ab humano intellectu, continuo persecutionem patiens — iudaeis scandalum, gentibus stultitia — cuius facies in Sacris Libris describitur.

26

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN

Episcopus Barbastrensis

Iacobus Flores, episcopus Barbastrensis in Hispania, verba facere vult relate ad caput de libertate religiosa.

De capite hoc alloquentes salutemus omnes hanc sanctam libertatem, qua libertate Christus nos liberavit. Non enim accepimus iterum spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus omnes: Abba, Pater.

Hoc spiritu omnes homines acceperunt a Deo dialogum salvationis, omnibus offerens Deus salvationem per Iesum Christum.

Qua in re bene declarat schema plenam subiectionem hominis ad Deum Creatorem, et Iesu Christo, omnium Redemptori et Magistro cui omnes obedire tenentur. Ex qua eadem obligatione essentiali hominis creaturae, exoritur obligatio Ecclesiam Dei agnoscendi et amplectendi ut asseritur capite *de populo Dei.*

Quod agnoscentes non movemur spiritu superbiae, ut ait Paulus VI, non arrogantiae, non ineptiae aut stultitiae, sed iudicium exprimimus firmae illius fidei ac iucundae persuasionis, qua certe credimus, esse nos membra viventia et sincera mystici Corporis Christi, veros Evangelii Christo haeredes, legitimos apostolorum successores, penes quos integra et viva perstat, quasi haereditate tradita, primigenia eorumdem apostolorum institutio et doctrina, i. e. ingens illud veritatis et sanctitatis patrimonium in quo catholicae Ecclesiae, ut hodie est nota propria consistit.

Nec quando limites libertatis optamus, aliud quaerimus nisi iusta iura et debitas obligationes declarare coram Deo et coram societate et ceteros homines ut pax religiosa detur. Non est ex sensu aliquo timoris, neque neglegentiam declaramus, neque metum aut contemptionem erga alios. Etenim cum Ecclesia ab hominum genere se discernit, adeo huic non obsistit, ut potius cum eo coniungatur. Nam haud secus atque medicus, qui quoniam pestilentiae insidias novit, seipsum quidem absque contagione servat, sed simul aegrotis sanandis studiosam dat operam, ita Ecclesia, non modo mise-

ricordiam a Deo sibi impertitam servat sed simul quaerit per conatum omnes faciendi salutis consortes.

Opinamur enim libertatem omnimodam praedicare indiscriminatim esse aliquem irenismum vel syncretismum. Iam vero irenismus vel syncretismus, nihil aliud significare ad ultimum videtur, nisi scepticismi modos, sive quoad vim, sive quoad rem verbi Dei, quod nuntiare nobis animus est. Is enim unus efficaciter apostoli munus praestabit, qui cum omni fide Christi doctrinam servet.

Quibus praehabitis omnino necessarium ducimus statutum aliquod generale statuere in quo bene distinguatur inter iura conscientiae et ad agendum privatim et iura socialia et ad agendum in publico, inter iura possessa et iura acquirenda. Non semel confusio fit inter libertatem a coactione morali et libertatem a coactione physica; et saepe non attenditur ad iura maioritatis si et quando habeatur moralis unitas in aliqua confessione, e. g. *unitas catholica in aliqua natione si detur,* vel unitas alius confessionis in alia natione. Nihil dicitur de proportionalitate iurium et obligationum in distributione cum tamen non semel Sancta Sede aliquid hac de re edixerit...

Iura consideranda sunt parentum, iura eorum qui non volunt turbari in sua bona fide... in sua religiosa persuasione... immo habent obligationem vitandi suam perversionem religiosam... suorum filiorum, si enim iuxta monitum Christi et Ecclesiae vitare debemus ne pro pane, petram, pro pisce scorpionem, pro medicina venenum offerant ovibus nostris, quanto magis si agatur de doctrina religiosa quae totam vitam pervadit et a qua salus aeterna nostrarum ovium pendet.

Si autem hoc dicatur debere fieri solummodo persuasione, omnino non admitto civilem auctoritatem non debere tueri pacem, conviventiam pacificam et...

Habemus enim de facto fieri proselytismum ad valvas ecclesiarum, per domos indiscriminatim, ad ianuas scholarum catholicarum, ad portas conventuum monacharum, quod nihil aliud est nisi turbare conscientiam earum, aliquae earum credent esse sub poena excommunicationis quia acceperunt illa folia... si autem aliquid contra Virginem vel sanctos dicantur vere pro ipsis erit turbatio. Defensio autem fieri vel privatim, vel vi catholicorum militantium qui fustibus armati defendant fidem suam et filiorum...

Parum omnino videtur in valorem positum esse plura quae in fidem et moralitatem influunt: individua bene formata, ambiens familiaris, educatio societatis, ambiens socialis, audacia aliquorum, possibilitas perversionis a paucis inducta. Contra quae omnia multum potest auctoritas civilis; immo et debet. Deus enim constituit eam non certe ad praedicandam sed utique ad ordinem, pacem, conviventiam pacificam, et evitationem plurium malorum.

Ideo duo brachia religiosum et civilem Deus instituit. Ideo a Sancto Paulo defenditur civilis auctoritas.

Et nisi bona sit auctoritas civilis Ecclesia non poterit se sustinere nisi difficillime et cum iactura plurimarum animarum.

Ideo optarem ut in schemate aliqua mutarentur quae generales lineas de libertate quasi absoluta dicuntur in hunc fere modum mutarentur...

* * *

Pag. 29, lin. 14. De divina vocatione ad quamcumque religionem. Deus vocat ad veritatem, non est divina vocatio nisi sit a Deo et Ipse vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Ergo ad catholicam religionem.

Eadem pag. 29, linn. 21-25: est expressio nimis generalis, in contradictione cum ceteris aliis. Deus non vult hoc. Hoc declarari ab Ecclesia non potest hoc modo.

N. 27: Optima et certa declaratio. Quae usque ad sanguinis effusio intelligi supponit eo quod Deus mittit nos sicut oves in medio luporum.

N. 28: Optime a Paulo VI qualitas dialogi statuta est lenitas, et mansuetudo et humilitas cordis. Attamen etiam dicendum est ipsum Iesum dixisse qui « crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur ». Qui ergo inculpabiliter errat et ipse salvabitur, sed qui culpam habuerit condemnabitur. Nemo ergo coactione physica cogatur ad amplexandam catholicam fidem. Si ergo intelligatur coactio indirecta de praedicatione, de quadam energica praedicatione, ipse Iesus dicit « compelle intrare », nisum fac ut intrent.

Optime a lin. 27.

N. 29. Ab illa libertate interna essentiali actus fidei transitus fit ad coetus religiosos et pro sociali vita. Vocatio divina iterum pessumdatur: Deus non vocat ullo modo ad errorem, sed ad veritatem, ad Iesum Christum, qui apostolos vocavit, qui nos et praedestinavit conformes fieri imagini Filii eius.

Dignitas hominis non ex hac divina vocatione exsistit, sed ex sua constitutione spirituali, ex possibilitate usus suae libertatis. Attamen haec dignitas, haec possibilitas non est exemptio ab influxu aliorum, societatis, proventum, ephemeridum, etc. Sunt multa in vita quae in personas influunt. Et ideo ex tali dignitate non potest argui libertas absoluta. Nam de facto talis libertas non datur ullibi in mundo.

Ex eo tamen quod conscientia sit regula proxima agendi et norma qua Deus iudicat, non sequitur, non est verum, non est voluntas Dei ut non habeatur influxus: nam ipse qui est veritas et mansuetudo, mittit ad praedicandum, et dicit compelle intrare, et apostoli pergunt usque ad extrema terrae.

Nemo, nec ulla humana potestas ius habet ad conscientiam cogendam. Videtur tamen posse cogi ad agendum e. g. ad defensionem patriae, arcis, navis etc.

Pag. 31. Omnino videtur necessarium ad transitum faciendum hac de

re: ad factum sociale statuendum. Cum datur factum sociale pluralitatis religiosae, nec Deus vult per arma decidere nec res violenter agi, necessario statuendum videtur aliqua norma pacifice praedicandi, pacifice convivendi. Regula autem ex una parte servare debet libertatem etiam eorum qui vel nolunt vel non possunt ex obligatione conscientiae.

Ideo optime debet servari et tegi libertas accedentis, et libertas eius cui accedit apostolus.

At tunc quomodo apostolatus fiet? Sanctitate et bonis operibus.

Et qui essent sub protectione legis ad vitandum bellum et iniustas persecutiones qui servant sociale bonum et ius gentium etc.

* * *

Iacobus Flores, ep. Barbastrensis, et Ioannes Hervás, prael. Cluniensis (Ciudad Real).

Inter ea quae a Romano Pontifice dicebantur in Encyclica *Mirari vos* anni 1832, die 15 augusti: Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem conscientiae... Cui quidem pestilentissimo errori, viam sternit plena illa et immoderata libertas opinionum, quae in sacrae et civilis rei labem late grassatur, dictitantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare. At « quae peior mors animae, quam libertas erroris? » inquiebat Augustinus.

Ea quae Leo XIII in Encyclica *Libertas* anni 1888: Vetat igitur iustitia, vetat ratio atheam esse, vel quod in atheismum recederet, erga varia ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eadem singulis iura promiscue largiri... Itaque ex dictis consequitur, ait Leo XIII, nequaquam licere petere, defendere, largiri cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti iura totidem, quae homini natura dederit ».

Et ea quae hic in schemate seu declaratione *de libertate religiosa* dicuntur: n. 26, pag. 29, lin. 22: « His prae oculis habitis, Sacra Synodus, dum hominum a Deo dependentiam affirmat, libertatem simul in Societate circa res religiosas ab omnibus ubique terrarum agnoscendam et observandam esse hac declaratione manifestare intendit ». Et adhuc magis ea quae initio n. 29 habentur: « Libertatem religiosam non tantum a christianis et pro christianis, sed ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis in societate humana observandam esse Ecclesia catholica asserit ». Differentia maxima videtur adesse, immo et oppositio quaedam.

Cum tamen regula traditionalis sit illa a Vincentio Lirinensi: « Nil innovetur nisi quod traditum est: Ecclesia omni studio, omni industria, vetera fideliter, sapienterque tractanda, si quae antiquitus infirmata sunt, et Patrum fides sevit, ita limare, expolire studet ut prisca illa doctrinae dogmata accipiant evidentiam, lucem distinctionem, sed retineant plenitudinem,

integritatem proprietatem, ac in suo genere crescant, in eodem sc. dogmate, in eademque sententia ».

Quod ipsum Paulus VI confirmare videtur: « Si ergo hac in re de renovatione loquimur, non agitur de rebus permutandis, sed potius de confirmando proposito quo movemur, ut faciem et lineamenta, quae Christus Ecclesiae suae dederit, servemus, quin immo eamdem Ecclesiam in perfectam speciem et formam restituamus, quae et eius pristinae imagini respondeat, et consentanea sit necessario illi progressui, quo ea, quasi arbor e semine a primigeniis Institutis suis ad horum temporum statum iuste et legitime est perducta... ».

Non semel practice, in concordatis, in declarationibus exegerit a Civitatibus unitatem catholicam, diversum modum procedendi ac is qui sollemniter proclamatur in schemate; cum non pauci laici scriptis missis, quaerant a nobis quid haec nova declaratio sit... nobis opportunum videtur addi debere ad declarationem notam qua dicatur, post lineam 25, pag. 29: « Dum loquimur de libertate religiosa, legem continuitatis et progressus ut mos est in Ecclesia prosequentes, nihil significare intendimus, quod sit contrarium doctrinae quam Summi Pontifices, pro Supremo Magisterii officio, hucusque hac de re tradiderunt ».

Missio enim Ecclesiae clara est: depositum custodire et diffundere, et ideo Paulus etiam VI ait: « Magisterium Apostolicae Sedis, inde a Leone XIII, et praesertim Pius XI et Pius XII veluti patrominii loco, nobis praestantissimum doctrinarum thesaurum reliquerunt, quibus eo providenter nisi sunt, ut non recondita quadam ratione usi, sed linguae commercio nostro huius temporis proprio, divinas cogitationes cum hominum cogitationibus quodammodo coniungerent ».

Opere pretium nobis est asserere et hic datum non parum progressum ex circumstantiis: circumstantiae mutatae sunt; commercium religiosum non parum mutatum, verus et sincerus oecumenismus a multis iam exercetur, in pluribus regionibus multi admittuntur ad eadem templa, communi nisu in operibus caritatis et socialis evolutionis collatis viribus laboratur etc.

Expedit propterea omnibus etiam proclamare Ecclesiam non circumferri omni vento doctrinae, nec machiavelica lege uti in suum bonum, sed ut ait S. Paulus in *2 Cor.* 1: Aut quae cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est et Non? Fidelis autem Deus quia sermo noster non est in illo « *est et non* » sed *est* in illo fuit. Ideo videtur conveniens illa expresse dicere quae postulavimus ita ut sit fundamentum ad rectam intelligentiam totius declarationis et tutissime praecludi viam omni dubio falsae interpretationis, ne quis putaret Concilium parvipendere vetus Ecclesiae Magisterium, eiusque auctoritatem labefactare.

27

Exc.mus P. D. CLEMENS GADDI

Episcopus Bergomensis

1. Pag. 29, n. 26, lin. 9, post verba « ... in re religiosa sequantur » inserenda essent quae dicuntur pag. 31, n. 29, linn. 8, 9 et 10 quibus addenda essent haec verba: « Ex his oriuntur tum officia tum iura circa vitam religiosam colendam sive homines singuli considerentur, sive in societate coniuncti ».

Integer n. 26 ergo ita esset legendus: « Homines ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati... in re religiosa sequantur.

Huius autem vocationis seu integrae necessitudinis ad Deum norma est lex divina, quae aeterna est, obiectiva, absoluta, universalis. Unusquisque ergo tenetur ad hanc Dei ordinationem omni studio recte cognoscendam ut se libere ei conformare valeat.

Ex his oriuntur tum officia tum iura circa vitam religiosam colendam sive homines singuli considerentur, sive in societate coniuncti.

Per libertatem religiosam enim homo a Dei potestate nullo modo emancipatus est... in qua religione Deo servire velit.

Ex hoc officio oritur etiam Ius ad libertatem religiosam in societate vi cuius homines... libere et integre respondere possint.

His prae oculis habitis... ».

2. Pag. 29, n. 27, ante « Ecclesia catholica... » lin. 26 inserenda essent haec vel similia verba: « Ecclesia catholica humili at firmo et constanti animo profitetur veram salutis viam quam Deus hominibus paravit omnibus et Iesus Christus manifestavit, in seipsa inveniri, atque omnes homines ad hanc ingrediendam vocari et gratia Dei adiuvari.

Hanc ob causam, ut divino obtemperet mandato... ».

3. Pag. 30, n. 28 praemittenda essent haec verba vel similia: « Pari fortitudine Ecclesia declarat fidem catholicam liberam esse adhaesionem veritati divinae a se propositae, iuxta uniuscuiusque iudicium conscientiae, et gratia Dei illuminatae et adiutae ».

Huius numeri paragraphi ita essent invertendae ut tertia fiat prima, secunda maneat loco suo, prima denique fiat tertia: hoc ut magis logica sit connectio idearum: ita: « Hinc Ecclesia catholica praecipit... n. 28, linn. 27-33; Haec est ratio cur Ecclesia... n. 28, linn. 21-26; Dum vero discipuli Christi... n. 28, linn. 11-20 ».

28

Exc.mus P. D. SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ

Archiepiscopus Burgensis

Ut circumstantiae suadere videntur, sicuti plures Patres desiderant et iam in aula recitatum est, placet Concilium declarationem facere de iure profitendi aliquam religionem. Multi enim non solum libertate carent, sed mundo sciente, propter fidem persecutionem patiuntur. Gratissimo animo adhaereo omnibus quae ab em.mo card. Ruffini iam dicta fuerunt.

Huiusmodi declaratio fiet aut pro sola Ecclesia catholica aut pro universo genere umano. Quovis in casu Concilium exhibeat oportet quanam auctoritate fundetur ad talem declarationem emittendam. Ut iam approbatum est (in constitutione *de Ecclesia,* cap. III, nn. 21 et 25), episcopi, « ipsius Christi magistri, in eius persona agunt et doctores authentici, seu auctoritate Christi praediti... ex thesauro revelationis nova et vetera proferentes... in Concilio Oecumenico coadunati, pro universa Ecclesia fidei et morum doctores et iudices sunt ». Tota proinde auctoritas Concilii a Christo provenit et in revelatione doctrinaliter innititur.

Iam vero, patet declarationem de iure ad profitendam religionem, prout adest in schemate, non pro sola Ecclesia catholica proponi, sed pro toto genere humano. Igitur aut nomine Christi fit et iuxta doctrinam Revelationis aut inutilis declaratio erit tam pro catholicis quam pro non catholicis. Inutilis pro catholicis, nam non adimplet conditiones requisitas ad verum magisterium. Inutilis pro non catholicis, qui auctoritatem Ecclesiae non agnoscunt. Prout adest, remanebit merum consilium de facili despiciendum.

In nostro schemate « ab Ecclesia catholica vindicatur non tantum libertas opinionis, nec tantum libertas adimplendi ritus propriae religionis, sed verum propriumque ius ad servanda et testanda officia sua privata et publica erga Deum et homines » (n. 29, linn. 22-25). Si autem Ecclesia ius vindicat pro omnibus hominibus, non nisi nomine Christi et iuxta ipsius doctrinam hoc facere potest. Quod probari debet in schemate.

Ideo in plano supernaturali res tangi debet, seu doctrinam revelatam de libertate in reali statu hominis. Nam Magisterium Ecclesiae etiam relate ad ius naturale auctoritative loqui non potest nisi in Revelatione innitatur.

Concilium Christum universo mundo exhibere debet ut Principem libertatis, unitatis ac pacis. Libertas quam Christus hominibus obtinuit non venit definienda mere negative tamquam immunitas a necessitate, sed implicat vinculationem cum Christo, ita ut pro christiano libere vivere nihil aliud sit quam realiter Deo se submittere, ut nova creatura non amplius serviens peccato, diabolo mundo.

A qua realitate supernaturali schema videtur praescindere et hominem fingere videtur iuxta naturalistica placita liberalismi, saepe ab Ecclesia proscripti sub hoc praecise aspectu. Ideo unitatem religiosam a Christo inten-

tam (*Io.* 17, 21) eludit, immo attentare videtur contra factum huius unitatis ubi iam realis est. Haec quidem non sine ingenti sacrificio decursu saeculorum a quibusdam populis fuit obtenta ac, licet perfectibilis, fundatur in agnitione verae fidei, in sincero obsequio Magisterio Ecclesiae. Nonne sanitas morum, vitae familiaris integritas, copia vocationum sacerdotalium, pax interna, criteria altiora, boni communis facilior prosecutio, vota longe maioris partis individuorum expleta, fructus sunt huius unitatis? Perpendite etiam fructus pro universa Ecclesia: ut historice constat, fidelitatis exemplum erga Romanos Pontifices, Ecclesiae defensio adversus inimicos eius (meminisse sufficiat periculum mahometismi ac protestantismi pro tota Europa saec. XVI superatum vi unitatis catholicae unius nationis), aliorum populorum conversio ad fidem eadem vi peracta (ut videri est in America Hispana et in Insulis Philippinis), permanens adiutorium maternale pro nationibus in quibus insufficiens est numerus sacerdotum, florentissima exempla sanctitatis ac purissimae doctrinae.

Haec unitas, a Romanis Pontificibus semper laudata ac vehementer etiam nostris diebus commendata, in schemate absque appellatione condemnari videtur, eo quod paria iura in ordine sociali, etiam in his regionibus, cuilibet religioni concedantur. Iura a fidelibus tot sacrificiis acquisita conculcantur, contra dictata etiam mere democratica. Nam evertenda esset unitas a Christo intenta, quae iam de facto adest in his populis, ut fortasse facilior evadat aliqualis unio plus minusve syncretistica, sparso inter fideles indifferentismo practico contra eorum voluntatem. Ab ipsa doctrina Ecclesiae proveniret eis periculum. Illud quod semper ab Ecclesia optimum est reputatum, repente, principiis naturalisticis et subiectivis evertitur et proscribitur, quasi attentaret contra ius naturae.

Ex alio capite: experientia eorum qui hanc iurium paritatem patiuntur constat indifferentismum et morum corruptionem fructus esse huius situationis, ut expresse fatentur episcopi Statuum Foederatorum Americae anno 1961. Nec mirum, nam ea quae dicuntur de iure ad quamlibet religionem sustinendam et propagandam in societate, si rebus profanis applicentur, ut e. g. politicae, aut oeconomiae, aut medicinae, ab omnibus reiiciuntur ut absurda et valde nociva bono societatis.

Denique, si moderatores rei publicae nationis catholicae, ipso populo postulante, iuxta dictamen conscientiae propriae, credant doctrinam schematis non esse obtemperandum, quid dicendum? Aliunde, cum pro his nationibus unitas religiosa sit conditio sine qua non ad civium pacem et concordiam, grave exurgit problema, si contra dictamen conscientiae et contra bonum commune moderatores agere debeant. Siquidem schema, agens de qualibet religione non vera, non dicit in his nationibus esse *tolerandam,* sed simpliciter verum ius habere etiam ad publicam propagationem, non habita ratione circumstantiarum.

Conclusio. Schema ex integro refundatur, principiis supernaturalibus innixum, et iura fidelium in tuto ponantur.

Quod si schema in linea mere naturali procedat, non a Sancto Oecumenico Concilio Ecclesiae catholicae subsignetur, sed intituletur: « Declaratio Patrum conciliarium de libertate religionem profitendi ».

* * *

Introductio. « Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur », scribebat Hieronymus (*Adversus Iovinianum,* 2, 3: XI, 23, 286). Huiusmodi liberum arbitrium, etiam post peccatum originale non amissum aut extinctum est (Conc. Trid., DENZ. 815, 1555), licet infirmatum fuerit (Conc. Araus. II, DENZ. 186, 383). Apte igitur hoc aevo nostro, in quo nihil tam extollitur ut libertas et ignoranter vel malevole Ecclesia a quibusdam accusatur quasi libertatis inimica, denuo catholicam doctrinam de libertate humana (quam semper, et quidem prima, ipsa tutata est), Concilium proponere debet. Ita vero ut conceptum libertatis humanae non ab adversariis et Ecclesiae et ipsius libertatis mutuetur, sed alienum a pressione circumstantiarum, prout decet Concilium, prae oculis semper habeat illam libertatem « qua Christus nos liberavit » (*Gal.* 4, 31).

a) *Falsum fundamentum schematis.* Et quidem, cum in « Declaratione de libertate religiosa », eius natura describitur (n. 26), falsum fundamentum proponitur, nam ius ad libertatem religiosam hominum in societate fundari non potest in officio obsequendi dictamini conscientiae, absque ulteriori determinatione.

Agitur enim in schemate de exercitio religionis cuiuslibet « privatim et publice », interne et externe. Age vero, ius, quod circa externa versatur fundamentum obiectivum et demonstrabile habere debet, quod non potest esse conscientia, soli Deo nota. Dictamen conscientiae est quid mere subiectivum et internum, de quo « neque Ecclesia » iudicium ferre potest. Evidens enim est, attenta hominum conditione, hac doctrina ansam praeberi quibuslibet aberrationibus in ordine externo sub praetextu dictaminis conscientiae.

b) *Dictamen conscientiae non semper concordat cum obiectiva Dei voluntate.* Gratis supponitur dictamen conscientiae semper voluntatem Creatoris et Salvatoris exprimere. Nam, licet subiective pro individuo rectae conscientiae hoc verum sit, minime vero semper obiective; dictamen enim conscientiae *re* non semper cum mandatis Dei concordat ideoque conscientia *erronea* voluntatem obiectivam Dei exprimere non valet quin Deus seipsum contradicat. Dictamen conscientiae post peccatum originale de facili pervertitur, ut historia religionum comprobat et experientia quotidiana. Quod si dicatur errorem conscientiae in rebus religionem attingentibus saepe inculpabilem esse, tantummodo sequitur subiectiva innocentia apud Deum, minime vero licet talem errorem in ordine externo canonizare tamquam vocem Dei, nam ut ait S. Thomas: « illud quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam » (Quodl. 8, a. 13). Uno verbo: dictamen conscientiae ut vox Dei reputari apud omnes debet tantummodo si conscientia sit recta et vera.

c) *Confusiones quibus schema laborat.* Persona individua vera libertate interna, etiam ad malum, gaudet. Exinde vero minime sequitur ius ad malum. Iuri respondet officium in aliis. Hi vero non nisi *ad mali tolerantiam* teneri possunt « magni alicuius adipiscendi boni aut prohibendi causa mali » (Leo XIII, Denz. 1874, 3176). Proinde ius ad malum peragendum fundamentum obiectivum non habet in conscientia errantis sed in bono communi societatis. Secus confusio admittitur inter libertatem internam eiusque exercitium, quasi omnia quae homo eligere potest bona essent, subintroducta conceptione pelagiana libertatis.

Item frequentissime incidit schema in confusionem ordinis subiectivi et obiectivi, interni et externi. Nam eo quod subiecto vera videatur aliqua religio non sequitur eam re ut talem esse ab aliis agnoscendam, nam ius (ideoque officium) non est nisi ad verum et bonum.

Extollenda quidem est dignitas personae humanae, eam vero non identificare possumus cum dictamine conscientiae. Siquidem, in casu conscientiae erroneae, quaenam dignitas in errore?

Aliunde, si eadem omnino iura concedantur in ordine practico omnibus religionibus (et fortasse etiam irreligionibus), legitime concludetur a pluribus, saltem in praxi, omnes omnino religiones in eodem plano esse, nam iuria aequalia aequales supponunt.

d) *Pessimae sequelae.* Exinde sequitur cautelas appositas linn. 16-20 sensu carere, nam, principio stabilito de iure ad libertatem religiosam etiam publice exercendum secundum dictamen conscientiae, non nisi in ordine mere subiectivo valerent. In praxi certum est hanc doctrinam « conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam » (Denz. 1779, 2979). Scandalum fidelium necessario aderit eo quod par ius agnoscatur veritatem profitentibus ac errantibus, quasi in praxi careat sensu unicam tantum religionem veram esse. Immo, via paratur eversioni omnium religionum. Praeterea, iniusta reputanda esset praxis Ecclesiae omnium temporum in hac re. Inimicis Ecclesiae tantum favere potest, « nam filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt » (*Lc.* 16, 18), et, falso principio libertatis conscientiae innixi, iuxta notissimam methodum eorumdem, quamlibet libertatem tollent.

Proinde schema novum ex integro desideratur, veris principiis innixum, a quo non aliena sit doctrina ac prudentia Sacrae Scripturae nec non totius Ecclesiae traditionis.

29

Exc.mus P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ

Episcopus tit. Sululitanus

[Exhibuit versionem gallicam articuli *Liberté religieuse ou Liberté des consciences,* editi lingua hispanica a Commentariis *Razón y Fe,* n. 796, mense maio 1964].

30

EXC.MUS P. D. RAPHAEL GARCIA Y GARCIA DE CASTRO

Archiepiscopus Granatensis

Textus declarationis prioris de libertate religiosa, Concilio propositus, multa equidem continet quae laude sunt digna. Ea praesertim quae traditionem catholicam servant in re multoties iam a Magisterio Pontificum agitata.

Nunc autem puto breviter observanda quaedam esse, ut textus propositus, menti et intentioni conformetur, quas sive Papa Ioannes XXIII sanctae memoriae, sive Paulus VI, feliciter regnans nobis praefigerunt in indictione Concilii.

Paulus VI ita dicebat in Adhortatione Apostolica *Cum proximus*: « Schemata in breviorem formam redacta iterumque elaborata sunt, hac habita ratione ut potissimum generaliora principia prospiciant, et quaestiones quae ad rem non attinent, omittantur: nam hoc statum fixumque habendum est, Concilium Oecumenicum ad universam Ecclesiam spectare ».

Nunc vero, in textu proposito haec criteria non servantur, nam exstant multa quae, aut inutilia sunt, aut etiam pertinent ad quaestiones disputatas inter theologos, ex exemplo ea quae affert de competentia Potestatis civilis in re religiosa (cf. n. 29, linn. 40-41, et 1-14; n. 30, linn. 4-10; n. 31, linn. 20-23). Eo magis quod in his locis ubi textus agit de competentia Potestatis civilis in re religiosa, potius propendere videtur in opinionem aliquorum theologorum, non satis fundatam, qui in laicismum olim damnatum incidere videntur.

Mea enim humili ratione, ut excessus Totalitarismi in hac re vitentur, minime est necessarium negare rectam, iustam, necessariam atque catholicam doctrinam de relatione Potestatis civilis cum religione, ut optime fuit exposita a Leone XIII. Iam vero textus propositus, in hoc, multum est deficiens.

Ioannes XXIII, in sua prima Allocutione ad Concilium, hoc criterium determinabat, dicens: « Neque opus nostrum, quasi ad finem primarium, eo spectat, ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur ea, quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt, et quae a vobis non ignorari sed in mentibus vestris inhaerere merito putamus.

Etenim, ad huiusmodi tantum disputationes habendas, non opus erat ut Concilium Oecumenicum indiceretur... ».

Iam vero, textus propositus aliqua proponit capita doctrinae quae, non tantum absona Concilii videntur, verum etiam in semetipsis dubia, aut etiam falsa. Ex exemplo:

1. Transitus illegitimus non semel fit, ex ordine subiectivo et individuali, ad ordinem obiectivum et socialem: cf. n. 26, linn. 9-10; n. 29, lin. 26.

2. Non semper fit distinctio necessaria inter conscientiam veram et falsam; utrique concedendo idem omnino ius: cf. n. 26, lin. 8.

3. Libertas individualis, fundata in mera conscientia errante, etsi invincibiliter, ita magnis laudibus extollitur, ut deinde, non nisi difficulter aequilibrium fieri possit ad salvandum ordinem obiectivum auctoritatis et boni communis: cf. n. 29, linn. 29-38.

4. Doctrina de iure propagationis religiosae proponitur, nulla habita ratione utrum religio sit an non vera: cf. n. 30, linn. 38-40 et 1-3. Haec autem ratio procedendi est manifeste contraria Magisterio Pontificum, qui omnes, verum ius tantum concedunt unae religioni verae, catholicae scil. Ecclesiae.

Sed, ne longius quam par est, meus sermo discurrat, dico ultimo quod textus propositus Concilio, tradit doctrinam *de iure conscientiae errantis* manifeste contrariam Magisterio Ecclesiae: Conscientia invincibiliter erronea verum ius habere nequit, quia ordinem obiectivum iustitiae non tenet, etsi hoc fiat inculpabiliter. Unde subiectiva tantum esse potest norma moralis agendi; nunquam vero, norma obiectiva quae verum ius exigeret. Persona, qui in errore invincibili versatur, honorem et reverentiam certo meretur; at verum ius erga alios habere nequeunt.

Ideo semper catholica doctrina tenuit ac tenet, conscientiam erroneam, sive in individuis, sive in societatibus, « tolerari » posse, immo in determinatis circumstantiis, deberi. At numquam potuit affirmare seu concedere verum ius personae, sive societati aliquae erranti. Ideo doctrina catholica tenet semper « *thesim* », neque unquam concedere potest ut « *hypothesis* », quaecumque concipiatur in variis historiae circumstantiis, possit in veram thesim transire.

Haec est doctrina vere catholica ab omnibus Pontificibus asserta: a Leone XIII, a Pio X, Pio XI, Pio XII, Ioanne XXIII.

Unde maxime dolendum est quod textus propositus, hac de re ita loquatur, ut non nisi obscuritatibus et ambagibus sit plenus.

Petimus, igitur, ut textus simpliciori modo redigatur, ea excludendo, non tantum quae contraria doctrinae catholicae videntur, sed quae minus adhuc explorata sunt apud omnes.

31

Exc.mus P. D. IOSEPH GARCIA Y GOLDARAZ

Archiepiscopus Vallisoletanus

1. Ad n. 26. Supposita existentia religionis revelatae, ad quam obiective omnes homines tenentur, natura libertatis religiosae non potest reponi, in omnibus circumstantiis, in iure exercendi, etiam publice, falsam religionem etiam si bona fide teneatur.

2. Ad n. 29. *a*) Locutio « vocatio divina » improprie applicatur omni religioni, etiam falsae, quae potest esse coniuncta, ut aliquando fuit et est, cum praxi immorali et indecora, v. g. cum sacrificiis humanis, cum prosti-

tutione sacra, etc. Potius quam appellare *vocationem divinam* posset vocari motus insitus a Deo in natura humana Ipsum quaerendi sinceriter.

b) Libertas ad falsam religionem propagandam admitti nequit: est enim contra veritatem et contra ius divinum, quod praevalere debet dignitati humanae personae, et contradicit toto tenori revelationis (cf., v. g., *Apoc.* 2, 12 s.).

c) Absurdum est Concilium Ecclesiae catholicae, sua declaratione libertatis religiosae et iuris etiam falsam religionem propagandi, destruat unitatem religiosam catholicam aliquarum Nationum, v. g. Hispaniae, quae unitas ut bonum ideale haberi debet iuxta totum Magisterium Ecclesiae: nam homo obiective tenetur ad veram religionem, et, ubi unitas talis religionis datur, etiam Societas et Status ad illam religionem profitendam obiective tenentur.

Accedit quod, per declarationem libertatis religiosae a Concilio facta in sensu declarationis propositae, bonum unitatis gratis verumdaretur; nam per illam declarationem non obtineretur libertas religiosa in nationibus materialismo atheistico subiectis, nec dispareret discriminatio *racialis* (quae sensum religiosum radicitus habet), nec aliae discriminationes religiosae quae plus minusve dantur in nationibus quae liberae dicuntur, ut Anglia, Hollandia, Helvetia, etc.

Cum circumstantiae unitatis vel pluralitatis religiosae in unaquaque Natione et diversae esse et mutari etiam possent, relinquendum esset iudicio Conferentiarum Episcopalium uniuscuiusque Nationis, a Sancta Sede approbando, determinare limites libertatis vel tolerantiae dissidentibus concedendae.

[*Subsignavit etiam*] Ioseph Bascuñana, ep. Celsonensis.

32

Exc.mus P. D. IOANNES GAY

Episcopus Imae Telluris et Pointapitrensis

Caput *de libertate religiosa,* criteria enuntiat quae modum nostrum agendi regere debent quoad eos, qui religionem profitentur a nostra prorsus differentem.

Numerus vero nonus praesentis capituli in mentem revocat quod christifidelis « in formanda sua conscientia agere non posset ac si Deus Ecclesiae suae auctoritatem doctrinalem non dedisset ». Attamen, nobis videtur quod propositio haec pressius et praecisius determinari posset ita ut ipse christianus apte conciliare valeat principium libertatis personae cum principio reverentiae veritati religiosae debito, ita ut vitetur periculum subiectivismi et indifferentismi.

I. Hisce nostris temporibus accidit ut aliqui christiani principium libertatis religiosae ad terminum extremum admoveant, qui perperam « autono-

mia conscientiae » nuncupatur, et qui sic describi posset: inter Deum et hominem nullus datur intermediarius.

Hac autem in re, nullo modo agitur de quaestionibus libere disputatis, vel de positionibus ex ordine temporali, quas unusquisque iure meritoque prae ceteris eligere posset, dummodo sartum tectum remaneat bonum animarum. Sed hic agitur de praescriptionibus aut monitis a hierarchia vel a Sancta Sede datis quae spectant ad varia problemata peculiaris momenti de quibus dependet saepe salus animarum, vel quae directe aut indirecte ad veritates revelatas referuntur, vel ad principia praecipua in ordine morali.

Nonne haec propagatio apud fideles doctrinarum quae adversantur normis vel disciplinae Ecclesiae aut Hierarchiae, et quae proferuntur nomine sic dictae autonomiae conscientiae, considerari potest tanquam aliqua violatio conscientiarum?

II. Summus Pontifex Ioannes XXIII declaraverat: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est ut et Deum *ad rectam suae conscientiae normam* venerare possit »; si quis innititur hoc textu ad affirmandum quod unusquisque iure pollet propriam vitam confirmandi exigentiis cuiusdam religionis, quam ipse sibi effinxit, tunc aequali modo aestimaret bonum et malum, et eorum realem obiectivitatem negaret; idem esset ac audacter affirmare quod licet unicuique credere id quod sibi placet. Sic intellecta, autonomia conscientiae sane falsa et perniciosa esset.

Pontifices Gregorius XVI et Pius XII conscientias illas condemnaverunt, quae extra legem sese ponunt. Pius XI tamquam absurdum notavit factum animae, quae a Deo creata et redempta, aequalitatem religionum admitteret, relativismum doctrinalem, emancipationem a quavis auctoritate, vel independentiam absolutam conscientiae profiteretur.

III. Pro vero christiano (et utile erat id declarare initio capitis de libertate religiosa) libertas individualis nequaquam tamquam suprema regula vitae consideratur. Qui libertatis cultum usque ad repudiationem cuiusvis disciplinae extolleret, certe merum « fetichismum » profiteretur. Ad rationem humanam quod attinet, tam saepe ab erroribus decepta est, tam saepe inducta est ad veritates ordinis moralis naturalis vel deformandas vel ignorandas, ut auxilio ductoris summopere indigeat.

Numquam ex memoria nostra hoc excidere debet, quod pro christifidelibus datur limitatio certa libertatis, i. e. oboedientia erga Ecclesiam quando nobis authenticum nuntium evangelicum transmittit.

Ut asseruit praeclarus redactor schematis, « antequam libere agat, debet fidelis catholicus inquirere quid de determinato puncto Ecclesia doceat, ut sese Deo per Ecclesiam docenti libere conformare possit ».

Concludendo: utile apparet quod nona paragraphus modo magis explicitur ut melius in lucem ponat quomodo aliqua autonomia conscientiae nihil communis habeat cum vera libertate religiosa quae in schemate propugnatur.

33

EXC.MUS P. D. IOANNES BENIAMINUS GRELLINGER
Episcopus tit. Syenitanus, aux. Sinus Viridis

In lin. 1 alterius paragraphi n. 26, expresse distinguatur inter ius ad agendum et ius exigendi ut quis non impediatur quominus agat et expresse dicatur sermonem esse de hoc altero iure in schemate.

Deinde ponatur quod iam habetur in lin. 1 huius paragraphi: Per libertatem scil. religiosam homo a Dei potestate nullo modo etc.

34

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Parcite mihi si de libertate religiosa, iterum alloqui audeo. Ut audistis, nomine plus quam 70 Patrum loquar. Et ut brevior evadam, ad rem!

1. Non video cur in declaratione, contra stylum Concilii ut ita dicam, Scriptura fere non citetur; forsan Deus est contra libertatem religiosam quam Concilium concedere vult?...

2. Ne confusio oriatur, bonum esset, cito in initio, dicere quid per libertatem religiosam intelligi et quid non intelligi debeat.

Fortasse et ipse titulus esset suffragationi Patrum subiiciendus!

3. Alia esset via sequenda in expositione (« nuova impostazione »), et oportet hominem, non errorem extollere; libertas enim est proprietas hominis et entis rationalis in genere; nec verum nec falsum sunt libertatis subiecta. Immo nec verum nec falsum nos liberos derelinquunt; veritas necessario nos attrahit et falsitas necessario repellit!

4. En practica via sequenda quae esset pro « oecumenismo in genere » valitura:

a) Homo a Deo creatus, ad Deum dirigitur, unde definiri potest « animal religiosum » sub luce finis; et sub hoc respectu homo non est liber (cf. atheismum) quia libertas est mediorum et non finis!

b) Quatenus religiosus, etsi veram religionem homo non profiteatur, est omni respectu dignus, nam Deum sincere quaerit (recta conscientia); insuper, et quaevis religio (*et non Iudaismus tantum!*) etiam si falsa, semper aliquid veritatis in se habet, unde sub hac luce, digna est respectu.

c) Ut homo autem possit ad plenam veritatem pervenire, instanter ingredi invitetur in Ecclesiam catholicam (cf. quae in anno elapso scripsi de « aeterno Patris consilio » et de Oecumenismo in adnexo libello).

5. Ita videtur fecisse Iesus Christus, magister noster, nam:

a) veritatem dixit clare exponendo: 1. quid vellet (« veni ut... »); 2. quid non vellet (« non veni solvere... pacem mittere... »).

b) Hominem ubicumque quaesivit et ut Pastor bonus errantem ovem humeris suis imposuit (l'uomo è al centro della sua attività).

c) Falsitati nullum ius cessit sed multoties ipsam nudavit (smascherò) et omnes ad veritatem in suam Ecclesiam vocavit.

6. Si declaratio nostra ita non exponitur, non videtur modus componendi pacifice declarationem nostram cum actione missionali Ecclesiae.

7. Tandem aliquando, Patres auditi in aula contra redactionem declarationis loquentes fuerunt numero et pondere numerosiores.

35

EXC.MUS P. D. IOSEPH GUERRA CAMPOS

Episcopus tit. Mutiensis, aux. Matritensis

Propono ut tollatur illa *species contradictionis,* quam forsan multi legentes percipient, inter duas series affirmationum quae sequuntur:

A) N. 29, pag. 30, lin. 39 et pag. 31, linn. 1-2: « Vocatio divina, quae homini iter ad Deum... aperit atque praescribit, *maximam revera personae humanae dignitatem* constituit. Quapropter in sociali convictu libertas sequendi hanc vocationem *sine ulla* imposita... coactione... verum strictumque ius... ».

Pag. 31, linn. 15-20: « Qui conscientiae suae sincere oboedit, ipsi Deo... oboedit. Si... in erroneam interpretationem incidat, nullus homo... ius habet illum inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen ». (Scil.: qui sincere sequitur dictamen conscientiae, sequitur vocationem Dei, et hoc est maxima dignitas personae).

B) N. 29, pag. 31, linn. 30-31: « Exercitium... limitatum est et eam mensuram excedere non potest sine qua nec *dignitas* essentialis personae humanae illaesa maneret... ». *Ibid.,* linn. 38-39: « Si in sensus religiosi manifestationibus usus inveniantur perversi, qui *personae dignitati* et iuribus aliorum... noceant, populorum rectores... iis *obstent oportet* ».

Limitatio propter iura aliorum bene intelligitur. Limitatio propter *dignitatem personae* — si haec est, ut saltem in textu innuitur, ipsa persona sincere errans — contradiceret iis quae sub *A*) dicta sunt. Pro hac persona sequi dictamen conscientiae suae constituit maximam dignitatem. Quo pacto potest ab extra impediri, nomine dignitatis, nisi auctoritas externa imponat criterium *obiectivum* circa dignitatem, quod esset contra intentionem schematis?

Notandum insuper est hic tribui reipublicae capacitatem iudicandi in re intime connexa cum ordine religioso, cum ipsa respublica inepta dicatur in n. 31, pag. 33, lin. 21.

Tandem: ius, quod a rectoribus populorum omnino agnoscendum est, videtur fundatum in eo quod aliquis « conscientiae suae *sincere* oboedit ». Obscura remanet relatio inter sinceritatem in ordine conscientiae et ius in ordine sociali atque iuridico. An rectores populorum iudices erunt *de sinceritate?* nonne sic in discrimen inducitur ipsa libertas?

36

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE

Episcopus Flaviobrigensis

Ad multorum animos pacandos in hac quaestione gravissima de libertate religiosa, hoc crederem opportunum quoad finem capitis haec vel similis paragraphus adderetur: « Cum hoc decreto Sacrum Concilium non intendit ullo modo derogare traditionalem Ecclesiae doctrinam, illam particularem populo christiano a praeclaro Pontifice Leone XIII propositam in suis Encyclicis *Libertas* et *Immortale Dei.*

37

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS MATTHAEUS HANNAN

Episcopus tit. Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis

Humili sententia mea videtur prima phrasis par. 26 sic emendanda esse: « Homines ad imaginem Dei formati *praediti sunt libertate tum personali tum sociali* et ad consortium divinae naturae vocati... ». Rationes autem sic sonant:

1. Additis his verbis (« praediti sunt libertate tum personali tum sociali ») prima illa phrasis magis logice cohaereret cum conclusione paragraphi atque totum argumentum huius declarationis melius fundaretur. Insuper, haec prima paragraphus ita melius cum ultima colligaretur.

Ecclesiae enim interest libertas singulorum hominum, ius fundamentale libertatis religiosae. Uti patet, homines ad Deo serviendum duci nequeunt nisi libertas eorum agnoscatur. Ecclesiae vindicandum est eorum ius ad libertatem tamquam dotem a Deo datam.

2. Status hodiernus societatis humanae etiam poscit ut verba citata addantur. Sane omnes excultae ad humanitatem gentes magni faciunt singulorum hominum ius ad libertatem, praesertim ad libertatem religiosam tamquam dotem a Deo datam. Hinc magna ex parte societas adoptavit rationem regiminis cum primaria lege reipublicae congruentis (constitutional government) ut hominum libertatem aliaque iura tueatur. Haec tendentia de die in diem crescit fere ubique terrarum in sic dicto « mundo libero ». Pius XII (felicis recordationis) in nuntio radiophonico in Nativitate Domini anno 1944 dato dixit populum petere rationem regiminis quae melius conformetur dignitati ac libertati civium. Ioannes XXIII (piae memoriae) hanc veritatem clare exposuit in litteris encyclicis *Pacem in Terris,* cum assereret, « At hae, de quibus diximus, animorum appetitiones illud etiam manifesto testantur, nostro hoc tempore homines magis magisque fieri dignitatis suae conscios atque adeo incitari cum ad reipublicae administrationem

participandum, tum ad poscendum, ut propria inviolabiliaque iura in publicae civitatis disciplina serventur. Neque haec satis: nam homines nunc illud insuper poscunt ut nempe civitatis auctoritates et ad normam publicae constitutionis creentur, et sua munera intra eiusdem terminos obeant ».

Ad libertatem suam custodiendam homines nostri temporis tres conceptus fundamentales efformaverunt qui determinant rationem regiminis cum primaria reipublicae lege congruentis, scil., conceptum civis, conceptum civitatis, conceptum auctoritatis reipublicae.

a) *Conceptus civis.* Civis non iam passivus est vel subiectum principi, sicuti erat tempore praeterito. Nunc vero civis, iuribus praeditus, est centrum status, est ratio cur status constituatur, uti asseruit Pius XII in nuntio radiophonico iam laudato cum diceret hominem liberum, officiis obstrictum et iuribus inviolabilibus praeditum, esse originem et finem societatis humanae. Civis est qui praesidem reipublicae et legatos populares legibus ferendis eligit, atque civis est qui eos suffragio suo vel in munere sustentat vel a munere removet.

b) *Conceptus status.* Auctoritas publica etiam habetur instrumentum quo iura civis ad normam primariae reipublicae legis proteguntur. Pius XII hoc quoque docuit in nuntio radiophonico die 1 iunii anni 1941 dato: « Servare iura inviolabilia homini propria necnon curare ut omnes facilius muneribus suis fungantur — haec sunt praecipua officia potestatis publicae. Hic modus cogitandi de auctoritate publica bene innuitur illo nomine quo supremus officialis exsecutivus in civitate appellatur, nempe, praeses, ille qui praeest, non vero rex aut dux aut imperator, nam eligitur a populo ad tempus praefinitum ».

c) *Conceptus auctoritatis publicae.* Societas quae ad normam primariae reipublicae legis ordinatur regiturque adhibet civitatem ad servanda iura singulorum civium praesertim ad servandam libertatem religiosam. Civitas constituitur ut quam maxima libertas civibus detur; civitas autem non putat se posse instituere cives de officiis religiosis in societate ut dicunt « pluralistica ». Civitas ducitur mutabilis; primaria enim eius lex mutari potest si necesse est ad melius protegendam libertatem civium. Civitas existimatur non finis in se sed medium, et iudicatur prout revera efficaciter protegit iura civium singulorum.

Ecclesia oportet sustinere has aspirationes iustas hominum ad libertatem protegendam. Nihil inest his verbis de libertate fundamentali hominis contra systemata illa in illis nationibus in quibus est consensus verus de religione profitenda.

3. Denique his verbis additis, libertas Vicarii Christi in Ecclesia universali regenda et libertas episcoporum in ecclesiis suis regendis firmaretur, etiam apud gubernia illa quae non-christiana sunt. Libertas Romani Pontificis cum episcopos creat, dioeceses erigit, etc. impugnari non posset quia nihil aliud faceret quam exercere ius proprium quod habet, non tantum ex constitutione Ecclesiae sed etiam e iure proprio nativo. Item episcopi a statu

coerceri non possent sed ministerium suum praestare possent sine ulla licentia a statu impetrata. Hic conceptus tandem bene concordaret cum novis paragraphis in schemate de pastorali episcoporum munere in Ecclesia additis, scil. nn. 18 bis et ter (« Episcoporum libertas eorumque cum publicis potestatibus rationes » et « Libertas in episcoporum nominatione »).

38

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. Cluniensis

Ad totam declarationem in genere. Votum: Declaratio de libertate religiosa *expolitione* et aliqua *additione indiget,* iuxta criteria quae infra exponuntur.

Venerabiles Patres et Fratres omnes, liceat mihi circa *declarationem de libertate religiosa,* schemati *de Oecumenismo* annexam, quasdam animadversiones generales indicare.

1. Imprimis, commissioni et redactoribus declarationis libenter volo gratulari et testimonium grati animi reddere propter operosam sollicitudinem, qua textum de novo redegerunt et perfecerunt, iuxta animadversiones quorumdam Patrum conciliarium.

2. Quamvis non paucae obiectiones contra hanc declarationem factae sint (quoad opportunitatem et quoad locum in schemate de Oecumenismo), doctrinam tamen de libertate religiosa, quam Ecclesia tenet, attentis hodiernis adiunctis historicis, valde utile et opportunum iudico definire et declarare. Respondet enim votis plurium Patrum, postulatur a fratribus separatis, atque a populo fideli exspectatur, ita ut videatur afflatus Spiritus Sancti, ad bonum Ecclesiae et totius mundi, Concilium ad haec impellere, iuxta altos divinae Providentiae fines.

3. Sed influxus Spiritus Sancti, qui Concilio speciali gratia assistit, nullo modo nos eximit vel solvit a tenaci labore et sudore, quo inveniamus dicendi modum, formulas et vocabula, quae aptius respondeant divinae voluntati et humanae saluti.

4. Quam ob rem, persuasum est mihi huius capitis redactores desiderare collaborationem et animadversiones Patrum, ut, collatis viribus, illa perfecta formula inveniatur, quam inquirimus.

His rationibus permotis, pauca animadvertere ausus sum, humili, sincera et recta voluntate, circa totam declarationem, ut textus Horatianae limae labore poliatur. Nunc exponam criteria et principia generalia, iuxta quae textum perficiendum esse iudico, et concretas emendationes postea scripto tradam.

A) *Notio libertatis religiosae,* de qua in paragrapho 26 (pag. 29, linn. 6-25), perfectius atque exactius tradatur.

Haec enim est notio fundamentalis totius capitis, a qua pendent ea

omnia quae asseruntur et explicantur. Notio ergo non potest esse nec incompleta nec dubia.

B) *Quoad dicendi modum,* declaratio conciliaris de libertate religiosa exarari debet stylo pastorali et positivo, ita ut omnes ad concordiam invitet. Expungantur ergo locutiones et vocabula quae impetum hostilem, acrem contentionem vel nimiam vehementiam manifestare videntur. Documenta Concilii, suapte natura, aequilibrium veritatis ostendere debent, quae supra omnem passionis humanae influxum vel factionis politicae studium, altius eminet et fulget.

C) *Quoad ambitum declarationis,* sobria et exacta formula invenienda est, quae abstineat a verbis, circumloquiis et explicationibus, quae potius ad determinationes concretas et ultimas pertineant. Concilii enim proprium est nonnisi principia et normas generales tradere. Optimi auctoris est ea omittere et vitare, quae, quamvis sibi cara et iucunda, ad rem necessaria non sint.

D) *Leges continuitatis et progressus* in explicanda doctrina catholica de libertate religiosa, clarius serventur et appareant in schemate, ita ut nemo interpretari possit textum conciliarem eo sensu ut credat Ecclesiam nunc docere principia contraria doctrinae communiter hucusque receptae, quasi Concilium immutare intenderet doctrinam perennem a Magisterio pontificio solemni iterum atque iterum edoctam. Concilium tamen « non nova, sed noviter » de libertate docet; Ecclesia enim, perpetuo vigens et florens, dum fideliter tenet eadem principia doctrinalia a Christo Conditore recepta, ea, decursu temporum et iuxta exigentias hominum, pressius explicat et determinat.

E) *Una cum laudibus libertatis, aperte dicantur limites ipsius.* Magna bona secum affert recta libertas religiosa, tum pro individuo tum pro societate; sed recta libertas propriis finibus includitur et servatur. Iuxta veterem sententiam, oportet « ea facere et illa non omittere », i. e., vindicare libertatem eiusdemque iura, sed non tacere officia et limites quibus temperanda est, ne in licentiam effrenatam veniat.

Vera enim libertas, pro foro interno uniuscuiusque hominis, conscientiam ducem habet et subicitur testimonio eius et legi divinae; sed pro usu externo seu sociali — etiamsi res in ordine mere naturali consideretur — limites libertati ponunt et *bonum commune* societatis et *iura aliorum* civium. In his limitibus determinandis, partem habet legitima auctoritas humana, quae iuxta legem Dei et personae humanae dignitatem, officium habet et omnium iura tuendi et pacem socialem, intra fines proprios societatis, legitime componendi.

Perfecta enim hominum societas in eo consistit, ut recta proportio servetur inter libertatem et auctoritatem atque ex neutra parte abusus admittantur, qui vel libertatem in effrenatam licentiam vertant, vel auctoritatem in tyrannidem mutent (sub quovis regimine, sive monarchico sive oligarchico sive republicano), licet sub specie et nomine democratico se exhiberi studeant.

Conclusio. Textum Declarationis de libertate religiosa omni cum studio consideremus, et, collatis viribus, aliqua corrigentes, aliqua addentes, documentum vere conciliare efficiamus, quod nemini iniuste officiat, nulli deviationi viam sternat, et mundo hodierno aequum, lucidum et iustum verbum dicat de libertate, quod omnium exspectationi respondeat.

Ad pag. 29, linn. 3-4. *Votum*: Omittantur verba « *sereno et pacato animo* » necnon « *conditio omnino necessaria* ». *Rationes*:

a) Sunt verba innecessaria.

b) In mentem lectoris revocabunt disputationes et lites, quas melius erit silentio praeterire. Si pax et concordia et serenus animus commendantur, id revera fit quia opus est acres disputationes, odia et iniurias olim habitas oblivioni mandare.

c) Si initio dicitur declarationem de libertate esse « conditionem omnino necessariam », eo ipso insinuatur alteram ex partibus vel non recte intelligere quid sit libertas conscientiae, vel obstacula praebere quominus praefata libertas existat, agnoscatur et observetur.

d) Satis est dicere declarationem de libertate religiosa esse *necessariam ad conversationem et relationes inter christianos,* ita ut dialogus oecumenica facilior reddatur. Et his positis, nihil amplius dicere oportet. In documento conciliari, quod serenitatem et aequum animum redolere debet, id omne vitandum est quod non modo inutile sit, verum etiam quod indolem prae se ferat disputationis, accusationis vel defensionis pro una vel altera parte.

Conclusio. Paragraphus ita redigatur: « Huius declarationis momentum neminem fugit, qui attendere velit quantum recta libertatis religiosae consideratio ad contactus et relationes instaurandas inter christianos conferat, ut facilior oecumenica dialogus habeatur ».

Ad pag. 29, linn. 7-8. *Votum*: Ita textus reformari posset: « ... *Officium* habent ut secundum *rectum dictamen* conscientiae, voluntatem Creatoris et Salvatoris in rebus religiosis sequantur; hoc officium simul *honorem* constituit, nam Deus homini donum libertatis concessit ut, libere agendo, mereri possit ». *Rationes*:

1. Textus clarior evadit.

2. E contra, textus schematis potius creaturae quam Dei iura videtur extollere.

3. Additur « *rectum* » ut servetur doctrina immo et ipsa verba Ioannis XXIII in Encyclica *Pacem in terris.*

Ad pag. 29, linn. 9-15. *Votum*: Haec paragraphus sequenti modo aptius videtur exaranda: « Inde exoritur ius ad libertatem in societate, vi cuius homines religionem privatim et publice exercere valent, nec *iniusta* coactione ad eam exercendam prohiberi possunt. Haec *vera et digna filiis Dei* libertas postulat ut in humana societate... ». *Rationes*:

1. Tollitur verbum « religiosam », quia innecessarium est, et sensus completus manet ex his quae subsequuntur.

2. Tollitur verbum « suam » in lin. 10, quia citatur textus Encyclicae

Pacem in terris, in qua verbum « suam » non existit: (« Et religionem privatim et publice profiteri »).

3. Adduntur verba « vera et digna filiis Dei », quae respondent menti Ioannis XXIII in textu Encyclicae *Pacem in terris* de quo supra, ubi statim recurrit ad testimonium Leonis XIII in Encyclica *Libertas.*

4. Quia sic sensus patet omnino, dum in schemate confusionem et anxietatem quamdam generat.

5. Tollitur verbum « ullam », quae ad coactionem refertur, et dicitur « iniusta », duabus de causis:

a) Quia verbum « iniusta » respondet genuinae et certae interpretationi traditionali, dum dantur coactiones iustae, v. g., solutio mulctae pecuniariae a lege impositae, vel detentio rei in carcere a legitima auctoritate...

b) Quia si dicitur « ulla coactio », absoluta et omnimoda libertas vindicatur, quod non est verum. Libertas enim exerceri non potest nisi intra limites qui necessario defluunt ex ordinato convictu hominum in societate, v. g., ius ceterorum, ordo publicus, bonum commune, etc., prout asseritur in Declaratione Iurium Humanorum ab O.N.U. et Consilio Europaeo, praeterquam in Encyclica *Pacem in terris.*

Ad pag. 29, linn. 16-21. *Votum*: Addantur verba quae legem continuitatis doctrinalis aperte agnoscant, scil.: « Nomine libertatis religiosae — legem continuitatis et progressus, ut mos est in Ecclesia, prosequentes — nihil significare intendimus quod sit contrarium doctrinae quam Summi Pontifices, pro suo supremo Magisterii officio, hucusque hac de re tradiderunt ». *Rationes*:

1. In loco supradicto (pag. 29, linn. 16-21) quaedam animadvertuntur ut vitentur falsae interpretationes libertatis. Oportet etiam ut falsa suspicio reiciatur quod Concilium doctrinam traditam innovat, contraria docendo.

2. Concilium non nova, sed noviter dicere intendit.

3. Haec additio criterium interpretationis dabit pro tota declaratione.

4. Verba S. P. Pauli VI in Encyclica *Ecclesiam suam.*

5. Via ad praecludendas falsas interpretationes doctrinae conciliaris et errores circa libertatem.

Ad pag. 29, linn. 16-21. *Votum*: Paragrapho, quae supradictis lineis continetur, peto ut praeponantur haec verba, vel alia similia, quae, meo quidem iudicio, omnino necessaria videntur: « Dum loquimur de libertate religiosa — legem continuitatis et legem progressus, ut mos est in Ecclesia, prosequentes — nihil significare intendimus, quod sit contrarium doctrinae quam Summi Pontifices, pro suo supremo Magisterii officio, hucusque hac de re tradiderunt ». *Rationes*:

1. Paragraphus, de qua fit sermo, vult exacte explicare *quid non sit* libertas religiosa, ut vitentur *dubia, falsae interpretationes* et conscientiae anxietates.

Iam vero inter falsas interpretationes vitandas, maxima et funestissima poterit esse illa suspicio vel opinio quod, circa libertatem, *Concilium Vatica-*

num II aliquid innovat vel docet contrarium doctrinae traditionali Ecclesiae, qualiter a solemni Magisterio pontificio sancita fuit, prout necessitas temporum et adiuncta historica postulabant.

Unde recta ratio et experientia pastoralis valde commendant et suadent quod Concilium, palam et expressis verbis, non vereatur talem suspicionem reicere in ipso initio declarationis et non tantum in aliis documentis annexis, qualiter Relator egregie asseruit in secunda Concilii sessione.

2. Sic aperte significatur quod Concilium intendit *non nova sed noviter* dicere, et quod, dum *legem progressus adimplet, legem continuitatis non frangit,* iuxta morem Ecclesiae quem S. Vincentius Lerinensis (iam saec. v) his verbis declarabat: « Ecclesia... omni industria, vetera fideliter sapienterque tractando, si qua antiquitus informata sunt et Patrum fides sevit, ita limare, expolire studet, ut prisca illa caelestis doctrinae dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed *retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem,* ac in suo tantum genere crescant, in eodem scil. dogmate, eodem sensu eademque sententia » (DENZ. 2802).

Hic est modus agendi quem Ecclesia semper tenuit, et tenere etiam debet Concilium in exponenda doctrina de libertate religiosa, quam nostra tempora postulant. Principium enim seu norma agendi non solum in rebus fidei valet, sed etiam pro his quae mutationem pati possunt, ut praeclare dixerat Benedictus XV in Litt. Encycl. *Ad beatissimi apostolorum* (1 nov. 1914; DENZ.-SCHÖN. 3626).

3. Hac praevia affirmatione admissa, cetera quae in declaratione de libertate asseruntur, habebunt certum et firmissimum *criterium interpretationis.* Omnes enim capere poterunt verum declarationis sensum, iuxta mentem Concilii, quando textum declarationis conferant cum doctrina traditionali magisterii pontificii, et quando eumdem interpretentur iuxta principia hucusque ab Ecclesia tradita.

4. Summus Pontifex Paulus VI in praeclara Encyclica *Ecclesiam suam* sic nos adloquitur: « Nonne *Decessores Nostri,* imprimis autem Pius XI et Pius XII, veluti patrimonii loco, nobis praestantissimum *doctrinarum thesaurum reliquerunt,* quibus eo providenter nisi sunt, ut non recondita quadam ratione usi, sed linguae commercio nostri huius temporis proprio, divinas cogitationes cum hominum cogitationibus quodammodo coniungerent? ».

Patrimonium ergo magisterii pontificii nullo modo oblivioni tradamus, quando veram et certam de libertate doctrinam mundo hodierno offerre volumus.

5. Nostra tandem adhaesio traditioni praestita, *omnem viam erroris praecludet,* prout in eadem Encyclica Paulus VI admonet: « Eadem dici possunt de erroribus, quos intra ipsius Ecclesiae fines serpere animadvertimus; quibus quidem ii obnoxii sunt, qui ex parte tantum Ecclesiam eiusque munus cognoscunt, cum divinae revelationis et *magisterii a Christo ipso instituti* rationem, ut par est, non habeant ».

Ut Concilium veram de libertate doctrinam doceat erroresque depellat,

optima ratione vetus Ecclesiae magisterium invocabit, nunc quando novas determinationes doctrinales praebere intendit.

Conclusio. Professio continuitatis doctrinalis quam proponimus, nostra humili opinione, optime compleret obiectum huius paragraphi, in qua dicitur quid non sit libertas religiosa; poneret quasi fundamentum ad rectam intelligentiam totius declarationis, et tutissime praecluderet viam omni dubio vel falsae interpretationi, ne quis putaret Concilium parvipendere vetus Ecclesiae magisterium eiusque auctoritatem labefactare.

Ad pag. 29, linn. 23-24. *Votum*: Rogo ut tollantur verba « *ab omnibus ubique terrarum* ». *Rationes*:

1. Sunt absolute innecessaria et, illis omissis, doctrina eadem permanet.

2. Sensum habent triumphalisticum et auctoritarium, qui omnino improprius est et non respondet stylo pastorali huius Concilii.

Ad pag. 29, lin. 8, pag. 30, lin. 38, pag. 31, lin. 7, pag. 31, lin. 9. *Votum*: *Eodem verbo eumdem conceptum* exprimi oportet. Sed ad voluntatem divinam significandam, in textu legimus synonima verba, nempe: « voluntatem divinam », « ordinationem divinam », « vocationem divinam », « integram necessitudinem hominis ad Deum », « iter ad Deum et ad salutem in Deo assequendam », etc.

Ad confusiones et difficultates interpretationis vitandas, ita ut omnia clarissime appareant in declaratione tanti momenti, rogo ut eadem omnino locutio adhibeatur, i. e., « voluntas Dei », et abstineatur a synonymis et circumlocutionibus impropriis huius documenti.

Ad pag. 30, lin. 11. *Votum*: Tollatur titulus huius paragraphi inter uncos exaratus, scilicet: (Ad amplectendam fidem nemo cogatur) et hoc alio substituatur: (*Christifidelium conversatio cum iis qui fidem catholicam non habent*). *Rationes*:

1. Titulus quem proponimus, verum paragraphi sensum exprimit.

2. Titulus prior potius sequela est quam generale principium.

3. Novus titulus propositus, non tantum totius paragraphi sensum et quidem perfectius indicat, sed etiam aliis de causis praeferendus videtur, cum non habeat litigiosum sensum prioris tituli, qui videtur excogitatus contra catholicos quosdam aggressores alienae libertatis. Hac mutatione admissa, nuntiabitur principium positivum agendi, absque ulla acrimonia, absque ulla insimulatione, sicuti convenit veritati et indoli pastorali, quae par est documenti conciliaris.

Ad pag. 30, linn. 11-12. *Votum*: Omittantur verba « vero » et « in statu viae sunt », et textus ita redigatur: « Discipuli Iesu Christi, cum officio veritatem annuntiandi et defendendi, coniunctam semper et ubique habent obligationem agendi amanter etc. ». *Rationes*:

1. Quia verba « vero » et « in statu viae » sunt innecessaria.

2. Quia obligatio agendi amanter, prudenter et patienter cum homini-

bus qui in errore versantur circa fidem, neminem urget qui non sit *in statu viae*.

Ad pag. 30, linn. 15-16. *Votum*: Omittantur lineae schematis et post verbum « *versantur* », virgula (,) ponatur et sic paragraphus redigatur: « Imitantes modum, humanae naturae aptatum, quo Deus homines sensim ad suum amorem allicit ». *Rationes*:

a) Quia verba « agnoscendos et admittendos » minorem et minus propriam vim significandi habent quam terminus genericus « imitantes », qui re vera indicat ea quae schema indicare et significare intendit.

b) Si pro verbo « suavis » ponitur generice « modum humanae naturae aptatum », sensus clarior, perfectior evadit, nam ita melius insinuantur et revocantur adverbia praecedentia (amanter, prudenter et patienter), quae imperfecte tantum continentur in unico verbo « suavis ».

Ad pag. 30, linn. 17-20. *Votum*: Magis completus et exactus sensus huius paragraphi maneret, si hoc modo redigeretur: « Respiciendum igitur est et ad officia erga Deum et ad officia erga proximum: ad officia erga Deum, quoad verbum vivificans quod praedicandum est; et ad officia erga proximum, quoad iura personae mensuramque gratiae quae a Deo tribuuntur homini, qui ad fidem libere admittendam invitatur ». *Ratio*: Ita sensus perfectior est, clarior et magis consentaneus traditionali modo exponendi hanc doctrinam in Ecclesia.

Ad pag. 30, linn. 24-28. *Votum*: Ita paragraphus melius redigeretur: « Error quidem reiciendus est, veritas praedicanda, intellectus illustrandus. Cavendum tamen erit ne in veritate annuntianda coactio iniusta, etiam indirecta, dari possit; quapropter Ecclesia catholica praescripsit in temporibus anteactis, et etiam praescribit nunc, quod ad amplexandam fidem catholicam nullus invitus cogatur ». *Rationes*:

a) Dicitur « quidem », quia haec paragraphus est continuatio et ampliatio praecedentis.

b) Duae sequentes phrases in unam rediguntur, quia altera est complementum et explicatio alterius.

Ad pag. 30, linn. 32-33. *Votum*: Supprimi oporteret verba « ex una parte », atque « ex altera parte », paragraphum hoc modo conficiendo: « Revelationi divinae adhaerere non potest nisi Pater traxerit eum et rationabile ac liberum Deo praestiterit fidei obsequium ». *Ratio*: Verba « ex una parte » « ex altera parte » nimis partes Dei distinguunt ac separant a partibus hominis in actu fidei, et confusioni ansam praebent vel forsitan falsis aut difficilibus interpretationibus viam parant.

Ad pag. 30, linn. 38-39, et ad pag. 31, linn. 1-10. *Votum*: Textus supradicti paragraphi sic redigatur: *a*) Homo a Deo creatus est atque ad ordinem supernaturalem elevatus, ut adimplens finem propter quem creatus fuit, in Deo inveniat salutem et beatitudinem. Haec Dei voluntas atque ordinatio appellatur vocatio divina.

b) Haec divina vocatio tum maximam hominis dignitatem et unicui-

que proprium bonum ac ius, tum omnium libertatum ac iurium fundamentum et tutelam constituit.

c) Haec divina uniuscuiusque hominis vocatio a ceteris hominibus *tamquam verum strictumque humanae personae ius* habenda et observanda est. Hoc autem ius exigit ac supponit in singulis hominibus libertatem sequendi, servatis servandis, hanc vocationem absque ulla imposita iniusta coactione externa, quae eos a tali iure exercendo prohiberet.

d) Huius autem vocationis norma est voluntas divina, seu lex divina, aeterna, obiectiva, absoluta et universalis. Unusquisque ergo tenetur ad hanc divinam legem omni studio cognoscendam et libenter sequendam.

Rationes: 1. Ita clarior idearum ordo apparet. 2. Exactior verborum sensus redditur. 3. Nonnulla verba tolluntur, quae necessaria non sunt et quamdam confusionem generare possunt, omnino vitandam quando agitur de principio generali explicando. 4. Tota paragraphus clarior evadit et ordo melior statuitur, dum sensus totius paragraphi idem permanet et idem dicit.

Ad pag. 31, lin. 7-10. *Votum*: Addatur in nota alia citatio, desumpta a Leone XIII in Litt. Encycl. *Libertas,* in qua clarius manifestatur natura libertatis sese ad legem divinam conformantis. En eius verba: « Ex quo intelligitur, omnino in aeterna Dei lege normam et regulam positam esse libertatis, nec singulorum dumtaxat hominum sed etiam communitatis et coniunctionis humanae.

Igitur in hominum societate libertas veri nominis non est in eo posita ut agas quod lubet, ex quo magna existeret turba et confusio in oppressionem civitatis evasura, sed in hoc, ut per leges civiles expeditius possis secundum legis aeternae praescripta vivere. Eorum vero qui praesunt non in eo sita libertas est, ut imperare temere et ad libidinem queant, quod pariter flagitiosum esset et cum summa etiam reipublicae pernicie coniunctum, sed humanarum vis legum haec debet esse, ut ab aeterna lege manare intelligantur, nec quicquam sancire quod non in ea, veluti in principio universi iuris, contineantur...

Natura igitur libertatis humanae, quocumque in genere consideretur, tam in personis singulis quam in consociatis, nec minus in iis qui imperant, quam in iis qui parent, necessitatem complectitur obtemperandi summae cuidam aeternaeque rationi, quae nihil est aliud nisi auctoritas iubentis, vetantis Dei. Atque hoc iustissimum in homines imperium Dei tantum abest ut libertatem tollat aut ullo modo diminuat, ut potius tueatur ac perficiat. Suum quippe finem consectari et assequi, omnium naturarum est vera perfectio: supremus autem finis, quo libertas aspirare debet humana, Deus est ». *Ratio*: Textus allatus ex sua ipsius consideratione commendatur.

Ad pag. 31, linn. 11-14. *Votum*: Textus huius paragraphi sic reformari oporteret: « Homo tamen dum his in terris vitam degit, voluntatem Dei obtemperare potest tantummodo prout legem divinam sui ipsius conscientiae dictamine percipit, *ita ut* finem suum ultimum obtinere *nequeat*

nisi, adhibitis mediis naturalibus et supernaturalibus, quae Deus homini obtulit, iudicium conscientiae sibi prudenter *efformet* eiusque dictamen fideliter sequatur ». *Rationes*:

1. Inscribitur « ita ut » initio paragraphi secundae, nam haec non est nisi explanatio praecedentis.

2. Dicitur « mediis supernaturalibus et supernaturalibus » « quae Deus homini obtulit », ut omnis sensus aut sapor naturalisticus et rationalista vitetur, qui notari posset in textu praecedenti.

Ad pag. 31, lin. 15. *Votum scriptum*: Addatur verbum « rectae » et « honeste », hoc modo: « Ideo qui *rectae* conscientiae suae sincere et *honeste* oboedit... ». *Rationes*:

1. Ita sensus exactus et clarior, doctrinae traditionali magis consentaneus, devitat erroneas interpretationes.

2. Quia potest dari aliquando *sinceritas inhonesta,* et tunc homo non oboedit Deo.

Ad pag. 31, linn. 18-20. *Votum*: Sensus huius textus hoc modo compleatur: « Nullus homo nec ulla humana potestas ius habet illum inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen, *salvis semper bono communi* et *ceterorum hominum personalibus iuribus,* etsi proximus *officium habeat* illum amanter et prudenter *in veritatem libere ducendi* ». *Rationes*:

1. Alio modo textus individualismum absolutum redoleret, ita ut fieri non posset humanum consortium nec observarentur individualia iura ceterorum hominum qui in societate vivunt. Exemplo sit casus eorum parentum qui, contra vocem naturae, curam prolis non habent (cf. Encyclica *Divini illius Magistri*), vel « obiectorum conscientiae », qui legum iustarum adimpletionem recusant; neque praeterire fas est hodiernas et plures hominum et morum aberrationes, necnon iura et officia legitima auctoritatis civilis, quae observanda sunt, nam necessario in bonum commune individuorum in societate viventium conspirant, etc.

2. Ultima verba quae proponuntur, opportuna videntur ut non videatur commendari indifferentia erga errantem in concreto.

Ad pag. 31, linn. 21-24. *Votum*: In lin. 21, post verba « ab Ecclesia catholica » addatur « servatis servandis », ita ut paragraphus sic conficiatur: « Cum libertas religiosa elemento essentiali privaretur et inanis evaderet si publice exerceri non posset, ab Ecclesia catholica, *servatis servandis,* vindicatur non tantum libertas opinionis, nec tantum libertas adimplendi ritus propriae religionis... ». *Ratio*: Verba « servatis servandis » sufficienter demonstrant Ecclesiam, dum haec affirmat (quae possunt esse piis auribus offensivae, et turpiter a nonnullis intelligi poterunt quasi nunc Ecclesia laudaret quae olim damnavit), intactam servare traditionalem doctrinam a Summis Pontificibus sancitam, ita ut ea quae nunc affirmantur non contradicant documentis Magisterii pontificii, sed eadem compleant et perficiant, iuxta leges continuitatis et progressus.

His verbis « servatis servandis » implicite indicantur Dei et ceterorum hominum iura, itemque iura communitatis (quae omnia libertas opinionis observare debet). Idem dicendum de libertate cultus, actionis et testimonii, quae in contextu vindicantur.

Ad pag. 31, lin. 27. *Votum*: Mutentur verba « ad totam scilicet vitam suam secundum postulata suae religionis ordinandam », sequenti modo: « ad vitam suam secundum *praescripta* suae religionis ordinandam *intra fines societatis* ». *Rationes*:

1. Principium nimis absolutum statueret atque non necessarium, si Concilium vindicaret ius ad totam vitam ordinandam secundum postulata cuiuscumque religionis. Estne, v. g., verum ius ad vitam socialiter ordinandam polygamice pro iis qui secundum postulata suae religionis polygamiam admittunt? Magisterium Ecclesiae numquam hoc sancivit. Immo Ioannes XXIII in Encyclica *Pacem in terris,* n. 16, loquitur de matrimonio « uno indissolubili ».

2. Pro fine qui in textu intenditur, sufficit nova redactio proposita in hoc voto.

3. Citationes Ioannis XXIII in nota undecima, ad quam paragraphus remittit, *non veniunt ad rem* in sensu in quo assumuntur. Nam schema loquitur de libertate religiosa ab omnibus et *pro omnibus hominibus observanda* (pag. 30, linn. 35-36), exsurgente ex consideratione conscientiae personalis. Citatio autem Ioannis XXIII agit de officio potestatis publicae obiective considerato, indeque *de honestis libertatis finibus.*

Ad pag. 31, linn. 29-41, et pag. 32, linn. 1-13. *Votum*: Nova redactio completa hoc modo proponitur: « Exercitium iurium in re religiosa, propter naturam socialem hominis, eam mensuram excedere non potest, sine qua nec dignitas essentialis personae humanae illaesa maneret, nec revera possibilis esset societas humana, cum homo, utpote libero arbitrio praeditus et sequelis peccati originalis contaminatus, errare potest.

Hac de causa, non modo suapte natura illicitum est horum iurium illimitatum exercitium (quod Summi Pontifices " effrenatam libertatem " appellant), sed etiam legitimae auctoritatis humanae proprium est huiusmodi exercitium temperare in quantum noceat finibus societatis; societas enim id individuis praestare debet, ut eorumdem naturalia iura, a Deo data, sarta tectaque tueatur et summam conditionum ad vitam socialem ducendam praebeat, quibus homo plenius et facilius suam ipsius perfectionem consequi possit.

Si igitur in libertate religiosa exercenda aliquid inordinati fit tum ab individuis singulis tum a consociationibus religiosis, quod dignitati humanae vel legitimis aliorum iuribus clare noceat, populorum rectores secundum prudentiae regulas iis obstare oportet, sicut iustitia postulat, nam reipublicae proprium est non tantum personae humanae iura agnoscere et observare, sed etiam eorum exercitium fovere et ab omni violatione defendere ». *Rationes*:

A) Ita tota tractatio logice et systematice ordinare intendimus.

B) Recensio errorum in quos incidere potest auctoritas humana contra iura personae, omitti debet, meo quidem iudicio, quia: 1) non videtur necessaria et non expedit in superfluis abundare; 2) haec recensio ampla et descriptiva non est propria decreti conciliaris, cum Synodus non nisi principia generalia doctrinae sancire debet; 3) haec norma agendi in aliis schematibus exarandis observata est; hoc schema non debet a norma excipi; 4) ita supprimuntur enumerationes et descriptiones quae indolem quandam condemnatoriam habere possunt, stylo pastorali et positivo huius Concilii non respondentem.

Breviter: si hac nova redactione argumentum perfecte tractatur, si ordine magis logico et systematico proponitur, si vitantur incommoda de quibus supra dictum est; opportunum erit textum schematis refici ad tenorem voti quod proponimus.

Ad pag. 32, linn. 28-29. *Votum*: Verba « quaeque ex ipsorum » ... usque ad « sine qua... » hoc modo reformentur: « Ipsi enim ius habent vivendi in societate, quam *ex ipsorum animi persuasione* libera voluntate elegerunt, quaeque a Deo volita et a Christo fundata est *institutio* sine qua... ». *Rationes*:

1. Prima phrasis, qualiter in schemate invenitur, videtur subiectivismum sapere.

2. Omnino decet ut Concilium affirmet, etiam explicite et *directe,* fundamentum obiectivum Ecclesiae.

3. Initio huius paragraphi dictum est: « Homines ergo qui, *iuxta dictamen conscientiae suae* in Ecclesia catholica fidem suam profiteri volunt... ». Unde non est necessarium ut repetatur fundamentum proximum, scil., dictamen conscientiae.

Ad pag. 32, lin. 38, et pag. 33, linn. 1-3. *Votum*: Haec nova redactio proponitur: « Coetus religiosi, cum, imperante conscientia, officium habeant ut sincere honesteque propagationi seu annuntiationi religionis suae studeant — vitato tamen proselytismo, quippe qui mediis impropriis et inhonestis utatur —, *ius habent, intra praedictos limites, ne ab aliis impediantur* quominus rationes suae religionis *auditoribus libere accedentibus proponant, ut apud ipsos* persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum Communitati adsocient ». *Rationes*:

1. Uti exponitur in schemate, res omnino vera non est, absolute loquendo, nam aequiparantur iura veri et falsi.

2. *Res omnino nova* affirmatur: ius annuntiandi, absque ulla distinctione pro omnibus coetibus religiosis. Numquam hucusque auditum est *principium doctrinale* de iure annuntiandi falsam religionem. Omnis coetus religiosus, iuxta hanc normam, ex eo simpliciter quod sit coetus religiosus, habet ius annuntiandi, absque ulla limitatione.

3. Praeterea, ubi agitur de praecipuo et difficillimo problemate, ex quo maius dissidium venit, nec unus saltem Magisterii documentum adducitur,

dum in aliis facilioribus quaestionibus copiose afferuntur. Inde necessitas urget ut asserta nostra omnino exacta et perpensa, cum distinctionibus et limitationibus fiant, quas postulat veritas, et doctrina traditionalis Ecclesiae.

Ad pag. 33, linn. 4-10. *Votum*: Haec paragraphus corrigenda videtur ut ordinis et veritatis exigentiis plane respondeat: « Cum vero communitates religiosae finem ultimum hominis intendant, numquam a civilibus potestatibus subordinari possunt finibus temporalibus reipublicae. Immo, cum ex positiva Dei ordinatione, civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam possideant ad determinandas vel moderandas relationes civium cum Creatore ac Salvatore suo, tantummodo propitias suppeditare conditiones ad vitam religiosam fovendam possunt et debent, ita ut quo magis id faciant, eo magis societas civilis fruetur bonis quae undequaque proveniunt ex fidelitate hominis erga vocationem suam divinam ». *Rationes*:

1. Nam, quamvis potestates civiles competentia gauderent, coetus tamen religiosi non subordinarentur finibus temporalibus reipublicae.

2. Affirmatio quae legitur in schemate, de incapacitate potestatis civilis, uti exponitur, cum spectet ad omnes homines omnesque nationes (prout in n. 29, pag. 30, linn. 34-37), ansam praebere potest et disputationibus inutilibus et quaestionibus valde confusis. Complexitates politico-religiosas continet, quia affirmatio illa vera est in actuali ordine supernaturali ex fundatione Ecclesiae Christi, indeque viget tantummodo pro potestatibus quae Ecclesiam agnoscunt, non autem viget pro regnis achristianis.

Explicatio ulterior. Quaedam testimonia circa doctrinam traditionalem Ecclesiae.

A) S. THOMAS, *De regimine principum,* I, 14-15: « Non est ergo ultimus finis multitudinis congregatae vivere secundum virtutem, sed per virtuosam vitam pervenire ad fruitionem divinam. Si quidam autem ad hunc finem pervenire possent *virtute humanae naturae,* necesse esset ut ad *officium regis pertineret dirigere homines in hunc finem* ».

B) SUAREZ, cf. *De legibus,* IV, 2 (*Opera omnia,* ed. Fides, V, pp. 331-333); *Defensio fidei,* III, 9 (*Op. omnia* XXIV, p. 249).

C) GELASIUS I PAPA, *De anathematis vinculo* (*ML* 59, 109): « ... Fuerint haec ante adventum Christi ut quidam figuraliter, adhuc autem in carnalibus actionibus constituti, pariter reges existerent et pariter sacerdotes... ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est eumdem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator pontificis nomen imposuit, nec pontifex regale fastigium sibi vindicavit. Quantumvis enim membra ipsius, i. e., veri regis atque pontificis, secundum participationem naturae magnifice utrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur, ut simul regale genus et sacerdotale subsistant; attamen Christus, memor fragilitatis humanae, quod suorum saluti congrueret dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ... ut et christiani imperatores pro aeterna

vita pontificibus indigerent, et pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur... ».

D) PIUS PAPA XII, in Nuntio radiophonico ad Natale festum anno 1942 (*A.A.S.*, 35 [1943], p. 13).

Sic intelligitur quomodo tantum post Christum « il existe une histoire des relations entre l'Eglise et l'Etat », quia ante Christum « l'Etat était compétent tant en matière profane que dans le domaine religieux » (Allocutio ad X Congressum Scient. Histor., 7 sept. 1955, *A.A.S.*, 47 [1955], pp. 680-681).

Ad pag. 33, linn. 26-27. *Votum*: Textus sic redigatur: « Diligenter servata libertate religiosa *in societate* ». Et omittatur locutio « sociali ». *Ratio*: Sic vitatur repetitio non necessaria, quia si admittitur « libertas religiosa in societate », haec intelligitur in sensu quo supra definita et explicata fuit, in nn. 29 et 30, ubi res fusius pertractatur.

Ad pag. 34, ad paragraphos quae incipiunt: « Haec porro doctrina... », « His accedit, quod rerum eventus... ». *Votum*:

1. *Supprimantur* quattuor priores lineae paragraphi quae incipit sic: « Haec porro doctrina... », quibus haec redactio substituere posset: « Principium vero huius doctrinae est duplex distinctio, quae ab Ecclesia *temporis decursu clarior facta est,* quaeque a Ioanne XXIII expressius tandem *est affirmata...* ».

2. *Tollantur* ultima verba paragraphi secundae: « Quae utique est in documentis... » usque ad « quam maxime » inclusive.

3. In paragrapho quarta eiusdem pag. 34, *corrigantur* verba « Periculum non iam adest... Novum adest periculum... » et sic vel simili modo redigantur: « Nam etsi periculum ne falsi nominis libertas dignitati humanae iniuriam faciat non ita fortiter adsit sicut olim accidit, novum tamen adest periculum... ». *Rationes*:

Ad primum: *a*) Nimium extollitur *novitas doctrinae,* quae re vera non tam nova est, nam multi Romani Pontifices eamdem doctrinam tenuerunt et tradiderunt de dignitate personae et de eiusdem libertate (cf. verba Leonis XIII, in Litt. Encyclicis *Anno ingressi,* 19 mart. 1902).

b) Etiam multa de libertate docuit Leo XIII, licet simul in unum cum iustitia, caritate et veritate, in Litt. Enc. *Libertas, Immortale Dei,* etc., quamvis certe aliis verbis et alio dicendi modo ac Ioannes XXIII.

c) Aliunde longa explicatio paragraphorum de quibus agimus, *indolem nimis technicam* redolet.

Ad secundum. Verba « Quod utique est in documentis Ecclesiae... » omitti debent ex ratione supra dicta ad primum.

Ad tertium. Emendatio quae indicatur in verbis « Nam etsi periculum ne falsi nominis libertas... etc. », magis placet et verior videtur.

Ad pag. 38, nota 15. *Votum*: Inseratur haec Leonis XIII citatio: « Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque

summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes, quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt » (Litt. Encycl. *Immortale Dei,* n. 3: *A.S.S.,* 18 [1885], pp. 161-180). *Ratio*: Doctrina et verba quae afferuntur ex Ioanne XXIII et Pio XII, generica sunt, dum verba Leonis XIII stricte et specifice applicantur ad rem.

Ad pag. 38, nota 17. *Votum*: Aptissime ad rem haec Pii XII verba insererentur: « È pertanto consolante che in parecchi Paesi, negli odierni dibattiti, gli uomini parlino della coscienza e delle sue esigenze. Essi dimostrano di non aver dimenticato che la vita sociale in tanto si salva dal caos, in quanto si lascia sorreggere da norme assolute e da un fine assoluto... » (Pius XII, Nuntius Radiophonicus ad Natale D. N. anno 1956: *A.A.S.,* 49 [1957], p. 20).

* * *

Anxius ac sollicitus de felici eventu Concilii, ad pedes Sanctitatis Vestrae accedere audeo, ut gravem, mea quidem opinione, quaestionem exponam, quae ad laborem et doctrinam Concilii, eiusque in futurum consectaria spectat. Agitur enim *de auctoritate Magisterii Pontificii.*

Ut rem ordine proponam, *facta* quaedam exponam, eorumdem quas video *causas,* et *solutiones.*

I. *Aliqua facta et animadversiones exponuntur.*

1. Notum quidem omnibus est inter catholicorum agmina nostris diebus non deesse, qui Magisterium Pontificium *ignorare vel silentio premere opportunum credant,* immo et in quibusdam materiis vel adiunctis eius auctoritatem labefactare propensi videantur.

2. Haec autem propensio ad negligendum Magisterium Pontificium aperte manifestata est praesertim in exarandis *documentis de libertate religiosa,* quae discussioni Patrum conciliarium prolata sunt a Secretariatu pro Unione Christianorum; necnon in Relationibus, quibus utraque redactio schematis de libertate in Aulam conciliarem introducta est. Certe quidem Relator maxima cura nisus est ostendere Patribus « legem progressus », quam Concilium sequi debet in hac doctrina exponenda, nullo modo obstare « legi continuitatis » doctrinalis. At rationes quibus nitebatur et interpretationes doctrinae pontificiae quas adducebat, ullo modo nec Patres conciliares nec populum fidelem certiorem facient Concilium, in libertate religiosa vindicanda, principiis doctrinalibus ductum esse, quae *cum principiis hucusque a Magisterio pontificio traditis convenire possint.* Unde omnibus persuasum erit Concilium *non noviter,* uti par est, sed vere *nova* inducere in Magisterium ecclesiasticum, et ita nova, ut doctrinae hucusque traditae contradicant.

Verum est Encyclicam *Ecclesiam suam* aperte manifestare sensum Ecclesiae circa traditionale Magisterium pontificium. Verum etiam est Concilium positiva suffragatione probasse textum cap. III *de Ecclesia* n. 25

(pag. 68, linn. 2-13), qui refertur ad Magisterium non-infallibile Romani Pontificis « in contextu Magisterii totius corporis episcopalis » (cf. Relationem, n. 25, pag. 96, G).

At his non obstantibus, si declaratio de libertate religiosa indolem et stylum quo concepta est conservat, certum et grave gignet obstaculum contra auctoritatem Magisterii pontificii.

3. Prae oculis etiam habendum est factum psychologicum indubium: plures adesse Patres in aula conciliari, qui — licet optimo ingenio et recta voluntate non careant — diversis de causis proni semper sint ad ea omnia accipienda et voto positivo approbanda, quae a Commissionibus conciliaribus perhibeantur, praesertim si schemata post iteratam castigationem proponantur.

4. Quae cum ita sint, magnopere curanda et perpendenda esse oportet, quae in aula discussioni et suffragationi Patrum proponuntur.

Attamen, quamvis libentissime agnoscam laborem et merita et optimam voluntatem Secretariatus pro Unione, cui competit schema de libertate religiosa conficere, persuasum est mihi hunc Secretariatum non posse, nisi convenienter adiuvetur, textum aequum, iustum et vere conciliare conficere, quod ita incedat per viam progressus, ut non declinet a linea continuitatis, quam Ecclesia servare debet in Magisterio supremo exercendo.

II. *Causae indicantur.* Huius difficultatis causa, meo humili iudicio, reponenda est in ipso origine huius Secretariatus pro Unione, qui constitutus est in Commissionem conciliarem sed non satis, ad hoc novum munus exercendum, aptatus est additione novorum membrorum, ut totum harmonicum efficeret, in quo diversae Concilii partes, qua par est proportione, repraesentarentur.

Unde minime mirandum est si Secretariatus schemata concipiat visione, ut ita dicam, partiali, non ecclesiali; idque in rebus gravissimis, in quibus ob mundi hodierni exspectationem, Concilium ut quam maxime requirit animum quavis proclivitate destitutum, ut doctrinam aequam, permanentem et fructiferam doceat.

Qualiter vero nunc res habetur, omnia certe, quae ab hac Commissione aulae conciliari proponantur examinanda, discussione longa, vehementi et nimis laboriosa agitabuntur, ex eo quod non satis sub omni respectu perpensa fuerint in gremio ipsius Commissionis.

Conclusio. Praecipua totius difficultatis causa est Secretariatum pro Unione non ita conformatum esse ab initio ac ceterae Commissiones conciliares, ut muneri sibi postea commisso sufficienter adaequaretur.

III. *Quaedam solutiones proponuntur.* Liceat tandem mihi, collaborandi gratia, humiliter Sanctitati Vestrae quasdam solutionis vias indicare.

a) Cum commissio de Oecumenismo non fuerit ab initio constituta iuxta generales normas in Concilio servatas, alia membra huic Commissioni nunc addantur, quae alias Concilii partes aeque repraesentent, ut schemata magis perpensa in aulam conciliarem proferre valeat.

b) Commissioni theologicae munus et facultas concedatur ut in his schematibus conficiendis pari iure suffragationis interveniat cum Secretariatu pro Unione.

c) Vel textus de libertate religiosa et alia huius generis, quae nunc post animadversiones Patrum novo examini subiciuntur, non proponantur iterum Concilio, quin a Commissione theologica probentur. Et ratio est doctrinam illam de libertate religiosa non esse mere practica, sed principia doctrinalia attingere, quae conformanda sunt Magisterio pontificio; et sub hoc respectu potius ad Commissionem Doctrinalem theologicam quam ad Secretariatum pro Unione pertinet.

Quod si haec ultima solutio Sanctitati Vestrae placeret, certe hoc iubere posset rogatus a Patribus et ne discussio in aula conciliari nimis protraheretur.

Res quidem non facilem habet solutionem, sed prae oculis habenda est tum Patrum conciliarium optima voluntas tum cunctae plebis christianae assidua oratio, quibus Concilium assistitur, et praesertim Vestra suprema et paterna tutela et prudens moderatio, cui Spiritus Sanctus specialissimo modo assistit « ut confirmet Fratres » et Concilium ad felicem eventum ducat.

39

Exc.mus P. D. ANGELUS IOSEPH JELMINI

Episcopus tit. Thermensis, adm. ap. Luganensis

Emendationes ab aliquibus Helvetiae episcopis factae. Cum huius schematis redactores de tam ardua materia emendationes in scriptis cupiunt, subsignati episcopi aliquas humiliter proponunt. Dispositio materiae optima eis videtur. Tantum de his quae in numeris inveniuntur, aliquid dicetur.

Ad n. 25, *Prooemium.* In prooemio duo facienda videntur: scopum ostendere et alicui obiectioni respondere.

1. Triplex finis schematis:

a) ad bonum oecumenismi;

b) ad solemniter declarandum quod Ecclesia non intendit libertatem religiosam proclamare, quando potentia caret et reicere quando potestate gaudet, sed definire eam ut conditionem et actus fidei sine qua nec Ecclesia subsistit et dignitatis personae humanae sine qua nec ordo civilis pacificus remanet. Sic refutaretur iste opportunismus, cuius Ecclesiam accusant;

c) ad ostendendum quod Ecclesia hominum libertatem firmiter defendit in hodierno mundo.

2. Dicatur aliquid de evolutione historica ut ostendatur nullam esse contradictionem in modo agendi Ecclesiae hodie et praeteritis temporibus sicut in aula dixit S. E. R. Gabriel Garrone.

Ad n. 26. Tractetur profundius de fundamento libertatis religiosae quia hic numerus est nexus totius schematis.

Melius definiatur dictamen conscientiae.

Dicatur quod dictamen conscientiae obiectivitatem et subiectivitatem conscientiae simul exigit i. e. non solum sinceritatem sed veritatem. Veritatem dicimus quia conscientia humana definiri nequit nec sine libera inquisitione veritatis nec sine libera adhaesione veritati nec sine obligatione veritatem inquirendi et adhaerendi.

Unde sequitur conscientiae libertatem (quae hodie idem sonat ac conscientiarum libertas) esse proprietatem essentialem cuiuslibet personae humanae qua homo singularis ius naturale et divinum habet et libere veritatem inquirendi eique adhaerendi et libere eam profitendi coram hominibus in pacifico dialogo.

Haec conscientiae libertas in re religiosa libertas religiosa dicitur et haec libertas religiosa omnino declarari debet.

Fundamentum huius libertatis conscientiae simulque libertatis religiosae tripliciter ostenditur:

a) Ex ipsa natura actus moralis. Actus moralis duo elementa inseparabilia continet, unum ex parte rationis scil. veritas obiectiva et immutabilis ordinis moralis seu lex, et alterum ex parte voluntatis scil. deliberatio libera qua illa veritas obiectiva moralis fit *meum* bonum, *mea* mensura, *mea* lex. Conscientiae libertatem recognoscere non est aliud quam essentiam moralitatis recognoscere, i. e. ius seipsum libere determinandi ad veritatem.

b) Ex natura personae humanae quae est sui iuris. Etenim nulli homini et nulli publicae potestati unquam competere potest ius alios homines constringendi ad actum intellectus et voluntatis. « Nemo valet alium ad aliquid intimis animi sensibus efficiendum cogere » ait Ioannes XXIII in *Pacem in terris*.

Ideo uniuscuiusque nostrum est ius ad efformandam libere conscientiam suam.

c) Ex actu fidei, quia nemo credit nisi volens. Ideo lex divina ius naturale confirmat et elevat ad libertatem filiorum Dei qui soli Veritati Primae innituntur.

Concludatur necessitas affirmandi libertatem religiosam pro omni homine, scil. immunitatem a qualibet coactione in profitendo opiniones circa quaestiones ad Deum et ad cultum divinum pertinentes, vel exclusionem coactionis ad quamlibet religionis vel irreligionis formam.

Ad n. 27. Munus Ecclesiae. Hic numerus clarificare deberet illud verbum: veritas liberabit vos, i. e. veritas Verbi Dei.

Ad n. 28. Nemo cogatur ad fidem. Hic numerus sequi deberet e numero praecedenti, ostendendo quod Ecclesia ratione ipsius Evangelii praeconii reprobat leges quae liberum arbitrium et cuiusvis religionis exercitium impedire satagunt, ut clare appareat quod declaratio solemnis Concilii Vaticani II non est aliqua opportunitas.

Ad n. 29. Libertas religiosa in societate. Hic numerus deberet tractare de quaestionibus maximi momenti.

1. De distinctione inter evangelisationem quae soli Ecclesiae incumbit et civilisationem quae est proprius scopus societatis humanae, quia ex hac distinctione multa sequuntur.

2. De bono communi temporali ex quo simul apparet cur religiones valde utiles et quidem necessariae sunt societati civili et cur activitas religiosa in ordine pacifico exerceri et aliquando limitari debet quando scil. inter homines amicitiam graviter impediret et occasionem praeberet utendi homine ut quodam medio (exploitation de l'homme par l'homme).

Ad n. 30. Hic numerus est maximi momenti. Omnino relinquenda videtur terminologia potestatis directae vel indirectae (pag. 33, lin. 4) ut, ansam praebens ad confusionem inter civem et fidelem.

Relationes inter coetus religiosos et civitatem civilem valde melius describuntur per respectum ad conscientiae libertatem.

Dicatur coetus religiosos agere posse in rebus temporalibus mediantibus conscientiis suorum fidelium, et pariter societatem civilem colere Deum mediantibus conscientiis eius civium, ita ut competentia Ecclesiae et competentia Status essentialiter differunt ut societatum perfectae diversarum. Sic unitas vitae fit per ipsam conscientiam personalem et non per confusionem Ecclesiae et Status.

Unde amplius sequitur quod Ecclesia et Status ut societates perfectae in suo ambitu ad invicem coordinantur cum subordinantur eisdem conscientiis sub diverso respectu. Status de religione praedicare potest prout religio ad bonum commune temporale confert, et Ecclesia de Statu praedicare etiam potest prout Status ad libertatem fidei praeparat. Ideo tota quaestio libertatis religiosae ex duobus principiis solvi videtur: unitas conscientiae humanae et christianae et mediatio conscientiae inter Ecclesiam et Statum.

[*Subscripserunt etiam*] Ludovicus Haller, ep. abb. S. Mauritii Agaunensis; Ioannes Vonderach, ep. Curiensis.

40

EXC.MUS P. D. HENRICUS THEOPHILUS KLONOWSKI

Episcopus tit. Daldianus, aux. Scrantonensis

Sancta Mater Ecclesia semper docuit conscientiam esse proximam regulam moralitatis.

Adhaerere alicui religioni secundum propriam conscientiam, etiam non culpabiliter erroneam, cadit sub hac regula moralitatis.

Unde Ecclesia non denegat libertatem religionis secundum propriam conscientiam uniuscuiusque hominis; imo, eam affirmat.

41

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ

Episcopus Sideropolitanus

I. *Propono,* ut non tantum de iure ad libertatem in re religiosa, sed etiam de obligatione ea utendi in hac declaratione tractetur.

1. Bonum et necessarium est, ut Concilium de hac re tam gravi aliquid dicat. Quae in declaratione continentur, certe tum a catholicis cum ab omnibus aliis bonae voluntatis, praeprimis christianis salutantur et a falso proselytismo detinebunt.

2. Sed libertas, praeprimis religiosa, non est tantum donum, ad quod homines ius habent, sed continet etiam obligationem, hoc iure recte utendi. Sicuti iniuria est, ius ad libertatem alicui praepediendi aut hoc iure abutendi, ut multi faciunt, eodem modo peccatum est, hoc iure non utendi. In multis regionibus hodierni mundi libertas religiosa existit, sed proh dolor de eius effectibus parum tantum videre possumus, quia homines hac libertate propter negligentiam aut socordiam non aut non satis utuntur.

Necessarium ergo teneo, ut, forte in n. 31, etiam de hac re, i. e. de obligatione iure libertatis religionis utendi, et omnes invitantur, non tantum ius ad hanc libertatem vindicandi, sed etiam libertate religionis et semper utendi.

II. *Propono* praeterea, ut conceptus libertatis religiosae non arcte sed late sumatur, ne videatur, ibi de rebus stricte religiosis agi, sed de tota vita, quae ex religione emanat.

Quae de hac re in pag. 31, lin. 22 ss., dicuntur, melius iam in primam partem, sub n. 26 ponantur.

42

EXC.MUS P. D. LEO LEMAY

Episcopus tit. Agbiensis, vic. ap. Insularum Salomonicarum Septemtr.

Duplex adest in quaestione nostra modus loquendi:

Primus modus a duobus primis Patribus in aula auditis et a multiplicibus sequacibus adhibitus est sequens: Nos catholici, et nos soli, veram religionem divinitus revelatam colimus; nos catholici, et nos soli, plenitudinem veritatis religiosae possidemus; nos catholici, et nos soli, certitudine et infallibilitate in veritatibus religiosis fruimur. Quae cum ita sint — et de facto ita sunt quia fides nostra catholica haec omnia nos edocet — nos catholici et nos soli ius et obiectivum et subiectivum habemus ad veram et plenam libertatem religiosam sensu in schemate adhibito. Cum veritas sit obiective unica, et cum homo nullum ius obiectivum habeat ad spargendos falsas doctrinas, logice sequitur omnes alias religiones obiective falsas esse et omnes

earum sequaces iure obiectivo ad talem libertatem despoliatos esse. Cum autem hi omnes conscientiam suam etsi erroneam sequi teneantur, iis velimus nolimus quandam libertatem concedere debemus quam tolerantiam religiosam vocare malumus, et hoc ad bonum commune societatis ad vitandum maius malum. En primus modus loquendi.

Secundus modus a tertio et quarto Patribus in aula auditis et ab illis protagonistis schematis nostri quibus opportunitas concessa est loquendi, adhibitus, est sequens: Nos omnes homines ad imaginem et similitudinem Dei creati sumus, cum iuribus ab Ipso Creatore derivatis — quae iura inalienabilia sunt utpote in ipsa natura hominis a Deo inserta; quae iura proindeque sacrosancta sunt et voluntate hominum nullo modo conterenda et supprimenda sunt ne homo ad finem suum ultimum prosequendum impediatur. Inter haec iura praeeminet ius ad Deum verum cognoscendum et libere amandum et serviendum. Qui hoc ius tollit quocumque sub praetextu ipsum Creatorem impugnat. Et sic deinceps ut est modus loquendi ipsius declarationis in schemate exaratae, quae optime ab exc. Carolo Colombo in ultima sessione exposita est. Quid dicendum?

Primus modus ob suam pulcherrimam constructionem scholastico-theologicam facile mentem nostram captivam reddit. Attamen caveamus ne nos in catenis vinciat! Potius, catenas ipsas solvamus et ad pedes deae Logicae abiiciamus. Talis modus loquendi libros in bibliothecis theologicis nostris pullulantes sapit, sed cum pulvere et aere mucido in omnibus bibliothecis inventis. Hic modus loquendi reiiciendus videtur ob sequentes rationes:

1. Pro catholicis fidelibus tantum quodammodo valet; nullo modo pro mundo non-catholico. Syllogismi nostri in praemissis revelatis fundantur, quae praemissae sola fide catholica percipi et accipi possunt. Qui fidem catholicam non habent, ipsas praemissas vehementer negant. Ne ipsi christiani non-catholici syllogismos nostros admittunt; a fortiori non-christiani. Si de facto ego episcopus catholicus totam argumentationem acciperem cum Deus benevolentia sua mihi donum fidei dederit, nullo modo ab aliis fide catholica carentibus exigere possem ut caece et contra sua principia religiosa argumenta nostra acciperent. Fides est et manet donum liberum Dei. Qui hoc donum non habent, praemissas nostras revelatas accipere non possunt, quia numquam praeambula fidei fidem causant. Ne ab eis exigamus quod ipse Deus non exigit.

2. Data prima ratione, clare patet declarationem de libertate religiosa primo modo factam inintelligibilem prorsus et radicitus esse mundo non-catholico in genere. Si totus mundus catholicus esset, pulchra constructio scholastico-theologica nostra forsan doceri posset quamvis ipsa mentem meam non captat et in tali casu esset thesis inutilis. Sed ne obliviscamur factum quod triumphalismum intellectualem nostrum penitus transfigit. In mundo quem nunc Concilium adloqui vult, duo cum dimidio centies milia millium hominum — 2½ billions — loquelam nostram scholastico-theolo-

gicam non intelligunt, immo et reiiciunt. Ad quid declaratio quae ad summum catholicos tantum tangeret?

3. Declaratio primo modo facta nedum fenestras Ecclesiae aperit, quin potius et fenestras et portas Ecclesiae per saecula occludit. Aliis verbis, hic modus loquendi et docendi est regressus ad medium aevum, ad theologiam theoreticam omni contactu realistico cum mundo carentem. Est apologia pro bellis religiosis in nomine Christi pacifici ab omnibus asseclis eius et catholicis et non-catholicis christianis inceptis. Est apologia pro inquisitione et hispanica et italica et gallica et helvetica etc. a catholicis et non-catholicis erecta.

4. Primus modus loquendi et docendi logice ducit ad duplicem modum agendi qui in oculis (naribus) mundi non-catholici hypocrisim, astutiam et insinceritatem sapit. Ubicumque gentium religio catholica in minoritate populi adhuc remanet, Ecclesia mordicitus ad libertatem religiosam appellat; dum e contra ubi nationes catholicae sunt, saepe vel melius quandoque in quibusdam locis paucae guttulae libertatis religiosae non-catholicis conceduntur vel si vultis quaedam micae a mensa nostra cadentes offeruntur — et hoc nomine logicae quia principia nostra nos obligant ad defendendam fidem fidelium contra oppugnationes inimicorum. Logice, et hoc admitto, syllogismi nostri ad talem modum agendi nos ducunt; sed iterum iterumque repeto talem logicam a fidelibus catholicis tantum (et non ab omnibus) accipi posset. Est ipsissima logica qua usi sunt Musulmani ad christianos destruendos. Est ipsissima logica omnium religionum alicuius momenti quae omnes logice propagationem fidei catholicae impedire deberent et ut scimus ex martyribus in Ecclesia multoties impedire conati sunt. Est ipsissima logica adhibita ab illa religione hodierna quae omnem veram religionem reiicit, nempe a communismo atheistico qui et duplicem modum agendi exercet ubicumque terrarum. Est ipsissima logica quae Filium Dei ad Crucem affixit. Quot crimina peracta in nomine istius (logicae!) deae quae Logica vocatur.

Concludo. An, venerabiles Patres, totum mundum alloqui intendamus? Ni fallor, est finis proclamationis nostrae ab ipso S. Pontifice indicatus. Quo in casu, primum modum loquendi ad bibliothecas pulvereas et mucidas praeteriti saeculi restituamus, ne Ecclesiam nostram exponamus ad recriminationes totius mundi non-catholici. Ne Ecclesiam nostram et Christi maculemus in oculis mundi, modum loquendi scholastico-theologicum derelinquamus; sin aliter, coram mundo taceamus, i. e. ne introducamus in schemate nostro modum loquendi inintelligibilem etc.

Cum fiducia, loquelam Ioannis XXIII et praesentis Pontificis adhibeamus ita ut maxima pars humanitatis nuntium nostrum intelligere possit. Nuntium hoc totus mundus et catholicus et non-catholicus anxie exspectat; sed sollicitius adhuc nuntium hoc exspectant fere centies centum millia hominum in captivitate communistica iacentium et gementium. Ne spem illorum fallere audeamus, quod avertat Deus. Fenestras et portas ecclesiae aperiamus

ut omnes homines bonae voluntatis attentius auscultent, et praesertim ut facilius denique Deo volente per donum fidei catholicae per ipsas portas in Ecclesiam ingrediantur.

43

Exc.mus P. D. ANTONIUS LOPEZ AVIÑA

Archiepiscopus Durangensis

Ad n. 26 (Natura libertatis religiosae describitur). « Homines ad imaginem Dei formati et ad consortium divinae naturae vocati... etc. ». Haec verba tam Veteris quam Novi Testamenti citationes sunt. Mihi videtur quam maxime necessarium ut citationes librorum sacrorum aperte ipsisque verbis Sacrae Scripturae ponantur.

Rationes: *a*) ut clare eluceat fundamentum doctrinae nostrae esse scripturisticum; *b*) quia in schema n. 29 haec habentur: « Vocatio enim divina, quae hominem iter ad Deum et ad salutem assequendam aperit atque praescribit, maximam revera personae humanae dignitatem constituit. Quapropter in sociali convictu libertas sequendi hanc vocationem, sine ulla imposita vel impediente coactione cum maximum et unicuique proprium bonum tum aliarum libertatum *fundamentum* ac tutelam constituit ».

Ad n. 26 in secunda parte: « Per libertatem religiosam homo a Dei potestate nullo modo emancipatus est, quasi falsum et verum posset aeque aestimari, vel omni erga Summum Numen obligatione solutus esset... etc. ».

Omnia quae docentur sunt vera quamvis non ab omnibus hominibus admittantur; tamen mihi videtur aliquid maximi momenti deesse scil. obligatio qua homo tenetur veram religionem inquirendi mediis ipsi proportionatis. Talis obligatio nihil aliud est quam inquirere veritatem ita ut *inventa veritate* eam tenetur amplectere.

Unde videtur addendum esse post verbum « velit » lin. 21: immo omnis homo obligatione tenetur inquirere veritatem et veritas inventa eam amplectere; vel alio modo: omnis homo obligatione tenetur veram religionem inquirere et eam amplectere.

Circa n. 30 (Libertas coetuum religiosorum in societate), pag. 32, lin. 38: Ius pariter coetibus religiosis competit ut sincerae honestaeque propagationi seu annuntiationi religionis studeant, vitato tamen « proselytismo quippe qui mediis impropriis et inhonestis utatur ».

Valde periculosum est et practice fere impossibile praesertim in America Latina. *Rationes*:

a) America Latina multiplicibus rationibus ignorantia religiosa laborat; hac de causa fideles nostri non sunt parati ad fidem suam defendendam.

b) Item doctrina de libertate religiosa modo exposito in schemate, portam aperiet et amplissimam ad crudum et immisericordem proselytismum

coetuum religiosorum v. g. protestantium, magno cum damno nostrorum fidelium.

c) Imminet praeterea periculum indifferentismi religiosi fatalibus suis consequentiis omnibus notis.

Unde humiliter propono ut schema saltem in hac parte penitus recognoscatur; et in tota expositione doctrinae prae oculis habeatur non solum principia exponere, sed ita exponere ne ad consequentias funestas perveniamus.

44

Exc.mus P. D. PATRITIUS FRANCISCUS LYONS

Episcopus Saliensis

Ne secus tempus in aula conciliari consumerem, vellem animadversiones quae sequuntur « Secretariatui ad Unitatem Christianorum fovendam » scriptis praesentibus submittere:

1. Nos (Patres conciliares) semper et ubique et ante omnia et sine timore vindicare debemus factum historicum et fundamentale quod sola Ecclesia catholica, utpote a Filio Dei unice fundata, est vera et unica Ecclesia Christi; ideoque quod religio catholica ex eius origine divina unice est religio vera. Itaque, iudicio meo, declaratio nostra emendari deberet ita ut par. 27 sic enuntiaretur: « Ecclesia catholica, *uti vera Ecclesia a Christo Filio Dei fundata,* ut divino obtemperet mandato *eius Fundatoris et Capitis divini*: " Docete omnes gentes... " (etc. usque ad " ...uno ore honorificent... Iesu Christi ") ».

2. Iuxta relationem (in aula lectam) supra nostram declarationem, intelligendum est sermonem in ipsa declaratione esse de iuribus *veris, iuridicis* et quidem in ipso *iure naturali* fundatis.

Uti opinor, esset contra magisterium Ecclesiae catholicae vindicare omnibus coetibus religiosis (uti adhuc in par. 30 in linn. 38 s.) ius verum, iuridicum et in ipso *iure naturali fundatum errores* scil. *in re religiosa seminandi* ac *propagandi* aequo modo ac veritates. Intellegi posset quomodo vindicatio huiusmodi in aliqua declaratione saeculari aut etiam in aliquo articulo in ephemeridibus religiosis « non-professionalibus » vel forsan acatholicis tolerari deberet.

Sed, quod nos, Patres conciliares, uti « collegium apostolorum successorum » et ad instar « oraculi divini » in solemni, dico, documento a Concilio Oecumenico deliberatim et considerate exarato, tale ius vindicare possimus, debeo coram Deo declarare esse mihi rem omnino mirabilem. Praeterea, postea, meo iudicio, de tali vindicatione nos dolere deberemus.

Ideoque, vellem humiliter urgere quod, ne perperam ageremus, *phrasis* in par. cit. 30 a verbis, scil., « *Ius pariter coetibus religiosis competit* » usque ad eius ultima verba, scil., « qua moti... communitati adsocient » a declaratione nostra *deleatur.*

45

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARTENETZ

Episcopus tit. Soldaiensis

Etsi multa laudabilia declarantur in schemate, ipsum tamen laborat quadam gravi omissione. Nihil declaratur in defensionem libertatis religiosae, qui persecutionem patiuntur sub regiminibus atheis-communistis. Si ipsi a nobis obliviscuntur, quomodo poterunt firmiter in fide perseverare? Dein periculum eminet ne ipsa religio extinguatur per oppressionem. Ideo adhaereo his quae proposita sunt ab em.mo D. Francisco König et a rev.mo ac exc.mo D. Smiljan Čekada nempe ut in declaratione *de libertate religiosa* fiat expressa mentio de iniqua persecutione et de necessitate interventus apud organos internationales ad urgendam et consequendam hanc libertatem in territoriis ubi ipsa non viget.

46

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS PHILIPPUS MUGUERZA

Episcopus Novoraniensis

Patres infrascripti reverenter postulant ut schema declarationis *de libertate religiosa* corrigatur et aptetur ad mentem em.mi ac rev.mi D. card. Ritter et exc.mi ac rev.mi D. Parente.

[*Subscripserunt etiam*] Valerianus Arroya, ep. tit. Gomphensis, vic. ap. Requenaensis; José de Jesus Arango, Colombia.

47

EXC.MUS P. D. PATRITIUS LUDOVICUS O'BOYLE

Archiepiscopus Vashingtonensis

Cum ceteris episcopis Statuum Foederatorum, hanc declarationem *de libertate religiosa* gratam habeo et valde accepabilem, eamque in genere approbo. Quamdam emendationem volo proponere, sed animo omnino positivo, ut declaratio clarior et firmior fiat in sensu suo.

Quaestio, quam aggredior, est de norma secundum quam liberum exercitium religionis in societate possit legitime a potestate publica limitari, sive per leges sive per aliam actionem coercitivam. Est quaestio difficilis. Igitur non est mirandum, quod nobis non omni ex parte placent ea quae de hac quaestione dicuntur in declaratione, praesertim n. 29, pag. 31, in linn. 21-40. Rem ex ordine tracto.

Primo, nullum dubium est, quod exercitium religionis in societate quibusdam limitibus quodammodo obnoxium est: neque est dubium, quod hi limites a potestate publica possunt apponi. Nam ius ad libertatem religio-

sam, sicut cetera iura civilia, exercetur in societate civili. Ipsa autem societas seu populus temporalis etiam habet ius ad sese protegendam contra abusus, qui perpetrari possint nomine libertatis religiosae. Pertinet igitur ad potestates publicas hanc protectionem praestare. Actio tamen potestatis publicae non debet esse arbitraria, sed debet fieri secundum leges atque normas, quae in iure constitutionali scripto inscribuntur. Porro in societate hodierna bene ordinata non licet moderatoribus rei publicae has normas constitutionales debent approbari per consensum ipsius populi.

Huiusque, ni fallor, omnia clara sunt. Principia generalia, quae breviter exposui, comprobantur a communi conscientia hominum in hac nostra aetate.

Incipit difficultas quando oritur quaestio, concreta, quaenam est norma quae temporare debet actionem potestatis publicae in limitando exercitio publico religionis. Quattuor puncta facio.

Primo, haec norma non potest esse theologica, scil., veritas vel falsitas religionis, quae exercetur publice. Ratio est, quia nullo modo pertinet ad potestates publicas iudicare de veritate vel falsitate alicuius religionis.

Secundo, haec norma non potest esse ethica seu moralis, scil., veritas vel falsitas, bona fides vel mala fides conscientiae, sive personalis sive collectivae, quae in actum publicum religionis prodit. Ratio iterum est, quia non pertinet ad potestatem publicam inquisitionem facere in conscientiam, ad diudicandum, utrum sit vera an erronea.

Iterum huiusque omnia clara sunt et ab omnibus admissa.

Tertium punctum est magis difficile. Sunt qui dicunt, quod potestas publica potest reprimere quasdam manifestationes religiosas, si hae manifestationes offendunt contra bonum commune societatis. Haec tamen opinio non est probanda. Norma proposita de facto non accipitur, neque a peritis in philosophia politica, neque a peritis in iure civili, neque a communi conscientia hominum. Ratio est, quia negligit duas distinctiones, quae communiter fiunt his nostris diebus.

Prima distinctio est inter societatem et Statum; seu, ut loqui solebat Pius XII, inter totam vitam socialem hominum et ordinationem iuridicam societatis, cui praesunt potestates publicae. Consequenter ad hanc distinctionem sequitur alia distinctio, nempe inter totum bonum commune societatis seu populi et illam limitatam partem boni communis socialis, quae committitur Statui, seu potestatibus publicis, ut protegatur atque promoveatur vi coercitiva legis civilis vel aliis mediis coercitivis.

Haec pars limitata boni communis, quae committitur Statui, communiter vocatur ordo publicus. Et includit tria bona civilia. Primum bonum est politicum, scil., pax publica. Alterum bonum est morale, scil., debita custodia moralitatis publicae, inclusa publica sanitate. Tertium bonum est iuridicum, scil., debita custodia iurium humanorum atque civilium, quae aequaliter debentur omnibus civibus. Haec custodia etiam postulat, ut iura civilia modo pacifico et iusto inter se componantur, quando oriuntur conflictus.

Nunc autem, his distinctionibus factis, potest statui norma pro usu potestatis coercitivae, quae Statui competit, in re religiosa. Est nimirum norma iuridica.

Declaratur hoc modo: potestas publica potest legitime limitare exercitium religionis in societate propter necessarias exigentias ordinis publici secundum triplex eius elementum, politicum, morale, et iuridicum. A. v., exercitium religionis in societate est immune ab interventione coercitiva Status, nisi quaedam manifestatio publica religiosa graviter noceat ordini publico, sive per perturbationem pacis publicae, sive per violationem moralitatis publicae, sive per laesionem iurium aliorum.

Haec norma iuridica generaliter valet pro actione statali, quod spectat ad exercitium omnium iurium civilium in societate. Porro communiter accipitur haec norma his nostris diebus in omni societate bene ordinata — bene ordinata, dico — secundum principia politica et iuridica tradita a Ioanne Papa XXIII in litteris encyclicis, *Pacem in terris.* Ergo statui debet haec norma pro exercitio libertatis religiosae.

Propono igitur, quod declaratio debet emendari in hunc sensum. Ipsum textum emendationis tradam secretariatui.

Pauca addo circa textum declarationis, prout iacet. Tamquam norma pro interventione statali in re religiosa statuitur « finis societatis ». Formula non est exacta; nam societas plures habet fines, non unum. Accedit quod finis Status seu potestatis publicae non sunt coextensivi cum finibus societatis seu populi temporalis. Ergo formula proposita in textu viam aperiret ad fere omnimodam interventionem Status in re religiosa. Porro in textu « finis societatis » explicatur, adducendo descriptionem boni communis datam in litteris encyclicis, *Mater et Magistra.* Exinde tamen oritur confusio periculosa. Etenim, ut iam dixi, ad Statum non pertinet custodia et promotio totius boni communis societatis.

48

Exc.mus P. D. ANGELUS M. OCAMPO BERRIO

Episcopus Tunquensis

Vocibus scientia et auctoritate praeclaris proferentibus in hac aula necessitatem declarationis *de libertate religiosa,* a Concilio faciendae, hoc tempore, mente adhaeremus nos ... episcopi nationum catholicarum in America Latina et aliis ditionibus.

Populis enim oves pascimus ubi unitas religiosa, gratia Spiritus Sancti viget, sine dubio fructus orationis et laborum praedecessorum nostrorum, quos Pater Domini Nostri Iesu Christi propitius audivit quotidie precantes: Pater, serva eos in nomine tuo... ut omnes et semper sint unum.

Hunc thesaurum Concilio libentissime tradimus pretiosum ut sine macula Ecclesia his in locis omnibus appareat. Forsitan fratres nostros aliorum

populorum, divitiis et progressu technico abundantium ope Dei Providentis, demandare intendimus ut et ipsi non tantum parcere velint nostram religiosam unitatem, sed et libertatem nostram agnoscant, iure naturae et bono societatis fundatam, eamdem servandi et confirmandi unitatem, et limitare ne sinant. Iterum atque iterum publice profitemur doctrinam verae libertatis religiosae practicam normam constituere apud populos nostris curis commissos. Pluralitas religiosa huic unitati ullo modo favet.

His praemissis: 1. Nostra facimus optata em.mi card. Ritter dicentis declarationem de libertate religiosa fieri deberet simpliciorem, omnia accidentalia et innecessaria omittendo, quae magis ansam confusioni praebebunt, quam profectum unitati ac paci. Omitti potest, e. g., exhortatio ad apostolatum, n. 29 contenta et alia huiusmodi.

2. Initio declarationis exponatur fundamentum clarum ordinis naturalis doctrinae libertatis religiosae quod sit validum pro omnibus, sive christianis sive non christianis. Mirandum enim est quod clarus relator, dum in relatione protestatur agi in schemate de notione iuridica libertatis religiosae quae fundatur in natura personae humanae, tamen in ipso schemate, n. 26, vocatio ad consortium divinae naturae et obligatio sequendi propriam conscientiam ponitur tamquam fundamentum eiusdem.

Simpliciter ergo dicatur homo qua homo habere libertatem, seu homo, cum natura liber exsistat, ius habere utendi libertate sua in materia religiosa dummodo nihil contra bonum commune aut finem societatis agat.

Quae limitatio addenda videtur ne appareat in solemni documento Concilii ulla contradictio. Quando enim schema sub n. 26, linn. 6-15, rationem profert libertatis religiosae, sc. obligationem conscientiam sequendi, nullam sic admittens limitationem cum agatur de acto interno, sed infra sub n. 28, pag. 31, lin. 33, libertatem clare delimitat cum dicit: « Exercitium limitari non licet nisi in quantum graviter contradicit fini societatis... », quod est actus externus.

Praeterea qui suam exercet religionem forte agit contra dictamen conscientiae, v. g., casus sacerdotis catholici qui propter causam pravam, protestantismum petit. Ergo ratio huius libertatis alia debet esse quam obedientia conscientiae.

Nec ultima ratio in schemate tradita, n. 26, lin. 9, scil. sic homo agendo sequitur voluntatem Dei, valet. Affirmari enim non potest eum sequi voluntatem divinam, seu vocationem divinam, qui vel non adhaeret religioni quam censet esse veram, vel qui adhaeret errori qua errori, vel qui non intendit Deo obedire, vel diffundit errorem societatis finem nocendo.

3. Declarari oportet praeterea ius sacrum et fundamentale quod homo habet libere adhaerendi veritati religiosae, quae una est, et eo modo officium adimplendi viam salutis a Deo provide revelatam et homini propositam ut eam sequatur.

Sic confusionibus via claudetur in defensione et profectu ovium nostrarum, de quibus coram Deo sive sigillatim sive collegialiter, rationem reddi-

turi sumus, quae alio modo facile persuaderentur omnes religiones aequales esse coram Deo et, omnes aptas ad debitum cultum Deo reddendum. Quod indifferentismum dogmaticum sapit, secundum quem Ecclesia Christi non esset omnibus obligatoriam.

4. Eodem modo reprobandum est quod asseritur pag. 32, linn. 3 ss., ubi dicitur: « Pariter haec libertas religiosa offenditur damnatione ad poenas propter rationes religiosas ». Multum enim attendendum est ne doctrina et praxis Ecclesiae in re substantiali damnentur. Ecclesia non potuit docere et agere contra ius naturae. Explicatio quae datur in pag. 34 non potest sustineri: inter id quod ponitur in his lineis et doctrinam Ecclesiae, ut a tempore S. Augustini ad recentes et hodiernos Pontifices tradita est, non est differentia evolutionis et progressus, sed oppositionis et contradictionis. Sic falso dicitur libertatem conscientiae damnatam esse olim quia habebatur deducta a principio indifferentismi; e contrario ipsa damnatur a Pio IX ut principium ex quo indifferentismus sequitur: in Syllabo, propositio 79, damnatur qui negat: « civilem cuiusque cultus libertatem... conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam ».

Alia igitur explicatio seu conciliatio est proponenda, animadvertendo quod finis societatis est bonum commune; bonum autem commune in quibusdam variari potest secundum adiuncta loci et temporis. Ex quo sequi potest quod amplissima libertas religiosa sit temporibus nostris conformis bono communi. Et ita cohaerens et vera manet declaratio: libertas religiosa exerceatur, nisi finis societatis contradicat. Quod exprimi posset verbis Ioannis XXIII: « Homo... iure naturae postulat... ut libere possit... morali ordine communique omnium utilitate servatis opinionem suam declarare etc. ».

5. Tandem necessarium omnino videtur ut a Sacrosancto Concilio dicatur: quidquid dicitur in praesenti declaratione de iure naturali ad religiosam libertatem, hoc etiam pro se valere Ecclesia catholica contendit. Praeterea tamen vindicat ius suum supernaturale religionis a Deo probatae et a Christo constitutae: quo novo titulo libertas plena ei ab omnibus debetur et omnes qui eam agnoscunt ei favere debent.

[*Subsignaverunt etiam*] Augusto Trujillo Arango, ob. de Jericó; J. M. González-Arbeláez, arz. tit. Oxyrynchitanus; Heribertus Correa Yepes, praef. ap. de Mitú; Camillus Crous, vic. ap. Sibunday; José de J. Arango, praef. ap. Guapi; Gregorio Garavito, aux. Villavicencio; Jenaro Artazcor, adm. ap. El Petèn; Alfonso Cuypers, praef. ap. Vichada; Argimiro A. Garcia Rodriguez, vic. ap. Tucupita; Eusebius Septimius Mari, vic. ap. Riohacha; Julio Franco Arango, ob. Duitama; Baltasar Alvarez, ep. Pereiranus; Jesús Martinez Vargas, ob. Armenia; Hector, ep.; José, ob.; Vicente Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; Annibal Muñoz Duque, arz. de N. Pamplona; Bernardo Arango H., ob. Baranca Bermeja; Eloy Tato, ep. tit. Cardicio; H. Lara; Franciscus Ioseph Castro R.; Miguel Angel Garcia A., ob. Jalapa in Guatemala; Luis Rodriguez P., ob. S. Cruz-Bolivia; M. A. Medina, ob. Monteria; Jesús Coronado C., praef. ap. Ariari; Miguel Aurrecoechea, vic. ap. Machiques;

Enrique Vallejo, praef. ap. Tierradentro; José Garcia Villas, ob. San Pedro Sula; Eduardo Boza Masvidal, ob. tit. Vinda; Angel Cuniberti, vic. ap. Florencia; Raul Zambrano C., ob. Facatativá; José Alvarez Macua, prael. Lábrea; Florentino Armas, PN Chota; Gregorio Espiga, vic. ap. Palawan; Alonso Arteaga Yepes, ob. tit. Auzegera; Arturo Duque Villegas, arz. Manizales; Jorge A. Giraldo, ob. Pasto; Paulus Correa León, ep. Cuentensis; Joseph M. Dominguez, ep. Matanzensis; José Joaquín Flórez Hernández, ob Ibagué; Alfonso Uribe, ob. aux. Cartagena; Pedro José Rivera Mejía, ob. Socorro y San Gil; German Villa Gaviria, ob. Baranquilla; Buenaventura Jáuregui, ob. Zipaquirá; Guillermo Escobar V., ob. Antioquia; Luis V. Arroyo, vic. ap. Requena; Luis Trizar, vic. ap. Tumaco.

49

EXC.MUS P. D. GODEFRIDUS OKOYE

Episcopus Portus Harcurtensis

1. There are many things in this chapter which deserve praise, but certain points need to be better explained. For example the phrase " religious freedom " can be misunderstood by Catholics as meaning that Catholics are not bound by the laws of the Church but are free to follow their own whims or even their own vices. Religious liberty can come to be confused with the " Private judgement " of the protestants. Lax Catholics often argue that they are free to go to Mass on Sunday or not. They tend to repudiate the authority of the Church to teach faith and morals. The expression " religious liberty " can confuse the minds of simple and uneducated people. Therefore a very clear explanation of its meaning here is important.

2. Again it should be pointed out that parents are not violating religious liberty (of their children) when they send them to religious schools and when they see to it that they go to Mass regularly and attend the Sacraments.

3. One of the most essential parts of religious liberty is the right of parents to choose religious schools for their children and the corresponding obligation of governments to protect these rights and to make them *possible* of attainment even by giving them grants out of the common tax collected. Without religious education religious liberty is not a reality. The Declaration should spend at least a paragraph on this theme.

4. The present order of the world is a supernatural order. God through his grace has called all men to a supernatural end. The Catholic Church is divinely appointed to preach the true religion. All other religions are false. No other organisation has a right to teach in the name of Christ. Archbishop Parente put this well in his speech in the Aula. I would like to see his plan for the rewriting of the Schema followed.

5. Error should not be propagated. But how far are Catholic Authorities, especially Missionaries in Mission lands, to go in striving to impede

the spread of false religions? A clear statement by this Sacred Synod to guide them is necessary here.

6. A Council declaration of this nature should take world conditions into account. Owing to conditions in Europe and America a declaration which would please non-catholics may be opportune. But in so serious a matter an effort should be made to explain this "new" doctrine in a way that weak minds will not take scandal, and indeed to explain the doctrine to ordinary priests who learnt what seems to be a very different doctrine when they were in the seminaries. Elucidations such as Bishop Lucey gave in the Aula are necessary. Please do not consider only the newspaper and the protestants; consider also our Catholics, the parish priests and their faithful, with whom they are living and whom they are directing every day.

7. Many of the separated Brethren want us to admit that one religion is as good as another. Do not give them reason to believe that this Sacred Synod has made this admission at long last. It is not enough to state the truth; it is necessary to state it in such a way that "he who runs may read"!

8. Every man has a right to worship God after his own lights and conscience both publicly and privately. But the Catholic Church has by divine authority the mandate to preach to all nations. It is the one true Church. If it is the " Vera Ecclesia " then other churches are false. All men are called to become members of the Church; all Catholics are bound to obey the Church. I quite agree that we have to state these truths in such a way as to give no offence to non-catholics; but we must also at the same time see that our Catholics may continue to understand them rightly when the Declaration is published, and that their minds be not thrown into confusion, due to an inordinate desire to be pleasant to non-catholics.

50

Exc.mus P. D. ANTONIUS ONA DE ECHAVE

Episcopus Lucensis in Hispania

Momento maximae transcendentiae quo Sacra Synodus conatur afferre practicam oblationem ardenter desideratam: « ut omnes unum sint », liceat mihi pauca verba breviter et humiliter tradere, orta ex vero ac sincero desiderio perficiendi tractatum *de libertate religiosa,* maxima diligentia praeparatum, mediante quadam simplici sed actuosa additione.

Aestimo fundamentum huius additionis iam inclusum inveniri in ipso schemate: sed peropportunum immo necessarium pariter considero hoc fundamentum debere magis patefieri et expresse confiteri.

Aperte ex schemate deducitur non agi in praesenti occasione de mera declaratione cuiusdam principii — nempe principii libertatis religiosae —: sed de aliqua maiori efficacia, scil.: facere ut memoratum principium con-

stituat efficacem instrumentum et practicum ad consequendum unum ex maioribus fructibus huius Sacri Concilii Oecumenici Vaticani II.

Fundamentum in schemate continetur: Quid aliud possunt significare opportunae et maxima exactitudine praedita verba quibus tractatus habet initium? « Huius declarationis momentum neminem fugit, qui attendere velit, quantum recta libertatis religiosae consideratio conferat ad contactus et relationes sereno et pacato animo instaurandas inter christianos: huiusmodi enim consideratio est conditio omnino necessaria ut dialogus oecumenicus haberi possit ».

Ita est. Sed praecise eadem de causa, etiam est manifestum quod usus huius instrumenti debeat fieri cum invulnerabili unitate criterii, quia ad universalem societatem humanam dirigitur et debet implantari in humanitate valde diversis circumstantiis immersa, quae usque adhuc semper et pro semper apparuerunt, et in futuro exurgent necessario, supposita diversitate conditionum vitae in diversis regionibus et nationibus.

Necessaria mihi videtur manus rectora ac moderatrix quae, in applicatione instrumenti principii libertatis religiosae, sciat consequi in unaquaque regione vel natione opportunam partem summae bonorum spiritualium quae unita ad ceteras partes bonorum, constituat totalem summam bonorum quae praecise intendebatur: quod apprime in schemate enuntiatur: « Pacifica cohabitatio et iusta concordia in familia humana hodie ut cum maxime dari non possunt, nisi ubique terrarum suprema et sanctissima Dei vocatio atque suprema hominum iura et officia ad vitam religiosam libere in societate ducendam observetur ».

De necessitate huius manus rectorae ac moderatricis, mihi videtur loqui cum perfecta eloquentia schema cum dicit (n. 26, lin. 12, pag. 29): « Haec libertas religiosa postulat ut in humana societate conditiones necessariae *promoveantur* in quibus omnes... vocationi divinae libere et integre respondere possint ».

Maximum problema promotionis harum conditionum summa necessitate praeditarum, minime potest remanere ad arbitrium criteriorum individualium, cum tam diversae circumstantiae sint in pariter diversis partibus humanitatis.

Quapropter necessitas unitatis criterii, directionis et moderationis imponitur.

Credo quod omnia perfecte solutionem haberent (et haec est ratio meae humilis interventionis) si schemati *de libertate religiosa,* novum punctum seu numerum adderetur, nempe: Sacra Synodus enixe postulat ut instituatur Organismum Ecclesiasticum Internationale, vel alicui ex existentibus conferatur opportuna commissio moderandi, dirigendi et ad praxim redigendi usum concretum ac praecisum huius instrumenti libertatis religiosae, ut hoc modo debitam applicationem consequatur, attentis peculiaribus exigentiis et circumstantiis uniuscuiusque regionis vel nationis.

Ad hunc finem, singulae conferentiae episcopales nationales, debebunt

cum Organismo Internationale Ecclesiastico relationes instituere ad notas faciendas peculiaritates et adiuncta propria, et consequenter ad recipiendas normas concretas in ordine ad practicam applicationem principii libertatis religiosae; quae normae, cum oboediant unicae normae directrici et unico ritmo, obtinebunt ut singulae nationes afferant ad causam oecumenicam opportuniorem atque efficaciorem actionem.

Hoc modo consequetur securitas unius manus rectorae ac moderatricis in usu et applicatione huius instrumenti libertatis religiosae.

Haec manus erit Summus Pontifex per Organismum Internationale et conferentias episcopales nationales.

Erit Summus Pontifex, quia ad illum pertinet.

Si forte hoc non omnibus mentibus nostris pateret, sufficeret testimonium Leonis XIII (Encyclica *Sapientiae Christianae*): « Dubitari vero salva fide non potest, istius modi regimen animarum Ecclesiae esse assignatum uni, nihil ut in ea sit politicae potestati loci; non enim Caesari, sed Petro claves regni caelorum Iesus Christus commendavit ».

Necessarium non credo ostendere opportunitatem interventi de quo loquimur, quia sapienter schema in diversis locis de his loquitur.

In lin. 16, eiusdem numeri, v. g., dicitur: « per libertatem religiosam homo a Dei potestate nullo modo emancipatus est, quasi falsum et verum possit aeque aestimare ».

Pariter in lin. 38 n. 29, caute loquitur circa usus perversos in manifestationibus sensus religiosi qui personae dignitati et iuribus aliorum noceant.

Sic modus agendi Ecclesiae praeditus esset unitate et consequenti efficacia in duplici aspectu quem magnum problema continet: nempe in fovenda libertate religiosa apta ad faciliorem dialogum oecumenicum reddendum et ad repressionem consequendam, si forte necessarium foret, proselytismi, de quo in schemate dicitur « quippe qui mediis impropriis et inhonestis utatur ».

51

Exc.mus P. D. PAULUS PHILIPPE

Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Emendatio proposita in n. 25. Ne ista declaratio Concilii de libertate religiosa appareat tamquam aliquid novi quod opponitur Documentis Magisterii de iuribus unicae Ecclesiae Dei, peropportunum est dicere initio huius declarationis (n. 25) quod Ecclesia, servata sua doctrina, nunc considerat quaestionem de libertate religiosa sub alio respectu, scil. ex parte iurium personae humanae.

Propono igitur ut haec addantur in n. 25. « Dum enim Ecclesia catholica nec potuit neque potest non affirmare se esse a Deo institutam pro salute omnium hominum, nihilominus ei insimul incumbit officium humanae personae iura proclamandi ac defendendi, quae ad veritatem divinam acci-

piendam a nulla potestate humana cogi potest atque ad rectam normam suae conscientiae religionem profiteri libere valet ».

Emendatio postulata in n. 29, pag. 31, linn. 16-20: loco « Si quis igitur, quantumvis sit conatus recte videre quid Deus in concreto ab ipso petat, in erroneam interpretationem incidat, nullus homo nec ulla humana potestas ius habet illud inducendi ad operandum contra suae conscientiae dictamen », dicatur: « ... aestimandus est, *atque nulla vis ei inferri potest ut contra dictamen suae conscientiae agat* ». *Ratio*: textus schematis perperam intelligi posset ac si nemo posset hominem, qui in errorem incidit, inducere (v. g. doctrina, consiliis, hortationibus) ad mutandum ipsum iudicium erroneum conscientiae.

Emendatio postulata in n. 29, pag. 31, lin. 24: loco « ... sed verum propriumque personae ius ad servanda et testanda officia sua privata et publica erga Deum... », dicatur: « ... sed verum propriumque personae ius *quo libere servet et testetur* officia sua privata et publica erga Deum... ». *Ratio*: quia si agatur de religione obiective falsa, persona non habet simpliciter ius ad eius professionem (ius enim ad errorem non existit!) sed persona *habet praecise ius ad libere* (i. e. sine externo impedimento vel coactione) *profitendam suam religionem,* etsi in errore versetur.

Emendatio postulata in n. 29, pag. 31, linn. 29-30: loco: « Exercitium iurium in re religiosa propter naturam socialem hominis limitatum est et eam mensuram excedere non potest... » supprimantur verba « limitatum est et » et dicatur: « Exercitium iurium in re religiosa propter naturam socialem *hominis eam mensuram* excedere non potest... ». *Ratio*: quia affirmatio schematis (« limitatum est ») est nimis absoluta si agatur de Ecclesia a Deo ipso instituta. Insuper, limites necessariae sufficienter enuntiantur verbis sequentibus: « eam mensuram excedere non potest etc. ».

Emendatio postulata in n. 30, pag. 32, linn. 25-32: textus (linn. 25-32) « Homines ergo ... instrumentis salutis praedita » supprimatur. *Ratio*: quia si agatur de iuribus catholicorum prout agnosci possunt tamquam iura naturalia a guberniis etiam non catholicis, sufficienter provisum est in aliis locis schematis (n. 29, pag. 31, linn. 24-28 et ibid. n. 30, supra, linn. 14-24). Si autem agatur de vero et proprio fundamento iurium catholicorum, textus admitti nequit: nam istud fundamentum non solum consistit in exigentiis personae humanae quae libere valet vivere in Ecclesia, quam « ex animi persuasione » tenet tamquam a Deo volitam, sed principaliter in *ipso iure divino Ecclesiae a Deo fundatae.* Agitur scil. de iure Dei!

Emendatio postulata in n. 30, pag. 33, lin. 4: addatur: « Civiles potestates, *quamvis Deo honorem et cultum publice reddere debeant,* nullam tamen capacitatem et competentiam ad determinandas etc. ... ». *Ratio*: uti patet, aliud est quod potestas civilis Deum publice colat et aliud quod religionem civium determinet vel imponat: hoc est abusus potestatis, illud vero est officium quod Ecclesia docuit (cf. inter alia documenta: Leonis XIII Litt. enc. *Libertas praestantissimum*). Huius autem officii declaratio mentio-

nem hic facere debet, ne Concilium, dum potestati civili ius denegat moderandi religionem, videatur ei imponere speciem neutralismi vel laicismi, aut illa gubernia reprobare quae Deum publico cultu honorant, quin suis civibus ullam coactionem inferant in re religiosa.

52

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN

Episcopus Canariensis

Loqui vellem specialiter de tribus propositionibus quae ibi apponuntur.

1. « Ab Ecclesia catholica vindicatur non tantum libertas opinionis, nec tantum libertas adimplendi ritus propriae religionis, sed *verum et proprium ius* personae... ad totam scil. vitam suam secundum postulata suae religionis ordinandam ... » (n. 29).

2. « Ius pariter coetibus religiosis (falsarum etiam religionum scil.) competit ut sincerae honestaeque propagationi seu annuntiationi religionis studeant » (ibid.).

3. « Illi coetus impediri nequaquam possunt quominus rationes suae religionis proponant, ut apud auditores persuasio religiosa oriatur, qua moti sese libere eorum communitati adsocient » (n. 30).

Agitur evidenter de iure illo quod in n. 29 schema appellavit « *verum strictumque ius* ».

In concreto proinde vertendo, quae in praecedenti generaliter asseverantur:

Sacrosanctum Concilium Vaticanum II per episcopos ex toto orbe terrarum coadunatos, ut successores apostolorum, qui a Iesu Christo, Deo vivo et vero, acceperunt ius praedicandi suam doctrinam (hoc est: *a*) in Deo tres esse personas; *b*) Iesum Christum esse secundam Trinitatis incarnatam ideoque verum Deum; *c*) Ecclesiamque authenticam a Christo fundatam esse Ecclesiam supra Petrum aedificatam, i. e. Romanam; *d*) omnesque hanc doctrinam audientes teneri ipsam credere, ita ut qui non crediderit condemnabitur) *solemniter proclamant* — quoniam omnia iura proprie dicta nonnisi a Deo procedunt — adesse in hoc mundo homines qui a Deo acceperunt *ius proprie et stricte dictum* praedicandi:

a) in Deo nonnisi unam esse personam.

b) Iesum Christum nullatenus esse Deum.

c) Ecclesiam Catholicam Romanam non esse authenticam Christi Ecclesiam, sed falsariam.

Imaginemini enorme scandalum et indignationem fidelium multorum ex nostris dioecesibus, quando, huiusmodi errores audientes, ad episcopum suum recurrant ipsumque audiant exclamantem: « Hi omnes praedicatores et propagatores talium doctrinarum, nihil aliud faciunt quam exercere *ius verum et proprium* quod ad hoc habent, prouti sollemniter declaravit Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum II ».

Et tandem aliquando, si ageretur de doctrina catholica ab universa Ecclesia professa...

Sed adsunt quamplurimi egregii theologi, immo et episcopi qui aliqua, quae in hoc schemate exponuntur, esse directe et diametraliter opposita doctrinae catholicae specialiter a Romanis Pontificibus Pio IX, Leone XIII, Pio X, Pio XI et Pio XII, saepissime declaratae.

Dicebat em.mus card. Bea aliquas praerogativas B. Mariae Virginis quas plurimi Patres conciliares in schemate insertas volebant, votum suum ex testimoniis Ss. Patrum et Romanorum Pontificum confirmantes, nondum sufficienter maturatas, ut in schemate conciliari insererentur.

Suntne sufficienter maturae aliquae asseverationes huius schematis « de libertate Ecclesiae », quae a multis theologis durissimas merentur qualificationes?

Votum igitur meum est ut propositiones schematis enumerantur, omnino de medio tollantur, immo et melius ut totum schema relinquatur donec difficillima haec quaestio « de libertate religiosa » liberetur ab enormibus confusionibus philosophicis, iuridicis et theologicis quibus in praesenti laborat.

53

EXC.MUS P. D. IOSEPH EMMANUEL PIÑA TORRES

Episcopus tit. Milevitanus, aux. Tepicensis

Qua par est reverentia, circa declarationem *de libertate religiosa,* quae sequuntur expono:

1. Leo XIII, in litteris Encyclicis *Immortale Dei* et *Libertas,* haec habet: « Libertas, ut quae virtus est hominem perficiens, debet in eo quod verum sit, quodque bonum, versari: boni autem verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est, quam ipsa rerum natura, incommutabilis. Si mens adsentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali et in corruptelam ambae delabuntur. Quaecumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, *ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum*: *gratia tutelave legum defendere, multo minus* » (*A.S.S.,* in Compendium redacta studio et cura Iosephi Pennacchi et Victorii Piazzesi, p. 172, vol. XVIII).

« *Huiusmodi doctrinae,* quae nec humanae rationi probantur, et plurimum habent in civilem disciplinam momenti, Romani Pontifices decessores Nostri, cum probe intelligerent quid a se postularet apostolicum munus, *impune abire nequaquam passi sunt* » (*ibid.*, p. 173).

« Ex iis autem Pontificum praescriptis illa omnino intelligi necesse est... officia religionis nullo loco numerare, vel *uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus* » (*ibid.*, p. 174).

« Eadem libertas si consideretur in civitatibus, hoc sane vult, nihil esse

quod ullum Deo cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit: *ullum anteferri alteri, sed aequo iure omnes haberi oportere,* nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen. Quae ut recta essent, verum esse oporteret, civilis hominum communitatis officia adversus Deum aut nulla esse, aut impune solvi posse: quod est utrumque aperte falsum ».

« *Vetat igitur iustitia, vetat ratio* atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, *erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis* iura promiscue largiri ».

« *Cum igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est,* quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis, agnoscitur, cum in ea tamquam insignitae notae veritatis appareant. Itaque *hanc, qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur,* si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere » (Enc. *Libertas*: *A.S.S., cit.,* vol. XX, p. 604).

2. Inter errores damnatos a Syllabo, inveniuntur sequentes:

« Aetate hac nostra *non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem,* ceteris quibuscumque cultibus exclusis ».

« Hinc, laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus, *lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus, liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere* ».

« Enimvero, falsum est, *civilem cuiusque cultus libertatem itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi,* conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam ».

« Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitati sese reconciliare et componere » (DENZ.-BANN., sub nn. 1777-1780).

3. Iam vero, declaratio *de libertate religiosa* haec asserit: « Inde exoritur ius ad libertatem religiosam in societate, vi cuius *homines religionem suam privatim et publice* exercere valeant... » (n. 26, pag. 29).

« Quum libertas religiosa elemento essentiali privaretur et inania evaderet, *si publice exerceri non posset,* ab Ecclesia catholica vindicatur non *tantum libertas opinionis, nec tantum libertas adimplendi ritus propriae religionis,* sed verum propriumque personae ius ad servanda et testanda officia sua privata et publica erga Deum... » (n. 29, pag. 31).

« Publicae rei moderatores ex alia parte tenentur ius personae ad libertatem in re religiosa efficaciter tueri ipsumque apte promovere, Reipublicae enim proprium est personae iura non tantum agnoscere et observare, sed etiam *eorum exercitium facilius reddere et impedire quominus* hominibus iura exercentibus difficultates ponantur » (n. 29, pag. 32).

4. Ni fallor, nemo non videt hanc doctrinam Concilii, cum praefata doctrina Syllabi et Leonis XIII, primo ictu componi non posse.

Quod cum ita sit, humiliter opinor aliquam explanationem praeponendam esse declarationi *de libertate religiosa*; ex una parte, ne Concilium Oecu-

menicum Vaticanum II videatur insuper habere traditam Syllabi et Leonis XIII aliorumque Summorum Pontificum doctrinam; ex altera autem parte, ad compescendum scandalum inter catholicos, qui hucusque talibus instructionibus pontificiis per tot annos imbuti penitus fuere.

Posset tale *prooemium* confici quoad substantiam, ex considerationibus quae fiunt in fine declarationis, circa novissima adiuncta familiae humanae hodiernis temporibus. Sed expedit ut *expressa mentio fiat* de praefata Ecclesiae doctrina; hoc modo melius apparebit rectus transitus de una ad alteram sententiam.

[Etiam ut procurator exc.mi P. D. Anastasii Hurtado y Robles, ep. Tepicensis et Emmanuelis Hieronymi Yerena Camarena, ep. tit. Bosetanus].

[*Subscripsit etiam*] Ioseph Lecuona, ep. tit. Vagadensis.

54

Exc.mus P. D. IOSEPH PONT Y GOL

Episcopus Segobricensis-Castellionensis

Introductio (n. 25) minime delenda est, dum declaratio maneat saltem ut appendix decreti *de Oecumenismo.* Ipsa enim praebet adiuncta intra quae continetur declaratio, et eius ambiens ex quo ipsa declaratio directionem essentialem sumit.

Nam statuta connexione inter dialogum oecumenicum et declarationem de libertate religiosa, ipso facto ponitur quaestio non in plano iurium civilium, forsan ex possessione unica veritatis ab Ecclesia catholica, huic advenientium, sed in plano conviventiae humanae, quatenus quilibet dialogus veri nominis exigit ut colloquentes statuantur in eodem plano. Declaratio circa libertatem religiosam est actus quo Ecclesia catholica, in nullo mutata aut negata conscientia possessionis totalis veri a Deo revelati, *ponitur in plano communi* diversarum confessionum aut religionum in ordine civili conviventiae humanae simulque *profert rationes doctrinales huiusmodi actus.*

Unde, prout mihi videtur, introductio haec contineat oportet ut revera pateat sensus civilis coexistentiae sub quo proponitur doctrina de libertate religiosa:

1. Conditiones temporum, quae generaliter exigunt libertatem (ex n. 31, pag. 33, linn. 17-25).

2. Ratio specialis ex necessitate dialogi oecumenici, secundum superius dicta.

Et ne remaneat possibilitas dubii aut pravae intelligentiae eorum quae statuuntur in declaratione, optimum esset praemittere sequentes vel similes animadversiones generales:

a) Ecclesia catholica habet seipsam ut unicam religionem veram, extra quam sciens et volens salvus esse non potest.

b) Doctrina exposita in declaratione attendit tantum ad ius prove-

niens ex personalitate uniuscuiusque hominis relate ad autoresponsabilitatem in re religiosa (ad iustificandum quod non attendatur ad aspectum veritatis, posset poni exemplum casus paralleli de doctrina catholica circa auctoritatem constitutam quae fundetur in principiis doctrinalibus erroneis, utputa liberalismum saeculi elapsi aut communismum actualem, quorum auctoritates obediendae sunt nec tantum tolerandae quoties iubent aliquid intra limites boni communis); unde non possunt haberi prae oculis iura specialia quae possent accidere religioni catholicae propter suam unicam veritatem eo quod tunc declaratio non poneret Ecclesiam in statu dialogi.

c) In tota declaratione supponitur religio, actus vel optio religiosa servans ius naturale et fovens honestatem in genere.

d) In tota declaratione supponitur homo omnibus viribus suis quaerens voluntatem Dei cognoscere et exequi mediis penes eum existentibus, inter quae eminent revelatio divina et magisterium Ecclesiae pro catholico.

His praemissis potest iam procedi ad expositionem doctrinae prout habetur in actuali declaratione, in qua tamen, meo iudicio, sequentia mutanda essent:

N. 26. Optandum ut inciperet verbis ex Vaticano I mutuatis: « Cum homo a Deo tamquam creatore et Domino suo totus dependeat... plenum (revelanti) Deo intellectus et voluntatis obsequium (fide) praestare » tenetur.

Sic obviarentur accusationes indifferentismi contra declarationem prolatae.

Et prosequi posset expositio: « Cum quo connectitur ius... ».

In lin. 11 mutanda videtur expressio « ulla coactione » propterea quod contradicit iis quae dicuntur in n. 29, pag. 31, linn. 38-40.

N. 29, pag. 31, linn. 15-20. Haec conclusio contradicit doctrinae quae inde a linea sequenti exponitur. Nam in linn. 18-20 pervenitur ad enuntiationem absoluti iuris conscientiae, dum e contra ex sequentibus tale ius non apparet — nec revera est — absolutum cum duo servare debeat: legem naturalem fundamentalem (iura Dei et dignitatem hominis) et bonum commune. Unde illa formulatio absoluta delenda est ac substituenda ideis sequentibus: « Ideo societas humana, servatis iuribus Dei, dignitate hominis et bono communi, debet revereri conscientiam, fovere ac facilius reddere eius exercitium, illamque ab omni coactione ac pressione defendere ».

N. 30, pag. 33, linn. 4 ss. Latet anguis! Ex *Divini Illius Magistri* scimus societatem habere *officium* suppletorium parentum in educatione etiam quoad religionem. Cogitetur exempli gratia de pueris expositis, vel de illis quorum parentes non curant de educatione religiosa. Numquid areligiosi crescere debent eo quod « civiles potestates nullam directam capacitatem et competentiam ad determinandas vel moderandas relationes civium cum Creatore ac Salvatore suo possident... »?

Paucis: Puto duo tantum principia iuris naturalis attendenda esse in expositione necessitudinis quae intercedit inter hominem singularem vel collectivem et societatem:

1. Ius primordiale hominis ad viam expeditam in Deum, cui respondet obligatio societatis ad conditiones suppeditandas quibus possibilis ac facilior fiat homini prosecutio viae ad Deum;

2. Ius et officium societatis interveniendi in casibus qui cadunt intra eius functiones: suppletoriam personae (casus orphanorum); tuitivam boni communis.

55

EXC.MUS P. D. MAURITIUS POURCHET

Episcopus S. Flori

Textus propositus in genere placet, et substantialiter servari potest, additis tamen aliquibus ex emendationibus propositis ad perficiendum, et non ad destruendum.

Sed, ut aliquae difficultates et confusiones vitentur, meliori ordine praesentari posset, et hunc novum ordinem exponere intendo.

Ut bene notavit aliquis ex oratoribus in aula die 25, duplicem finem intendit haec declaratio:

1. Ad intra — lumine principiorum supernaturalium, Ecclesia vult munus suum determinare quantum ad libertatem religiosam.

2. Lumine principiorum naturalium ab omnibus admissorum, vult affirmare libertatem religiosam in societate esse servandam.

Et sic, textus declarationis in duas sectiones dividi posset.

Prooemium has duas partes annuntiaret, et sic compleri posset: post verba « inter christianos », adderetur « et inter homines », et post « dialogus oecumenicus haberi possit » adderetur « et ut harmonia inter homines uniuscuiusque societatis servetur ». Et his possent introduci quae dicuntur pag. 29, linn. 22-25.

Sectio prima sic ordinaretur:

1) N. 26, exceptis linn. 9-15 et 22-25.

2) Linn. 6-16 pag. 31.

3) Nn. 27 et 28 exceptis verbis linn. 27-28 pag. 30: « ad iura personae ».

In hac prima sectione melius affirmandum esset officium, pro fidelibus alicuius religionis, et praesertim Ecclesiae catholicae, conscientiam suam efformandi, ratione habita doctrinae huius Ecclesiae.

Sectio secunda. Cum de unaquaque societate agitur, etiam de iis quae non sunt christianae, hic principia poni debent, quae ab omnibus admitti possunt, i. e. principia ordinis naturalis. Resumi possent haec quae ab exc.mo Colombo, die 25 dicta sunt.

Supprimantur linn. 38-39 pag. 30, et pag. 31, lin. 1, verba « humanae dignitatem constituit ». Et sic continuetur « Quapropter libertas religiosa » (et non « sequendi hanc vocationem »).

Pag. 31 supprimuntur linn. 7-20 quae in primam sectionem transferuntur. Et reliquus textus, ut iacet, usque ad finem.

Linn. 9-13, pag. 32, possunt compleri vel perfici linn. 12-16, pag. 29.

In n. 31 adderetur, in loco apto, textus propositus a D. Garrone.

56

REV.MUS P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congr. gallicae O.S.B.

Textus novus schematis in multis melior apparet. Pluribus tamen emendationibus, meo humili iudicio, adhuc indiget, quibus clarior pleniorque doctrina de libertate religiosa fidelibus christianis, ad quos Concilium primo adloquitur, sine ambiguitate proponetur. Sic etiam melius serventur ea quae a Summis Pontificibus saec. XIX et XX in documentis non paucis declarata sunt.

Primo quidem omnino necessaria mihi videtur explicita distinctio inter plenam perfectamque religionis libertatem, illi soli religioni competentem quae ab ipso Deo revelata conditaque fuit et aliam libertatem quae omnium religionum professioni applicari potest. Ad veram religionem profitendam, quivis homo ius plenum et obiectivum possidet coram Deo et coram omnibus hominibus.

Talem libertatem Patres conciliares in favorem Ecclesiae catholicae tacere non possunt quin ipsi veritati huius religionis renuntiare videantur. Huius veritatis reticentia professioni implicitae cuiusdam indifferentismi aequipararetur. Et si una prorsusque eadem libertas pro omnibus religionibus, quaecumque sint, affirmaretur, periculum magnum institueretur nonnullos fideles catholicos inducendi ad indifferentismum practicum quod, sub adspectu pastorali, maximum damnum constitueret.

Libertas quaedam religiosa, omnibus religionibus communis, utique agnoscenda est, dummodo bene definiatur et intra limites debitos retineatur. Sed antea, vera, plena perfectaque libertas, in pleno obiectivoque iure fundata, quae iuxta fidem nostram, soli religioni a Christo institutae competit, primo loco affirmanda est. Quod facillime effici potest si paucissima verba sub n. 26 inscripta auferantur vel mutentur. Omnia enim quae sub nn. 26, 27 et 28 declarantur ad illam perfectam libertatem verae religioni propriam omnino conveniunt dum e contra communi libertati omnibus religionibus competenti non possunt aptari.

Deleantur ergo in lin. 8, pag. 29, verba « secundum dictamen conscientiae », quae subiectivam considerationem afferunt et sic problema de perfecta libertate profitendi veram religionem eludunt. Deinde in lin. 10 eiusdem paginae, loco « religionem suam », ponatur « religionem *a Deo revelatam* » quin ulterius determinetur quaenam sit haec religio. Tandem ultimae lineae eiusdem n. 26 (a linn. scil. 22-24) transferantur initio n. 29,

ubi de libertate religiosa communi loquendum est. Et sic tota doctrina de perfecta libertate verae religionis exposita erit a n. 26 ad n. 28.

A n. 29 (sub fine pag. 30) tantum Sacrum Concilium incipiet loqui de libertate religiosa communi. Ultimae lineae n. 26 hic translatae simul iam traditam doctrinam recolunt et novam considerationem introducunt. Libertas religiosa « ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis observanda », quia etiam circa errores vel mala versari potest, non omnino plena nec absoluta affirmari debet. Quibusdam conditionibus et limitibus subiicienda est quae postea in textu declarabuntur.

A lin. 38, pag. 30, ad lin. 20, pag. 31, textus omittendus mihi videtur propter duas rationes:

1) quia ut « vocationem quamdam divinam » videtur considerare viam ab illis secutam qui religionem quandoque graviter erroneam malaque imperantem, bona fide sequuntur. Mihi videtur saltem dubiam esse talem assertionem. Deus omnes vocat ad veritatem quam ipse omnibus hominibus annuntiavit. Permittit utique aliquorum errorem. Non tamen per hunc errorem eos ad se vocat, sed solum per veritatem partialem et per sinceritatem quae in hac religionis erroneae professione adhuc retinentur. Vocatio Dei ad tale bonum remanet, non tamen habetur vocatio divina ad errorem nec ad malum. Ideoque melius mihi videtur hic de vocatione divina non loquendum esse;

2) quia, etsi formula explicita tacetur, tamen implicite retineri videtur in his lineis argumentum super « iura conscientiae invincibiliter erroneae » fundatum. Quod argumentum, ut minus dicam, valde controversum est et a pluribus non admittitur. Non decet ergo illud a Concilio adhiberi.

Probatio libertatis religiosae communis, de qua nunc agitur, modo simpliciori et clariori fiat, dummodo talis libertas definiatur non ut ius ad errorem profitendum vel ad malum perficiendum, sed ut simplex immunitas ab omni coactione, vel etiam ut ius ad talem immunitatem. Tunc vera huius libertatis probatio sic enuntiari potest: « Actus religiosus (quicumque sit), ut talis, ad illud activitatis humanae genus pertinet, in quo, ipsi agenti se substituere nemini licet ». Et haec videntur sufficere, loco eorum quae omittenda putavimus, ad probandum ius ad libertatem pro actibus religiosis.

In sequentibus eiusdem n. 29 lineis, corrigendae sunt omnes locutiones quibus videntur concedi iura proprie dicta ad exercitium cuiusvis religionis etiam errores et mala imperantis. Huiusmodi emendationes secretariae generali tradam.

Pauca addam de potestatis publicae interventione in re religiosa:

1) Interdictio « publicae rei moderatoribus » facta in lin. 40, pag. 32, mihi videtur nimis absoluta. Hi enim moderatores servent saltem potestatem imponere civibus suis reiectionem illius religionis quae vel principia fundamentalia legis naturalis vel necessitates veri boni communis societatis aperte violaret.

2) Incompetentia civilis potestatis, de qua loquitur textus in lin. 5,

pag. 35, non est absoluta. Haec enim civilem potestatem impedit quominus imponat et moderet religionem, eam tamen minime impedit quominus illam accipiat et recognoscat cum a Deo per Ecclesiam proponitur. Quod sane explicite declaratum est a Leone XIII in Encyclicis Litteris *Immortale Dei*; et haec capacitas naturalis saltem implicite definitur in constitutione dogmatica *De fide catholica* Concilii Vaticani I.

Textum ergo emendatum etiam super hoc argumento ad secretariam generalem tradam.

* * *

Ad n. 26, pag. 29, lin. 8: deleantur verba « secundum dictamen conscientiae ».

Linn. 9-10: textus ita mutatur: « Inde exoritur ius *absolutum* ad *plenam perfectamque* libertatem religiosam in societate, vi cuius homines religionem *a Deo revelatam et fundatam* privatim et publice exercere valent... etc. ».

Linn. 22-25 transferantur infra, initio n. 29 (pag. 30, lin. 34).

Ad n. 29, pag. 30, lin. 34: textus ita compleatur (ex fine n. 26) et emendetur: « His prae oculis habitis, Sacra Synodus, dum hominum a Deo dependentiam affirmat, libertatem *tamen quamdam* in societate circa *exercitium religionis* ab omnibus ubique terrarum agnoscendam et observandam esse hac declaratione intendit. *Quam* libertatem non tantum a christianis et pro christianis, sed ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis, *conditiones postea declarandas retinentibus,* in societate humana observandam esse Ecclesia catholica asserit.

Pag. 30, lin. 38 ad pag. 31, lin. 20: textus integer omittitur et alius ipsi subrogetur: « Haec autem libertas nullum ius absolutum ad errorem vel ad malum quod forte alicuius religionis exercitium imponeret, implicat: cum talis iuris obiectum nonnisi bonum et verum esse omnibus constat. Sed immunitatem a quavis externa coactione exigit, et ad hanc immunitatem ius verum salvis iuribus aliarum personarum vel communitatum, ab omnibus etiam errantibus haberi potest. Actus etenim religiosus ad illud activitatis humanae genus pertinet, in quo ipsi agenti se substituere nemini fas est ».

Pag. 31, lin. 21: loco « *quum* », ponatur « *quae* » (libertas).

Lin. 22, post « *non posset* » addatur « *ideoque* » (ab Ecclesia).

Linn. 24-26: loco « *sed verum propriumque... suae religionis ordinandam* » haec scribantur: « sed vera libertas, seu immunitas a quavis coactione, in servandis et testandis officiis suis privatis et publicis erga Deum et homines, sive singulares sive collective sumptos, in tota scil. vita sua secundum postulata suae religionis ordinanda ».

Ad n. 29 (seq.), pag. 31, lin. 29, post « exercitium iurium » addatur: « *ad libertatem* » (in re...).

Lin. 41, post « nefas est » addatur: « , *salvis tamen exigentiis veri boni communis totius societatis* ».

Ad n. 30, pag. 32, lin. 20: loco « *ius competit* ut » scribatur: « *ius competit ad libertatem quando* ».

Lin. 38: loco « *competit ut sincere* » scribatur: « *competit ad libertatem quando* ».

Lin. 39: loco « *studeant* » scribatur « *student* ».

Pag. 33, linn. 4-5: textus ita compleatur et emendetur: « *Etsi veram religionem ab Ecclesia professam recipere et agnoscere persaepe possint,* civiles potestates, *in actuali ordine Providentiae,* nullam directam capacitatem et competentiam ad *imponendas* vel moderandas... etc. ».

57

EXC.MUS P. D. ANDREAS ROBORECKI

Episcopus Saskatoonensis Ucrainorum

Declaratio libertatis religiosae documentum constituit magni progressus ex parte catholicorum in conviventia humana. Ipsa crisis, quam haec declaratio vel in ipso hoc concilio patitur, eius momentum indicat. Uti facile animadverti potest, ipsa sub triplici aspectu hucusque considerata est, dependenter a triplici conditione religionis catholicae in diversis regionibus mundi hodierni:

a) Sunt, qui vident religionem catholicam tantummodo in conditionibus favorabilibus seu in statibus civilibus, qui se catholicos proclamant. Unde huic declarationi favorabiles non sunt eamque argumentis theoreticis impugnare conantur.

b) Alii vero, qui inter acatholicos vivunt et necessitatem huiusmodi declarationis in dies experiuntur, eam consequenter et rationabiliter defendunt, expurgata utique qualibet assertione, quae rectum sensum in hac declaratione intentum obumbrare potuisset.

c) Sunt denique tertii, qui in regiones animadvertunt, ubi religio catholica persecuta est et desiderant, ut concilium in hac declaratione factum persecutionis Ecclesiae catholicae clare enuntiet eamque vituperet et praeter hanc declarationem etiam modos efficaces adhibeat ad conditionem fratrum persecutorum alleviandam, uti e. g. ad Nationes Unitas recursus.

At haec declaratio libertatis religiosae videnda est nonnisi in aspectu generali sub ratione boni totius Ecclesiae catholicae, sine ullo exclusivismo particulari. Hoc bonum totius Ecclesiae catholicae in hac declaratione prae oculis necessarie habendum sit oportet. Nam si Ecclesia catholica e. g. in Hispania hanc libertatem religiosam Protestantibus denegaret, quomodo postea similem libertatem pro se ipsa requirere potuerit e. g. in regionibus Skandinaviae?

In hac visione boni totius Ecclesiae catholicae facta hac declaratione libertatis religiosae in facie totius mundi, Ecclesia catholica facilius poterit coram toto mundo libertatem requirere pro illis fratribus, qui non solum hac libertate non gaudent, sed immo persecutionem pro Christo patiuntur. Tunc

vox Ecclesiae firmior erit. Utique hoc non significat, quod Ecclesia catholica sine hac declaratione in iure non est requirendi libertatem pro fratribus persecutis, sed quam facilius et efficacius hoc facere poterit post hanc declarationem.

Sed ad effectus supra dictos obtinendos necesse est in hac declaratione clare requirendi a potestatibus civilibus sinceritatem in earum positione erga Ecclesiam catholicam. Nam videtis, venerabiles Fratres, etiam status communistici et athei omnes in eorum constitutionibus sollemniter declarant libertatem religiosam, non excepta Unione Sovietica. At proh dolor, quam longe hae declarationes sollemnes a vera realitate distent? Nostra declaratio hoc factum praeterire non potest muto silentio, sed ad efficaces effectus sui ipsius hanc sinceritatem ab altera parte requirere debet.

58

EXC.MUS P. D. AGNELLUS ROSSI

Archiepiscopus Rivi Nigri

Valde nobis placet, prae oculis habitis condicionibus pluralisticis nostrae aetatis necnon necessitate defendendi iura personae humanae atque communitatum legitime formatarum, ut in Concilio Oecumenico Vaticano II agatur de libertate religiosa sive individuali sive sociali.

Placet quoque, modo generali loquendo, id quod nobis praebetur in ista priore declaratione et gratias agimus iis qui valde insudarunt ut nobis darent declarationem sat pulchram, sat bene confectam in argumento tanti momenti et tam delicato.

Quamdam vero rem putamus esse animadvertendam. Re bene inspecta, libertas religiosa de qua in declaratione, latius patet quam thema de oecumenismo. Cur non datur a Concilio aliqua declaratio sollemnis de hoc tantum argumento, quod nobis inter maximi momenti argumenta huius Concilii includi videtur? Si daretur declaratio solemnis per se stans circa libertatem religiosam, tunc declaratio posset maiorem vim et clariorem intellectionem acquirere per suam sollemnitatem, uti patet. Hoc in casu, necesse erit ut aliud prooemium praemittatur, in quo indicaretur ratio declarationis.

Nomine 49 Patrum.

[*Adhaeserunt*] Vicente Scherer, Helder Camara, João de Souza Lima, Alberto Gaudencio Ramos, João Rezende Costa, Gregorio Warmeling, José Alberto Lopes de Castro Pinto, Aloisio Lorscheider, Jaime Luiz Coelho, Fernando Gomes dos Santos, João Batista da Mota e Albuquerque, José Lamartine Soares, José Varani, Othon Motta, Henrique Gelain, Avelar Brandão Vilela, José Newton Almeida Batista, Romeu Alberti, José Brandão de Castro, Acácio Rodrigues Alves, Belchior Joaquim da Silva Neto, Augusto de Carvalho, David Picão, Manoel da Silveira D'Elboux, Francisco Austregésilo Mesquita, Antonio Barbosa, José Gonçalves da Costa, Severino Mariano de Aguiar, Altivo Pacheco Ribeiro, Ruy Serra, Luiz Gonzaga Peluso, Eugenio de Araujo Sales, Edilberto

Dinkelborg, Hugo Bressane de Araujo, José Medeiros Leite, Ladislau Paz, Camilo Faresin, Benedito Coscia, José d'Angelo Neto, Armando Cirio, Antonio Campelo de Aragão, Raimundo de Castro e Silva, Walfrido Teixeira Vieira, Walmor Battu Wichrowski, Alberto Etges, Augusto Petró, Edmundo Luiz Kunz, Bernardo José Mieli.

59

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SAMORÉ

Archiepiscopus tit. Ternobenus

Valde timeo ne quaedam in declaratione *de libertate religiosa* dicta non possint reconciliari cum doctrina et praxi Ecclesiae catholicae.

1. Est articulus fidei catholicae quod omnes homines habent veram obligationem pertinendi ad Ecclesiam quam Christus fundavit — Ecclesiam catholicam. Quapropter, esset contradictio dicere quod aliquis homo habet « verum propriumque ius » pertinere ad religionem aliam, etiamsi ille homo sit in bona fide et Deo carus. Haec contradictio non potest solvi nisi dicatur hominem posse habere ius *mere subiectivum* profitendi et exercendi religiosam erroneam.

2. Declaratio nihil dicit de doctrina quod Ecclesia catholica possidet iurisdictionem spiritualem, non solum super catholicos, sed etiam super noncatholicos baptizatos. Hanc iurisdictionem Ecclesia adhibet praesertim imponendo quaedam impedimenta matrimonialia acatholicis baptizatis — e. g., impedimentum consanguinitatis. Nunc autem, quomodo posset Ecclesia catholica sincere et veraciter declarare quod acatholicus baptizatus possidet verum ius exercendi suam religionem iuxta suam conscientiam invincibiliter erroneam, simulque bono Protestanti dicere: « Si matrimonium attentabis cum consanguinea tua in tertio gradu, matrimonium erit invalidum iuxta legem Ecclesiae catholicae, cui subderis »? Quinimmo, si ex iure naturae — i. e., ex iure divino — fluit plenum ius conscientiam invincibiliter erroneam sequendi, videtur sequi quod omnis legislatio Ecclesiae catholicae per plura saecula extendens sua impedimenta matrimonialia ad acatholicos baptizatos fuit illicita et invalida.

3. Quomodo reconciliari potest haec declaratio cum modo quo Ecclesia catholica tractat illos qui fidem catholicam renuntiant propter motiva conscientiae, uti dicunt? Iuxta praesentem disciplinam, tales personae remanent subditi omnibus legibus ecclesiasticis. E. g., ad matrimonium valide contrahendum debent conformari formae pro catholicis praescriptae (can. 1094, 1099). Quomodo dici potest illos habere verum propriumque ius conscientiam suam sequi? Quinimmo, si haec declaratio est vera, quare non posset sacerdos qui renuntiat fidem catholicam, invocans suum ius conscientiae, matrimonium validum contrahere?

4. Forsan dici posset quod circumstantiae hodiernae suadent libertatem religiosam *civilem* ubique terrarum. Sed declaratio affirmat « rem publicam...

ineptam esse ad iudicia de veritate circa rem religiosam ferenda » (pag. 33, linn. 21-22). Quaeri potest quare rectores civiles, cum tamquam *privati* homines possint et debeant iudicare de veritate religionis, non possint similiter iudicare tamquam *rectores civiles*. Adhuc, est doctrina catholica quod Ecclesia catholica *sola* possidet auctoritatem super matrimonium baptizatorum, et quod potestas civilis possidet auctoritatem circa effectus mere civiles talis matrimonii (can. 1016). Certo, Christus qui hanc potestatem suae Ecclesiae donavit et hanc limitationem auctoritati civili imposuit, vult hanc doctrinam potestati civili notam esse. Esset omnino incongruum si potestas civilis aliquam limitationem a Deo pateretur, sed non posset hoc scire. Aliis verbis, Christus, Rex gentium, praecipit ut omnes rectores civiles agnoscant veritatem suae Ecclesiae.

60

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN

Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Melius exponantur *rationes et conditiones* quae evolutionem realem in modo cogitandi et loquendi Romanorum Pontificum promoverunt, ne suspicio oriatur de magisterio tunc et nunc fallaci.

Plene adhaereo propositioni em.mi card. König de communismo libertatem religiosam negante.

61

EXC.MUS P. D. ERNESTUS SENNA DE OLIVEIRA

Archiepiscopus-episcopus Conimbricensis

Ni fallor, dictum est heri in aula conciliari ab exc.mo secretario generali quod adhuc fieri possunt aliquae adnotationes circa schemata iam disceptata sed nondum suffragata.

Liceat ergo mihi saltem sequentes observationes facere circa n. 26 declarationis libertatis religiosae:

Mea humili sententia, ut sincere meam mentem aperiam, non mihi videtur plaudendum quod postuletur libertatem religiosam esse quasi conditionem ut homines, singillatim vel in coetibus religiosis coniuncti, vocationi divinae libere et integre respondere queant, quasi si Deus aliquem vocare possit ad errorem vel falsitatem. Mihi enim videtur quod in praedicto numero potius quam agi de natura libertatis religiosae, exponi debent certa principia generica circa libertatem in genere et, in specie, circa libertatem religiosam — principia quae, partim ex iure naturae, partim ex iure divino positivo eruuntur. Et sic distingui oportet inter libertatem physicam et psychologicam et libertatem moralem.

Physicam et psychologicam libertatem, qua homo potest non solum

inter bonum et bonum sed inter bonum et malum seligere, ipse Deus, summo cum respectu prosequitur.

A fortiori homines, summo cum respectu, sese habere debent erga alios quoad usum illius doni praestantissimi, scil. libertatis physicae et psychologicae, quando in huiusmodi usu nihil fiat quod proximo detrimentum afferat vel sit contra ius naturae et in genere contra bonum commune et ideo contra legem positivam quae vera lex sit, iuxta classicam definitionem legis a S. Thoma traditam, quae plus minusve sic sonat: « Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata ».

Si quis igitur contra talia aliquid egisset, legitimae, immo necessariae essent interventiones auctoritatis competentis, sive patrum familiae in societate domestica, sive auctoritatis propriae in societatibus rite constitutis, sive praesertim Auctoritatis publicae in statu et in Ecclesia. Ideo omnes homines libertate physica et psychologica uti possunt ut, v. g. quamlibet religionem seligant vel nullam colant, dummodo in usu talis libertatis nihil agant contra praedicta iura et bona, supra summatim indicata.

Sed simul omnes homines officium morale habent veritatem sincere et diligenter inquirendi et praesertim ipsis officium morale incumbit rectam sibi de rebus religiosis conscientiam efformandi et ius morale nullo modo quis habet sese emancipandi a potestate Dei cui tandem, post mortem, omnes totius vitae suae stricte rationem reddere debent.

Haec autem omnia, meo humili iudicio, optime componi possunt cum quibusdam legitimis concessionibus a publica Auctoritate factis in favorem cuiusdam maioritatis civium, dummodo tales concessiones fiant absque ullo detrimento legitimae libertatis quoad alios cives, sive singillatim, sive in legitimis coetibus religiosis, civilibus, etc. coniunctos.

Si tempus et sanitas mihi suppeditarent amplius et melius haec dicerem. Sed, ut puto, cum sic breviter dictis, sufficienter mentem meam aperio circa necessitatem quarundum modificationum quae, mea humili sententia, saltem in n. 26 declarationis libertatis religiosae decreti schematis *de Oecumenismo* fieri debent.

62

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN

Archiepiscopus Baltimorensis

Loquor in nomine fere omnium episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, quibus declaratio *de libertate religiosa* in genere placet et quidem valde placet. Tres solas observationes de hac declaratione proferam.

1. In n. 25 sermo est de *momento* huius documenti. Cum declaratio sit parata a *Secretariatu ad unitatem christianorum fovendam,* recte ab eodem Secretariatu exprimitur momentum, ne dicam necessitas, rectae consideratio-

nis libertatis religiosae « ad contactus et relationes sereno et pacato animo instaurandos inter christianos ». Aliae tamen rationes reapse existunt pro declaratione quae sunt aequalis vel etiam maioris momenti et quae merito exprimendae sunt:

a) Imprimis, libertas religiosa necessaria est pro ipsa Ecclesia praesertim in regionibus ubi catholici minorem partem constituunt sive in tota populatione nationis sive in gubernio. Haec necessitas pro ipsa Ecclesia omnibus patet in territoriis adhuc missionariis. Nam, nisi libertas religiosa in illis viget, Ecclesia firmum fundamentum ibi obtinere nequit. In aliis etiam territoriis, non stricto sensu missionariis, Ecclesia requirit libertatem religiosam ut crescat et floreat.

b) Libertas religiosa etiam necessaria est pro societate ipsa; nam experientia sat longa et tristis docet, ea deficiente, ordinem publicum et pacem domesticam pariter deficere.

Hae et aliae rationes, omnibus bene notae, cum illis ex oecumenismo desumptis, breviter sed explicite in n. 25 exprimi debent ad instar introductionis totius declarationis.

2. Fortior, nobis videtur, evaderet haec declaratio et scopo huius Concilii Oecumenici magis accommodata, si fusius adhuc exponeret quomodo libertas religiosa profundas habeat radices in ipso Evangelio et cur Ecclesia, in suis lineis puris in Evangelio depicta libertatem religiosam postulet. Quum autem, feria V, die 24 huius mensis exc.mus D. Dubois hac de re iam locutus est, observationes meas secretariatui generali in scriptis submittam (cf. textum annexum).

3. Difficultates et obiectiones maiores contra libertatem religiosam, et quae iterum atque iterum quamquam diversimode in hac aula prolatae sunt, oriuntur, mihi videtur, ex conceptu sic dicto *praeconcepto* libertatis religiosae — conceptu qui abhinc quinquaginta annos in manualibus inveteravit, — conceptu abstracto — conceptu qui aptus est mundo ideali qui, revera, nec fuit, nec est, nec, ut videtur, erit. Econtra, libertas religiosa quae in declaratione tractatur est conceptus rei practicae et concretae quae hic et nunc in mundo hodierno existit, quae, docente experientia, optimam conditionem subministravit, ut vere floreat religio, quae ubique requiritur. Est quidem conceptus iuridicus et quasi-technicus, sed fundatur in ipsa dignitate personae humanae — personae quae officium et, exinde, ius habet Deum colendi tum privatim tum publice secundum propriam suam conscientiam. Non est facultas omnia quaecumque faciendi sub specie vel nomine religionis. Potius est *immunitas* in re religiosa ab omni coactione externa seu coercitione. Non est absoluta, sed vero ordine publico et iure aliorum hominum conditionata. Haec libertas religiosa de qua agitur in declaratione ne tangitur quidem a difficultatibus maioribus in aula prolatis. Haec est libertas religiosa quae ad bonum Ecclesiae et ad pacem in terris inter homines promovendam omnino necessaria est. Haec est libertas religiosa, propter quam declaratio prior, quae de ea tractatur votum *placet* meretur.

* * *

Textus annexus:

Quoad ipsum schema firmandum pauca loquor *de fundamento theologico et biblico* libertatis religiosae.

Temporibus recentioribus libertas religiosa intelligitur in sensu technico et iuridico. Conceptus libertatis religiosae evolutus est per experientiam imprimis politicam et legalem. Hodie autem affirmatur a communi conscientia hominum (saltem bene excultorum et bonae voluntatis) tamquam verum et proprie dictum ius humanum et civile.

Declaratio attendit, ut oportet, ad hunc aspectum iuridicum et civile libertatis religiosae. Bene disserit de libertatis religiosae remoto fundamento theologico quod est libertas actus fidei christianae, et, magis in genere, libertas omnis decisionis personalis in re religiosa.

Fortior tamen, uti nobis videtur, evaderet declaratio et scopo huius Concilii Oecumenici magis accommodata, si fusius adhuc exponeret quomodo libertas religiosa profundas habeat radices in ipso Evangelio et cur Ecclesia in suis lineis puris in Evangelio depicta libertatem religiosam postulet.

Libertas religiosa e sola Sacra Scriptura stricte *probari* nequit. Evidens tamen est quod omnis coercitio vel coactio in re religiosa omnino aliena est a spirtiu Evangelii Christi. Immo vero, coercitio directe opponitur iis quae in Evangelio docentur et modo quo Deus et Pater Domini et Salvatoris Nostri, Iesu Christi, cum hominibus agere solet.

Libere enim Deus Filium suum misit in mundum ut homines accipere possint Donum Spiritus Sancti quo clament « Abba, Pater ». Spiritus Sanctus, ut docuit S. Augustinus, nomen *Doni* tamquam proprium sibi habet. Accipitur hoc Donum per fidem quae est liber assensus et consensus consilio Dei salvifico. Neque cogitur ullus homo ab omnipotente Deo ut hoc Donum recipiatur. Omnipotens utique est Deus qui, si vellet, rebelles hominum voluntates compellere posset. Neque autem compellit neque compellere vult. Invitat. Suaviter trahit. Ad ipsam hominis libertatem appellat dicendo: « Sto ad ostium et pulso. *Si* quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum et coenabo cum illo et ipse mecum » (*Apoc.* 3, 20). Et, ut explicat S. Augustinus, Pater trahit amando, alliciendo, nonnisi vim amoris adhibendo.

Certissime Christus vult omnes in unum congregare... « Ierusalem, Ierusalem... quoties volui congregare filios tuos... » (*Mt.* 23, 37). Semper tamen manet in potestate fatali hominis dicere « Nolo! ». Haec est quidem « libertas pereuntium », ut ait S. Augustinus; *sed vera est libertas* quam Deus Ipse amantissimus et omnipotens non violabit!

Haec etiam libertas quam Deus pro hominibus vindicat innuitur in parabolis quae inveniuntur in Evangelio S. Matthaei de zizaniis inter triticum (*Mt.* 13, 24-30) et de piscibus in sagenis captis (*Mt.* 13, 47-48). Hae parabolae, quamquam diversis et diversimode applicantur, similiter tamen indicant iudicium Dei eschatologicum esse et *ea quae directe, immediate et*

formaliter relationes hominum cum Deo respiciunt soli Dei iudicio per se relinquenda esse. Adhibere violentiam seu coactionem sub specie Dei « beneficio » seu religionis nefas est.

Necessitas porro libertatis religiosae innuitur in iis figuris quibus Ecclesia utitur ad exprimendum « quid de se sentiat », e. g.: ex Evangelio ubi Ecclesia dicitur « pusillus grex », « fermentum in farina »; e Concilio Vaticano I, ubi Ecclesia dicitur « " signum levatum in nationes " ... ad se » *invitans* et in verbis quae in hoc Sacrosancto Synodo multoties audivimus nempe Ecclesiam esse peregrinantium et pauperum quae solummodo gladium spirituale Verbi Dei sibi vindicat et, denique, Ecclesiam esse missionariam sensu profundo, quae luce sua et evangelica illuminat omnes institutiones quas homines diversarum nationum et culturae et aetatis ediderunt.

In verbo, libertas religiosa non modo nihil fert inconveniens spiritui Evangelii et naturae Ecclesiae sed pro activitate Evangelizandi et vita Ecclesiae reapse supposita est.

Exinde proponimus: 1) ut prima alinea ita emendetur ut in ea mentio fiat de momento declarationis de libertate religiosa non modo pro oecumenismo sed etiam pro Ecclesia ipsa et pro societate hodierna;

2) ut inter nn. 28 et 29 conficiatur paragraphum, quae lucide indicet radices libertatis religiosae in Evangelio Christi.

Denique enixe rogamus Patres venerabiles ut haec declaratio de libertate religiosa vestris suffragiis quamprimum commendetur.

Reliquas observationes emendationesque meas de declaratione secretariatui tradam.

63

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SPANEDDA

Episcopus Bosanensis

Ad finem Concilii facilius et plenius assequendum videtur quaestio de libertate religiosa duplici documento esse absolvenda. Alterum documentum esset « declaratio » proprie dicta, alterum vero esset velut commentarium quo mens Concilii explicaretur, vel ad modum prooemii seu praefationis vel ad modum « adnexi », iuxta methodum iam propositam pro schemate XIII *De Ecclesia in mundo huius temporis.*

Haec methodus duplex praebere posset emolumentum:

1. Declaratio sua brevitate, claritate et solemnitate animos percelleret et psychologice responderet magnae expectationi totius mundi.

2. Prooemium seu adnexum stylo pastorali mentem Concilii explicaret ad vitandas aequivocationes in hac re difficillima: et ita satisfactio dari posset etiam illis Patribus, qui plures pressiorem conceptuum determinationem postulant.

Ratio in duplici documento servanda infra innuitur:

1. *Declaratio* haberet caracterem sollemniorem exhibendo directe partem

ut ita dicam dispositivam et substantialem, quae esset veluti « magna charta libertatis religiosae » ab Ecclesia proclamata: servata proportione et christiana inspiratione, aliquid simile quoad formam resonaret ac declaratio iurium ab Organizatione Nationum Unitarum exarata.

2. *Prooemium* seu *Adnexum* latiorem expositionem contineret sub respectu doctrinali, praesertim circa haec puncta:

A) Explanatio conceptus libertatis religiosae quae excludat omnem speciem subiectivismi et indifferentismi.

B) Fundamenta genuina et limites libertatis religiosae tum ex ratione naturali tum ex divina revelatione.

C) Explicatio evolutionis quae de hac re habita est in Ecclesia tum quoad praxim tum quoad doctrinam secundum regulas continuitatis et progressus. Hoc iam invenitur in relatione, sed necessarium videtur quod quaestio pertractetur in ipso documento conciliari. Magni momenti est tum pro ipsis catholicis, qui ut plurimum videbunt declarationem de libertate religiosa ut aliquid novi in Ecclesia, tum sub respectu apologetico pro externis, si ostendatur hodiernam positionem Ecclesiae cohaerere substantialiter cum principiis doctrinalibus ab ipsa semper praedicatis.

64

Exc.mus P. D. OTTO SPUELBECK

Episcopus Misnensis

Redactio supradictae declarationis nuper proposita in genere placet. Ad singula sequentem animadversionem commissionis Concilii examini subiciendam esse censuimus ratione habita proprii aspectus quem quaestio de libertate religiosa ex nostris condicionibus socialibus assumit:

In declaratione non de « religione » tantum agatur sed expresse etiam « ideologia » commemoretur. Proin saltem pag. 32, lin. 1 post verbum « religionis » inseratur « et ideologiae ».

Moderatores rei publicae nostrae regionis distinguunt inter religionem et ideologiam. Religionem tamquam superstitionem a-scientificam ac antihumanam reiciunt; ideologiam (nempe marxisticam) omnibus civibus tamquam fundamentum verae vitae proponunt eiusque professionem inexorabiliter exigunt.

Hac in parte valet quod praeclarus relator declarationis alio contextu scripsit: « Si sermonem dirigimus ad societatem modernam, debemus uti suo modo loquendi ».

De mandato episcoporum Germaniae orientalis.

* * *

Ratione habita aspectus et ponderis specialis, quod declarationi de libertate religiosa in nostris condicionibus socialibus competit, conscientia nostra nos urget testari:

Promulgatio declarationis *de libertate religiosa* pro regionibus sub regimine atheistico-marxistico versantibus summopere exoptanda est; e contra Ecclesiae grave damnum afferretur, si haec declaratio diminueretur aut — adhuc peius — renuntiaretur.

Quae persuasio nostra disceptatione aulae conciliaris non debilitabatur sed confirmabatur, etiam sententiis contra declarationem prolatis — a nobis et aperto animo auditis et cum debita reverentia ponderatis —.

Liceat argumenta nostra ut responsum ad sententias contrapositas breviter enumerare:

1. Consentimus optimae argumentationi venerabilis Patris Hurley [1] dicentis: ex profundiore cognitione relationum inter Ecclesiam et rem publicam patet, libertatem religiosam ad sanam evolutionem humanitatis requiri eamque a Deo non solum hominibus in plenitudine revelationis iam confirmatis concedi sed omnibus sincero animo veritatem quaerentibus donari etiamsi non pauci adhuc in umbris veritatis peregrinentur.

Proin doctrinam de libertate religiosa uti in declaratione proponitur, agnoscendam esse profitemur.

2. Revocamus in memoriam: idem argumentum philosophicum, quod a nonnullis Patribus contra doctrinam de libertate religiosa citabatur, a moderatoribus rei publicae nostrarum regionum in damnum Ecclesiae profertur. Qui moderatores agnoscunt illud argumentum: « Errori non competit ius contra veritatem »; sed tunc ex hoc argumento deducunt ius ad suppressionem religionis, ratiocinando: Omnis superstitio, in primis religio christiana, caret fundamento scientiae, immo est contra scientiam. Ideologia marxistica autem gaudet fundamento scientiae, immo est scientia et ideo veritas. Idcirco religioni non competit ullum ius, saltem non ad ulteriorem eius propagationem.

Proin in nostris regionibus promulgationem declarationis *de libertate religiosa* summopere exoptandam esse profitemur.

3. Animadvertimus quod argumentum ex supernaturalitate et unicitate Ecclesiae desumptum non probat contra doctrinam de libertate religiosa; immo censemus unicitatem Ecclesiae Christi et universalem voluntatem Dei salvificam optime cum libertate religiosa — sensu a declaratione explanato — concordare.

Vocatio divina, quae homini iter ad Deum aperit atque praescribit, non omnibus hominibus nec eorum communitatibus eodem modo praestatur; hoc non obstante in inferiore quoque gradu vera et obliganda vocatio divina manet. Constat nempe ex Sacra Scriptura talem vocationem hominibus in decursu historiae humanae, in quantum praeparatio salutifera ad mysterium incarnationis erat, a Deo ipso lente sed constanter et claritate et profunditate auctam esse. Constat insuper ex doctrina Ecclesiae [2] eandem voca-

---

[1] Interventus in Aula Concilii die 25 mensis septembris a. c.

[2] Confer schema *de Ecclesia,* n. 16 et animadversionem F.

tionem divinam adhuc hodie diverso gradu a Deo assignari hominibus: illis, qui sine merito ipsis proprio membra Ecclesiae aestimantur; illis, qui sine culpa ipsis propria minore gradu cum Ecclesia coniunguntur; illis, qui nonnisi ad Ecclesiam ordinati dicuntur, quamvis ipsi quoque a voluntate Dei salvifica non excluduntur.

Persuasiones omnium hominum eorumque communitatum respiciantur oportet, non in quantum errores includunt sed in quantum bona germina continent. Diversa vocatione divina perdurante et singulis hominibus et communitatibus eorum religiosis verum ius competit ad exercitium religionis diverso eorum gradu correspondens et quidem Deo interne et externe, individualiter et in communi praebendum.

Proin unicitatem Ecclesiae Christi et universalem voluntatem Dei salvificam optime cum libertate religiosa concordare profitemur.

De mandato episcoporum Germaniae Orientalis.

65

Exc.mus P. D. ROBERTUS TRACY

Episcopus Rubrubaculensis

Declaratio *de libertate religiosa* in genere valde placet atque laudibus cumulanda est:

1. Quia libertatem religiosam bene exponit tamquam verum ius, sive uniuscuiusque hominis individualis sive variorum coetuum religiosorum in sociali unione hominum existentium — ius quod recte correspondet obligationi colendi Deum obsecundandique voluntati eius quam homines, secundum diversas eorum capacitates conditionesque, dictamine conscientiae rectae percipiunt (cf. par. 26 et 29).

2. Quia talis libertas religiosa iuste dicitur exerceri posse non tantum privatim, sed etiam publice, non tantum interne, sed etiam externe (cf. par. 26, linn. 9-12, et par. 29, linn. 21-22, simulque par. 30, linn. 14-18); immo, iuste defenditur atque vindicatur ius singulorum hominum et coetuum religiosa ad testanda, profitenda, annuntianda, exponenda, atque propaganda coram aliis hominibus postulata seu rationes propriae religionis, mediis honestis semper adhibitis (cf. par. 29, pag. 31, linn. 21-28; par. 30, pag. 32, linn. 38 ss.). Tale ius agnoscere non est idem ac ipsi errori qua tali et propter seipsum concedere ius sese spargendi, nec denegare Ecclesiae mandatum divinum unice speciale ad Evangelium et Regnum Dei hominibus annuntiandum; potius est simpliciter agnoscere ius unicuique homini vel coetui rectae bonaeque conscientiae consentaneum ac naturae sociali hominum correspondens, fidem et religionem suam, quae saltem naturaliter et substantialiter bona sunt, aliis hominibus aperte confitendi ac communicandi ut auditores, si volunt, bono atque religioso affectu moti, proximius ad Deum colendum alliciantur atque accedant.

3. Quia clare denegat Statui omnem competentiam directam ad diiudicandum de rebus religiosis vel ad seligendum inter varias religiones ad detrimentum membrorum unius alteriusve (cf. par. 29, pag. 31, lin. 41 ad pag. 32, lin. 8; par. 30, pag. 33, linn. 4-7), dum eodem tempore eidem inculcat obligationem qua adstringitur illam atmosphaeram conditionemque fovendi in vita societatis, qua vigente, omnes exercitium iuris ad libertatem religiosam plenius et facilius in actum deducere possint (cf. par. 29, pag. 32, linn. 9-13; par. 30, pag. 33, linn. 7-10).

66

Exc.mus P. D. IOSEPH VAIRO

Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii

Propositum, quod haec conciliaris declaratio persequitur est sane laudandum. Cum enim in sat multis et amplis territoriis libertas religiosa opprimatur, peropportunum est Sacrum Concilium altius proclamare ius hominis nativum libere profitendi religionem atque instantius postulare ut hoc ius in humana societate agnoscatur ac suam habeat iuridicam tuitionem.

Textum tamen schematis, qui ex pluribus capitibus laborare mihi videtur, emendandum ac perficiendum esse puto.

1. Cum libertas religiosa sit ius hominis nativum, semper et ubique validum, considerandum est in se ipso priusquam in historicis nostri temporis rerum adiunctis.

Ad rem adfirmanda est indissolubilis connexio in eadem persona humana iuris cum officio. Quodlibet authenticum ius non est censendum sicuti privilegium, sed ut concreta et plena possibilitas suum cuiusque officium rite adimplendi.

Officium igitur est fundamentum, ratio et mensura iuris.

Qua re libertas religiosa exhiberi debet ut ius quo homo suum fundamentale officium implere possit, ad Deum tamquam ad ultimum finem scienter ac libere tendens.

Quod officium, iuris libertatis religiosae fundamentum et ratio, est quoque eiusdem iuris mensura ac eius limites intrinsece et in ordine obiectivo designat. Ne declaratio placitis liberalismi videatur indulgere, clare innotescere debet libertatem non esse valorem absolutum sed tantum essentialem condicionem ut homo suum bonum consequatur et sui ipsius perfectionem adipiscatur.

2. In hominum historica consortione, ut integra servetur concreta et plena possibilitas, qua persona humana scienter et libere ad Deum tendat, ordo civitatis iuridicus, qua vita consociata regitur, provideat oportet ne persona humana ab extrinseco impediatur quominus suum religiosum officium adimpleat neve ad idem officium adimplendum vi adigatur.

Cum vero psychologica humana libertas deficere possit et de facto

quandoque deficiat, quosdam defectus, errores et peccata, quae forte cum iuridica tuitione humanae libertatis connectantur, ordo civitatis iuridicus permittat necesse est, semper prae oculis habito bono societatis communi, quod est vitae consociatae criterium normativum.

3. Non placet ratio a conscientia invincibiliter erranti petita, quia nec sufficiens nec necessaria ratio est.

Non est ratio sufficiens, nam ex una parte non est ratio ultima; ratio vi cuius conscientia invincibiliter errans sequenda a subiecto est et digna quae ab aliis observetur est ipse ordo moralis obiectivus, qui haec praecipit; ex altera autem parte non valet ad probandam iuridicam tuitionem libertatis religiosae hominis quoque peccantis, quae proinde in casu neganda esset.

Non est ratio necessaria, quia, ut supra memoravi, tuitio iuridica libertatis, quae est conditio essentialis ut actus religiosus sit plene humanus, secumfert permissionem iuridicam non autem moralem erroris et peccati, boni communis exigentiis attentis et limitibus observatis.

4. Sedulo distinguendum est fundamentum libertatis Ecclesiae Christi a fundamento libertatis aliorum coetuum religiosorum. Hi enim, posita hominis natura sociali, ex libera voluntate personarum constituuntur — ut in schemate dicitur —; Ecclesia autem Christi, divina institutione constituta, est societas originaria et in suo ordine suprema, cuius libertas innititur mandato ipsi Ecclesiae a Divino Fundatori commisso docendi regendi et sanctificandi: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra, euntes ergo docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 18-20). Conscientia quam Ecclesia de se habet referri necesse est ad conscientiam ipsius Christi. Ecclesia suum mandatum exsequitur in variis diversorum temporum ac locorum adiunctis, testimonium semper perhibens veritati, sive persecutionem patiens, sive libere docens, sive civiles institutiones christiano spiritu imbuens; attamen conscientiae sui divini iuris renunciare nequit.

5. Aequa libertas, attento bono societatis communi, omnibus coetibus religiosis in ordine Civitatis iuridico agnoscenda est, quin tamen necessario aequalitas iuridica adstruatur.

Cavendum semper est ne in re religiosa coactio adhibeatur, neve ob professionem religiosam civilis discriminatio hominum oriatur, neve religio instrumentum auctoritatis politicae evadat; tamen in dubium non est revocandum quin Christi Ecclesia docendo ac agendo suum influxum in leges Civitatis iustas ferendas ac praesertim in iuvenes etiam in publicis scholis catholice educandos exercere legitime ac fructuose valeat.

67

EXC.MUS P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

Propter invitationem ut interventiones faciamus, has suggestiones commissioni nostrae exprimo:

1. Melius esset si declaratio in duabus partibus praesentaretur:

Pars prima. Declaratio ipsa *de libertate religiosa,* vocabulis simplicibus et conceptibus claris expressa, sine explanationibus vel argumentis, et omnibus hominibus intelligibilis. Haec declaratio, puto, debet esse certe legalis vel philosophica, similis in spiritu et verbo Litteris Encyclicis *Pacem in Terris.*

Pars secunda. Habeatur exhortatio pastoralis — ad catholicos, ad gubernatores, ad omnes homines. In hac parte dicitur Ecclesiam catholicam esse veram religionem, et omnes homines habere obligationem errorem vitandi et veritatem amplexandi.

2. Fundamentum libertatis religionis invenitur, meo iudicio, in libera voluntate hominis, homini a Deo data. Verba in schemate de vocatione divina pro me quaestionem confundunt.

68

EXC.MUS P. D. BENEDICTUS ZORZI

Episcopus Caxiensis

Secretariae generali Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II praesentem animadversionem circa declarationem priorem *de libertate religiosa* humiliter trado.

Secundum meum iudicium mihi videtur in praefata declaratione, quae omnino necessaria est et mihi satis placet, non satis adesse distinctio nostrae religionis (verae) a ceteris coetibus religiosis ut v. g. in pag. 32 sub n. 30, linn. 38 ss.

Proinde humiliter propono ut in lucem melius ponatur differentia quae necessario inest inter veram religionem et ceteros coetus religiosos ne confusio magna oriatur, praesertim inter catholicos rudiores et simpliciores.

69

QUIDAM EPISCOPI INSULAE MADAGASCAR

N. 26, linn. 9-12: ad claritatem iuvat distinguere duplicem aspectum libertatis religiosae: 1. libertas intrinseca actus religiosi ut sit plene humanus et vere personalis; 2. libertas religionis exercendae in societate, sicut requirit dimensio socialis vitae hominis. Utile etiam est iam in hoc numero

asserere hanc libertatem existere quoad veritatem revelatam. Unde proponitur sequens redactio linn. 9-12: « ... in re religiosa sequatur. Inde exoritur: 1. ius ad libertatem assensus religiosi, ita ut homines religioni, etiam revelatae, adhaereant non ex coactione externa, sed secundum dictamen suae conscientiae; 2. ius ad libertatem religionis exercendae in societate, vi cuius homines religionem suam privatim et publice exercere valent nec ulla coactione ab ea exercenda prohiberi possunt ».

N. 26, linn. 12-15: sunt qui dicant educationem religiosam et promotionem conditionum socialium quae religioni sint consentaneae libertatem laedere, saltem in pueris. Ideo opportunum videtur explicite affirmare veram doctrinam de hac re; unde sequens redactio proponitur: « Adiumenta externa quae per praedicationem, educationem et conditiones sociales praebentur, non tantum libertati religiosae non opponuntur, sed etiam necessaria sunt ut omnes, vel singillatim vel in coetibus religiosis coniuncti, vocationi divinae libere et integre respondere possint. Unicuique autem homini pertinet ut influxus illos externos in vita sua libera et personali assimilet ».

[*Subscripserunt*] Ad. Messmer, év. d'Ambanja; M. Canonne, év. de Tulear; Martinez Angelo, év. de Tsiroanomandidy; Alph. Fresnel, év. de Fort Dauphin; C. Chilouet, év. de Farafangana; G. Ramanantoanina, arch. de Fianarantsoa; Jos. Zimmermann, év. de Morombo; J. David, év. de Majunga; C. Rolland, év. d'Antsirabe; J. Wolff, arch. de Diego-Suarez; J. Puset, év. de Tamatave; F. Thoyer, arch. tit. Odesso.

* * *

N. 29, pag. 31, lin. 19. Quod schema affirmat de iure conscientiae erroneae exaggeratum et falsum videtur. Etenim:

1. Contradictoria affirmantur. Ex una parte tenetur quod « nullus homo nec ulla humana potestas ius habet inducendi (eum qui falso interpretatur obligationem suam religiosam) ad operandum contra suae conscientiae dictamen » — ex altera parte declaratur rectores civitatis obstare oportere manifestationibus sensus religiosi quae dignitati personae et iuribus aliorum nocent. Sed tales manifestationes sensus religiosi prohibendo, rectores civitatis inducere possunt eos qui errant ad quid oppositum dictamini suae conscientiae.

Contradictio non tollitur per hoc quod gubernantes prohibere tantum debent usus perversos, non vero inducere ad positive operandum contra dictamen conscientiae. Etenim prohibitio iam infert oppositionem dictamini conscientiae, et hoc tantum importat. Immo perversi usus possunt esse actus negativi, v. g. non curare infirmos. Tales usus prohibendo, gubernantes ad positive operandum contra dictamen conscientiae inducerent.

2. Immerito eadem omnino vis absoluta tribuitur praescriptioni conscientiae erroneae ac praescriptionibus conscientiae verae, non tantum respectu subiecti qui ignorat se errare, sed etiam respectu aliorum. Non enim conscientia fons primarius et independens est obligationis moralis et religiosae, sed tantum promulgat exigentias naturae. Itaque praescriptiones eius

in tantum vim imperativam habent, in quantum exprimunt leges naturae.

3. Revera, assensus in veritatem sub lumine propriae conscientiae fieri debet. Et qui oboedit dictamini suae conscientiae, etiamsi erronea est, voluntate quidem ducitur Deo oboediendi, ideoque rectitudinem subiectivam servat. Exinde tamen id tantum sequitur quod non licet *hac sola ratione quod errat* illum inducere ad id quod suae conscientiae dictamini opponitur. Unde modificationem linn. 16-20 proponitur ut sequitur: Si quis igitur, quamvis conatus sit recte videre quid Deus in concreto ab ipso petat, in erroneam interpretationem incidat, nullus homo nec ulla humana potestas ius habet illum, *hac sola ratione quod errat,* inducendi ad id quod opponitur suae conscientiae dictamini.

[*Subscripserunt*] Ad. Messmer, év. d'Ambanja; M. Canonne, év. de Tulear; Jos. Zimmermann, év. de Morombe; C. Rolland, év. d'Antsirabe; Alph. Fresnel, év. de Fort Dauphin.

APPENDIX

APPENDIX

I

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE QUOAD SCHEMA DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA

ANTE PERIODUM III

1

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Huius schematis principia generalia sunt optima. Attamen nimis praestantes quaestiones servantur ad revisionem Codicis Iuris Canonici. Si Patres regulas firmas non dant in materiis maximi momenti, numquam Commissio postconciliaris habebit auctoritatem necessariam ad statuendum.

Sic de libertate quae tandem debet relinqui episcopo, pro iusta causa inter plures legitime enuntiatas, ad mutationem parochorum libertas procedendi, sane non arbitrario modo quia simplex recursus ad archiepiscopum possibilis esset, et ad quemdam alium archiepiscopum, determinatum ut in causis matrimonialibus, de aliquo archiepiscopo.

Consultatio aliorum sacerdotum etiam in Synodo electorum est methodus imprudens et anarchica.

Seriose considerandum est quod minutio fervoris inter parochos venit ab institutione, olim historice adprobata, sed hodie perniciosa beneficiorum et stabilitatis in officiis et functionibus. Sic parochia est pro parocho et non sacerdos pro parochia. Si non est plena reformatio in hoc puncto, non est utile loquendi de zeli renovatione in clero, de abnegatione et paupertate inter sacerdotes.

Exoptandum est valde ut determinentur materiae de quibus conferentiae episcopales possent statuere sine recursu ad Apostolicam Sedem:

1. de usu linguae vernaculae in liturgia saltem post determinationem factam ab aliquibus episcopis a Sancta Sede adprobatis;
2. de regimine et dispositione studiorum in seminariis;
3. de exercitio Actionis Catholicae atque apostolatus laicorum.

Dolendum est in isto schemate, nihil dictum de archiepiscopis et de facultatibus quae possint illis tribui ut vitetur centralisationis periculum.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI

Archiepiscopus Ianuensis

N. 3, pag. 5, linn. 21-24. Quod affirmatur probari nequit certo, nisi agatur de Concilio Oecumenico. Ergo dolendum est, quia non est conveniens affirmare propositiones quae certae non sunt. Cum certitudine scimus de Concilio Oecumenico, sed quaestio fieri posset adhuc utrum Concilium Oecumenicum sit iuris divini an iuris ecclesiastici. Ergo ne ultra progrediamur.

Bene deinde attendatur: haec propositio potest afferre divisiones et confusiones in Ecclesia, vel saltem easdem faciliores reddere.

N. 5, pag. 7 integrum textum considerando. Consilium huiusmodi potest esse limitatio libertatis et ideo plenitudinis potestatis in Primatu Romani Pontificis, saltem quia appareret extra iuridicum ordinem Pontifex qui eo consilio non utatur.

Evolutio huiusmodi Consilii, potest anxietates afferre Ecclesiae.

De hac re, ob reverentiam primatus Summi Pontificis, ne agat Concilium.

Iam adest Sacrum Cardinalium Collegium et male sonat instituti iteratio.

Nn. 9-10 integri. Cum Curia Romana sit instrumentum personale Summi Pontificis, Ipse agat pro sua conscientia. Non cohaeret cum reverentia debita Summo Pontifici de hac re agere in solemni documento conciliari. Haec materia Pontifici est remittenda et ideo non hic pertractanda. Scripta manent et scripta huiusmodi possunt gignere difficultates libertati Summi Pontificis.

3

REV.MUS P. D. IACOBUS ALBERIONE

Superior generalis Piae Soc. a S. Paulo apostolo

Pag. 7, n. 4, lin. 6. Tollerem verba: « vi consecrationis » ad vitandam quaestionem disputatam an episcopi « vi consecrationis » habeant non solum potestatem ordinis sed et potestatem iurisdictionis. Si hoc admittitur inconveniens exurgeret alicuius episcopi qui haberet iurisdictionem in Ecclesiam universalem et non in Ecclesiam particularem. Immo ipsi episcopi auxiliares (cf. nn. 23 et 24 schematis) iurisdictionem recipiunt vel a Pontifice vel ab episcopo residentiali (non vi consecrationis). Immo sede episcopali vacante, munus dioecesim regendi pertinere potest ad vicarium generalem etiamsi episcopus non sit et non ad episcopos auxiliares. Sunt consectaria quae non bene congruunt cum verbis allatis « vi consecrationis ».

N. 5. Tollerem; agitur enim de re quae pendet exclusive a Summo Pontifice. Hoc desiderium melius exprimi potest alio modo quam in textu decreti.

Pag. 9, nn. 9 et 10. Omitterem omnia quae dicuntur his numeris. Summus Pontifex enim *suam Curiam* sibi constituit, reformat, instaurat, renovat prouti vult. Mihi videtur in hac re plenam libertatem relinquendam esse Summo Pontifici.

Pag. 19, n. 32, lin. 7, loco: « sub sacrorum praesulum auctoritate », dicerem: « sub sacrorum praesulum et suorum superiorum religiosorum auctoritate et vigilantia ».

4

EXC.MUS P. D. GARABED AMADOUNI

Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Chapitre I, art. 5, Pars I. Cet article 5, qui traite du « Conseil Central Universel » ou « Consilium Centrale » en aide du Souverain Pontife, est exprimé sous la forme d'un vœu des Pères Conciliaires: « magnopere exoptant ». La tâche pour réaliser ce vœu est confiée au Souverain Pontife lui-même: « modis tamen et rationibus opportune statuendis, etiam, *si eidem S. Pontifici placuerit, in Coetum seu Consilium* quoddam convenientes ». D'ailleurs il ne pouvait pas être autrement.

Nous n'avons pas à objecter ni contre la conception de ce vœu ni contre le ton modéré de sa formulation. Ce qui nous paraît inconvenant et anormal, est de l'avoir placé parmi les Décrets du Concile lorsqu'il n'est qu'un simple désir ou vœu du corps des Pères, adressé à son Chef suprême. Il est susceptible de ne pas être approuvé, donc il pourrait être frustré complètement.

Dans le cas où il va mériter l'agrément de S. S. le Pape Paul VI, il n'y aura plus de raison de le garder sous forme d'un vœu, sous la formule conditionnelle.

Quant à la substance de ce vœu qui présente le noyeau de cet article 5, je me demande si un « Consilium Centrale » pourrait-être institutionnalisé par le Concile Œcuménique, même dans l'hypothèse favorable de l'approbation pontificale? Son rôle étant, dans l'hypothèse, au-dessus des Sacrées Congrégations Romaines, au niveau de l'autorité Primatiale du Pape, souveraine, pleine, immédiate; même après sa création, l'usage en restera toujours sous la dépendance du bon vouloir des Souverains Pontifes qui s'en serviront à leur gré; lorsqu'ils en éprouveront le besoin et l'opportunité.

Car, à la différence des Conciles Œcuméniques qui sont des assises extraordinaires, ce « Consilium Centrale », par sa nature même est conçu comme un *Organe Ordinaire* de consultation. Sa présence peut être utile, mais peut-elle aussi gêner l'absolue liberté de l'autorité suprême. Son rôle ne dépassant pas même celui d'un organe consultatif, il n'en reste pas moins un organe de regard sur l'exercice du *Primatus.* Il aura un peu le caractère d'un *Conseil Permanent Pontifical.* Et l'on peut s'imaginer un Successeur de St Pierre qui n'en veuille se servir. Alors il deviendra une structure superflue.

Pour toutes ces considérations, au lieu de Conseil Central, ne serait-il pas plus efficace l'apport de l'Episcopat Catholique dans le gouvernement central de l'Eglise, s'il choisissait et mandatait ou présentait de son sein des membres auprès des SS. Congrégations Romaines. Ces mandataires auraient tous les droits propres aux Cardinaux-Membres des Congrégations Romaines. Là ils jouiraient de la voix délibératrice égale à celle des Cardinaux. Ces Organes du St-Siège seraient ainsi mieux structurés, ayant aussi l'apport des évêques résidentiels. La nouvelle ordination de la Curie Romaine, projetée dans l'art. 9 de ce chapitre, serait réalisée.

Nous nous permettons de soumettre ces considérations au jugement des Pères conciliaires.

5

Exc.mus P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO

Episcopus Pisauriensis

Infrascriptus episcopus, Aloysius Carolus Borromeo, Ordinarius dioecesis Pisauriensis in Italia, in schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* has emendationes inducendas proponit:

1. N. 2, pag. 5, lin. 8, post verbum « plena » adderem verbum « immediata » vel « directa ».

2. N. 3, pag. 6, lin. 6, cum episcoporum munus censeam non determinabile ab Ecclesia sed iam determinatum a Christo, verbis « pressius determinare » verba sufficienda existimo: « melius declarare » vel « clarius proponere ».

3. N. 4, pag. 7, lin. 11, loco verbi « unitam » ratione latinitatis « concordem » dicerem.

4. N. 5, pag. 7, lin. 14, verbum « praesidii » expungerem, cum nimis dicere videatur.

5. N. 5, pag. 7, lin. 17, cum opportunum videatur a quo vel a quibus modi et rationes sint statuenda, loco verbi « opportune statuendis » dicerem « a Sancta Sede statuendis ».

6. N. 8, pag. 8, lin. 27, ad innuendum quod auctoritas Summi Pontificis potest causas sibi reservare, eas a iurisdictione ordinaria episcoporum subtrahendo tantum boni communis causa, post verbum « reservandi » adderem « quas commune bonum postulet ».

7. N. 8, pag. 8, lin. 29, post verba « in casu particulari » addendum puto « et ad tempus ».

8. N. 8, pag. 8, lin. 30, ratione latinitatis verbum « solet » in « soleat » immutarem.

9. N. 10, pag. 9, lin. 15, sermo est de « Catholicae Ecclesiae officia seu organa centralia » contradicendo iis quae rectius dicta sunt in eadem pagina sub n. 9, in quo eadem organa et officia dicuntur organa et officia Summi Pontificis, quae illius nomine et auctoritate agunt.

10. N. 12, pag. 10, linn. 23-25 et pag. 11, lin. 3, verba « ostendant, indigitent, exponant » minime placent; quia episcopi ius et officium est non tantum veritatem exponendi more accademico, sed auctoritative imponendi et assensum exigendi. Eorum loco, ergo, verbum « docere » repeterem.

11. N. 19, pag. 13, lin. 24, cum nulla alia competens auctoritas detur in casu praeter Romanum Pontificem, de eo expressam mentionem faciendam puto. Dicerem ergo: Summus autem Pontifex, si illam acceptaverit...

12. N. 24, pag. 16, linn. 24 et 25, loco verbi « mutuo se consulere ne omittant » dicendum puto: « Coadiutus nonnisi audito coadiutore agat; coadiutor vero de consensu tantum coadiuti, nisi speciali facultate praeditus sit ».

6

Exc.mus P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER

Episcopus Chimscienensis

Placent sequentia. Affirmatio vel reaffirmatio episcopale munus conferri per sacrum ordinem, consecrationem episcopalem, pag. 5, n. 3.

Collegialitas, pag. 7, nn. 4 et 6, pag. 5, n. 3, pag. 34.

Consilium Centrale ad latus Summi Pontificis, pag. 7, n. 5, pag. 34 et 35.

Conferentiae episcoporum pag. 15, 21, 22, 42. Simulque placeret conferre omnibus episcopis ius ad votum deliberativum, pag. 23, lin. 13.

Mutatio termini « sacerdos saecularis » in terminum « sacerdos dioecesanus », « clerus dioecesanus », pag. 17, n. 26.

Cooperatio religiosorum in cura animarum, pag. 19, 21, 22, 42.

7

Exc.mus P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI
Archiepiscopus Taeiuenensis

1. In cap. I, art. 5 de coetu seu Consilio Centrali non placet. In Ecclesia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Ceterum tale Consilium est et superfluum, et periculosum, et iniuriosum Supremae Auctoritati. Sufficiat Collegium S. R. E. Cardinalium, quod Collegium, si videatur SS. Domino, perficiatur, et saepius Romam convenire iubeatur. Dixi perficiatur, ita quidem ut numerus Cardinalium sufficienter repraesentet omnes populos et nationes, et ritus. E. g. patriarchae orientales — et etiam latinorum Hierosolymitanus — opportune in Collegium Cardinalium cooptentur. Nonne maxima pars Cardinalium sunt episcopi residentiales? Nonne ipsi dignius, sapientius, voces aliorum episcoporum audire et exponere valent? Ceterum Romanus Pontifex semper potest alios quoscumque Episcopos, si placet, audire sine novo coetu.

2. Item, in cap. I, art. 10 deleatur quia superfluus. Sufficiant ea quae habentur in art. 9. Non sunt ligandae manus Summi Pontificis. Et non est nostrum docere Petrum.

8

Exc.mus P. D. ALFREDUS CAVAGNA
Episcopus tit. Tianus

Art. 5, pag. 7. Mihi liceat suspensionem seu interruptionem textus commendare ad lin. 17, post verba « opportune statuendis ».

Nam, si iam antea constat quod res Romano Pontifici « placet », tunc superflua essent verba « si eidem Summo Pontifici placuerit ».

Si autem voluntas Summi Pontificis ignoratur, textus conciliaris sine hoc inciso disponatur; omnis enim textus conciliaris probari debet non ab episcopis tantum, sed et a Romano Pontifice.

Art. 9, pag. 9. Eadem incongruentia, de qua supra, habetur etiam in altera parte art. 9, lin. 6, quae incipit verbis « Exoptant autem ».

Art. 10, pag. 9. Idem de quo supra. In textu definitivo sufficeret affirmare Curiam Romanam aptius aptandam esse hodiernis Ecclesiae necessitatibus, et simul declarare quod instituendus est « Coetus seu Consilium episcoporum diversarum orbis regionum ». Ipsa munerum distributio, sicut etiam relationes inter « Coetum episcoporum » et cetera Ecclesiae dicasteria, practicis normis per « Mandatum generale » promulgandis temperabuntur, uti habetur in art. 42, pag. 25.

A proposito di quanto è detto nel *Prooemium* n. 3 e al capo I, n. 5, ci sia consentito osservare quanto già si è indicato a proposito dello schema *de Ecclesia* e quindi a proposito di dottrine che non hanno ancora acquistato un consenso universale.

Sarebbe preferibile al Concilio limitarsi a quanto universalmente è accettato dalla Chiesa e a proposito di nuove definizioni sarebbe preferibile attenersi alla norma di Papa Giovanni XXIII nel discorso di apertura del Concilio, di astenersi cioè dal proclamare nuovi dogmi, come d'altronde anche lo schema *de Ecclesia* nel capitolo della B. Vergine al n. 52 di pag. 198 ha saggiamente dichiarato.

9

Exc.mus P. D. IOSEPH PHILIPPUS COLAÇO

Episcopus S. Iacobi Capitis Viridis

Attente perlecto schemate decreti *de pastorali munere episcoporum in Ecclesia,* haec quae sequuntur mihi videntur observanda:

1. Cap. I, I, 4. Secunda paragraphus ita mutetur: « Eandem potestatem collegialem exercent episcopi etiam per orbem dispersi, quotiescumque inter se et cum Romano Pontifice consentientes idem docent vel decernunt ».

2. Cap. II, III, 28. In lin. 18 addatur: pueros et iuvenes magna sollicitudine amplectentur.

3. Cap. II, III, 33, 3). In lin. 22 supprimatur verbum « potissimum » (limites exemptionis in quantum possibile clare determinari debent, ne ex fluctuatione verborum oriantur diversae interpretationes et conflictus).

4. Cap. II, III, 33, 4). In lin. 34 post verba « ad varia apostolatus opera » addatur « et associationes »; inter verbum « associationes » et « necnon » ponatur: « ad cuiuslibet generis quaestuationes pecuniae ».

10

Exc.mus P. D. IOANNES E. CRAWFORD

Episcopus tit. Caffenus, vic. ap. Insularum Salomonicarum Occidentalium

Schema placet. Attamen, aliquid dicere debet de seligendis candidatis pro episcopatu — re maximi momenti. Modi, pro obtinendis nominibus candidatorum, hodiernis temporibus in vigore, non adaequate provident de consulendo clero religioso ad obtinenda nomina sacerdotum dignorum ad episcopatum.

Una, sed non sola, via ad hunc defectum tollendum esset: S. Congregationem requirere ut superiores maiores religionum, simili modo ac episcopi, nomina eorum, quos dignos existimant ad episcopatum, certis temporibus submittant (forsitan alius, et melior, modus pro obtinendis nominibus commissioni placeret).

Ratio huius submissionis est: quia, in aliquibus regionibus, religiosi, quamvis dignissimi, numquam vel fere numquam ad episcopatum elevantur — nisi sit quaestio de nominatione episcopi pro dioecesi missionaria alicui instituto religioso concredita.

11

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS A IESU CUETO GONZÁLEZ

Episcopus Tlalnepantlanus

N. 22 non placet ut iacet. Non esset in bonum animarum conferentiis episcopalibus, ius tribuere immutationes, innovationes, etc. dioecesium Apostolicae Sedi proponendi. Utilitas enim personalis, mentalitas peculiaris necnon et praeiudicia essent certe obstaculum ut res serene et aeque ab ipsis perpendatur quorum dioeceses essent innovandae. Idem esset ac parochis ius tribuere eorum paroeciarum immutationes proponendi.

Relinquatur uni Sanctae Sedi hoc ius, auditis episcopis quorum interest, et, si placet, etiam conferentiis episcopalibus proponere liceat.

12

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Schema placet. Aliquos modos vel animadversiones propono.

Pag. 10, lin. 12. Quid intelligendum verbis « quae non sunt ex ovili Christi »? Utrum sic « fratres separati » comprehendantur et tunc mutanda est pericope, cum dicere ab episcopo satagendum esse ut Christo fratres separatos lucrifaciat, sit difficillimum. Expediat tamen in memoriam revocari episcopo omnes in dioeceseos territorio degentes, sive christianos, sive non, ipsimet esse in Domino commendatos. Quod quidem parochis indicitur pag. 18, lin. 1.

Pag. 11, lin. 5. Post « populorum » addere « et stirpium ».

Pag. 12, lin. 23. Post « spiritualium » addere « pastoralium ».

Pag. 13, lin. 16. « Nomades »: sic in nota 14, pag. 27, definiuntur ut accuratione dicta indigeant. Eorum enim multae sunt categoriae quae, in utraque definitione non comprehendantur; velut pastores, nautae, circitores, technici opifices peritissimi... Nomadum definitio quos « tziganes », « gitans » vocant culturam cultumque vitae eorum spiritualem parvi facit.

Linn. 17-18. Nota 15 (pag. 27) rationem non ducit casuum qui, in dies, numero augeantur: familiarum v. g. quae, ultima quaque hebdomadis die (week-end) domicilium deserunt vel duo iam habent domicilia quorum prius laboribus, alterum otio destinatum, quod, in futuro, per tres vel quatuor dies protrahi possit. Quis tunc illorum fidelium erit proprius parochus? I. C. legislatio circumstantiis aptanda est hodiernis.

Pag. 16, lin. 30. Hic intexendum est comma in nota 17 (pag. 28) propositum.

Pag. 18, lin. 28. Post « aetatem » addatur « aliamve gravem causam » ut de episcopis dictum est pag. 13, lin. 22. Episcopus enim quandoque debet parochum non tantum ad alterum officium transferre, sed etiam ipsi dimissionem imponere ob aliam causam ac « ingravescentem aetatem »: utputa ob virium deficientiam, officii gerendi inscitiam periculumve scandali etc.

Pag. 20, linn. 9-10. Hic loquendi modus, ratione etiam habita eorum quae in nota 22 dicta sunt, non sufficientem specificae vocationis respectum ordinum seu institutorum habere videtur cum sonet quasi vocatio illa internum quemdam pietatis exercitiorum ordinem non autem apostolatus formas respiciat.

Pag. 20, lin. 12. Inter vitae contemplativae et activae, instituta vitae mixtae ignorari videntur. Utrum etiam, vi huiusce textus verborum, sic dicti « Petits Frères de Jésus », ut paroeciae officium assumant, obligari queant? Melior loquendi modus in *de Ecclesia,* pag. 156, linn. 22-29.

Pag. 20, lin. 34. Sub verbis « varia apostolatus opera » intelligendum sit, ius episcopo competere ut omnes scholas, intra dioeceseos limites, inspiciat: I. C. enim hodierna legislatio, iuribus episcopi circa religiosorum scholas, limites imponit exiguiores.

Pag. 25, n. 42. Non in cap. III, articulus ille habeat locum cum mandatum de quo agitur quaestiones aliis in decreti capitulis tangat.

13

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

1. Humiliter puto in hoc schemate firmius esse affirmandam necessitatem virtutis evangelicae paupertatis pro episcopis, quam de facto factum est. Caritas enim pastoralis, quae forma excellens sanctitatis episcoporum exhibetur, episcopos impellit, ut a possessione privata omnino abrenuntient atque omnia communia cum sua dioecesi habeant.

Ideo propono; ut in pag. 12, lin. 11, post verba: « et vitae simplicitate » addantur verba: « *Maxime vero in evangelica paupertate* ». Nam Christus Dominus verba de paupertate servanda et de abrenuntiatione omnium quae possidentur imprimis dixerat suis apostolis eorumque successoribus episcopis, qui Magistrum suum in paupertate perfecta, *prae omnibus aliis* Christi discipulis, sequi debent.

2. Ad pag. 20, lin. 15, propono ut repetatur prohibitio Concilii Tridentini, quominus paroeciae conventibus religiosorum « incorporentur » ita, ut episcopi plenam potestatem in eorum dioecesibus retinere possint.

3. Ad pag. 23, lin. 20, exopto, ut addatur sequens (vel similis) propositio: « ... quae omnia officia, incluso *officio praesidis, per suffragia secreta ad determinatum tempus* eligi in ipsis conferentiis episcopalibus et a S. Sede adprobari debent ». *Ratio* est: ut magis tueatur libertas episcoporum et caritas fraterna eorum. Nam dantur conferentiae episcopales in quibus praeses nominatus a S. Sede semper remanet idem, quod tandem aliquando vertitur ad damnum ecclesiae et fraternae caritatis episcoporum eorumque collegialis aequalitatis. Accidit quoque ut ob quamdam reverentiam erga provectum praesidem in diebus suis differatur nominatio iunioris eius successoris, quod vero non evenit absque damno pro ecclesia illa particulari. Si autem praevidetur in schemate electio ad tempus, tum eiusmodi damna pro Ecclesia eliminabuntur et vitalitati ipsius conferentiae episcopalis necnon caritati episcoporum magis consuletur.

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH FELIX GAWLINA

Archiepiscopus tit. Madytensis

Die 13 martii misi Pont. Commissioni de coordinandis Consilii laboribus, quae sequuntur litteras:

Dulcis memoriae Ioannes Papa XXIII anno 1960 dignatus est studio commissionis « de episcopis et de dioeceseon regimine » quattuor committere quaestiones, quarum una « de emigrantibus » agit cum adnexo commentario: « Media apta expendatur quae emigrantibus auxilium praestent ad fidem moresque integre servandos ».

Quaestio haec in ultima redactione commissionis conciliaris ad duo solummodo verba (« uti sunt *quamplurimi migrantes* ») reducta est quod nec intentioni Summi Pontificis nec bono migrantium congruere videtur.

Thema hoc in commissione praeparatoria pluries et quidem profunde discussum, elaboratum, emendatum, perfectum est.

Agitur enim de re maximi momenti iam a Concilio Lateranensi IV, postea a S. Pio Pp. X, Pio Pp. XII, Ioanne Pp. XXIII, denique a f. r. Paulo Papa VI tractata, cuius apex famosa Constitutio Apostolica *Exsul Familia* est.

Ultimis temporibus gravitas quaestionis de qua agitur, deportatione, translatione gentium, emigratione tam libera quam et coacta etiam aucta imo crescet ratione habita sic dicti « mercatus communis », quando nempe migrantes nec tesserae (passaporto) nec aliarum indigebunt limitationum.

Quapropter liceat mihi votum proferre ut serventur in textu conciliari saltem quae in schemate decreti *de cura animarum* anno 1963, pag. 31, § 48 proposita sunt atque addatur: « Constitutio Apostolica *Exsul Familia* recognoscatur et compleatur ».

Nunc autem liceat mihi quae sequuntur *addenda* in n. 18 schematis decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* excellentiae tuae rev.mae transmittere:

« N. 18 (*Quorumdam fidelium coetuum singularis sollicitudo*):

1) Peculiaris sollicitudo etc. ... Aptae methodi pastorales etc. ...

2) Sedulo instructiones et normae serventur quae ab Apostolica Sede statutae sunt de spirituali praefatorum fidelium coetuum cura, eaeque, quatenus opus sit, pressius determinentur pleniusque compleantur et temporum condicionibus accommodentur.[1]

Praecipue vero accurate exsecutioni mandentur praescripta de commissione episcoporum, de comitatibus dioecesanis, de subcomitatibus paroecialibus constituendis, de paroeciis personalibus vel missionibus erigendis, de iure quod emigratis et alienigenis competit deque sacerdotibus seu missionariis aptis et idoneis ad huiusmodi apostolatus officium addicendis ita ut actio pastoralis in bonum eorumdem fidelium coetuum ubique efficacior evadat et coniuncta procedat ».

---

[1] S. PIUS X, Motu proprio *Iampridem*, 19 martii 1914: *A.A.S.*, 6 (1914), p. 174; PIUS XII, Const. Apost. *Exsul Familia*, 1 augusti 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 652; *Leges Operis Apostolatus Maris*, auctoritate Pii XII conditae, 21 novembris 1957: *A.A.S.*, 50 (1958), p. 375.

15

EXC.MUS P. D. AEMILIUS MAURITIUS GUERRY
Archiepiscopus Cameracensis

Animadversiones circa quaestiones ab exc.mo Carli positas.

De titulo schematis: *De pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Titulus electus mutandus non est.

1 argumentum: *Concilii pastoralis character.* Ab initio, Papa Ioannes XXIII expresse monuit Concilium Vaticanum II charactere essentialiter *pastorali* instruendum esse. S. S. Paulus VI, pluribus temporibus, illum Concilii pastoralem characterem animadvertit: v. g. loquendo de secunda sessione, S. S. Pater dixit ipsam pastoralis directionis Concilii numquam oblitum fuisse (Alloc. 4 dec. 1963).

Atqui, unum de principiis schematis, in quo maxime clarissimeque haec pastoralis directio manifestari possit, praecise est istud quod ad munus episcoporum attinet.

Hoc vocabulum: « pastorale », in schematis titulo supprimere mihi ergo videtur adversus magna obiecta Concilii procedere, adversusque S. Pontificum intentiones.

2 argumentum: *propositus titulus « de exercitio », qui illius locum sumeret, subiecto tractato non convenit.*

Etenim non agitur, proprie loquendo, in nostro schemate de muneris episcopalis *exercitio*: obiectum erit practici « directorii » quod subsequetur, et in concretas exercitii applicationes descendet. Hic agitur de generalibus regulis, quae modum pastoralem spectent episcopi functiones concipiendi.

3 argumentum: *rationes inventae ad titulum mutandum non probant.*

1. Schema *de Ecclesia* naturam, originem et fines exposuit trium functionum sub aspectu *theologico,* non vero sub *pastorali* aspectu: hic tractari debet, et in hoc praecise, ratio essendi habetur nostri schematis.

2. Numerus 11 « munus regendi ac pascendi » considerat. Hoc munus est spiritualis et pastoralis gubernii, sed non omnes aspectus comprehendit episcopi muneris pastoralis. Etenim unaquaeque aliarum duarum functionum episcopi (scil. munus docendi, munus sanctificandi) ab hoc munere pastorali pendet. Iesus Bonus Pastor non fuit, tantummodo gregem suum antecedendo, ut eum sua auctoritate duceret: Bonus Pastor est, suam missionem docendi, suam missionem sanctificandi exercendo.

Est modus pastoralis *docendi.* Episcopus enim gregem suum docet, non ut theologiae aut iuris canonici professor: praecise eum docet ut *pastor,* curam sumens ut intelligentias attingat, res mentibus aptando, faciles ad se aditus praebens, difficultatibus propriis sui gregis respondendo. Ad hoc etiam Concilium mentes direxit (cf. nn. 12, 13, 14).

Ita etiam de eo quod ad *munus sanctificandi* attinet. Modus est enim pastoralis id adimplendi, e. g. conando ut totum populum suum attrahat ad paschale mysterium participandum, itemque sacrum missae sacrificium (cf. n. 15).

Modus est vere pastoralis sacramenta ministrandi, alterque modus qui est « functionariorum », qui unice curam habeant munus exercendi secundum exteriores ritus. Verus pastor sollicitudinem habet fideles educandi in fide vivente, cum sacramenta adeant.

Concluditur. Quod titulum maneat, omnino principalis momenti est.

I - Circa prooemium.

N. 2, lin. 11. Placet emendatio.

N. 3, lin. 21. Utique! Verba haec « per consecrationem episcopalem » omitti possunt, saltem in hac phrasi. Non quidem, quia veritas hic enuntiata in dubium adduceretur, sed tantum quia ex una parte haec affirmatio in hoc textu necessaria non est, ex altera, quia cum nova videatur, et adiungenda esset aliqua explicatio, quae phrasim praegravaret.

N. 3, lin. 25. Utique! Loco verborum « illud *quoque* exerceat » melius videtur dicendum: « illud *praesertim* exerceat ». Attamen rationes a R. D. Carli allatae mihi non videntur probare. Quoniam, de facto, auferentur verba « per consecrationem episcopalem » iam non necesse est quaestionem movere an episcopus consecretur « prius et per se ad bonum universalis Ecclesiae, etc. ». Pro parte mea, credo hanc esse insignem veritatem denuo aperiendam. Sed quaestio in hac paragrapho tractata de participatione agit « sollicitudini omnium ecclesiarum, communionem agendo cum Papa subque eius auctoritate ».

Porro, quamvis caput sit Ecclesiae suae peculiaris, episcopus debet, in ministerio suo proprio, constanter curare ut limites excedat dioecesis suae, neque in seipsum nimis se recipiat; debet vero communionem componere cum corpore et capite, sensum habere Ecclesiae catholicitatis, suaeque participationis apostolicae missioni Collegii, ad universalem Ecclesiam extendendam, utque ipsa vocationi suae missionariae fidelis maneat. In hoc fundatur insigne illud officium cooperandi Ecclesiae missionariis operibus atque Summis Pontificibus respondendi, qui instanter petunt ut nimis pauperibus regionibus adiuvemus.

Pag. 6, lin. 6. Maneat textus qualis est « intendens pastorale episcoporum munus ».

II - Caput I.

Titulus « de episcopis quoad universam Ecclesiam » non nimis ornatus est. Sed commoditatem praebet, in eo quod sit clarus, brevis, simplex et utilitates det capita distinguendi: scil. id quod attinet ad missionem erga universalem Ecclesiam, id vero quod attinet ad missionem erga peculiarem Ecclesiam.

Pag. 7, n. 4, lin. 1. « Supremam ac plenam potestatem ». Loco « plenam » dicatur: « universalem potestatem ». Placet.

Lin. 3. « Una cum Capite suo Romano Pontifice ». Num addi debeat: « atque sub eiusdem auctoritate »? Omnino concors quoad rem. Sed constans eiusdem formulae repetitio tantum insistit, ut in episcopos inofficiosa sit: quasi egerent ut unoquoque passu iterum atque iterum audiant se summis Pontificibus subesse, quia de hoc dubitare possent. Vicibus pluribus, iam hoc enuntiatum fuit. Sufficit.

Lin. 5. Potest dici: « in quo convocante aut saltem confirmante Summo Pontifice congregantur, iudicant et decernunt tamquam veri fidei iudices et doctores ». Si hoc non notatur, videmur in dubium vocare titulum quo ad Concilium episcopi potiuntur.

Pag. 7, n. 4, lin. 12. Utrum tota haec paragraphus tolli debeat, ut petit R. D. Carli? Non puto: nempe utilitatem suam habet.

a) Phrasis: « Quare episcopi... » positi principii vera est logica applicatio. Quaestio enim agitur de collegiali potestate quam exerceat episcopale collegium quod Concilio sub Papae auctoritate congregetur. Tunc petitur: « Quis ergo Concilio partem habeat »? Respondet phrasis: « Quare episcopi... » dummodo

illius duas conditiones afferant, *a*) episcopalem consecrationem, per quam in episcoporum corpus ingrediantur, *b*) communionem cum Summo Pontifice.

b) Utrum necne, quaestioni huic theologicae studuerit theologica commissio, et eam solverit?

Si non, evidens est eam non esse hic movendam.

Si e contrario ei studuerit, multum interest ut hoc episcoporum capitulum sine ambiguitate concors appareat cum affirmatis veritatibus in schemate *de Ecclesia.* Si non concors, producentur in mentibus molestae ambiguitates... Laborum Concilii commentatores alia aliis capitula opponentur.

Quod Vaticanum I hanc quaestionem non aggressus fuerit, impedire non debet quin ei studeat Vaticanum II. Non est verum dicere Vaticanum I hanc quaestionem solvere *noluisse.* Verum quippe est, id eam tractare non *potuisse,* quia exterior eventus scil. bellum anni 1870 ab hoc id impedivit, ipsum interrumpendo.

c) Sane, speculativa quaestio quasdam difficultates porrigit, nempe historicas et theologicas. Sed Concilium Vaticanum II ad hoc presse congregatur ut eas aggrediatur, eis respondeat, sic dubiis finem apponat.

V. g. forte recteque possemus sequentem distinctionem proponere: *vi consecrationis,* omnes episcopi, etiam titulares, membra sunt episcopalis corporis, et hoc titulo, ius habent ut Concilio aggregentur. « *Ius divinum* ». Quoad voti naturam (consultativi vel deliberativi) clarum est eam *ab iure ecclesiastico* pendere: hoc ius igitur decernere potest, votum consultativum, in casu, regulam facturum esse, quia titularium episcoporum sententia utilissima esse potest, sed consultativum votum sufficeret quia titularis episcopus alicuius dioecesis onus directum non portat.

Chimaerica hypothesis S. Pontificis non consecrati qui sibi proponeret ut Concilium aliquod oecumenicum, convocaret eique praesideret, intricare non debet insignis ponderis problema. Electus Pontifex, antequam de congregando Concilio aliquo cogitet, quod pro parte sua valde imprudens esset, prius de seipso consecrando cogitare deberet. Quomodo enim sibi vindicare posset, ut Concilio praesidendo, Corporis episcopalis visibile caput esse, si non cooptetur, vi consecrationis, episcopali corpori, qui ante ipsum existit.

d) « ... in communione cum ... membris ». Utique, hoc supprimi potest.

Pag. 7, n. 5. Placet emendatio R. D. Carli. N. B. In hoc schemate, dicitur « exoptant ». Attamen in schemate « de apostolatu laicorum », n. 20, pag. 18, lin. 6 « constituatur » apud S. Sedem. Concordes sint formulae!

Autres remarques.

Pag. 12, n. 15, lin. 2: de sacerdotii participatione. Dicitur: « diaconi ac *ministri* varia quidem ratione ». Quinam sunt illi ministri? Can. 6 (23 Sess. Trident.) dit « presbyteris et ministris » quod omnes theologi entendent au moins des Diacres. Mais beaucoup ne l'entendent pas des autres ordres (sous-diaconat et ordres mineurs) « per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur », dit le can. 2 (Denz. 962). Est-il opportun de soulever cette question?

Pag. 12, n. 16, lin. 30: « necnon novarum actionis pastoralis rationum ». Pourquoi restreindre aux « novis »? Il y a des prêtres qui ont besoin d'être informés sur des aspects pastoraux ou des mouvements qui, tout en étant anciens sont pour eux « nouveaux ».

Pag. 18, n. 28, lin. 17: devoir du curé de visiter « domos et *scholas* ». Il

faudrait ajouter « christianas », les institutions d'Eglise. Car dans des pays (comme la France) ce texte publié serait interprété par beaucoup comme une manifestation de la volonté de puissance de l'Eglise et de son « cléricalisme ».

16

EXC.MUS P. D. IOANNES CARMELUS HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

In conventu archiepiscoporum et episcoporum Angliae et Cambriae recens habito ad quaedam consideranda schemata constitutionum, decretorum, propositionum et votorum de quibus deliberabitur in proxima sessione Sacrosancti Concilii, ego, ut qui praeses perpetuus sum conferentiae episcoporum, iussus sum sequentes animadversiones excellentiae tuae remittere.

De pastorali munere episcoporum in Ecclesia. In cap. I necesse est ut scopus actionis collegialis clarior fiat. Verbis praesentibus videtur magisterium ordinarium episcoporum excludi ex actione « collegiali ». Attamen cum hoc magisterium tutius est contra errores quam doctrina cuiuscumque singuli episcopi, exemplar quodam modo primarium actionis collegialis nobis quidem esse videatur.

In capitulo altero quaestio proponitur libertatis ab iurisdictione territoriali auctoritatis localis. Quamquam inesse utilitates in exercitio iurisdictionis personalis quoad nationes singulas aut addictos singularum professionum pateat, bonus ordo requirit ut huic principio finis certus et cautus assignetur.

17

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS
Praepositus generalis S. I.

Prooemium huius schematis, pagg. 5-6, repetit idque fere iisdem verbis, ea quae iam dicta sunt in schemate *de Ecclesia,* pag. 59 et seq., passim. Melius omittitur.

Pag. 7, n. 4, linn. 6-7: si episcopi, vi consecrationis, partem habent in Concilio, quomodo declaratur Ecclesiam id non agnovisse, immo contrarium statuisse (*Cod. Iur. can. latini,* can. 223): « Vocantur ad Concilium... episcopi residentiales etiam nondum consecrati »? et « Etiam episcopi titulares, vocati ad Concilium (igitur non vi consecrationis ius habent, sed vocari possunt a Romano Pontifice) suffragium obtinent deliberativum, nisi aliud in convocatione expresse caveatur (igitur tota res pendet a Romano Pontifice; iura non conferuntur vi consecrationis).

Ceterum non recordor alicubi accuratius describi munus episcoporum « titularium », qui nullam regendam acceperunt Ecclesiam; quo iure aequantur episcopis residentialibus, successoribus apostolorum?

Pag. 7, n. 5: quamquam textus cum magna prudentia exaratus est, minus tamen placet ut ea quae episcopi etiam multi privatim Pontifici proponere possunt, ab episcopis in Concilium adunatis proponantur. Ita enim videntur duae potestates esse, ex una parte Summus Pontifex, ex altera parte Concilium.

Eadem pagina, n. 6, desideratur mentio Capitis Ecclesiae, sine quo collegium episcoporum nihil potest quod ad universam Ecclesiam.

Pag. 8, linn. 7-8: quaeret quis quomodo possint episcopi curare ut apti

praeparentur auxiliares religiosi pro missionibus, nisi agatur de Congregatione dioecesana? Sola auctoritas supradioecesana et plerumque universalis hoc potest.

Pag. 8, n. 8, linn. 26-27: Summus Pontifex potest non tantum « causas sibi reservare », sed vi iurisdictionis episcopalis et immediatae in omnes fideles, intervenire ubi id sibi expedire videtur.

Pag. 9, n. 9, linn. 6-11: idem adverto quod supra ad n. 5. Praeterea parum decet ut Concilium votum iteret de re quam Summus Pontifex ipse iam nuntiavit futuram.

Pag. 9, n. 10: idem adverto.

Insuper non apparet quomodo episcopi residentiales possint saepius et ad longius tempus abesse a suis dioecesibus, prout requirit labor Curiae Romanae.

Pag. 12, n. 17, linn. 33-34: tenentur quidem fideles vi baptismatis ad diffundendam pro sua parte Regnum Dei; non tamen probatur, et videtur a praxi Ecclesiae alienum, ut eis imponatur « officium » allaborandi determinatis coetibus vel operibus.

Pag. 19, n. 31, lin. 15: quo iure dicitur ut religiosi non contemplativi « ad externa quoque apostolatus opera *impensius* accedant »? Singula Instituta servare debent normas sibi a S. Sede vel ea approbante impositas.

Pag. 19, n. 32, linn. 19-20: Religiosi « vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere dicendi sunt »: adeo parum pertinent ut possint semper in aliam dioecesim destinari... Vitemus verba sensu vacua, et nos conformemus veritati rerum.

Pag. 20, linn. 13-14: probari non potest, nam religiosi plerique debent ante omnia praesto esse et manere Summo Pontifici pro necessitatibus totius Ecclesiae vel partium quae magis indigent. Si potest episcopus de iis disponere, actum est de libertate Summi Pontificis de iis disponendi in bonum aliarum partium Ecclesiae in specie Missionum.

Pag. 20, linn. 20-25: saepius dictum est exemptionem religiosorum potissimum, respicere ordinem *internum* Institutorum. Qui talia dictitant, ignorare videntur quantum momenti habeat activitas externa et apostolica religiosorum in ordine ad eorum vitam internam et spiritualem. Quoties debent superiores religiosi activitatem externam suorum minuere, mutare, supprimere, ne illi a perfectione prosequenda vel immo a via salutis aeternae decidant. Proinde non potest relinqui episcopis cura disponendi simpliciter de activitate externa religiosorum. Hinc non sine addito nec correctione admitti potest id quod linn. 27-29 affirmatur.

Plene e contra probo ea quae dicuntur linn. 30-34.

Iterum ambigua sunt nec sine addito probari possunt ea quae dicuntur pag. 21, linn. 1-2: ea omnia quae spectant « ordinem publicum », ut dicunt iuristae, bene; cetera??

Pag. 24, nn. 37 et 38: non decet ut Concilium normas praescribat Summo Pontifici. Idem dic de n. 39.

18

REV.MUS P. D. GERMANUS M. LALANDE

Superior generalis Congr. a S. Cruce

Ad 4, lin. 6. Secundum textum propositum, episcopus simpliciter nominatus aut electus non adhuc pertineret ad collegium episcoporum, ideoque non posset interesse Concilio oecumenico. Estne vera intentio Concilii?

Ad 4, linn. 8-12. In ista paragrapho, agitur de eadem episcoporum collegiali potestate ac in prima paragrapho. Secundum actualem formulationem, forsitan dubitare aliquis potest num verus actus collegialis exercetur quando Summus Pontifex solum aliquos episcopos, et quidem separatim, consulit aut eorum actionem, etsi communem intra eamdem regionem, approbat.

Ad 6, lin. 4, pag. 8. Vocabulum « *propagationis* » mihi videtur, saltem nostris temporibus, habere sensum persuasionis aliquatenus oppressivae, ideoque offendere spiritui Oecumenismi. Nonne melius esset uti alterutro vocabulo: « *annuntiationis* » aut « *proclamationis* »?... Sic innovatur in schemate VI, *de Oecumenismo,* art. 30, lin. 39.

Ad 8, linn. 28 s. Mihi videtur melius addere vocabulum « *dioecesanis* », post verba: « singulis episcopis ». Aliter enim, quis posset attribuere facultatem dispensandi omnibus episcopis, quidem titularibus: quod est manifeste contra mentem! Insuper, ob maiorem claritatem, sic totum paragraphum scriberem: « Insuper singulis episcopis *dioecesanis* facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi, *in suo territorio vel ubique eorum fideles,* quoties id... ».

Ad 10, lin. 21. Post verba « magis audiant », adderem: « *etiam tamquam consultores* », ut expresse statuatur laicos quidem posse accipere officium consultoris Apostolicae Sedis vel dioecesanae curiae. Etenim, scientia et experientia in campo theologico vel iuridico non ad solos consecratos ministros Ecclesiae pertinent.

Ad 19, lin. 23. Dicendo solummodo: « *competenti auctoritate* » pro « Apostolica Sede », estne invitatio ad habitualiter delegandum sive nationalem episcoporum conferentiam sive archiepiscopum ut cuiusdam episcopi demissionem postulat et recipiat?

19

EXC.MUS P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA

Episcopus Cauriensis-Castrorum Caeciliorum

Schema diligenter consideratum nobis placuit, igitur commissioni redactionis gratias agimus summopere ob laborem impensum et textum praeclarissimum effectum.

Nihilominus ut ordo pariterque claritas elucescant in omnibus aliquas emendationes vobis intendimus proponere. Sic:

Quamvis totum cap. II nobis placet ex integro, attamen gratia claritatis aliqua addenda vobis expendere volumus.

I. Quarum primam invenimus in art. 28, pag. 17, lin. 34 dicente: « Parochi praeterea meminerint omnes in territorio suae paroeciae degentes, sive christianos, sive non, semper sibi commendatos esse in Domino ».

Addatur: « Parochi ... sive *catholicos,* sive christianos, sive *infideles...* semper sibi commendatos esse in Domino, *etsi unicuique eorum diversa ratione servire debet* ». *Rationes*:

1. Omnes homines hisce in terris sunt membra Corporis Christi mystici, licet aliter et aliter. Ideo pro omnibus debet curare sacerdos...

2. Missio Christi non est pro solis ovibus fidelibus sed etiam pro aliis: « Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili et illas oportet me adducere » (*Io.* 10, 16).

3. Magnopere vero catholicos attendere debet:

a) « Operemur bonum ad omnes, *maxime ad domesticos fidei* » (*Gal.* 6, 10).

b) Ex ordine caritatis: Magis diligendi sunt ii qui nobis magis propinqui sunt.

II. In eodem articulo eiusdem cap. II, pag. 18, lin. 17, post assertionem officii parochorum: « Domos igitur et scholas visitent », addatur: « quoties munus pastorale id exigat ». *Rationes*:

1. Ratio actionis pastoralis alia non est nisi, ut recte notat schema, bonum animarum: « Salvum facere quod perierat » (*Lc.* 19, 10).

2. Non omnia quae sunt in mundo accipere possunt Spiritum Sanctum, sicque praesentia sacerdotis in his adiunctis non tantum vacua esset, sed etiam nociva pro se aliisque.

3. Natura humana in statu naturae lapsae et reparatae debet diligenter roborari gratia Christi; praesertim actio sacerdotalis ut aeque sit ac actio Christi: « Ut vitam habeant et abundantius habeant ».

III. In eodem cap. II, pag. 18, art. 29, lin. 26, aliquas observationes proponere volumus iudicio vestro: praesertim circa ea quae in loco supra citato dicuntur de « Stabilitate, amotione aut translatione parochorum ». *Rationes*:

1. Ut principium fundamentale prae oculis habemus: bonum animarum. Sicque petimus ut episcopus in sua ecclesia locali possit parochos omnes amovere quotiescumque eorum praesentia et actio saluti animarum obiiciantur. Et notate, fratres: loquimur de his omnibus quae iuxta normas iuris exigunt processum nimis longum, perdifficile et maxime iniquum.

2. Immo sacerdos tali modo degendo in determinata paroecia ruinam spiritualem fidelium suipsius causare potest visitando domos fidelium absque ulla necessitate pastorali.

Haec omnia vestro superiori iudicio propono.

20

EXC.MUS P. D. TITUS MANCINI

Episcopus tit. Vartanensis, aux. Portuensis et S. Rufinae

Prooemium.

1. Ad 3: dematur lin. 4 (24: omnes uniti etc.).

Caput I.

1. Ad 4 in lin. 3, post verba « una cum » addatur « et sub »; in lin. 6, post verba « si in communione sunt cum... » addatur « Summo Pontifice et collegii membris etc. ».

Ad 5, lin. 15, post verba « exoptant ut... » dematur verbum « aliqui » et eius loco pressius dicatur: « Episcopi pro tempore praesidentes episcoporum coetibus seu conferentiis etc. ».

Ad 6, in lin. 22, post verba « apostolorum successores » demantur sequentia, usque ad verbum « episcopis » sequentis lineae, et eorum loco simpliciter ponantur verba « inter se ». Item, in lin. 26, post verbum « sint » demantur omnia quae sequuntur sexti et septimi commatis, quia inutilia. Semper enim in Ecclesia catholica fructuosa caritas et cura habita est sive ad verbum Dei praedi-

candum in omnibus Orbis regionibus, sive ad Antistites pro Christo vexatos et in carcere detentos fraterno amore amplectendos.

2. Ad 9, dematur secundum comma huius articuli.

Ad 10, dematur primum comma. Experientia enim docet officiales et consultores Ss. Dicasteriorum, si sint italici, maiorem aequanimitatis et catholicitatis cautionem praebere, quam si e diversis nationibus seligantur. Nonnullos episcopos audivi confitentes se malle italicos Nuntios quam e gremio suae ipsius gentis selectos.

Item tertium comma deleatur. Laici, generatim loquendo, aut ecclesiastica et theologica institutione carent, aut .nimium zelum quandoque demonstrant, ita ut « catholiciores » quam ipse Pontifex videantur.

Caput II.

1. Ad 11, verba tertii commatis tollantur utpote omnino supervacanea.

Similiter obviae videntur hortationes quae sequuntur in art. 12, 13, 14, 15, 16, 17.

Ad 19, raro de facto accidit ut episcopi, quacumque causa inhabiles, sua sponte muneri renuntient. Quapropter aptius videtur et naturae humanae magis consentaneum, si Sedes Apostolica, motu proprio et salva in modis omnino caritate, eos ab officio amoveat.

2. Ad 20, in recognoscendis dioeceseon circumscriptionibus, posthabita omni personarum et locorum acceptione, prae oculis habeatur tantum cura animarum et ecclesiastica organizatio. Vehementer cupio ut hoc Decretum quam primum etsi prudenter, ad effectum perducatur, ne maneat pium desiderium, ut alias factum est.

Ad 21, 3), quantum fieri potest vitentur vicarii episcopales quin sint simul vicarii generales.

3. Ad 23, institutio episcoporum auxiliarium per se inutilis videtur, si fines uniuscuiusque dioecesis recte recognoscantur et — ubi opus est — contrahantur. Utcumque, nullus instituatur auxiliaris episcopus cui simul facultates vicarii generalis non tribuantur.

Ad 25, tertium comma: « Consilium Pastorale » de quo agitur, iam existere videtur in variis dioecesanis coetibus sive clericalibus (pro catechetica institutione, pro liturgia et arte sacra, pro pueris ad altare ministrantibus etc.), sive mixtis (praesertim coetus eorum qui praesunt Actioni Catholicae, nempe « Giunta diocesana - Consulta diocesana » etc.). Inutile ergo apparet novum ens constituere.

Ad 29, cum « muneris paroecialis tota ratio sit in bonum animarum », non solum supprimi debent « quaelibet iura praesentationis et nominationis », sed etiam universi parochi — religiosis exemptis non exceptis — ad nutum episcopi munus suum exercere debent, ita ut de loco in locum libere pastor dioecesis eos transferre valeat, abrogato iure inamovibilitatis. Proinde, supprimatur in C.I.C. distinctio inter paroecias liberae collationis et aliis beneficio praeditas, ita ut omnes revera liberae collationis evadant.

Ad tertium comma eiusdem n. 29: episcopus facultatem habeat sua auctoritate removendi parochos qui, quacumque ratione, inhabiles evaserint.

Ad 31-33, religiosorum exemptio — etiamsi ex toto abolenda non videatur — saltem ad minimum reducatur. Religiosos quod attinet in servitium paroeciale ab episcopo assumptos, ita ut parochi-religiosi unice episcopo subsint sive in accipiendo, sive in exercendo, sive in renuntiando muneri apostolico.

Caput III.

1. Ad 35, ut omnes episcopi conferentiis episcopalibus pari iure intersint, necesse videtur abrogare institutum « immediatae subiectionis » S. Sedi, necnon iura et officia metropolitae instaurare ita ut omnes metropolitae uniuscuiusque nationis efforment Consilium Directivum suae episcopalis conferentiae.

Ad 36, 2, statuatur ut omnibus episcopis, non exceptis auxiliaribus, competat votum deliberativum.

2. Ad 41, cappellani castrenses, aliique ad curam alicuius particularis coetus addicti, vicario castrensi vel Ordinario eius coetus subsint in iis quae specificum ministerium respiciunt; in reliquis vero, non exclusa ecclesiastica disciplina, Ordinario loci subdantur.

21

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. Le *Prooemium* remet avec bonheur l'Eglise dans la lumière de la Trinité, et particulièrement des Missions divines.

2. Les nn. 2 et 3 insistent sur ce qui a fait le fond de la discussion du Schema *de Ecclesia,* en 1963: « una cum Summo Pontifice, sub eiusdem auctoritate »: la Collégialité.

Il était bon, après avoir changé le titre de ce Schema pour signifier le rôle essentiellement pastoral de l'Evêque, de montrer comment celui-ci est dans le Collège des Evêques successeur des Apôtres, et envoyé, à l'exemple du Verbe Incarné, pour « l'édification du Corps du Christ », qui est l'Eglise.

C'est avec raison que le n. 3 insiste d'abord sur l'intégration de l'Evêque dans le Collège, et ensuite sur l'assignation qui est faite à sa sollicitude, d'un troupeau particulier.

Ces quelques considérations dogmatiques puisées dans le Schema *de Ecclesia* éclairent, des le début, l'ensemble de l'actuel Schema.

3. Il eût été souhaitable de noter, dès à présent, le lien de ce Schema pastoral avec le Schema dogmatique *de Ecclesia,* par une référence ou une allusion. Le Schema pastoral découle des principes dogmatiques développés dans le Schema *de Ecclesia.*

4. Les rappels de la Constitution dogmatique *de Ecclesia Christi* du premier Concile du Vatican sont ici les bienvenus: germes qui se développent au Vatican II en une merveilleuse harmonie dans un « de episcopatu », droits de l'Evêque, ses charges et ses relations à Pierre.

Chapitre premier.

5. Le n. 5 ne se déduit pas logiquement du n. précédent. Dans celui-ci, en effet, il était parlé clairement de l'action collégiale des Evêques, réunis en Concile ou dispersés sur la terre. Dans le n. 5, on réduit cette action à être l'effet des circonstances qui alourdissent la charge pontificale et exigent de plus grandes forces et donc un recours à l'ensemble des Evêques, représentés par un « coetus centralis ». N'y aurait-il pas une raison plus profonde pour que les Evêques participent *de droit* au gouvernement de l'Eglise *una cum Petro et sub Petro,* comme le dit très bien le Prooemium.

6. Les nn. 6 et 7 dogmatiques à la fois et pastoraux, manifestent la préoc-

cupation centrale des PP. du Concile d'une Eglise ouverte par delà les frontières des églises particulières sur les nécessités des autres. C'est une des formes de la « sollicitudo omnium ecclesiarum ».

Il eût été souhaitable, cependant, de marquer, d'une manière encore plus nette, le devoir *ontologique,* ancré dans la nature même des églises, de s'intéresser les unes aux autres, de vivre, par appel de nature, la *sollicitudo omnium ecclesiarum.* Tout en notant aussi que ce devoir est fondé dans la volonté de mission du Christ lui-même, fondateur de l'Eglise.

7. Le titre « Episcopi et Apostolica Sedes », qui est inséré ici en substitution de celui du Schema « de Episcopis », est préférable à *Sancta Sedes,* comme plusieurs Pères en ont donné l'idée. De même « Dicasteria » qui remplace « Sacrae Congregationes ».

8. Le n. 8 entre à plein dans l'affirmation de la Constitution divine de l'Episcopat. En effet, les Evêques, en tant que successeurs des Apôtres, sont les pasteurs immédiats et ordinaires de leurs Diocèses. A eux est donné tout pouvoir exigé par leur charge pastorale. C'est le principe affirmé et qui répond au désir de la majorité des Pères, exprimé dans les discussions du « de Ecclesia », à la seconde session du Concile. Le Souverain Pontife peut se réserver, s'il le veut, l'un ou l'autre pouvoirs, à cause de sa Suprématie de Chef.

9. Le n. 9 donne des précisions utiles et nécessaires sur la nouvelle organisation des Dicastères romains. A temps nouveaux, organisations nouvelles ou réorganisation nouvelle. C'est bien ce que souhaite ce n. 9 qui est complété par le n. 10 qui me semble indispensable. Il faudrait, en effet, que dans les Dicastères romains aient part aux délibérations des Evêques diocésains, qui puissent donner la note pastorale concrète au travail de rénovation de l'Eglise. Par ailleurs, la consultation des laïques se trouve être dans l'esprit du Concile et nécessaire pour les considérations qu'ils peuvent apporter, puisées dans leur compétence propre et leur manière de considérer la doctrine chrétienne appliquée à leur vie.

Tout cela correspond à l'une ou l'autre demande d'un grand nombre de Pères, exprimées à la seconde session.

Il faut ajouter que le n. 10 a supprimé, à propos des Evêques qui seraient appelés à faire partie des Dicastères romains, les paroles « aut a Summo Pontifice electi, aut, si ipsi placuerit, a conferentiis episcopalibus designati ». Cette suppression est à louer. Elle laisse libre le mode de désignation. Ce qui correspond aussi à l'avis d'un grand nombre de Pères.

Chapitre second.

10. Dans le n. 11, ligne 9, le mot « regendi » n'est-il pas à remplacer par le mot « pascendi », en conformité avec tout ce que les Pères ont dit dans la seconde session, à propos du Schema *de Ecclesia,* et en conformité avec ce que nous trouvons dans notre présent Schema à la page 5, n. 2, ligne 20.

Ce numéro insiste aussi sur le sens pastoral et l'inquiétude de l'Evêque pour ne pas se suffire des fidèles qui suivent le Christ, mais pour chercher ceux des hommes qui se sont éloignés de Lui ou qui n'y ont jamais cru.

Ce numéro précise le sens du mot « diocèse » et donne à l'Evêque le nom de « diocésain » et non plus de « résidentiel ». Ces deux dénominations nouvelles ont trait bien plus aux brebis à paître qu'au territoire à administrer. Et cela est à louer.

11. Le n. 12 insiste avec bonheur sur le premier devoir des Evêques, qui est d'enseigner l'Evangile. Ils sont pasteurs avant d'être administrateurs.

De plus, le Schema, dans ce même numéro, lignes 22-24, veut montrer, et avec raison, que le Christianisme n'est pas une théorie abstraite, que la sainteté n'est pas de fuir le monde, mais que le Christianisme est une vie, que cette vie doit pénétrer tout le terrestre, et que la sainteté est de sanctifier tout le terrestre en se sanctifiant soi-même.

12. Le n. 13 reprend une affirmation consacrée dans ce Concile Vatican II: *l'Eglise des pauvres.* Cette dimension de l'Evangile du Christ, pour ancienne qu'elle soit dans la parole du Verbe incarné — qui parle des pauvres et de la pauvreté comme d'une qualité essentielle du Royaume de Dieu — sonne d'une manière nouvelle et urgente aux oreilles des chrétiens d'aujourd'hui.

La fin du n. 13 et tout le n. 14 ont un caractère nettement et avantageusement pastoral, sur l'adaptation de la prédication et les moyens de communiquer la parole de Dieu.

13. Le n. 15 a une forme plutôt théologique et dogmatique. Y est affirmée la plénitude du sacerdoce qui est donnée à l'Evêque, dans sa consécration. Peut-on dire que les prêtres et les diacres participent, différemment évidemment, cette plénitude du sacerdoce de l'Evêque? Le mot « participer » ne me semble pas heureux ici: car Evêque, prêtres et diacres participent l'*unique sacerdoce du Christ,* dans une mesure parfaite et dans une mesure imparfaite.

Le prêtre et le diacre, par contre, communient au sacerdoce de l'Evêque en tant qu'ils forment autour de lui et avec lui le presbyterium pour le bien des brebis à paître.

Par ailleurs, les conclusions que le n. 15 tire du principe de la plénitude du sacerdoce sont vraies: en insistant sur l'Eucharistie, centre de l'Eglise locale et nourriture de la portion du Corps Mystique confiée aux soins de l'Evêque et sur la sainteté dont l'Evêque doit être l'exemplaire vivant.

14. La division des diocèses dont parle le n. 20 est une nécessité, étant données les conjonctures difficiles dans lesquelles se trouve l'Evêque d'aujourd'hui: grand nombre de fidèles, problèmes économiques, action nécessaire auprès des non-croyants, etc.

15. Ce qui est dit dans le par. 3 du n. 21 me semble urgent: il faudrait constituer une hiérarchie propre dans les diocèses européens ou américains de divers rites orientaux. L'Eglise a souvent affirmé sa volonté de sauver les rites et ce qu'ils représentent de richesses spirituelles. Perdus dans les grosses agglomérations latines, nos fidèles de rite oriental d'Amérique et d'Europe risquent de ne pas s'assimiler au rite latin et de perdre, par le fait même, le sens de leur propre rite.

16. Il serait souhaitable qu'au n. 28, ligne 31, le mot « regendi » soit remplacé par le mot « pascendi », et cela en conformité avec l'esprit pastoral du Concile. Il y a plus de paternité dans ce dernier mot que dans le premier qui dit davantage administration juridique.

17. Dans les nn. 26-30 on a bien fait de justifier tout: nomination des Curés, leur destitution, formation d'un Conseil épiscopal, etc. par le bien des âmes et leur salut.

18. Le n. 33 qui traite des relations de l'Evêque et des religieux exempts me semble équilibré et clair. La délimitation de l'exemption a été bien faite. Il

faut, en effet, sauvegarder l'autorité Pontificale, sans nuire à l'autorité de l'Evêque dans son Diocèse. L'exemption est une des manières de sauvegarder l'autorité Pontificale.

19. On aurait pu traiter dans ce chapitre, d'une façon ou d'une autre, et d'une manière concrète, des différents problèmes qui engagent plusieurs diocèses ou toute une nation, comme sont les problèmes scolaires, les problèmes de moralité publique, ceux des droits de la personne humaine et du respect de la personne du travailleur, du respect et de la liberté de la conscience religieuse (cette dernière, au moins par un rappel, étant donné le chapitre qui lui est consacré), etc.

22

EXC.MUS P. D. IOLANTHUS NUZZI

Episcopus Campaniensis

1. Textus propositus reducendus in propositiones breves et essentiales.

2. In n. 2, lin. 11, loco « ... singularum Ecclesiarum procurandum missus sit, super... » melius esset « ... singularum Ecclesiarum procurandum praefectus sit, super... ».

3. In n. 5, propositum Consilium Centrale valde placet.

4. In n. 8, 2ª pars, principium de facultate episcopis tribuenda a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi, mutandum esset hoc sensu: Facultas dispensandi tribuenda episcopis esset a lege generali Ecclesiae, iis exceptis casibus quos Sedes Apostolica sibi reservaverit.

5. In n. 9, proposita valde placent, concordata tamen cum propositis in n. 5.

6. In n. 10, linn. 20-23, de utilizatione laicorum in Dicasteriis, valde placent.

7. In n. 11, in linn. 2-3, verba « cum adiutorio sui presbyterii pascenda... » mutanda essent hoc modo: « cum adiutorio omnium suorum collaboratorum... ».

8. In n. 16, et in aliis, verba « pascor », « pastor », « oves » et huiusmodi verba metaphorica, melius esset si substituerentur cum aequipollentibus locutionibus propriis uti: « ducere », « rector », « fideles » et huiusmodi.

Res pecuaria (pastorizia) nostris temporibus in dies rarior fit; proinde hae locutiones metaphoricae magis magisque suam perspicuitatem amittunt. Insuper nemini placet vocari « ovis »: cur ergo hoc appellare nomine fideles?

9. In n. 19, proposita placent. Bene esset statuere aetatem.

Statuta aetate a munere renuntiandi sin minus facilior esset ipsa renuntiatio, nam nullus episcopus iudicia non favorabilia circa veras vel praesumptas rationes suae renunciationis timere posset.

Insuper episcopi qui in omnibus bonum exemplum suis fidelibus semper praebere debent, cur non et in hac tanti momenti tantaeque gravitatis quaestione pro regimine dioecesis? Fideles omnes quemcumque locum teneant, legitima aetate completa, illum aliis cedunt.

10. In n. 29, circa parochorum renunciationem statuenda esset aetas, qua adepta, ab officio recedere tenerentur.

11. In nn. 32 et 33, de sacerdotibus religiosis qui apostolatum in dioecesibus exercent, statuendum esset principium generale de eorum subiectione episcopis.

Institutum de exemptione respicere debet tantum vita interna communitatis.

12. Nn. 34-42, totum cap. III, reducendi essent ad breves ac paucas propositiones essentiales, cetera tractanda in C.I.C.

13. In hoc schemate decreti desiderantur aliquae normae quibus regi deberent relationes episcopos inter et auctoritates civiles, sive in nationibus christianis sive in ceteris.

23

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN

Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

N. 26, secundum comma, lin. 15 sic dicatur: ut eorum voluntas oboedienter cum episcopi voluntate consociata...

N. 28, parochus in praedicatione ordinaria et in institutione religiosa puerorum a vicariis adiuvetur, sed partem principem habeat. Omnino deest exhortatio ad vitam communem cleri parochialis, quae maximi momenti est.

N. 29, deest modus procedendi in amotione parochorum, qui in schemate « De cura animarum » clare exponebatur, quique ab episcopis necessarius et urgens putatur in bonum animarum.

N. 33, abolenda est mendicatio (questua) religiosorum quia mutatae sunt temporum conditiones, neque ordines mendicantes indigent hodie ad vitam sustentandam hoc instituto, neque mens erat fundatorum ut pauci fratres laici sine necessitate quaestus facerent, sicut nunc fit.

« Abstineant quoque (religiosi) a nimio studio quaestus faciendi » (Sermo Pauli VI die 23 maii 1964 habitus).

N. 35, ubi numerus episcoporum magnus est conferentiae sint regionales, sed regiones vastae sint.

N. 36, decisiones conferentiarum plerumque valorem moralem tantum induant. Decisiones iuridice obligantes perpaucae sint et quidem in casibus gravissimis et dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum praesulum probatae necnon ab Apostolica Sede recognitae.

N. 40, non sunt multiplicanda officia et obligationes quae impedimenti sint.

24

EXC.MUS P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

Pag. 17, 3) *Clerus dioecesanus.*

Ad n. 26: *Sacerdotes dioecesani.* In schemate ubi agitur de munere episcoporum, cum agitur de presbyterio nil dicitur de relatione ad presbyterium ex parte obligationum episcoporum. Si necessarii sunt presbyteri cooperatores episcopi, quomodo se gerere debet episcopus ut illam necessitudinem libentissime amplectetur et ad effectus deducat ut presbyteri in plenam responsabilitatem pastoralem se sentiant esse vocatos?

Nil dicitur de responsabilitate episcopi laborem pastoralem presbyterorum ita ordinandi et coordinandi ne quidam se sentiant nimio labore obrutos, quidam vero sibi ipsis videantur otiosi. Nil dicitur de responsabilitate per evolutionem prudentem et audacem formarum vitae pastoralis restituendi multis presbyteris lassitudine vel etiam pessimismo obnoxii spem sufficientem aggrediendi mundo hodierno cum quadam efficacitate ministerii. Nil dicitur de responsabilitate adiu-

vandi vitam intellectualem et spiritualem presbyterorum ut facilius evadat uniuscuiusque « aggiornamento ».

Si hic numerus, in hoc schemate tantummodo de obligationibus sacerdotum dioecesanorum loquitur iure meritoque presbyteri accusabunt episcopos in Concilio adunatos quod seipsos defenderint nec attenti fuerint ad faciliorem reddendam vitam suorum sacerdotum.

Ad n. 28: *Parochorum munera.* Haec quaestio tractatur in assuetis formis canonicis et hoc mirum quando scitur quaestiones fundamentales poni presbyteris hodiernis de munere evangelizationis paroeciarum nostri temporis. Multa essent dicenda de missione ad eos qui sunt a longe, de communitate presbyterorum laborantium sub ductu parochi in paroecia, de modo gerendi communiter curam pastoralem, de conditione iuvenum sacerdotum, de dimensione evangelica ministerii pastoralis, in paroecia, quaestio in qua facile includeretur situatio sacerdotum relate ad bona temporalia.

25

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-episcopus Argentoratensis

Quamquam administratio magnae dioecesis et labores a commissionibus episcopalibus impositi nimis breve tempus archiepiscopo-episcopo Argentinensi (Strasbourg) relinquant, et schemata episcopis transmissa in genere optima sint, liceat tamen subscripto aliquas animadversiones in praefata documenta transmittere.

Schema III: *De pastorali munere episcoporum in Ecclesia.*

Ad n. 25. Inseratur haec paragraphus in Nota 17 praevisa (pag. 22) de vicario generali (vel potius « De vicariis generalibus » quia plures sunt in nostris dioecesibus gallicis) et de vicariis episcopalibus.

Ad n. 36. Quia cooperatio religiosorum cum clero valde optatur (cf. n. 33), nonne aequum videretur ad conferentias episcopales etiam aliquos deputatos e maioribus superioribus religiosis vocari, saltem cum voce consultativa?

26

Exc.mus P. D. MATTHIAS WEHR

Episcopus Trevirensis

Cap. I *placet iuxta modum.* Modus est:

I. Pars altera n. 8 (pag. 8, linn. 28-32) in hanc fere formam immutetur: « Singulis episcopis *competit* facultas a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi, quoties id ad bonum spirituale fidelium conferre iudicent, *nisi aliqua causa Romano Pontifici vel* alii auctoritati *expresse reservata* fuerit ». *Ratio est*:

1. Ita melius cum parte prima huius numeri congruit, quae principium generale statuit, quod in hac parte altera applicatur.

2. Incisum « Dummodo ... solet » (linn. 30-31), e can. 81 C.I.C. depromptum, hic locum non habet, cum praxis S. Sedis adesse nequeat, si dispensationes non ab ipsa sed ab episcopis concedantur.

3. Ob rationes oecumenicas ne dicatur, a quo reservatio facta sit, quia in iure orientalium etiam Patriarchae facultas reservationis statuendae competit.

II. In parte prima n. 9 (pag. 9, lin. 3) deleantur verba « nomine et ». *Ratio est,* quod Dicasteria Romana auctoritate quidem Romani Pontificis agunt, non vero in sensu proprio eius nomine, quia eiusdem vices non gerunt.

27

EXC.MUS P. D. CYRILLUS IOANNES ZOHRABIAN

Episcopus tit. Acilesenus

N. 3, pag. 10: *Episcoporum munus docendi.* Nemo non est qui non videat praecipuum munus episcopi esse docere fideles suae curae pastorali commissos Christi Evangelium, finem supernaturalem quem in universa vitae ratione persequi debent, suam salutem aeternam, instrumenta quae divinitus data sunt ad felicitatem aeternam consequendam.

Quis non videt quod scientia haec supernaturalis difficillima est inter omnes scientias naturales. Traditio eius incipienda est ab infantia, h. e. priusquam falsae doctrinae mentes illas innocentes corrumpant. Unde consequitur gravis obligatio episcopi possidendi scholas sic dictas liberas h. e. sui iuris: Scuola libera - Ecole libre.

Excusationes nihil probant: Saepe audivimus etiam ab ecclesiasticis, immo ab episcopis italis, cum magna nostra admiratione ni dicam scandalo: Apud nos schola libera est inutilis quia in scholis communalibus instructio religiosa est obligatoria. Concedendo etiam quod sit ita, saltem in theoria, in praxi tamen accidit quod saepe saepius instructor Doctrinae Christianae non est sacerdos, sed pia femina, non est autem casus unicus quod sit vir infidelis, atheus.

Quisquis sit professor Doctrinae Christianae in scholis communalibus insufficientes horae (una vel duae horae hebdomadariae) consecrantur pro Instructione religiosa. Mihi retulerunt devoti genitores quod instructori Doctrinae Christianae subintrat in aulam, v. g. professor Historiae patriae. Statim irrisorie interrogat: « Quid vobis narravit ille seminator fabularum? Creationem mundi? Peccatum Adae et uxoris eius Evae? Ciaù!... Tutte sono fandonie! ».

Aliae obiectiones. Sunt multae scholae elementares et superiores directae ab Institutis religiosis. *Respondeo*: Hoc est verissimum. Scholae directae ab Institutis religiosis maxima aestimatione gaudent etiam ab impiis, ab atheis, a communistis, qui cum maxima fiducia confidunt proprios filios ad religiosos educatores! Sed istae scholae non possunt esse gratuitae: rationes sunt omnibus notae, ideo pro brevitate sermonis non repetam eas. Unde sequitur quod istae scholae non possunt frequentari nisi a divitibus et genitores pauperes coguntur dolentes mittere filios in scholas communales.

Obiectio nummaria. Dioeceses Italiae sunt pauperes. Haec excusatio non dispensat ab obligatione ista gravissima inter omnes episcopi. Similem difficultatem habuerunt et habent episcopi catholici Hollandiae, Belgiae, Galliae, Germaniae, Bavariae et cunctarum per orbem terrarum missionum. Omnes isti fatentur inter omnes obligationes episcopi primatum tenere existentiam scholarum liberarum. Et cum immensis sacrificiis, in sudore vultus sui procurant media habendi optimos professores. Gubernium non solum non adiuvat, sed saepe persequitur scholas catholicas. Ipsi tamen mirabiliter perseverant.

Argumenta. Pius Papa XI, s. m., mihi dixit in quadam audientia privata: Opus principale idque sine quo non, necessarium, est schola elementaris. Missio

materialiter iam fundata, non habens scholam est nata mortua. Rationes sunt evidentes, dixit Summus Pontifex missionarius, pueri enim formant spem catholicitatis missionis. Si crescunt intellectualiter in scholis acatholicis, protestantibus, musulmanis, in futuro erunt ad minimum catholici indifferentes, aequalem aestimationem habebunt circa religionem catholicam, aut protestantem aut mahumetanam.

Quod dixit Sanctus Pater de missionibus non valet pro dioecesibus italicis? Exempla contrarium probant. Sectae acatholicae quae circumeunt per Italiae regiones proselytizant per scholas. Ita in Calabria, in Civitavecchia. Libenter dicitur apud nos quod protestantes faciunt proselytas per pecuniae distributionem. Quod non est verum. Per pecuniae enim distributionem attrahunt gentes ad instructionem catecheticam, per instructionem autem religiosam quidem gratuitam convertunt gentes ad suum errorem.

Quis ignorat P.C.I. habere suas scholas privatas obligatorias pro sociis cum gravibus sanctionibus contravenientibus sive pueris, sive adulescentibus.

Persuasus sum vim atque numerice superioritatem P.C.I. deberi inexistentiae liberarum elementarium scholarum. Huius adsertionis veritatem facile intelligunt persecutores ecclesiae et missionarii apostolici. Persecutores Ecclesiae primo imponunt restrictiones inacceptabiles contra programmata scholarum nostrarum.

Patet cunctis nobis Armenis Sultanos Turcarum periodice per duodecim saecula occidendo Armenos non potuerunt patres nostros ad apostasiam constringere, e contra sanguis martyrum fiebat semen christianorum ita ut admirationi erant ipsis turcis. Kemal autem persequitur non occidendo sed prohibendo scholas liberas, christianas. Ita ut decem annis post initium huius generis persecutionis, multae numerantur apud armenos apostasiae matrimonia mixta cum mahumetanis.

Italica gens emigrans in regiones acatholicas. Ne dicam semper, isti ignorant totaliter doctrinam catholicam! Ideo cum maxima facilitate amplectuntur religionem qualemcumque. In Turchia, ipse testis sum, facile et libenter se submittunt ad operationem dolorosam circumcisionis. In Graecia, insulae Syros, Chios, olim maxima pars erat catholica, nunc sunt orthodoxae. Jean Toulat in suo « Juifs mes Frères », Editions Guy Victor, 1963, narrat sexaginta Calabrenses, iudaicam religionem amplexisse consequenter ad dolorosam circumcisionis operationem se submisisse, una tantum vice auscultando lectionem Sacrae Scripturae Antiqui Testamenti.

Conclusio. Insufficiens est scholam liberam habere solummodo in urbe residentiali episcopi, sed id necessarium est in omnibus locis etiam minimis dioeceseos suae iurisdictionis! Ideo obligatio ista tangit aequaliter parochorum inter limites paroeciae!

28

QUIDAM PATRES CONCILIARES EX AFRICA CENTRO-ORIENTALI

Ad n. 23: Normae de constituendis auxiliaribus et coadiutoribus. In regendis dioecesibus, *ad normam n. 21, 2 constitutis vel constituendis,* pastorali episcoporum muneri ita provideatur, ut bonum dominici gregis semper sit suprema ratio. Quod bonum ut debite procuretur, *unitas regiminis dioecesani salva semper sit. Quodsi,* vel ob nimiam dioecesis amplitudinem vel incolarum multitudinem vel ob peculiaria apostolatus adiuncta aliasve causas *quibus per divisionem terri-*

torii mederi non possit, episcopus dioecesanus per semetipsum omnia munia *stricte* episcopalia, sicut animarum exigit bonum, adimplere nequeat, *unus vel plures* episcopi auxiliares constituantur. Immo et aliquando peculiaris necessitas postulat ut in personale episcopi dioecesani adiutorium constituatur episcopus coadiutor. Qui episcopi etc. ...

Ratio « modi » propositi. Ita praxis ordinaria melius demonstratur, qua scil. uni dioecesi unus episcopus (cum suo vicario generali) praesit, et episcoporum in eadem dioecesi pluralitas ad modum remedii et exceptionis tantum apparet, quae per se quantocius ad praxim ordinariam (praesertim per dioecesis divisionem) reducenda erit.

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis, Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis, Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis, Marcellus Daubechies, ep. Kasamaensis, Ioseph Fady, ep. Lilongweensis, Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson, Adolphus Fuerstenberg, ep. Abercornensis, Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery, J. L. Jobidon, ep. Mzuzuensis, Iacobus Corboy, ep. Monzeensis, Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus, Clemens Chabukasansha, ep. tit. Cibiraensis, Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

29

EPISCOPI REGIONIS APOSTOLICAE OCCIDENTALIS GALLIAE

Pag. 16, n. 24. Ne constituantur episcopi auxiliares « Vicarii episcopales », qui, hac appellatione praediti, aliquibus in circumstantiis, postponerentur vicario generali.

Pag. 18, n. 28. Post lin. 2, addendum: « Parochi et sacerdotes, quibus apostolatus opera indolis paraparoecialis committitur, in sessionibus communibus convenient ut inter se de negotiis urbis vel regionis tractent ad munus pastorale coniuncte peragendum ».

Exoptant ut explicite declaret schema obligationem cooperationis inter se et cum proprio episcopo inesse parochis eiusdem urbis, eiusdem regionis vel eiusdem districtus.

Verbis enim huius paragraphi magis ostenditur parochus munus exercens ab aliis alienus, minime autem animadvertitur munus pastorale intima coniunctione ab omnibus perfungendum.

Pag. 23, n. 36. Exoptant ut in n. 36, 4, nullo verbo mutato, adhibeantur ipsa verba anterioris schematis « de episcopis » n. 24, quippe qui valde explicite enumeret omnes circumstantias in quibus decisiones conferentiae episcopalis vim haberent iuridice obligatoriam.

II

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE QUOAD SCHEMA DE OECUMENISMO

ANTE DIEM 21 MAII 1964

A - Quoad capp. I-III.

1

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Ad cap. I.

1. « Oecumenismus ». Vocabulum mihi non placet, quia in terminologia apud catholicos nec notum nec definitum est. Si adhibitum, explicatione indigebit quomodo non est intelligendum. In vocabulariis modernis, ad quos recursum facient catholici, omnes invenient huius vocabuli notionem datam ab acatholicis, quae a nobis minime accipi potest.

Seligendum est verbum pro titulo huius capitis, qui non indigeret explanatione negativa — quomodo non est intelligendum.

2. In versibus seu linn. 24-27 verba: « *atque collegio Duodecim universale mandatum* docendi, regendi et sanctificandi, inter quos B. Petrum, post eius fidei confessionem et maioris dilectionis professionem, elegit, *ut fratrum suorum collegio praeesset, singulos etiam in* fide confirmandi »... a me sublineata verba adhuc definitionem expectant et propterea hic anticipative uti et admitti non possunt (saltem nunc).

3. Huius schematis in pag. 10, lin. 10 verbum « *aliquantum* » omittendum esse censeo. Etenim haec christianorum divisio responsabilis est etiam nunc, non solummodo in praeterito fuit, gravium malorum, est incitamentum inimicis Christi, Ecclesiae, fidelium. Divisiones non obscurant *aliquantum* vultum Ecclesiae, sed lacerant corpus Christi.

Ad cap. II.

Ad versus 32-34. Propono ut omittantur verba: « ac propterea Eucharistiae sacra mysteria in unum simul celebrare non licet »... Haec enim verba, uti meis auribus sonant, volunt dicere cetera omnia posse in communi celebrari, excepto sacrificio Missae et Eucharistiae. Relictis his verbis praecluditur via alicui organo postconciliari quoscumque limites ponere participationi in divinis, cum Concilium solummodo hoc extremum limitem ponit.

Non sum talis optimista, ut putarem hunc limitem esse sufficiens, saltem pro multis.

2

Exc.mus P. D. IOSEPH M. ANTONIUS CORDEIRO

Archiepiscopus Karachiensis

1. Quoad cap. IV, nos episcopi de Pakistan sentimus eodem modo ac card. Tappouni i. e. quod non habet proprium locum in hoc schemate. Est

quidem materia digna consideratione Concilii, sed alio in loco, et similiter pronunciatio debet fieri a Concilio circa alias principales religiones mundi.

2. Quoad cap. V, quidam episcopi de Pakistan, non omnes, censent quod materia debet tractari separatim ab Oecumenismo. Libertas enim conscientiae non respicit primario ad Oecumenismum, sed est declaratio facienda a Concilio de libertate conscientiae in genere, respiciente dignitatem personae humanae, necnon et relationem inter religionem et statum civilem.

3

Exc.mus P. D. IOSEPH BARTHOLOMAEUS EVANGELISTI

Archiepiscopus-episcopus Meerutensis

Schema *de Oecumenismo* in multis placet, sed aliquae modificationes, amplificationes et clarificationes necessariae esse videntur.

1. Et primo quidem, speciale caput de Iudaeis in hoc schemate non placet. Nam etsi Ecclesia catholica omnium iura defendere cupit, tamen scopus Concilii nostri est pastoralis pro omnibus, et non apologeticus pro aliqua stirpe humanae familiae. Hoc speciale caput, in oculis non christianorum, favoritismum quemdam redolere videbitur.

2. Meo humili iudicio, titulus cap. IV esse deberet « De habitudine Ecclesiae erga credentes in Deum ». In isto capite, de novo conscribendo, mentio fieri deberet de Iudaeis et de omnibus illis qui credunt in Deum. Omnes isti, insimul sumpti, permulti omnino sunt, et a nobis hic per plures menses adunatis et adunandis, verbum aliquod consolationis, adhortationis et salutis expectant. Enimvero, Christus mandavit apostolis: Euntes, docete omnes gentes... Ipse autem, non tantum oravit ut christiani unum sint, sed etiam dixit: « Et alias oves habeo quae non sunt de hoc ovili; et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor ». Pro illis omnibus Christus mortuus est in cruce. Et insuper Ecclesia Christum sic rogat: « Ut omnes errantes ad unitatem ecclesiae revocare et infideles universos ad Evangelii lumen perducere dignetur ».

Nunc autem, procul dubio, haec est peropportuna occasio in nostro Concilio Oecumenico, ad hoc officium solemniter adimplendum. Cum hodierna media communicationis praesto sint, illos innumerabiles bonae voluntatis viros ac mulieres nuntio salutis Christi defraudare omnino non possumus. Cum apostolo Paulo dicere debemus: Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitores sumus. Concilium nostrum, cum sit Concilium Ecclesiae catholicae et concilium oecumenicum et pastorale, non potest quasi ignorare duas tertias partes humanitatis.

3. Deinde, aliud caput, vel saltem alia paragraphus addenda videtur circa habitudinem Ecclesiae erga illos qui in Deum non credunt, ut nullam categoriam hominum oblivisci videamur. Sunt et ipsi, filii Patris caelestis ad Ecclesiam et ad caelum vocati. Ad tempus sunt in potestate mundi huius sed nostrum officium est illis paterne de Deo Creatore, Redemptore et Iudice breviter verba facere ut vocem patris et matris agnoscant et resipiscant.

4
CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE SEPTEMTRIONALIS

Episcopi Algeriae, Tunisiae et Marocco humiliter petunt ut in cap. II *de Oecumenismo* (§ 6), clare et firmiter affirmetur — inter media ad unitatem fovendam — necessitas unionis inter ipsos catholicos. Nam: 1) non-catholici vehementer anguntur de suorum divisionibus, ut ipsi (privatim saltem) fatentur; 2) nil magis allicit ad Ecclesiam catholicam quam spectaculum unitatis inter ipsos catholicos, dum e contra dissentiones inter catholicos est magnum obstaculum ad unionem.

Vita Ecclesiae catholicae debet prae se ferre, in legitima varietate, maximam unitatem: in fide, in obedientia erga Romanum Pontificem et episcopos, in caritate fraterna (caritas erga fratres separatos sincera non esset nisi catholici conarentur maiore caritate affici inter se).

Signum huius unitatis est Eucharistia.

[*Subscripserunt*] Franciscus Aldegunde, arch. Tanger., Mauritius Perrin, arch. Carthaginen., Amedeus Lefèvre, arch. Rabaten., Leo Stephanus Duval, arch. Algerien., Bertrandus Lacaste, ep. Oranen., Paulus Pinier, ep. Constantinian., Georgius Mercier, ep. Laghouaten., Vedastus-Maria Jacquier, ep. aux. Algerien.

B - Quoad cap. IV.

1
Em.mus P. D. VALERIANUS card. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Haec erit brevissima interventio ex omnibus interventionibus meis in his duabus sessionibus Concilii. Faciliter potuissem tradere haec scripta secretariatui; sed credo locutio interdum id quod in hac aula conciliari, etsi brevis, haberet maiorem fructum quam in archivium secretariatus potest afferre.

Cum schema *de Oecumenismo* principaliter respicit christianos seiunctos, vellem ut in cap. IV, linn. 1-5 *expungantur.* Et ratio est haec: si relinquantur, tunc revera non sufficit tractare totam materiam de modo agendi cum non-christianis per paucas lineas; talis materia egeret saltem capite per se stante. Ex altera parte, non est conveniens in hoc schemate adiungere tale caput. Locus proprius pro tali capite esset, mea opinione, in schemate *de missionibus,* ubi fusius potest tractari apostolatus apud non-christianos, animadvertendo, e. g. ut deputentur aliqui sacerdotes linguas, mores, philosophiam, religionem eorum penitus cognoscentes et studiis dediti, qui operi apologetico et catechetico inter excultos incumbant; ut scholae nostrae et collegia inter aptissima media ad religionis catholicae cognitionem apud eos spargendam adnumerandi sint; ut opera verae caritatis christianae, uti sunt medicinarum pauperibus dispensatio, nosocomia, instituta iuvandis parturientibus et infantibus periclitantibus devota, domus hospitales pro senibus aliaque similia — quibus Ecclesia Christi inter eos splendet — magis magis-

que in dies foveantur; ut crescente inter eos cupidine legendi, crescat etiam opportunitas fidem et principia catholica apud omnes civium ordines scriptis diffundendi; ut quaecumque locutiones vel expressiones offensivae eis sint, sicuti expressio « perfidis iudaeis » a iudaeis offensiva consideratur, omnino evitentur; ut scripta illa catholica acatholicis destinata, etsi in modo et progressione doctrina proponendi legentibus accommodata sint oporteat, sincera omnino esse debeant, quae nihil doctrinae extenuent vel dissimulent, exponendo tamen principia catholica et veram doctrinam absque ulla intentione polemica; ut cum doctrina Ecclesiae de ordine sociali instaurando fere ignota remanserit apud nostrates acatholicos, valde desideratur ut nulla praemittatur occasio hanc doctrinam eis proponendi ac commentandi simulque ostendendi eius practicae applicationis absolutam necessitatem ut ordo socialis salubriter instaurari possit. Haec pauca ex proposito enumeravi, ut concrete possit illustrari cur unum totum caput sit necessarium pro tali materia, scil. de modo agendi cum non-christianis, in loco paucarum linearum, sicuti invenitur in cap. IV. Si autem hae lineae non expurgentur, timeo ne non-christiani in nostris regionibus aegre ferrent.

De iudaeis nihil habeo dicendum, quia in nostra regione sunt pauci. Nullum malum nos fecimus contra illos, et vice versa nullum malum illi fecerunt contra nos. Si quidem, secundum relationem, una ex rationibus cur proponitur hoc cap. IV « De Iudaeis » est propter actionem anti-semitismi ex parte Nationalsocialismi, quae vigebat principaliter in quibusdam regionibus, nescio cur Concilium Oecumenicum habeat officium faciendi declarationem super hanc materiam, eo magis quod locus proprius pro tali materia, secundum plures, non est in hoc schemate, sed alibi. Et etiam, non ostante nostro proposito quod nos tractamus hanc quaestionem unice ex aspectu religioso, timent aliqui ne nationes aliae aegre ferant hoc speciale caput.

2

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART

Episcopus Insulensis

Liceat mihi tria declarare circa cap. IV schematis *de Oecumenismo*: 1. Quaenam sint rationes doctrinales et pastorales quae nos obligant ad tractandum de Iudaeis in praesenti Concilio; 2. cur mihi videatur caput istud locum habere congruum in schemate *de Oecumenismo*; 3. quomodo oporteat illud complere, ratione habita de legitimis sollicitudinibus a fratribus nostris patriarchis et episcopis Ecclesiae orientalis expressis.

1. Quoad necessitatem tractandi de Iudaeis, assensum explicitum praebere desidero his quae tam lucide exposuit em.mus card. Bea in relatione sua, et a pluribus Patribus confirmata sunt.

Sub respectu doctrinali, Iudaeorum populus cum christianismo intime coniungitur. Libri Sacri Iudaeorum etiam nostri sunt. In eis legimus praeparationem et promissionem a Deo factam salutis, cuius nos haeredes facti sumus. Usque adhuc Psalmi Iudaeorum preces sunt Ecclesiarum nostrarum christianarum. Et omnes quos maxime veneramur, Christus Iesus, B. Maria mater eius et apostoli Domini, Iudaei erant. Unde dicebat Pius Papa XI: « Quoad spiritum Semitae sumus ».

Sub respectu vero pastorali, necesse est ut christiani de ista realitate magis

conscientiam acquirant, ad respuendum omnino antisemitismum quo tot crimina adversus Iudaeos perpetrata sunt usque in temporibus nostris.

2. Hoc caput locum congruum habet in schemate *de Oecumenismo*. Sane in sensu restricto quo ordinarie sumitur, Oecumenismus non tractat nisi de unione inter christianos. Sed in se verbum Oecumenismi sensum universitatis habet. Et quia hic agitur de Oecumenismo catholico, nihil impedit quin ampliorem significationem accipiat et ad omnes homines qui ad salutem vocantur, extendatur; imprimis ad christianos fratres nostros seiunctos ut unus populus Dei fiant, sed etiam ad alios ut populo Dei se sciant et ipsi aggregari posse. Quod in casu Iudaeorum est specialiter a Deo praevisum, teste Paulo in Epistola sua ad Romanos. Unde opportunum apparet quod Ecclesia cum Iudaeis relationes habeat spiritui Oecumenismi conformes.

3. Attamen parvi pendere non possumus obiectiones a praesulibus rev.mis Ecclesiae orientalis factas, qui inter Arabes viventes iure timent ne Ecclesia appareat sicut partem habens cum Iudaeis adversus eos. Itaque propono ut, ratione habita tituli capiti nostro inscripti: « de catholicorum habitudine *ad non christianos, praesertim ad Iudaeos* », addatur paragraphus de religione mahumetana, cuius textus ita formulari posset:

« 2. Inter alias vero non christianas religiones, peculiari etiam attentione ac reverentia dignam ducit Sancta Synodus, Mahumetanam religionem, cuius asseclae Abraham patrem agnoscentes, in Deum quoque Abrahae credentes, Revelationi Patribus factae totaliter extranei non sunt.

Etenim, etsi iuxta Scripturae verbum " in Isaac vocabitur tibi semen ", quodam modo tamen et ipsi Mahumetani ad populum pertinent quem Deus sibi suscitavit, sese revelando Patribus ac Prophetis.

Abrahae Deum agnoscentes, verum monotheismum profitentur a Revelatione positiva procedentem, soli hac in re, inter ceteras religiones, christianismo et iudaismo consentientes. Ipsum vero quem noverunt Deum, sensu apprime religioso colunt maximaque semper reverentia tractant.

Christum denique, etsi ut Deum confiteri renuant, ut prophetam tamen inter alios prophetas agnoscunt, Matremque Iesu Mariam in honore habent.

Ideoque et erga ipsos nullo modo dubitat haec Sacra Synodus Oecumenici Catholici principia applicari debere ».

3

Exc.mus P. D. IOACHIM AMMANN
Episcopus tit. Petnellensis

Legitur pag. 3, linn. 3-4: « ... de modo colloquendi et cooperandi cum hominibus non christianis ».

Proponitur, ut in hoc textu addatur post « hominibus » « et communitatibus », vel aliud simile verbum.

Ratio huius propositionis: Ratio dicti capitis est, ut non solum faveatur colloquium et cooperatio cum personis mere individualibus, sed etiam in campo latiore cum societatibus in communi, quod expresse dicatur.

4

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL
Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Emendatio de habitudine catholicorum ad non christianos qui neque Iudaei neque Musulmani sunt.

Quae in nostro textu de habitudine catholicorum ad non christianos, exceptis Iudaeis, breviora sunt. Sex tantum lineae de eis in genere dicuntur, cum sint numero vicies millies centena millia (deux milliards) in mundo. Insuper relationes humanae inter catholicos et non christianos in dies augentur, etiam in regionibus, quae olim unice christianae erant. Recolamus tandem quae a Ioanne XXIII, in Constitutione apostolica *Humanae salutis* dicta sunt de modo quo nuntius Concilii non solum a catholicis aut a fratribus christianis seiunctis exceptus est, sed etiam ab iis qui « christiani nominis sunt expertes ». Unde necessarium mihi omnino videtur, plura in hoc capite dicenda esse non solum de habitudine catholicorum ad Iudaeos, sed etiam ad Musulmanos et ad omnes qui in Deum credunt. Aliquid tandem dicendum esset de nostra habitudine erga illos qui se atheistas putant, cum tamen legem moralem, hominis naturae a Deo insitam, pro conscientia servare student.

Nunc autem, aliqua efferre vellem de defectibus vitandis et de modo positivo agendi erga non christianos qui neque Iudaei, neque Musulmani sunt. Textus enim de Iudaeis agit, et alii Patres de nostra habitudine ad Musulmanos locuti sunt.

Prima pars: *Defectus vitandi.*

1. *Indifferentismus.* Non desunt hodie inter catholicos qui divitias religionum non christianarum invenientes, tentatione premuntur affirmandi omnes religiones esse aequivalentes; alii ulterius progrediuntur et cum invenerint valorem humanum et moralem plurium qui atheistas se profitentur, audent affirmare rectam intentionem omnino sufficientem esse. Hae affirmationes plane damnandae sunt, quippe quae offensam maximam contra Deum constituant. Indifferentismus enim concreta negat sive existentiam Dei, sive valorem divinum Revelationis christianae. Indifferentismus insuper gravissimum constituit defectum caritatis erga proximum, quasi parvi momenti esset pro homine Revelationem Dei cognoscere et media salutis Ecclesiae concredita in suum usum habere.

2. *Despectus erga doctrinas et personas.* Attamen, non ideo despiciendae sunt religiones non christianae neque a fortiori homines qui harum religionum asseclae sunt. Hic secundus defectus:

1) contra veritatem est. Etenim, in omni religione humana habentur saltem aliqui valores morales et religiosi. Quantum autem ad personas, recolatis Petrum dicentem: « In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi » (*Act.* 10, 34).

2) Despectus religionum non christianarum contra caritatem est. Impedit enim inter catholicos et non christianos relationes vere humanas et omnem amicitiam. Non enim amicitia possibilis est inter despicientes et despectum.

3) Tandem hic despectus valde periculosus est. Novi enim iuvenes qui in

despectu falsarum religionum nutriti fuerunt, et qui divitias earum detegentes omnem fiduciam in magistros suos et etiam fidem amiserunt.

3. *Tertium tandem defectum denuntiare debemus* quando de evangelizandis non christianis agitur. Nullo modo enim evangelizatio proselytismo aequiparanda est. Sedulo ergo reiiciendae sunt omnes formae coactionis, actionis sic dictae psychologicae aut etiam paternalismi. Brevissimam enumerationem instituo, quia hac de re fusius in capitulo sequenti agetur. Unum tantum recolere volo. In coetibus popularibus, Ecclesia saepe manifestatur tanquam associatio mere terrestris potentiae et divitibus ornata quae, ad augendum numerum asseclarum suorum, omnibus mediis utitur, quae efficacia censet. Propterea in talibus coetibus Ecclesia creditur potestatem suam haurire non ex Spiritu Sancto, sed ex adiutorio divitum et potentium huius mundi. Attendamus, venerabiles Patres, ne nostro modo agendi ansam praebeamus talibus impugnationibus quae, ceteroquin, non solum in coetibus popularibus, neque solum in nostris regionibus pressius sparguntur... Inimicus homo hoc fecit. Vigiles simus!

Secunda pars: Modus positivus agendi.

1. In habitudine nostra ad non christianos primo a nobis quaeritur fides. Fide enim gaudere debemus de omni valore morali et religioso quem sive in doctrinis, sive in personis invenimus. Omnis veritas et omne bonum a Deo venit. Unde et glorificare Deum debemus, qui erga omnes bonus est. Recolatis Paulum dicentem Atheniensibus: « Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis » (*Act.* 17, 23). Citare etiam non dubitat paganum quemdam poetam, quia optime de Deo dixerat: « Ipsius enim et genus sumus » (28). Fide insuper scimus Deum, voluntate efficaci, in cordibus eorum operari ut progressive ad se convertentur. Forte nunquam plene conscii erunt de modo quo Deus in eos agit. Nos autem unice adiutores Dei esse debemus cooperantes eius actioni, semper hominum libertatem reverendo.

2. *Dialogus.* Debemus cum fratribus nostris humanis non christianis dialogum authenticum instituere, ita ut eorum mentem intelligere possimus, sicut et ipsi nostram mentem intelligere possint. Quae autem anno elapso ab exc.mo De Smedt dicta sunt de dialogo oecumenico valent etiam pro non christianis. Plures atheistas inveni, qui non verum Deum reiiciebant, neque veram religionem, sed unice falsos conceptus de Deo, vel pravos christianorum agendi modos, quos etiam nos reiicere debemus. Plures etiam inveni qui, modo suo vivendi, adiutorium mihi attulerunt ut melior christianus fierem. In eis enim, certe, donum Dei erat.

3. *Renovatio vitae.* Quando dialogum in fide instituimus cum non christianis, dummodo defectus supra citatos vitemus, aliquo modo experimus vocem Domini, qui ad renovationem vitae instanter nos vocat. Etenim a nobis exspectant, ut veri nominis christiani simus. Sic enim loquebatur mihi quidam communista atheus: « Si vultis, aiebat, nos admittere quod spirituale est, oportet ut realitatem ipsius vita vestra probetis ». Alius sic dicebat: « Quod reprehendo vobis, christianis, non est quod christiani sitis, sed quod non satis christiani sitis ». Unde possemus concludere habitudinem inter catholicos et non christianos ex sese nullomodo aliquid malum esse, sed e contra occasionem veri progressus christiani praebere. Haec autem praesentia catholicorum inter non-christianos conditio tandem est, ut lux Christi eis prope manifestetur.

Quae vero ad recognitionem huius capitis spectat, scripto secretariatui tradam.

Renovatio schematis in genere et cap. IV in specie.

1. Hoc schema non obstantibus rationibus contra allatis videtur mihi unitatem profundam praeseferre. Agitur etenim de habitudine catholicorum, sive ad fratres nostros seiunctos (oecumenismus proprie dictus), sive ad fratres nostros humanos qui Christum nondum cognoscunt. Multa principia eadem sunt, quamvis applicatio eorum valde diversa sit.

Titulus huius schematis posset servari qualis iacet, dummodo distinctio instituatur inter oecumenismum proprie dictum et oecumenismum late dictum; posset etiam inveniri alius titulus, sed nescio utrum dari posset titulus positivus qui conveniret habitudini inter catholicos et non catholicos. Unde servare titulum qualis iacet mihi melius videtur.

3. In schemate tres partes distinguendae essent, quibus praeponi deberet prooemium generale, paucis verbis enuntians materiam tractandam. Prima pars esset de oecumenismo proprie dictum cum tribus capitis exsistentibus; secunda pars esset de habitudine catholicorum cum non christianis, cum quatuor parvulis capitulis, scil. de Iudaeis, de Musulmanis, de religionibus non christianis, de hominibus extra omnem religionem viventibus; tertia tandem pars esset de libertate religiosa.

4. Singula capita secundae partis possent constitui eodem modo quo nunc constituitur sectio capitis quarti, quae Iudaeos respicit, sed aliqua dicenda essent in unoquoque capite de defectibus vitandis et de modo positivo agendi.

Salvo meliore iudicio.

5

EXC.MUS P. D. CAROLUS A TRINITATE BORGE Y CASTRILLO

Episcopus tit. Lappensis, aux. Managuensis

Cap. IV schematis *de Oecumenismo* i. e. « de catholicorum habitudine ad non christianos, maxime ad Iudaeos » valde laudandum est et proinde mihi maxime placet quoad medullam ipsius. Gratulor ex toto corde iis omnibus qui in hoc capite laboraverunt, quia proculdubio haec est voluntas Dei ut Concilium magis ac magis orationibus, studiis, patientia, colloquiis ac caritate, una cum fidelibus pro conversione istius populi laboret.

Locus huius capitis in hoc schemate iste est, quia post christianos separatos non est alia gens cuiuscumque religionis, propinquior nobis quam Iudaei, et Oecumenismus intelligi debet ad omnes gentes; et « salus ex iudaeis est ».

Experientia personalis mihi docuit magis odium quam doctrina, sicut cum protestantibus, ab eis nos separare. Aliquos Iudaeos baptizavi, sed ad fontem gratiae, Deo adiuvante, venerunt magis caritate et amicitia quam colloquiis et disputationibus, et amplius cum aliquibus spero facere.

Verumtamen has propositiones audeo proponere:

1. Ut in hoc capitulo loco « maxime ad Iudaeos » dicatur « maxime ad israelitas » vel « ad Iudaeos et ad omnes israelitas ».

2. Concilium non tantum de consilio sed de mandato dicat explicite omnes nos, sacerdotes et fideles, pro conversione Iudaeorum et unitate fratrum separatorum nobiscum, orare debemus in actibus liturgicis, in litaniis, in Breviario cum aliquo Officio proprio in diebus ferialibus, cum aliqua Missa speciali etc. etc.

quia res difficillima est, et donum fidei a Deo venit praecipue hoc modo instantissimo.

3. Ut arabes aliquo modo magis explicite intelligant seipsos in intentione oecumenica Ecclesiae.

Et Deus benedicat Papam nostrum Paulum VI et omnes qui cum eo pro optimo exitu Concilii laborant.

6

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Magna est differentia etiam nostris diebus inter relationes catholicorum cum christianis non catholicis et catholicorum cum iudaeis. Habemus multa signa ex parte christianorum non catholicorum in favorem unionis. Vix aliquid huius generis habemus ex parte iudaeorum.

Non mihi soli, sed generaliter Patribus Concilii ignotum est, an fuit aliqua praevia conversatio cum iudaeis de hac quaestione. Si minus, eorum iuxtapositio in eodem capite cum Gentibus, posset esse causa gravis offensionis ex parte iudaeorum. Ipse sum in favorem appellationis ad iudaeos, hoc tamen, si praemature et incauta forma factum, posset causare duo pericula: 1. offensionem ex parte iudaeorum, 2. obdormitionem catholicorum contra ea, quae contra ipsos machinantur.

7

EXC.MUS P. D. IOANNES COLOMBO

Archiepiscopus Mediolanensis

Nomine episcoporum Provinciae Ecclesiasticae Longobardorum.

Schema de Iudaeis summe opportunum videtur ad doctrinam et animum Ecclesiae circa hoc problema omnibus hominibus patefacienda. Quaedam tamen adnotare oportet, ut propositio doctrinae in apto loco peracta et quibusdam additamentis aucta efficacior evadat et minus rectae interpretationi subtrahatur.

In primis non placet de Iudaeis simul cum acatholicis christianis tractare in eodem schema de oecumenismo. Baptizatis in nomine Sanctissimae Trinitatis et in D. N. Iesu Christi evangelio credentibus nullo modo sunt comparandi Iudaei; finis autem oecumenici motus est unio christianorum, quae methodo omnino diversa est adipiscenda a methodo qua ad fidem in Christum adducendi sunt non credentes.

Secundo, cum intentio sit agendi « de catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad iudaeos » revera de Iudaeis tantum practice tractatur in schemate; quod approbari non potest. Etenim:

a) cum inter rempublicam Israeliticam et nationes Arabicas religioni islamicae addictas inimicitia magna hisce annis exorta sit, videretur Ecclesia unam tantum partem favore prosequi, nisi etiam de habitudine Ecclesiae catholicae ad islamicam religionem pari dignitate et solemnitate tractetur;

b) insuper islamica religio habet elementa fundamentalia ex revelatione Veteris et Novi Foederis deprompta verumque Deum colit (quod multi christiani non probe norunt), ita ut fusius de ea tractare oporteat;

c) sunt etiam aliae religiones antiquitate, influxu in humanam culturam et enormi numero adhaerentium pollentes, ut hinduismus et buddhismus, quae silentio praeteriri non possunt. Sunt enim in illis quaedam elementa positiva fortasse non sine influxu gratiae Christi universum genus humanum permeantis, quae maternam considerationem Ecclesiae alliciunt et tamquam quaedam ingenita fundamenta sive laboris missionarii sive cuiusdam cooperationis in re sociali sunt habenda.

Tertio, in schemate de Iudaeis magna et evidens lacuna adest. Nihil enim omnino dicitur de iudicio Dei, quod, secundum doctrinam librorum Novi Testamenti, prolatum apparet contra populum iudaeorum. Huiusmodi omissio veritatem offendit et praesertim fini a schemate intento contraria est dicenda. Etenim ad id maxime tendit ut prohibeantur futurae persecutiones contra iudaeos sub praetextu religionis. Sed ad hoc non sufficit quod solemniter Ecclesia declaret persecutiones esse moraliter illicitas et contra mentem Ecclesiae. Semper enim in manibus prostant et omnibus sunt noti loci illi evangelii qui iudicium quoddam condemnationis contra iudaeos exprimunt. Quapropter necesse est ut Concilium locos illos recenseat et de iisdem interpretationem authenticam proferat, quae ex altissima auctoritate promanans et in circumstantiis tam solemnibus attentum animum omnium in se convertet, ita ut veritas pateat, omnis os calumniatoris obstruatur, et tandem aliquando via claudatur ad tam nefarium abusum verbi Dei. E contra, si de his sileatur — ut in praesenti schemate fit — radix malorum intacta manet, ex qua oriri possent in futuro tristes illi fructus quos historia, proh dolor!, recenset. Dicamus ergo clare adesse iudicium quoddam condemnationis seu reprobationis populi iudaici eiusque salvificae missionis in historia salutis; at simul declaremus illud consistere in mera amissione alicuiusque gratuiti privilegii, nihilque proinde auferre de dignitate humana et de naturalibus iuribus totius populi Israel. Quod sequenti vel simili argumentatione probetur, ex qua aptae formulae exprimi possunt ad textum conciliarem comparandum.

Principium retributionis semel pro semper promulgatum cap. XXVIII Deuteronomii, quo prosperitas Israel, utpote populi privilegio foederis cum Deo gratuito donati, ab eius fidelitate dependet, non solum apparet pluries adfirmatum et applicatum in Veteris Testamenti libris historicis (*Iudicum,* 2, 11-23 et passim; *IV Regum* 17, 7-23; 23, 26; *2 Par.* 36, 13-16) et propheticis (*Ierem.* 7, 12-15, etc.; *Ez.* c. 22 etc.) ad interpretandas nationales clades Israel sub lumine revelationis, sed etiam in evangeliis idem principium adfertur ad imminentem ruinam templi et nationis illustrandam. Ad hoc verba illa Iesu super Ierusalem flentis: « Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae » (*Lc.* 19, 44). Historia teste, Ierusalem rea demonstratur sanguinis multorum iustorum et prophetarum, proinde ait Iesus: « Venient haec omnia super generationem istam... Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas... ecce relinquetur vobis domus vestra deserta » (*Mt.* 23, 36-38). Idem docet parabola de vocatis ad nuptias: « Rex autem cum audisset, iratus est, et, missis exercitibus suis perdidit homicidas illos et civitatem illorum succendit » (*Mt.* 22, 7). Idem sensus est parabolae de vinitoribus, quae sententia fere iudiciali concluditur: « Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructum eius » (*Mt.* 21, 43). Haec omnia — quibus non magis offendi possunt Iudaei hodierni quam verbis Ieremiae vel Ezechielis — innuunt aliquam reprobationem, cuius verum sensum Concilium declarare debet. Non agitur de iudicio

Dei contra singulas iudaeorum animas, quarum aeternae sortes in manu Dei sunt, qui reddet unicuique secundum opera eius. Neque agitur de quodam iudicio contra genus (vulgo razza) iudaeorum quatenus est particularis biologica vel ethnographica res. Agitur vero de « decadentia » a statu quodam privilegiato in historia humanae salutis. Israel enim, ut unitas ethnica, sociologica et religiosa, privilegium habebat — fontem missionis honoris et gratiae peculiaris — communicandi veritatem evangelii ceteris populis. Hoc privilegium ablatum est (« auferetur a vobis regnum Dei ») et Israel relictus est in condicione cuiuslibet politicae institutionis. Ruina Ierusalem et templi destructio externe et historice signa evaserunt ruinae illius antiqui foederis inter nationem et vocationem religiosam, quod post defectionem populi ut talis a munere suo, nullam amplius rationem existendi habebat. Sed quoad *iura humana* sive personalia sive socialia, nihil omnino excidit. Nemo ius habet insaeviendi contra populum qui ceteroquin est sub iudicio Dei. Immo vero ex capitibus 9-11 Epistolae S. Pauli ad Romanos elucet hanc reprobationem Israel non esse in aeternum duraturam. Israel adhuc ducitur arcana quadam providentia et ultimis temporibus reservatur ad aliquid magni momenti operandum in historia salutis humanae, quia « sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei » (*Rom.* 11, 29).

His fusius declaratis concludendo proponimus quae sequuntur:

1. Separetur omnino tractatio de Iudaeis « ab Oecumenismo »; quod si ambo reducantur ad constitutionem *de Ecclesia,* ponatur quidem tractatio de Iudaeis post Oecumenismum, sed non ut eius appendix.

2. His quae dicuntur de Iudaeis capitulum addatur de religione islamica et aliud de ceteris magnis religionibus in Asia ab antiquo vigentibus earumque significatione in historia salutis.

3. Compleatur tractatio de Iudaeis declaratione quadam, qua peculiaris notio iudicii vel etiam reprobationis illos afficientis explicetur, et auctoritate Concilii omnibus proponatur, ut calumniis et abusibus finis ponatur.

8

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

I. *Necessarium mihi videtur Concilium de catholicorum habitudine ad Iudaeos tractare.*

Duae rationes, ex circumstantiis sumptae, prius exprimi possint:

a) Conferentia Consilii mundialis Ecclesiarum in urbe New-Delhi habita, postulavit ut vitaretur, in doctrina religiosa docenda, omne quod praebere videretur odium contemptumque Iudaeorum. Opinio publica tale praescriptum a Concilio exspectat.

b) Nuntiatio huius cap. IV gravem sensum in universo orbe suscitavit et, apud Iudaeos, ingens gaudium et magnam spem. Si disceptatio huius capitis sine die aut nimis tarde remitteretur, stupor vel etiam scandalum pro multis fieret.

Sed profundius ex exigentiis caritatis, iustitiae et veritatis necessitas loquendi provenit. Debemus, etenim, ut filii lucis ambulare; atque fructus lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate (*Eph.* 5, 8-9).

a) *Necessitas caritatis.* Relatio em.mi card. Bea perfecte illustravit hoc argumentum: « Scopus... huius brevissimi decreti ille est, ut hae veritates de Iudaeis... in deposito fidei contentae tam clare in memoriam christifidelium revocentur, ut ipsi cum filiis huius populi agentes non aliter agant ac egerunt ipse Christus Dominus eiusque apostoli ». Atqui, de facto, multi catholici non sequuntur, erga Iudaeos, « exemplum ardentis caritatis Domini et apostolorum ». Nostrum est docere fideles nostros exercitium caritatis. Mundus hodiernus odiis et dissensionibus perturbatur; Ecclesia huic mundo melius prodesse nequit nisi testimonio caritatis universalis. Magni momenti est ut Ecclesia amorem suum erga Iudaeos, ad exemplum amoris Christi erga ipsos, clare profiteatur.

b) Necessitas iustitiae. Em.mus relator, animos vehementer commovens, hanc rationem exposuit. Ex testimonio historiae, Iudaei contumelias, iniustitias, persecutiones a christianis saepe subierunt. Apud populos christianos, praesertim in hisce ultimis temporibus, « forma maxime violenta et criminosa » antisemitismi visa est. Aliquoties auctoritates ecclesiasticae mores quosdam odiosos toleraverunt vel etiam probaverunt. Officium est Patrum Concilii tales iniustitias reprobare et ab istis iniustitiis christianos fortiter avertere.

c) *Necessitas veritatis.* Hoc capitulum doctrinam in Scriptura Sacra expositam tantum refert. Atqui maxime opportunum est ut illae veritates ad christianos revocentur. Multi enim christiani praeiudicatam opinionem adversus Iudaeos accipiunt ex interpretatione erronea eventuum historiae religionis: hic populus ut deicida et maledictus populus consideratur. Nostrum schema (pag. 3, lin. 29) petit a praedicatoribus et catechistis « ne quid dicant... quod in cordibus auditorum, odium aut despectionem erga Iudaeos gignere possit ». Haec monitio valde utilis est, ut apparet ex inspectione in Gallia operata ante hos decem annos per libros qui in usu erant in scholis catholicis. Magisterium Ecclesiae, quod est magisterium veritatis, hanc praeiudicatam opinionem delere et ad doctrinam recte tradenda invigilare debet.

Ex his rationibus, mihi videtur nos graviter deficere si hoc caput repelleremus aut sine die disceptationem differremus.

II. *Sed duo sunt attendenda.*

1. In ipso schemate, oportet distincte exponi quod dicitur in relatione, scil.: non agi de quadam quaestione nationali vel politica sed de quaestione mere religiosa. Clarissime enim declarare debemus Concilium nullatenus commisceri arduis illis quaestionibus quae respiciunt relationes inter Arabicas nationes et Israel vel sic dictum, Sionismum, sed tantummodo agere et intendere in omni bonitate, iustitia et veritate.

2. Non tantum de Iudaeis loqui debemus sed etiam et simul de Mahometanis et de praecipuarum religionum sectatoribus, v. g. Buddhistis, ut omnino tollatur interpretationi politicae fundamentum et ut hi ultimi non possent existimare non esse inter illos quorum interest Ecclesiae. Hoc argumentum magnum momentum nunc praebet et maxime attendere oportet observationes episcoporum qui munus pastorale exercent in his regionibus ubi illae religiones praestant. Opportune affirmaretur omnes homines vocari ad adoptionem filiorum Dei et declararetur, « catholicam religionem debita aestimatione iudicare quidquid veri, boni et humani » apud ipsas religiones reperitur (Paulus VI, Allocutio ad Patres Concilii, 29 sept. 1963).

Igitur, schema *de Oecumenismo* dividi potest in duas sectiones: una, de relationibus cum ecclesiis christianis non catholicis, altera de relationibus cum membris religionum non christianarum; vel etiam de singulis his sectionibus possunt effici duo schemata distincta.

9

REV.MUS P. D. ALOISIUS AEGIDIUS GAVAZZI

Abbas coad. c.i.s. Sublacensis

Licentiam petii loquendi super schemate *de Oecumenismo* in genere, unice ad illustrandam quamdam, meo humili iudicio, lacunam.

Quod autem dictum est heri in hac aula a quibusdam venerabilibus Patribus, i. e. tollendum esse de schemate totum cap. IV nuper exaratum et nobis elapsa hebdomada distributum, si receptum esset a Concilio, tunc lacuna de qua supra penitus excideret.

Sed humillime censeo minime tollendam esse substantiam cap. IV, et adhaereo sententiae horum venerabilium Patrum, qui petierunt novum titulum dari nostro schemati, magis amplum, ita ut reservetur vocabulum « oecumenismum » cuidam primae sectioni huius capitis quae tractet de habitudine catholicorum ad alios christianos, et sub novo titulo posset comprehendi altera sectio, quae tractet de habitudine ad non christianos.

Novus titulus forsan posset esse: « De vocatione generis humani ad unitatem in unico ovili sub unico pastore Iesu Christo ».

Dixi me censere minime tollendam esse substantiam cap. IV de nostro schemate, eo magis quod in quotidianis foliis hebdomadae elapsae legi, quidem cum laetitia, de optima receptione huius capitis apud Iudaeos.

Sed mihimetipsi dixi (et venio ad lacunam de qua in initio interventus mei), dixi: at quid dicent ceteri « non christiani » de quibus tamen in titulo huius capitis, cum de ipsis in genere loquatur tantum sex lineis, quando de Iudaeis loquitur triginta sex lineis?; quid dicent, in particulari, Buddhistae et Confucianistae, de quibus locutus est heri em.mus D. card. Petrus Tatsuo Doi, dicens ipsos aliquomodo praeparasse receptionem revelationis Iesu Christi?; quid dicent in particulari hi qui sequuntur Islam, de quibus etiam mentio facta est heri in aula a S. B. patr. Maximos IV Saigh?

Nonne omnes isti aegre ferent discrimen tam notabile in favorem Iudaeorum? et praecipue Islamitae qui colunt verum Deum sicut Iudaei?

Pro Islamitis quidem licentiam loquendi petii. Islamitae, qui venerantur beatam Mariam Virginem (et hoc est tanto magis mirum quia generaliter despiciunt mulieres); qui ipsum Dominum nostrum Iesum Christum habent ut Prophetam.

Forsan sum nimis sensibilis pro ipsis, quia, abhinc sex annis, fui in Marocho, apud Mechnès, in Monasterio nostrae Congregationis Benedictinae Sublacensis de Toumliline, quod ideo aedificatum est, abhinc duodecim annis ut sit quoddam mutum testimonium inter fideles Corani, et vidi vim verae attractionis quam erga ipsos exercet, quamvis secluso proselytismo.

Testes fui alicuius episodii sat significantis, de quo audeo relationem facere in hac aula. Divina Providentia direxerat, inde ab initio, ad Monasterium, me-

dicum quemdam peritum de morbis tropicalibus, qui adnumeratus est Communitati. Reverendus Pater Prior statim ambulatorium instituit pro indigenis et ipsi, magna cum gratitudine et fiducia, adierunt monachum medicum; sed ipse tam occupatus erat ut tempus ei non amplius extaret pro seriis studiis philosophicis et theologicis; et Pater Prior direxit eum in Europam ut possit regulariter cursus frequentare. Dum manerem in Monasterio, mense iulio, concluso anno scholastico, noster monachus-medicus rediit Toumliline; et ecce multitudo languentium quasi obsidione clauserunt Monasterium. Interrogati cur tantam fiduciam haberent erga nostrum monachum, cur non frequentarent nosocomia vere miranda ab administratione gallica extructa antequam Marochini assecuti essent independentiam, responderunt: « quia vos habetis baracàs (i. e., ni fallor, benedictionem) ».

Parvum episodium, certe. Sed, si cogitemus veterem habitudinem Islamitarum erga christianos, quos appellabant « canes », puto parvum episodium despiciendum non esse, quippe quod significet athmosphaeram immutatam esse inter christianos et Islamitas.

Et audeo proponere, si in schemate aliquo modo maneat pro Iudaeis discrimen inter « non christianos », item discrimen ut introducatur etiam pro Islamitis, eo magis quia semper nobis dederunt exemplum maximae fidelitatis erga religionem suam, perfectae cohaerentiae inter fidem et mores.

10

Exc.mus P. D. IOSEPH GAWLINA

Archiepiscopus tit. Madytensis

Honori mihi duco nomine episcoporum Poloniae quae sequuntur proferre:

Postposita ipsa opportunitate inserendi praefatum caput in schema *de Oecumenismo,* de qua versus finem voti erit locutio, placent argumenta huius capitis, cum sint christiano afflata spiritu et congruant cum antiqua traditione Poloniae eiusque theologorum et philosophorum, ut maxime patet ex operibus Pauli Vladimiri (Włodkowic), legati Patriae nostrae in Concilio Constantiensi anno 1415.

Cum doctrina eiusdem Pauli Vladimiri, rectoris Universitatis Cracoviensis (hoc anno sexcentesimum anniversarium celebrantis) maxime consona schemati de Oecumenismo videtur, praecipuas conclusiones eius afferri liceat ad probandum, quod schema nostrum traditionalem doctrinam Ecclesiae, Medio Aevo omnino non corruptam sed potius magis perfecte expositam continet.

Paulus Vladimiri, Rector Universitatis Cracoviensis posuit theses suas sub aspectu non « rassistico », sed mere religioso contra propositiones Ioannis Falkenberg O. P., qui infideles vi ad conversationem cogi licere censuit.

En nonnullae Pauli Vladimiri conclusiones hac re de, saec. quoque xx aliquanto convenientes:

1. Licet infideles non sunt de ovili Ecclesiae, omnes tamen sunt oves Christi, sine dubio secundum creationem (*Io.* 10): « alias oves habeo, quae non sunt de hoc ovili, scil. Ecclesiae ».

2. Non debent principes christiani Iudaeos et alios infideles expellere de suis dominiis aut eos spoliare, iusta causa non exstante.

3. Non licet infidelibus... auferre dominia sua, possessiones vel iurisdictiones, quia sine peccato, et Deo auctore, ea possident: qui creavit haec indifferenter propter hominem, quem formavit ad suam imaginem...

4. Licet infideles ad fidem cogi non debent et relinquendi sunt libero arbitrio, quia sola Dei gratia in hac vocatione valet, ut dicunt canones, potest tamen, Papa mandare infidelibus, quod admittant praedicatores Evangelii in terris suis.

5. Impugnatio infidelium per fideles non solum excludit dilectionem proximi sed etiam, eiusmodi illicita usurpatione rei alienae, furtum includit et rapinam. Ratio: proximi nostri enim sunt tam fideles quam infideles indistincte.

6. Non est licitum infideles armis vel oppressionibus ad fidem compellere christianam. Ratio: quia hic modus est cum iniuria proximi et: non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Et canon dicit: nova atque inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem.

7. Quid autem Decretum generalis Concilii Toletani, praecipiens quod: *blandimentis, non asperitatibus* debent illi studere, qui alios debent convertere, licet de Iudaeis exprimat, sua ratione quae idem ius habet facere, extenditur ad omnes generaliter infideles.

8. Non est asserendum, immo negandum tamquam erroneum, scil.: quod omnis honor, dominium et iurisdictio omni infideli fuit abstracta in adventu Christi... Ius divinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione ».

Haec principia etiam nostris temporibus in memoriam revocare placet. Testes enim sumus quasnam calamitates illorum contemptus nostris diebus causabat et causat.

Saeculis praeteritis Polonia omnibus fidei causa persecutione oppressis asylum et perfugium praebuit, maxime quidem catholicis, sed Iudaeis quoque quorum 3.500.000 in patria nostra ante ultimum bellum vixerunt.

Quorum maxima pars — proh dolor — deliramento « nationalsocialistico » turpiter occisa est non sine activa repugnantia catholicorum Polonorum, quorum multi Iudaeos concives cum periculo vitae occultaverunt, condiderunt, salvarunt.

Attamen etiam nostris diebus odium inter diversos coetus hominum existit. Ecclesia catholica ex officio suo huiusmodi odio opponitur, et ideo censemus ut Concilium Vaticanum II optime pro bono totius humanitatis mereri posse si inimicitias inter homines et nationes, specialiter autem antisemitismum condemnet.

Quibus praemissis concludimus quod argumenta cap. IV huius schematis exposita generatim placent; ex altera autem parte videntur ut congruenter in schemate *de Oecumenismo,* sed potius alio loco, et quidem quoad *omnes* non christianos profundius tractanda.

11

Rev.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Duo verba tantum, et schematice quidem.

1. In schemate *de Oecumenismo,* meo humili iudicio, quamvis auditae sint voces contrariae, optime locantur Iudaei et ceteri omnes non christiani. En ratio!

Oecumenismus significat motum ad unitatem; catholicus significat universitatem; unde Oecumenismus catholicus significat motum ad unitatem omnium ho-

minum et non tantum in Christo credentium sed in Christo redemptorum. Et si tale erit, catholicus erit; secus, nec catholicus neque christianus quia Christus unionem omnium, sine ulla distinctione, seu acceptione personarum, in sua sacerdotali oratione, exoptavit: « ut omnes unum sint ».

Oecumenismus catholicus ergo aeque patet et patere debet ac redemptio.

1. Elementa communia, seu italice « punti di contatto » ut in pag. 3 a lin. 7 usque ad finem cap. IV exponuntur, sunt prorsus exquirenda et illustranda; tamen considerandum est quod hoc modo agendi, facilius bonos vicinos facimus quam catholicos! Nam ex sola propinquitate et affinitate, saepissime oritur amicitia, et amicitia tantum!

E contra, vis oecumenica nostri oecumenismi catholici provenit ab ipso consilio Dei, unico et immutabili, amplectente humanam speciem ab Ada innocente usque ad ultimum electum.

Amor enim cum sit Deus, a diligenda factura sua, etiamsi per peccatum deformata, numquam destitit; at missis Patriarchis, Moyse et Prophetis servis suis, clariorem in dies Verbi revelationem et ampliorem Spiritus effusionem contulit; quarum vi ac virtute, filios suos in Adamo lapsos atque dispersos ad unum secum indesinenter revocans, ac foedus successive iterans, novas iugiterque perfectiores Ecclesias, seu potius unius eiusdem universalis Ecclesiae formas praebuit, ab initiali ad patriarchalem, a patriarchali ad moisaico-propheticam, et ab hac ad Christi Ecclesiam, novissimam omnium ac perfectissimam, super eiusdem Christi angularem lapidem et Petri arcem fundatam, in quam cunctarum gentium transiret plenitudo et per quam omnia redire possent in integrum a quo sumpsere principium: Iesum Christum Dominum nostrum, Aeterni Patris Filium.

Ex quo colligitur Ecclesia esse aliquid conicum et pryramidale, scil. ad perfectiorem in dies formam a divina voluntate et caritate, gradatim, adductum; in cuius coni seu pyramidis vertice, nempe doctrinae et mediorum ad salutem plenitudine, a Deo perducta et locata est Ecclesia novissima et definitiva forma, quae catholica nuncupatur.

Ideoque qui scienter et volenter, ad illam ascendere renuit, divinae voluntati contradicit, Spiritum Sanctum contristat cuius opus contemnit, sicque a Dei gratia decidit, salutemque suam aeternam in discrimen adducit.

Ex hoc claro principio, sanus oritur oecumenismus, seu catholicorum hierarcharum fideliumque omnium spiritus et obligatio, universos sanctitate, oratione, verbo, aliisque aptis mediis ad catholicae Ecclesiae summitatem alliciendi, inducendi amanterque compellendi; sicut et universorum spiritus et obligatio, qui ad talem apicem nondum pervenerunt, divinae voluntati, inspiratione, eloquio aut studio perceptae, humiliter, sincere amanterque se conformandi, ad Ecclesiae catholicae culmen seu perfectionem ascendentes, ut ita, secundum Aeterni Patris consilium, et ipsi se sentiant totaliter factos (seu, ut italice dicitur, « totalmente realizzati »)...

12

Exc.mus P. D. GEORGIUS HAKIM
Episcopus Ptolemaidensis

Demande d'intervenir sur le chap. IV du schéma de l'Œcuménisme.

Il voudrait expliquer la nécessité de détacher du chap. IV les deux religions monothéistes, à savoir l'Islam et le Judaisme. Toutes les deux sont des religions

du « livre » et ne peuvent pas être mises sur le même pied que les autres religions; l'une (le judaïsme) est celle de l'Ancien Testament; l'autre (l'Islam) est issue du Nouveau.

En conclusion, je demande plus d'ouverture aux deux religions et une nette condamnation de l'Antisémitisme sous toutes ses formes.

13

Exc.mus P. D. HENRICUS BERNARDINUS HOFFMANN

Episcopus Gibutensis

Em.mus card. Bea, relator capituli « de catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos », optime rationes attulit, ut Concilium Vaticanum solemniter condemnet antisemitismum.

Tales rationes sunt praesertim:

1. *Habitudo privilegiata populi iudaici ad christianismum.* Etenim populus iudaicus est antiquus Israël relate ad novum Israël, scil. ad Ecclesiam; ei concreditum est depositum Scripturarum Veteris Testamenti; ex eo natus est Christus secundum carnem, per Mariam genitricem suam.

2. *Persecutiones* quas Iudaei passi sunt, praesertim ex parte national-socialismi germanici, qui vestigia reliquit etiam in mentibus aliquorum christianorum.

3. *Error communis circa responsabilitatem populi iudaici in morte Christi.* Appellatus est « populus deicida », dum revera compertum est, damnationem Christi ad mortem tribuendam esse peccatis omnium hominum ex omnibus temporibus.

Propter omnes has rationes visum est introducendum esse in schema *de Oecumenismo* capitulum speciale de Iudaeis, post consultationem factam apud principaliores procuratores iudaeismi in universo mundo.

Procul dubio, plene aestimamus rationes allatas a venerato cardinali praesidente secretariatus ad Unitatem christianorum fovendam, et magni facimus eius maximum meritum, necnon indefessum laborem, ad concordiam inter christianos restituendam. Quapropter, eumdem em.mum cardinalem et omnes Patres conciliares humillime rogamus, ut dignentur etiam benigne et attente considerare gravissimas rationes, quae obstant introductioni huius capituli quarti in schema de Oecumenismo.

Prima ratio: *periculum discriminationis religiosae ab ipso Concilio palam sancitae.* Adsunt in hoc mundo aliae amplissimae religiones (verbi gratia: islamismus, confucianismus, buddhismus) quas nunquam convincere poterimus quod iudaismus, qui solummodo decem millies millia seguaces complectitur, locum privilegiatum coram Concilium obtineat, dum illae aliae religiones varia centena millies millia fideles in numero habent.

Secunda ratio: colloquia quae habita sunt inter praesidentem secretariatus pro unitate, et principes religiosos iudaismi, certissime considerabuntur ab aliis religionibus tanquam artificia occulta ex parte Iudaeorum, ad obtinendum auxilium Ecclesiae catholicae, quia hodie versantur in ambitu politico valde periculoso.

Tertia ratio: iam a viginti annis ministerium exerceo in regione, ubi Islamismus absolute dominatur, et proinde liceat mihi affirmare quod sequitur: per decursum saeculorum peractus est a missionariis nostris inter musulmanos labor

apostolicus valde beneficus, qui ad quamdam conciliationem perduxit inter christianismum et islamismum. In variis locis musulmani et eorum duces aestimant opera educationis, caritatis et auxilii socialis, quae Ecclesia catholica in ipsorum utilitatem instituit. Aliquae regiones etiam relationes diplomaticas inierunt cum Sancta Sede. Praeiudicia erga christianos in dies semper minuuntur, et initium habent colloquia ex amicitia inspirata, ita ut facilior reddatur apostolatus missionariorum inter musulmanos. Nunc autem, si iudaei Concilio Vaticano modo peculiari honorantur, omnia in deterius mutabuntur, quia musulmani talem honorem et tale privilegium nunquam intelligere nec admittere poterunt, etiamsi aliqui legati hac in re explicationem quamdam afferre voluerint. Ecclesia catholica denuo constituetur in situatione valde difficili in regionibus islamismi, et durissimas consequentias huiusmodi mutationis subire debebunt non solum missionarii catholici, sed etiam omnes fratres nostri Ecclesiarum orientalium.

Ad id plene perspiciendum, necessaria est commoratio diuturna in terra islamica.

Concludendo, hoc proponerem:

1. Omnes religiones non christianas aequali modo tractare debemus.

2. Cap. V nostri schematis de Iudaeis reducendum est ad cap. IV.

3. Solemniter damnare debemus omnem speciem discriminationis gentium et religionum.

4. Modo speciali damnare debemus antisemitismum et persecutiones contra populos nigri coloris.

14

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Ut textus huius capitis suo titulo, i. e. « De catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad iudaeos » magis correspondeat, sequentia propono:

1. Ut de non christianis plura dicantur quam in capite continentur, et pari modo etiam de nostra relatione ad eosdem homines.

2. Ut ad ea, quae in schemate de nostra relatione ad Iudaeos statuuntur, adhuc compleantur, prae oculis habitis S. Scripturam, quae est optima magistra pro nostra relatione ad Iudaeos, et praeterea nonnullas enuntiationes recentiorum Summorum Pontificum, imprimis Pii XI, Pii XII et Ioannis XXIII.

3. Ut tota materia capitis, superioribus observationibus aucta, de novo componatur, i. e. post aliquod prooemium commune duae partes separatae conficiantur *a*) de Iudaeis; *b*) de omnibus aliis non christianis.

4. Ut schemati in toto novus titulus detur, qui melius eius toto contento correspondeat; quod iam in disceptatione generali desideratum fuit.

Qua in occasione proponerem, ut quaestio de libertate religiosa alio loco, i. e. in schemate XVII, ubi sermo est de iuribus personae, tractaretur, quia haec quaestio non tantum pro unitate religiosa christianorum valorem suum habet, sed fortius ad iura fundamentalia hominis pertinet et ideo in hac connexione tractanda esset.

5. Ut novus Secretariatus pro non christianis constituatur et praeterea, ut etiam non christiani ut observatores ad proximam sessionem Concilii invitentur.

Rationes pro propositionibus uti supra, si possibilitas erit, fusius declarare volo.

15

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG

Episcopus Tainanensis

Caput hoc « De catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos » licet non pertineat ad Oecumenismum catholicum in sensu proprio sed ad spiritum huius Oecumenismi certe pertinet, qui est amor universalis erga omnes, diversas religiones profitentes.

Habitudo catholicorum erga non christianos alia non potest esse nisi caritas, quae sensus aestimationis et amoris commendat. Nam in unaquaque religione adsunt semper aliqua elementa doctrinalia et moralia quae bona et vera sunt et ad nostram veram religionem abduci possunt vel saltem uti praeparationes ad cognitionem Verbi Christi. Ideae Dei supremi ac retributionis divinae, praecepta moralia et pietas religiosa fere inveniuntur in omnibus religionibus. Ideoque nos non possumus neque debemus condemnare omnes religiones totas esse malas vel superstitiosas, multo minus condemnare mores et traditiones populorum non christianorum. Non defuerunt in temporibus praeteritis qui ita scripserunt de populis paganis et multas indignationes eorum provocaverunt. Sancta Sedes Missionariis semper exhortaverunt ut respectum et caritatem in agendo et in scribendo erga gentes terrae missionum haberent. Bonum et peropportunum est ut in hoc Concilio tale principium habitudinis solemniter proclamet.

In cap. IV contextus non correspondet titulo qui est de catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos; etenim non habitudine ad non christianos tantummodo annuntiatur in principio capituli, sed de ipsa habitudine nihil habetur. De habitudine vero ad Iudaeos clara et prolixa est declaratio. Propono igitur post primam paragraphum addere unam paragraphum quae habitudo catholicorum ad non christianos describatur. Haec paragraphus ita esse potest: « Cum iis igitur non christianis, qui alias religiones profitentur, caritas Christi in modo colloquendi catholicorum elucescat oportet ita ut aestimatio ac honor moribus et traditionibus eorum significetur atque omnia bona in eorum religionibus et praeceptis moralibus cognoscantur. Studeant missionarii catholici religiones et philosophias ethnicorum ut annuntiatio evangelii Christi eorum mentibus adaptetur et cultura christiana elementa nativa assumat ».

16

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Opinamur doctrinam de Iudaeis in eo expositam ad cap. III, post art. 23, sub novo *Titulo III - De catholicorum habitudine ad Iudaeos* esse transferendam.

De paganis tractabitur in schemate *de Missionibus*.

Verba cap. IV, linn. 29-31, utpote innecessaria, omittenda videntur.

Ceterum valde sunt laudanda intentio et zelus ven. Patrum Commissionis laboresque « Secretariatus pro unione omnium christianorum ».

17

EXC.MUS P. D. THOMAS ALBERTUS NEWMAN

Episcopus Promensis

Proponitur quod post verba in linn. 28 et 29, pag. 3, scil. « et multo minus ab hodierno populo adducta est », addantur haec verba (vel similia): « sicuti non considerandus est culpabilis totus populus alicuius nationis in qua nunc Corpus mysticum Christi seu Ecclesia persecutionem vel discriminationem patitur ».

Rationes in favorem additionis huius sunt:

1. Sic roboratur et clarius redditur idea quod non totus populus Iudaicus tunc vivens tempore Christi... et a fortiori Iudaici moderni, fuerunt culpabiles quoad Passionem et Mortem Christi;

2. Praesertim, sic quaestio haec extenditur ad universalem decursum totius historiae christianismi, ita ut in iisdem coniuncturis eadem discretio a nobis exerceatur;

3. Et alia vice publice proclamatur a Sacra Synodo ista tam mirabilis doctrina de identitate Christi cum sua Ecclesia in mundo moderno existente (« Saule, Saule, cur me persequeris? ») (*Act.* 9);

4. Tandem, additio talis ideae esset fons consolationis et fortitudinis pro illis qui nunc heroice persecutionem patiuntur ob eorum fidem christianam.

18

EXC.MUS P. D. IOANNES NUER

Episcopus tit. Phanatensis, aux. Thebanus

Praecedenti mea interventione, secretariatui iam tradita sed nondum perlecta, abolitionem cap. IV de oecumenismo proponebam.

Ulterius vellem, ut ipsa votatio eiusdem cap. IV, de Iudaeis referentis, evitetur.

Ad quid enim prodest cap. IV? Si Iudaeos humaniter adire volumus, adeamus: sed aliis modis, e. g. textus liturgicos adversus eos redactos revisendo et corrigendo. Si antisemitismum damnare volumus, damnemus: sed dum de libertate religiosa, in qualicumque schemate hoc inciderit, id facile obtinetur. Si tandem nominatim de Iudaeis agere cupimus, agamus: sed absque speciali et ab aliis independenti capite. Dum enim de populis non-christianis disseritur, incipiatur a Iudaeis, quippe qui oeconomiae Redemptionis viciniores.

Ad nihil igitur prodest praefatum cap. IV. Immo in multis obest iis in regionibus ubi gubernium Iudaeos persequitur. Inde repeto utilius esset ut ipsa votatio cap. IV vitetur. Illi enim venerabiles Patres qui longe vivunt ab illis nationibus, quibus valde displicet tractatio specifica de Iudaeis, flacci facerent argumenta in hac aula iam prolata ad cap. IV delendum: et ideo facile votum acceptationi favorabile cederent.

Vitemus igitur, venerabiles Patres, ne multum quaerentes, omnia vel meliora amittamus.

* * *

Perutilis iudicanda est expositio secretariatus pro christianorum unione circa ea quae in cap. IV schematis *de Oecumenismo* continentur, hoc est: omnia quae relate ad Iudaeos asseruntur finem simpliciter, immo exclusive, spiritualem habere. Ex iis enim clare nitet Concilium praeterire super actualem Iudaeorum nationem in Palaestina constitutam superque eorum cum proximis populis relationem.

Nihilominus liceat mihi Vobis proponere ut ea, quae secretariatus pro christianorum unitate exponit, in ipso cap. I schematis *de Oecumenismo* inseratur: hoc teneo ne Iudaeorum inimici et christianorum inimici fiant, cum e schemate plus quam ex eius expositione Concilii intentionem iudicent. Tamen personaliter ipsius cap. IV suppressionem praeferrem.

Praeterea cum cap. IV *de Oecumenismo* deferat titulum: *De catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos*: in textu vero, generalibus verbis quam breviter praehabitis, super Iudaeos exclusive moratur: iterum mihi fas sit adiungere ut et *de populo islamico* aliqua explicite dicantur. Perplures enim sunt veritates christianismo et islamismo communes. Islamismus, insuper, potentissima ditatur virtute religiosa: qua Ecclesiae virtuti addita, hodiernis religionis inimicis facilius credentes obviarent. Christiani enim et musulmani, insimul coadunati, vi una unaque acie, modernis communicationis mediis dispositis, plus quam efficaciter contra adstantem modernismum dimicarent.

19

Exc.mus P. D. IVO PLUMEY
Episcopus Garuensis

Optimum videtur cap. IV schematis *de Oecumenismo,* nuper editum.

Attamen, secundum strictam logicam, Concilio placeat, post illa quae de 12 millionibus Iudaeis dicuntur, quaedam addere circa quadringentos milliones Musulmanorum, qui sicut nos Iudaeique Deum adorant, Creatorem universorum et Dominum generis humani, eiusque unicitatem tenaciter proclamant, cunctos deos paganorum energice reiicientes. Propter hoc, secundum locum tenent post Iudaeos inter non christianos, fidem suam usque ad Abraham Patrem referentes.

Huius quidem istius additionis primam rationem invenio in facto relationum inter Papatum et maiorem partem Statuum islamicorum atque in relationibus et contactibus pacificis, aliquando etiam in collaboratione et amicitia episcoporum missionaliumque cum civilibus personis, immo cum auctoritatibus politicis, quae saepe saepius operam nostram educationis atque caritatis sincere exaltant.

Secundam accipio in casu sacerdotum quos ad districtus ubi praecipue vivunt Musulmani, ut ministerium exerceant quod pluries ingratum vocatur propter exiguos effectus obtentos, ita ut nonnunquam confratres eos inutiles putant, dum pondus aestusque laboris ferre debeant apud tribus paganas quae catervatim ad catechumenatum et baptismum accurrunt... Opus habent illi minus felices maioris solatii, et silentium Concilii, praesertim post optimas declarationes capitis IV, tentationes depressionis animi vehementer augeret.

Certo certius viciniores nobis extant Iudaei, ut clarissime demonstrat caput praedictum. Attamen, non desunt spei fundamenta.

1. Musulmani, magis quam omnes alii non christiani, mysterium Christi comprehendunt. Abrahami heredes, Iesum plene recognoscunt in Messiam virginaliter de Beata Virgine Maria natum, et ipsam Mariam tamquam maximam Abrahae filiam.

Tum virginitatem Mariae, tum virginalem Iesus nativitatem ferventer tuentur. Huc autem notandum venit quod in tota creatione solus Iesus nomine matris suae designatur; videlicet « Iesus filius Mariae ».

2. Sanctuaria Mariae pie visitant, processiones in eius honore sequuntur, imagines eius devote colunt, nomen eius filiabus saepe tradunt ac ubique protectionem eius implorant: quod saepissime refertur in India, Pakistano, Guinea, Mozambico, Aegypto, Persia, Turchia et praecipue Ephesi, Gubernio benigne probante atque opportunitates concedente.

3. Optimum videtur verba Gregorii Papae VII, in litteris suis Sultano Africae septemtrionalis evocare: « Hanc itaque caritatem nos et vos specialibus nobis quam ceteris gentibus debemus, qui unum Deum, libet diverso modo, credimus et confitemur, qui eum creatorem saeculorum et gubernatorem huius mundi quotidie laudamus et veneramur » (Migne, *PL* t. 148, p. 450).

Proprium est Concilii Vaticani II, revera illud moventibus ac afflantibus Ioanne XXIII piissimae memoriae necnon et Paulo Papa VI, feliciter regnante, ut fidens dialogus cum omnibus hominibus praesentis temporis instituatur. Huiusmodi autem sollicitudo in nostro schemate « de Oecumenismo » adeo fastigium adipiscitur ut hominum oculi ad illud sponte sese convertant. Quocirca, hoc evangelico spiritu imbuti, peropportune illi christiani, qui apud Musulmanos vitam degunt, cum istis modo omnino fraterno sese habebunt. Quod ad reliquos attinet christianos, eos scilicet qui distantes sunt, ab eisdem iure exspectatur ut momentum atque utilitatem praedictae sollicitudinis quamprimum percipiant et magno pretio habeant.

Ita demum dilatabitur amicitia plurium sacerdotum atque laicorum, qui ab annis conati sunt viam amoris inter christianos, Iudaeos et Musulmanos, id est inter filios Abrahae praeducere et paulatim latius extendere, ut iter ad maiorem cognitionem viarum Dei inter homines bonae voluntatis aperiatur.

20

Exc.mus P. D. RAPHAEL RABBAN

Archiepiscopus Cherchensis

Permittatur mihi aliquas humillimas facere observationes circa cap. IV schematis *de Oecumenismo,* quod caput intitulatur: De catholicorum habitudine ad non christianos, et maxime ad Iudaeos.

1. Mentio aliqua de catholicorum habitudine ad non christianos videtur esse aliquid omnino opportunum, dum Ecclesia, pacem annuntians toti generi humano (*Eph.* 2, 17-18 collato *Mc.* 16, 15), de qua actum est in Concilio, illius est qui in mundo venit ut illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum (*Io.* 1).

2. Sex primae lineae huic argumento in cap. IV consacratae non videntur sufficere ad rem bene exprimendam et explanandam.

3. Mentio ista de catholicorum habitudine ad non-christianos magis consonat

cum schemate *de Ecclesia* quam cum illo *de Oecumenismo,* quod est, et remanere debet proprium christianorum, ad eorum unitatem fovendam. Cap. IV istud apparet tanquam *artificialiter iuxtapositum* in schemate *de Oecumenismo,* nullam habens intimam connexionem cum illo.

4. Mentio specialis de Iudaeis videtur omnino excludenda a Concilii nostri schematibus; ergo nec in schemate *de Oecumenismo,* neque in illo *de Ecclesia,* neque in ullo alio schemate locum habere deberet; et sane: quando agitur in Concilio nostro, tam oecumenico, de habitudine Ecclesiae ad non christianos non videtur esse loquendum de unoquoque populo, eo minus de aliquo populo particulari. Concilium tractat de principiis, quae applicantur postea et data occasione omnibus populis. Iudaei passi sunt, utique, ab antisemitismo; sed, nonne sufficit ut condamnetur generatim antisemitismus de quo passi sunt Iudaei, anticamismus de quo passi sunt plures alii populi, « et omnem discriminationem quae homini vel nationi iniuriam vel vexationem facit propter originem, colorem, vel sanguinem »? (sunt verba cap. V *de Oecumenismo,* pag. 6). Nomine caritatis evangelicae diligimus omnes, bonos et malos; proinde, diligimus et Iudaeos, et communistas... Istis et illis ex toto corde dimittimus patrata contra Christum Dominum et contra asseclas christianos; nomine istius legis caritatis evangelicae expurgendae sunt orationes ab omni verbo, huic praecepto caritatis opposito, et sentimenta omnium, christianorum et non christianorum, offendenti; sed hoc non implicat necessario mentionem specialem de Iudaeis, talem qualem exponitur in toto quasi cap. IV *de Oecumenismo,* nulla prorsus observata proportione cum aliis non christianis, pro quibus consacrantur tantum sex primae lineae, sicut diximus. Ex altera parte, rationes ethnicae, politicae et religiosae in Iudaismo ita arcte inter se coniunguntur, ut omnis tractatio de Iudaismo, etiam sub aspectu religioso, non potest abstrahi ab aliis rationibus, ethnicis dicimus et politicis. Cum ergo mentio ista specialis in nostro Concilio de Iudaeis non appareat necessaria neque opportuna, apparet prorsus nociva, praesertim pro christianis Medii Orientis.

Ceteroquin, si Iudaei cum Ecclesia Christi speciali ratione coniungantur propter Patriarchas et prophetas..., hoc forsitan motivum speciale Ecclesiae praebet ut *Dialogus* instituat cum eis eo fine ut agnoscantur veritates Christi nati, crucifixi et a mortuis resurgentis.

21

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR
Episcopus Lycopolitanus

L'Œcuménisme présenté dans le « schema decreti de Oecumenismo » comportait au début trois chapitres traitant des rapprochements entre chrétiens et des moyens à prendre pour faire cesser le scandale de division qui existe entre tous les baptisés. C'est tout naturel que de tendre vers l'unité, tant pour exécuter la dernière prière du Christ que pour rappeler la robe sans couture et appuyer la doctrine du corps mystique qui exige des membres unis entre eux, formant un seul corps vivifié par une même âme. C'est bien aussi le souhait du Maître: il faut un troupeau unique sous la houlette d'un seul pasteur, une même bergerie dont il est lui la porte. Il demande au Pères « ut sint unum, Ego in eis et ei in Me ut cognoscat mundus quia tu me misisti ».

Que l'on ait choisi le terme « œcuménisme » vu que les chrétiens sont répandus dans l'œcumen (monde) et qu'il convient malgré les divergences que tous s'appellent frères et se traitent comme tels, celà est admissible, et l'on ne peut que louer les auteurs de ce schéma, tant pour les idées que pour l'esprit avec lequel il a été rédigé.

Cependant, après l'addition du chapitre IV je me permets de demander ce que ce chapitre vient faire aussi bien que le suivant. S'agit-il des chrétiens désunis ou des juifs ennemis dès le début de tout ce qui est chrétien? Il me semble qu'il est plus logique que nous fassions la paix entre nous avant de penser à la faire avec ceux qui sont loin. Consolidons notre maison avec nos matériaux tout d'abord. Charité bien ordonnée commence par soi-même.

Sans doute, on peut alléguer qu'ils sont l'A. T. c'est-à-dire que leur histoire est l'introduction du N. T. et donc, nous basons notre histoire ou plutôt nos croyances sur eux. Ne sont-ils pas le peuple élu de Dieu, ayant pour Père Abraham père des croyants? (Cependant N. S. leur a refusé cette dénomination à cause de leur conduite et les a même appelés « vous êtes du diable » montrant l'inanité de leur prétention). C'est d'eux qu'est venu le Christ Fils de David selon la chair. Somme toute leur histoire est celle des prophètes ou plutôt de la Révélation.

Ces faits sont indéniables, mais le peuple juif persistant dans l'incrédulité et le mal s'est attiré la qualification du Christ « Vos de diabolo estis ». Ils ne sont plus les enfants d'Abraham, Dieu pourrait susciter des pierres, des enfants à Abraham, Israël donc a perdu ses prérogatives et dans le N. T. c'est l'Eglise qui a remplacé Israël et qui est Israël. Ce sont les baptisés, nés de l'eau et de l'Esprit, c.-à-d. nés de Dieu qui forment la famille de Dieu et sont son peuple élu continuant et réalisant la révélation de l'A. T.

Les juifs d'aujourd'hui, ou enfants de Judas Macchabé, ont prévariqué et continuent l'incrédulité et la haîne de leurs pères en rejetant le Christ et sa doctrine. Que de fois d'ailleurs à travers l'histoire, ils ont abandonné la lumière pour se jeter dans les ténèbres et l'esclavage du Baal. Le Veau d'or fait l'essence de leur histoire et s'ils aspirent à un royaume où le Christ sera roi, c'est à un royaume terrestre où la gloire du monde brille. L'histoire est là pour montrer que ce peuple « insoumis » a persécuté les prophètes, tué les envoyés de Dieu et lorsque le Christ a paru, ils l'ont rejeté et mis à mort sur la Croix. Le Christ d'une manière succinte, mais imagée, dans la parabole des vignerons a décrit leur histoire et sa parole prophétique s'est accomplie. La Vigne leur sera enlevée et confiée à d'autres et eux seront châtiés. Cette histoire est douloureuse, la destruction de Jérusalem et de son temple lui ont fait verser des larmes et hélas! selon leur demande son sang est tombé sur eux et sur leurs enfants. Nous demandons pour eux miséricorde, car pour eux aussi, le Christ est mort, mais la justice qui ne détruit pas l'amour en Dieu, ou plutôt, qui est amour se fait sentir. Tant il est vrai, que le ciel et l'enfer ont été créés par Lui.

Saint Paul s'est attendri sur sa race, mais touchant leur entêtement et leur incrédulité, il se vit obligé de se tourner vers les gentils, comme il dit si bien. Ce peuple hélas, trop attaché au matériel ne veut pas voir. Dans sa cécité il est allé jusqu'à rejeter certains chapitres et certains livres de l'A. T. allégant qu'ils sont apocryphes, en réalité ils ne veulent pas se trouver contraint de croire.

Le pharisaisme et tout ce qu'il contient comme doctrine que l'on peut lire dans le Talmud attire sur eux bien de méfaits et leur donne un cachet que l'on

ne peut pas ne pas abhorrer. Le Christ malgré sa douceur s'est indigné devant le pharisaisme qui a déformé la doctrine saine.

Le peuple juif semble donc être marqué de la perfidie et résistant à la grâce divine il s'attire la réprobation.

En tous cas, il ne peut plus s'appeler le peuple de Dieu et ce nom doit leur être dénié, car on doit se rappeler qu'à la mort du Christ: le voile du temple a été déchiré et qu'Il a été crucifié hors de Jérusalem. La Sainteté lui a été enlevée pour être donnée aux peuples qui viendront de l'Occident et de l'Orient, du Nord et du Sud.

C'est donc la Ste-Eglise qui est le royaume de Dieu. Elle naquit du cœur ouvert du Christ donc elle est le fruit du sacrifice et de l'amour. Elle ne peut vouloir que l'amour et la paix entre les humains. Mais est-ce à dire qu'elle doit se taire devant le mal et ne pas chercher à l'extirper? L'entêtement des juifs n'aura pas le dernier mot dans le Royaume de Dieu...

Or, qu'est-ce à dire? Veulent-ils démentir toutes les prophéties et rétablir la nation d'Israël dans la splendeur de David et de Salomon? Hélas, oui et pour y parvenir non seulement ils emploient l'horrible loi du talion et celle plus ou moins du racisme mais tout semble leur être permis: saccager, détruire, spolier etc. ... Ne voit-on pas aujourd'hui, intempéries, de la faim, de la soif, croupissant dans la misère et l'ignorance?

Ce peuple dur a-t-il droit à des ménagements? La charité ne demande-t-elle pas à ce qu'il soit surveillé pour être arrêté? Tout mal doit être extirpé et ce qui est nocif à la société doit être enchaîné. On veut une paix avec ce peuple, mais y a-t-il de paix sans justice? Quant au rôle religieux qu'ils ont jadis joué, ils n'ont en cela aucun mérite, car tout est dû à l'élection gratuite de Dieu et tout revient au choix mystérieux de son amour mû par sa miséricorde. Aujourd'hui ils sont les agents des troubles, de révolutions et des destructions. Cf.: common sense to what jews say about themselves etc. ...

Que les juifs commencent par réparer et montrer la piété pour tout ce qui n'est pas juif et alors ils verront l'héroïsme de la charité chrétienne qui émane de la croix.

Pour le moment nous ne pouvons pas les encourager dans la voie du mal et les laisser s'infiltrer chez nous. C'est à Dieu tout-puissant que nous avons recours. Nous prions.

A mon avis, ce chapitre IV aux conséquences funestes doit être retiré; qu'on le veuille oui et non il sera interprêté contre nos pensées et la politique s'y mêlera. Il faut qu'il soit éliminé pour la paix.

Si l'on veut parler de charité, qu'on le fasse, mais alors pour tous et à l'égard de tous les peuples et sans partialité.

22

Exc.mus P. D. PETRUS SFAIR

Archiepiscopus tit. Nisibenus Maronitarum

Documentum de Iudaeis quod Patribus conciliaribus proponitur ad discutiendum, curam et sollicitudinem ubique excitavit, ita ut nunc undique animos et mentes ad hanc aulam conciliarem diligenter omnes intendunt. Primores hebraeo-

rum reputant hoc documentum aetatem memorabilem statuere in eorum historia, et iam hunc actum Concilii oecumenici magnis laudibus celebrant. Utrum vero hoc sit materia Concilii Oecumenici, mihi licitum sit dubitare. Sed quia iam insertum est inter argumenta Patribus proposita, illud toto corde approbo, eique libenter consentio, proponendo solummodo ut in linea ultima cap. IV, verba « materno animo » substituantur per haec alia « sincero animo », vel « toto corde ». At necessarium omnino puto aliquid etiam dicere de Mahumetanis. Non loquor de rebus politicis, sed tantum de religione. Rationibus pro mentione Iudaeorum in schemate *de Oecumenismo* adductis sequantur hae quaedam affinitates doctrinales quae inter nos et Mahumetanos habentur: Iesus in Corano est unicus inter filios Adae qui in sinu Matris suae conceptus fuit ex Spiritu Dei et non ex semine humano. Propter hoc Ipse vocatur Verbum Dei et Verbum Veritatis atque thaumaturgus et magnus propheta renuntiatur. De Maria vero mirabilia in Corano praedicantur, et Ipsa extollitur super omnes mulieres huius mundi, et secundum interpretes, « super omnes mulieres mundorum ». Et sunt aliae rationes: Coranus qui verba Dei ad litteram continet, ita loquitur in c. 5, v. 81: invenies quod inter omnes homines ii qui vehementiorem inimicitiam habent contra credentes, sunt hebraei. Et in capite 61: Coranus asserit hebraeos reum considerasse Christum mendacii et magiae quando Christus solidis argumentis viam salutis iis indicabat. Relinquo traditionem quae durior est et hanc aversionem auget.

Ulterius, non est oblivione conterendum nos, in regionibus arabicis, catholicas Missiones plurimas habere. Proinde pro viribus satagendum nobis est ut omnes Arabes — etiam minutus et simplex populus — animum infensum contra missiones non habeant.

Propterea iuxta meam humilem sententiam, documento quod respicit hebraeos addendum aliquid de Mahumetanis ut e. g. si dicitur plus minusve hoc modo: loquendo de Hebraeis non possumus non recordari Mahumetanorum inter quos et Judaeos contentionem diuturnam haberi censemus; quatenus, inter alia, eamdem patriam spiritualem contendunt. Istam dissentionem summopere deploramus praesertim quia in praeceptis religiosis fundatur atque ab iis in magna parte causam suam repetere videtur. Proinde omnibus christifidelibus commendamus ut preces fundant atque verbo, opere et exemplo auxilium praebeant ad restaurandam pacem et concordiam ubicumque; praesertim inter Iudaeos et Mahumetanos qui Unum Supremum Ens ambo colunt et adorant.

23

Exc.mus P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN

Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Kotabaruensis

Nomine triginta episcoporum Indonesiae liceat mihi proponere uti sequitur: Quoad cap. IV duo iuvat facere observationes, scil.:

1. In prima alinea huius capitis dicitur principia Oecumenismi catholici suo modo applicari debere, cum agitur de modo colloquendi et cooperandi cum homi-

nibus non christianis. Haec autem ad introductionem capitis de Iudaeis apta esse non videtur. Haec legens posset enim quis cogitare nos Iudaeos in eodem genere ponere cum iis qui Deum revelatum saltem explicite non cognoscunt. Talis autem etiam omnis suspicio est vitanda. Insuper haec alinea prima insufficiens videtur ad iure meritoque tractandum de aliis religionibus non christianis.

Propterea suadendum videtur hanc alineam hic deleri. Si de eis agitur, tunc faciendum videtur alio loco et cum maiori extensione.

Quia tale officium inter alia optime committi posset secretariatui pro religionibus non christianis, hac occasione uti volumus nos adiungendi eis qui declaraverunt erectionem talis secretariatus valde esse optandam.

2. Haud negandum nobis videtur rationem adesse, quae insertionem capitis de Iudaeis in ipso decreto *de Oecumenismo* valde suadet. Concedendum est vox oecumenismi, utut in fine cap. I huius schematis eius significatio describitur, Iudaeos directe non includere. Sed specialis relatio quae inter Ecclesiam et Iudaeos existit, tantam analogiam prae se fert cum iis de quibus in oecumenismo agitur, ut insertio huius capitis in hoc schema plene iustificet. Seiunctio enim inter Synagogam et Ecclesiam consideranda est ut primum schisma in populo Dei, vulnus dolorosum in ipsa Ecclesia relinquens. Sed talis insertio capitis omnino exigit quod textus imprimis loquitur de religione iudaica quam ipsis his diebus adhuc multi profitentur. De hac autem religione et de iis quibus haec religio cum nostra coniungitur, vix aliquid in textu dicitur. Ad elucidandam coniunctionem specialem Ecclesiae cum Iudaeis, textus ut iacet duo ponit: Primo agnoscit fidei et electionis Ecclesiae initia in Iudaeorum historia praeterita inveniri, et secundo dicit se oblivisci non posse se esse continuationem illius populi quocum olim Deus Antiquum Foedus concludere dignatus est.

Haec omnia exprimuntur ut respicientia tempus praeteritum historiae Iudaeorum. Sed essent elaboranda tali modo quo in lucem ponatur quid haec significent pro relatione inter Ecclesiam catholicam et religionem iudaicam in nostris diebus. Insuper tenor totius textus imprimis tendit ad reprobationem iniuriarum et persecutionum contra Iudaeos. Haec omnia minime sunt omittenda. Sed scopum proprium oecumenismi directe non attingunt.

Ut textus huius capitis cum scopo oecumenismi magis concordet, de ipsa religione iudaica dicendum est: quod initiis revelationis est ditata; quod legit verbum Dei in iisdem libris Sacrae Scripturae quos et Ecclesia ut ad suum canonem pertinentes semper vindicabat; quod colit verum Deum qui seipsum populo suo revelavit; quod ab eo flagranti desiderio salutem exspectat per impletionem promissionum quae Patribus sunt factae. Hanc impletionem in Christo iam venisse nondum vident ob velamen positum super cor eorum (*2 Cor.* 3. 15). Sed ad officium Ecclesiae pertinet omni nisu suum conferre ad hoc quod hoc velamen auferetur et quod Iudaei consequuntur quod quaerunt. Teste S. Paulo enim de eis dicendum est, quod sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei et quod potens est Deus iterum inserere eos in bonam olivam. De hac possibilitate loquens S. Paulus eos vocat « secundum naturam suae olivae inserenter ». Ut veniant « ad hanc suam plenitudinem », quam S. Paulus divitias mundi fore praedicat (cf. *Rom.* 11, 11-13), Ecclesia dialogum oecumenicum cum eis instituat.

24

Exc.mus P. D. CAROLUS IOSEPH VAN MELCKEBEKE

Episcopus Nimsciianus

Il est très opportun, pour saufegarder l'unité du schema *de Oecumenismo* que le chapitre IV de ce schema « De catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos » soit intégré dans un autre schema, comme il a déjà été proposé à diverses reprises.

Et aussi, de faire mention dans le schema concernant les Juifs des Mahométans.

Ceux-ci, comme les Juifs, ont la croyance en Dieu, personnel et unique et appuient leur doctrine sur l'Ancien Testament.

De plus les Mahométans reconnaissent Jésus-Christ comme un grand prophète, et honorent la Sainte Vierge.

En Chine occidentale, où les Mahométans forment une communauté de plusieurs dizaines de millions de membres, au siècle dernier, lors des grands massacres de « païens chinois », les Mahométans ont toujours épargné les « chrétiens chinois ».

De tradition l'attitude des Mahométans vis-à-vis des chrétiens est correcte, sinon amicale, coopérative et protectrice.

Au temps où moi-même j'étais en Chine Occidentale, j'ai remarqué que souvent, quand les autorités civiles ou militaires s'adressaient à la population chinoise, ils disaient « nous » pour désigner les Mahométans et les chrétiens, « vous » pour désigner le reste de la population (« nous », c'est-à-dire les croyants, ceux qui connaissent les Livres Saints; « vous », c'est-à-dire les incroyants, ceux qui ignorent les Livres Saints).

Il est indispensable, et le plus tôt sera le mieux, qu'un dialogue s'établisse entre les Catholiques et les Mahométans.

Une déclaration de bonne volonté émanant du Concile pourrait signifier un premier geste d'approche.

Quant à la proposition de faire mention des autres grandes religions, dans une formule qui comprend toutes les religions honnêtes, je suis entièrement de cet avis.

25

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ZAK

Episcopus S. Hippolyti

Liceat mihi proponere animadversiones ad cap. IV et V schematis *de Oecumenismo.*

Instantissime velim demonstrare necessitatem, defendere unitatem totius schematis praepositi et cap. IV de Iudaeis non eximere, quamquam oratores sunt, qui imprimis propter causas politicas hoc postulaverunt.

Nos autem omnes scimus, quam clare et quam exemplariter Ss.mus Dominus Ioannes b. m. Papa XXIII etiam in hac quaestione viam nobis manifestabat; nos omnes scimus, quam bene annuntiatio ab actis proposita toto in mundo recepta est. Secundum meam opinionem esset irresponsabile, si Concilium in quae-

stione quoad Iudaeos taceret. Consequentia esset quod sic dictus Antisemitismus magis ac magis sese expandere posset; quod nemo nostrum desiderare possit.

Sine ullo dubio ipse quoque Iudaeismus mundi haud raro temporibus praeteritis maculabatur culpa per habitum antichristianum. Nos autem etiam peccavimus. Ante omnia quod in area sic dicti National-Socialismi in territoriis « christianis » Europae contra Iudaeos peccatum est, est vere caput omnino tristissimum historiae novissimae.

Sicut movimentum Oecumenismi Concilio opinionem affert, declarare et definire habitudines Ecclesiae catholicae ad alias ecclesias et communitates ecclesiales, ita quoque scopus pastoralis Concilii requirit declarationem habitudinis quoad Iudaeos, quae e christiano et ante omnia biblico spiritu emanat. Scimus nos cum ipsis coniunctos inseparabiliter et quidem per Sacras Scripturas Veteris Testamenti.

Sic quidem necessarium esse videtur, postulare propriam paragraphum, quae inseratur in hoc cap. IV de habitudine Ecclesiae catholicae ad alias religiones nonchristianas.

Denique liceat mihi dicere schema absque cap. V « De libertate religiosa » incompletum remanere. Recte aliquis orator in aula dixit, hoc cap. V quidem aliquam conditionem sine qua non pro Oecumenismo esse.

Secundum meam opinionem rectum esse videtur, cap. V potius in initium quam in finem totius schematis ponere et nullo modo a schemate eximere.

Ad repugnandum varias contradictiones ea de causa propono schema cum novo titulo inscribere, et forsitan hoc modo: « De christianorum unitate promovenda », vel simili modo, cum duabus partibus: 1. de oecumenismo; 2. de catholicorum habitudine ad non-catholicos. Haec secunda pars esset rursus distinguenda in: *a*) de catholicorum habitudine ad Iudaeos; *b*) de catholicorum habitudine ad alios non-christianos.

Ita servaretur apto modo unitas totius materiae simul cum respectu desideriorum plurimorum patrum.

C - Quoad cap. V.

1

Em.mus P. D. VALERIANUS card. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

In praesenti solum hoc velim addere de cap. V « libertas religiosa ». Festina lente! quia, etsi sunt multa in isto capite bene dicta, timeo ne gubernia in terris missionum forsan magnopere facient hoc documento ut restringantur « conversiones » per legislationem. Sed de hoc loquar tempore opportuno.

2

Em.mus P. D. ERNESTUS card. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

I. Inscriptio: *de libertate religiosa,* in re tanti momenti, occasionem praebere potest gravi ambiguitati.

II. Apte distinguatur libertas a tolerantia.

III. Notio libertatis religiosae recte definiatur vel declaretur.

IV. Persecutiones religiosae, quae etiam hodie in pluribus nationibus furunt, fortius reprobentur.

V. Omnium religionum tolerantia, utcumque patiens et benevola, ne impediat verae religionis continuam propagationem, prudentem sed summe ferventissimam.

3

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Phrasis « libertas religiosa » in hoc schemate, ut patet, intelligenda est secundum mentem Ecclesiae, hoc sensu nempe quod homo ius habet Deum colendi quin a quavis persona vel potestate humana impediatur vel cogatur. Una cum hac libertate autem omnis homo obligatione tenetur religionem profitendi et exercendi, secundum dictamina propriae conscientiae. Non agitur tantum de catholicis vel de iis qui religionem christianam aliquo modo profitentur, sed de omnibus omnino hominibus in quibusvis adiunctis versantibus.

Omnis homo quoad religionis professionem et exercitium liber esse debet, quia religio est complexus relationum uniuscuiusque personae humanae cum Deo, quibus nulli alteri personae sese intromittere licet.

Praeterea per dictamen conscientiae manifestatur seu applicatur lex aeterna, cuius solus Deus auctor est et iudex, et quae in homine viget per legem naturalem. Homo ergo conscientiam veram colere debet, i. e. satagere ut conscientia sua legi divinae respondeat. Fieri quidem potest ut eius conscientia erronea sit, sed quatenus recta sit, id est cum sincera intentione se veritati conformare, eius dictamen exsequendum est quia conscientia ex ordinatione Dei est regula proxima morum, soli Deo subdita, ipsique omnino cognita est dispositio cum qua homo agit. Conscientia erronea ergo coram Deo recta esse potest et inculpata, quod, sicut ad omnes alias materias, etiam ad religionis professionem pertinet.

Libertas religiosa autem, quae inter hominis libertates prima est et fundamentalis, inanis et vacua esset si homines dictamina conscientiae suae exsequi non possent actibus externis sive in vita privata, sive in vita sociali, sive in vita publica, et eo vel magis si homines impedirentur coetus religiosos constituere, quorum asseclae externis et communibus actibus Deum colant et religionem exerceant.

Hic quidem oritur gravissimum problema. Si homo quodvis dictamen conscientiae suae exsequeretur, aliquando certe laederentur aliarum personarum iura et officia. Ergo personae particularis ius et officium dictamina conscientiae suae exsequendi non est illimitatum, sed bono communi temperari et ordinari debet. Haec ordinatio ad bonum commune in societate humana iuridice competit potestati publicae, cuius est societatem civilem ita ordinare et tueri ut omnes cives officia sua adimplere et iuribus suis frui possint. Quod ante omnia ad officia et iura religiosa tuenda pertinet, quum haec omnia alia officia et iura antecedant. Hoc autem ita fieri debet ut neque impediantur vera officia aut supprimantur vera iura religiosa, neque in hac materia imponantur mandata arbitraria et iniusta ipsius potestatis publicae.

Hac de re bonum exemplum habemus in Statibus Foederatis Americae Septem-

trionalis. In eorum constitutione fundamentali declaratur supremae potestati civili non competere aliquam religionem civibus praescribere vel prohibere liberum exercitium cuiusvis religionis inter cives professae. Quod quidem omnino iustum est, data potestatis publicae limitatione ad ordinem temporalem et diversitate religionum inter cives professarum. Eadem potestas publica autem abrogavit pluralitatem uxorum in aliqua religione particulari exercita, quamvis eius asseclae ius sibi tribuerent ad eiusmodi morem nomine ipsius religionis. Potestas publica autem prohibitionem suam iustificavit nomine boni communis et legis naturalis. Item iustificari potuit ratione legis evangelicae.

Eadem constitutio fundamentalis etiam in tuto ponit ius Ecclesiae, sicut et aliarum societatum religiosarum, missionem suam exsequendi quin potestas publica se ullo modo immisceat, et omnium civium libertatem tuetur religionem secundum conscientiam suam profitendi et exercendi, id quod cum declarationibus recentioribus Sanctae Sedis concordat.

Ecclesia catholica quidem semper propugnavit, praesertim coram guberniis civilibus, omnium hominum libertatem religionem secundum propriam conscientiam profitendi et tam privatim quam publice exercendi. Mentem suam hac de re decursu saeculorum secundum conditiones vigentes gradatim evolvit, eamque tempore recentiori clarius et plenius proposuerunt Summi Pontifices Leo XIII, Pius XI, Pius XII et Ioannes XXIII, quorum doctrina ita resumi potest secundum Litteras Encyclicas Ioannis XXIII, quae vocantur documentum princeps in materia libertatis religiosae:

« Primo, iure naturae persona humana ius habet ad liberum in societate exercitium religionis iuxta dictamina conscientiae rectae, sive vera sit conscientia, sive sit errore veritatis aut impari rerum sacrarum cognitione capta (n. IV, p. 31; cf. Litt. Enc. *Pacem in terris, A.A.S.,* 55 [1963], p. 299). Secundo, huic iuri respondet officium, quod et aliis hominibus et potestati publicae incumbit, officium nempe illud ius hoc modo agnoscendi atque colendi ut persona humana in societate servetur immunis ab omni cuiusvis generis coactione (*ibid.,* pp. 264, 273-274).

Haec omnia bene exponuntur in cap. V schematis *de Oecumenismo.* Ibi autem extra locum esse videtur tractatus de libertate religiosa, quum in schemate de oecumenismo agatur de unitate christianorum et de normis ad eam assequendam. Mihi ergo melius esse videtur ut de libertate religiosa in alio schemate aptiore tractetur. Materia autem huius capitis et modum eam praesentandi *placet.*

4

Exc.mus P. D. CAROLUS IOSEPH ALTER

Archiepiscopus Cincinnatensis

I. In hac interventione loquor non tantum in nomine meo sed etiam in nomine aliorum episcoporum de Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis. Loquor non de libertate religiosa qualicumque, nec de libertate religiosa indeterminata et latiore sensu intellecta, sed praecise de iure personae humanae ad immunitatem in re religiosa ab omni externa coactione a potestate publica inducta.

Exc.mus relator hanc distinctionem inter veram libertatem religiosam et alia genera falsae libertatis religiosae iam in lucem bene posuit. Laeto animo accipimus igitur illas distinctiones ab exc.mo relatore iam factas inter libertatem religiosam genuinam et pessimum indifferentismum, relativismum, laicismum et existentialismum. De his erroribus non oportet disceptare hoc in loco quia non est quaestio de forma libertatis religiosae eis obnoxia.

Schema *de Oecumenismo* mihi permaxime placet. At quasdam animadversiones adiungo circa ius personae ad libertatem in re religiosa consequendam. Valde desiderabile nobis videtur, immo necessarium, ut in Concilio Vaticano II claris verbis et sine ambiguitate de hac quaestione in schemate *de Oecumenismo* tractetur. Hoc enim fere ab omnibus expectatur, praesertim in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis etiamque illis in regionibus ubi pluralismus in religione viget.

II. *Status quaestionis.* 1. Apud multos tum catholicos tum non-catholicos dubia adhuc existunt, num Ecclesia catholica agnoscat plenam libertatem religiosam pro omnibus civibus. Quaeritur, enim, utrum libertas Deum colendi tum privatim tum publice, tum in coetibus coadunatis tum singulatim, iuxta rectam singulorum conscientiam, agnoscatur pro catholicis tantum vel etiam pro aliis. Haec dubia evitare oportet, ut unitas christiana, iuxta mentem Domini nostri Iesu Christi, promoveatur, caritas vero fraterna et bonae relationes inter catholicos et non-catholicos in dies augeantur. Ut autem in mentibus omnium doctrina Ecclesiae catholicae clare elucescat, fundamentum solidum habere oportet in principiis theologiae catholicae et in iure naturali.

2. In memoriam redigendum est quod non desunt qui exprobant catholicos, in re religiosa, ratione quadam ambigua, immo machiavellica, se gerere. Nam, aiunt, ubi catholici minoritatem politicam constituunt, ibi ius ad plenam libertatem in religione sibi vindicant; ubi vero maioritatem politicam constituunt, ibi ceteris ius non agnoscunt ad plenam libertatem in re religiosa exercendam. Quamobrem haec dubia et suspiciones ita evitari oportet ut difficultates non paucae amoveantur a vita publica catholicorum.

3. Mutationes plures et magni momenti quoad structuram et competentiam potestatis civilis cursu temporis factae sunt. Aetate nostra, enim, tota Reipublicae auctoritas non in una persona colligitur. Publica auctoritas hodiernis temporibus non amplius de bonis spiritualibus iudicat atque decernit. Hodie, fere ubique, cives, praesertim in re religiosa, ius iudicandi independenter a potestate publica sibi vindicant et hac in re competentiam Status denegant, et merito quidem, quia, si ratio spectetur qua Reipublicae auctoritas exercetur, clare apparet quod ipsa non est apta ad iudicia *pro merito* ferenda in re religiosa; huiusmodi enim auctoritas exercetur principio democratico maioritatis adhibito. Omnino igitur incongruum erit si veritas et valor doctrinae divinae et disciplinae Ecclesiae subicienda sit suffragationi maioritatis civium.

4. In Rebuspublicis regimine atheistico rectis — in quibus enumerantur quasi dimidia pars hominum — ius personae humanae Deum colendi iuxta conscientiam omnino non agnoscitur vel tantum verbis agnoscitur, factis vero contradicitur. Non raro in aliis regionibus, religionis causa catholici etiamque alii christiani in gravissimis difficultatibus versantur et libertate religiosa deprivantur. Ma-

ximi momenti erit ad iura catholicorum protegenda ut a Concilio asseratur munus esse potestatis publicae efficaciter tutari ius personae Deum colendi et religionem amplectendi ad rectam eius conscientiae normam.

III. *Argumentum in favorem libertatis religiosae.* 1. Summus Pontifex Ioannes XXIII in encyclicis litteris *Pacem in terris* declaravit: « In omnibus iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (*A.A.S.*, 55 [1963], pp. 278-279). Dixit etiam in eisdem litteris encyclicis: « Postulatur... ut, in specie iuris et officii rationes describantur, quibus cives cum Reipublicae moderatoribus contineantur; utque distincte decernatur praecipuum eorumdem esse munus, civium iura et munera agnoscere, colere, invicem componere, tueri, ad processus provehere.

At hae, de quibus diximus, animorum appetitiones illud etiam manifesto testantur, nostro hoc tempore homines magis magisque fieri suae dignitatis conscios, atque adeo incitari cum ad Reipublicae administrationem participandam, tum ad poscendum, ut propria, inviolabiliaque iura in publica civitatis disciplina serventur » (*A.A.S.*, 55 [1963], pp. 278-279).

Mirandum ergo esset si positio a Concilio sumenda in re religiosa nostrae aetati et verbis Summi Pontificis non esset consona.

2. Apud « Nationes Unitas », anno Domini 1948 in generali sessione habita die 10 decembris declaratio solemnis de universalibus hominibus iuribus approbata est. In art. 18 huius declarationis ius personae humanae ad plenam libertatem in re religiosa vindicatur. Valde mirandum esset si in hoc Oecumenico Concilio nihil diceretur de hoc iure vel obscuris verbis tractaretur, eo magis quod agitur de iure a Summo Pontifice Pio XII claris verbis iam vindicato in nuntio radiophonico die 24 decembris anno 1942 transmisso. Summus Pontifex Paulus VI etiam in allocutione nuper die 29 huius anni habita collocavit ius ad libertatem religiosam inter praecipua iura hominis.

3. In memoriam etiam redigendum est quod Dominus Noster Iesus Christus numquam invocavit vim vel compulsionem aliquam, nec exemplo nec verbis, ad fidem alliciendam. Codex Iuris Canonici etiam statuit: « Ad amplectendam fidem catholicam nemo invitus cogatur » (can. 1351).

4. Nobis maxime placet quod dicitur de natura actus fidei in schemate *de Oecumenismo*; homo enim ad fidem non potest advenire nisi Deus eum traxerit per gratiam, et nisi ipse homo ab omni externa coactione immunis sit ut respondere poterit iuxta suam naturam humanam; debet enim rationabile obsequium Deo praestare.

5. Homo ad imaginem Dei creatus, et intellectu et libera voluntate praeditus, suum finem ultimum attingere potest tantum per usum facultatum vere humanarum. Voluntatem Dei tantum adimplere potest, in quantum lex divina, mediante dictamine conscientiae, percipitur et fideliter exsequitur. Etiamsi conscientia confuse vel inscie legem divinam percipiat, tamen qui sincere et prudenter dictamini conscientiae oboediat, Deo oboedit.

6. Clare et praecise distinguendum est inter duas diversas notiones, scil. inter societatem civilem ex una parte, et statum civilem, i. e., gubernium qua tale, ex altera parte. Non sunt eaedem, nec una cum altera confundenda est quoad iura et obligationes. In lege fundamentali Statuum Foederatorum in America Septemtrionali ius personale et sociale ad libertatem religiosam solemniter statutum est;

e contra, gubernium ipsum stricte prohibetur ne in quaestionibus religiosis ullo modo sese immisceatur. Si cives catholici igitur plenam libertatem religiosam non agnoscunt, cives non-catholici conclamare poterint quod catholici non sunt leales nec confidentiae digni, immo officia publica eis concredere non esset permittendum.

IV. *Conclusio.* Ius personae ad libertatem in re religiosa ab omnibus quidem agnoscendum est, sed a potestatibus reipublicae non tantum colendum, tutandum sed etiam mediis aptis promovendum. Nam finis reipublicae est defensionem boni communis inservire. Fere ubique et fere ab omnibus nationibus hodie ius personae ad plenam libertatem et plenam immunitatem ab externa coactione in re religiosa agnoscitur. Maxime igitur bonum commune adiuvare, pacem promovere et ordinem internationalem humanum inservire poterit si Sancta Synodus vocem suam levaret in defensione ipsius iuris.

5

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Loquendo de hoc capite in genere dicendum est verba a relatore pronunciata et nobis scripto tradita in nonnullis melius sonare, quam ipsum textum schematis.

Ad singula vero, cum tota reverentia erga collaboratores in hac quaestione, has meas impressiones patere audeo:

1. Ipsa religiosae libertatis notio, quid intendit schema, melius apparet ex relatione, sed non ex textu schematis. Desideratur ergo hic maior praecisio et claritas.

2. Ex schematis 4 paginibus plus quam quarta pars totius textus (finis n. 2, integri nn. 3 et 4) dedicatur ad condemnandam coactionem ad religionem, quasi hoc Concilium celebratur temporibus et sub umbra alicuius « inquisitionis » et non temporibus omni libertate gaudentis saecularismi et quando magna pars ipsius Europae catholicae iam a pluribus annis sub flagello persecutionis christianorum et praesertim catholicorum vivit.

Etiam ea, quae aliquando in vigore contra catholicos in Helvetia, regionibus Scandinavicis, Magna Britania, iam obsoleta sunt. Si iniquae leges alicubi non sunt adhuc formaliter aboletae quasi ubique suam vim amiserunt.

3. E contra. Vivimus tempora, si non integrum regionum et nationum, multorum catholicorum apostasiae, quorum permulti, postquam ab Ecclesia recesserunt, uniti cum antiquis inimicis christianorum fratribus suis credentibus facti sunt mortales inimici. Notabilis pars Ecclesiae catholicae persecutiones patitur, quae sua crudelitate et malitia in multis superant ea, quae narrantur de persecutionibus primorum christianorum in imperio pagano Romano.

Si auctores schematis putant propter aliquas particulares rationes verbum esse faciendum contra coactionem ad aliquam religionem, transeat. In schemate tamen in hoc nimis insistitur. Nostra tempora non habent characterem coactionis ad talem vel talem religionem.

E contra, existimo plus quam opportunum esse in hoc schemate et praesertim in cap. V verbum facere de apostatis, persecutoribus religionis et de ipsis persecutionem patientibus.

6

REV.MUS P. D. IOSEPH BUCKLEY

Superior generalis Societatis Mariae

Declaratio huius Concilii quoad libertatem religiosam est res valde desiderata. Determinatio religionis a Statu facta pro suis civibus — « cuius regio illius est religio » — numquam fuit rectum principium. Oportet falsa consectaria ab illa positione defluentia nunc aliquando totaliter derelinquere. Amplecti hanc vel illam religiosam fidem spectat, tamquam officium et ius, non ad statum sed individuam personam. Ex alia parte admitti debet quod in foro externo et sociali bonum communitatis requirit ut leges ferantur indolem moralem habentes necnon religiosam affinitatem, sed statuere veritatem cuiusdam ecclesiae qua talis non pertinet ad Statum.

Periti auctores praesentis documenti qui strenue illud considerationi huius augustae Congregationis proposuerunt laudandi sunt. Tamen ipsi facile convenient illud documentum maximo studio examinandum esse ante eius promulgationem.

Hic meus interventus refertur ad par. 3, qui incipit pag. 3 et prosequitur maxime pag. 5.

In hac paragrapho quaestio est de norma bonitatis actus. Exhibetur analysis actus moralis. Accuratum studium huius paragraphi ostendit quod dum in initio praesentatur « Veritas quae est ipse Deus », « lex divina », « iura Dei absoluta » tamquam prima norma moralitatis, postea fit cito transitus ad « Dei voluntatem ».

Voluntas Dei, sumpta ut correlativa normis divini iudicii, videtur primo intuitu irreprehensibilis qua norma morum. Mentio quae simul fit de Dei iudicio ac de eius voluntate aestimari potest tamquam modus conciliandi discrepantias inter intellectualistas et voluntaristas quoad normam moralitatis.

Tamen, ut ex expositione patet, voluntas Dei hic videtur sumere caracterem determinationis cuiuslibet nostrae deliberationis in omni circumstantia vitae nostrae, ita ut recte agere nihil significat quam pernoscere quaenam sit voluntas Dei: « In omni actu morali ponendo personae humanae problema aliquod obicitur. Ipse personaliter videre debet quid Dei voluntas a sua libertate exigat... quid Deus in concreto problemate ab ipso petat » (schema *de Oecumenismo,* cap. V, pag. 5).

Talis expositio ad illam nocivam pseudomysticam theoriam ducit, iuxta quam vita spiritualis nihil aliud est quam quaesitio et indagatio ad noscendum quaenam sit, pro me hic et nunc, voluntas Dei.

Haec theoria iam a multo tempore confutata fuit a S. Thoma Aquinate. In Summa theologica (I^a II^{ae}, q. 19, a. 10 ad 1) ipse quaerit: « Utrum necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati divinae in volito, ad hoc quod sit bona? ». Agendo de hac quaestione, S. Thomas clare explanat quod voluntas hominis conformari debet voluntati divinae quatenus habere debet motivum rectum, sed non necessario in re specifice volita. Sic Deus potest velle mortem viri ob motivum iustitiae, dum uxor viri, ob motivum pietatis, vult

suum sponsum vivere. Voluntas Dei et voluntas mulieris in hoc conveniunt quod ambae habent motivum rectum sed discrepant in re volita. Nihilominus voluntas mulieris potest esse bona.

S. Thomas duo affert motiva quibus voluntas hominis non tenetur convenire voluntati divinae: 1. Modus iudicandi non est idem in Deo et in homine; 2. (in verbis ipsius Aquinatis) « ... in particulari nescimus quid Deus velit: et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati ».

Auctores huius capitis probabiliter respondebunt se loqui velle de conformitate ad voluntatem Dei sub ratione rectitudinis seu bonitatis motivi, non autem quoad rem specifice volitam. Textus tamen, claritate S. Thomae destititutus, videtur significare contrarium.

Difficulter hic excusare possumus carentiam claritatis quia textus videtur favere spirituali et pseudomystico voluntarismo omnino falso. Eiusdem voluntarismi vestigia inveniuntur etiam in modo quo exhibetur vocatio religiosa et sacerdotalis in schematibus *de sacrorum alumnis formandis* (pag. 5, lin. 18; pag. 6, linn. 1, 7, 9, 20 s.; pag. 7, lin. 8) et *de statibus perfectionis acquirendae* (pag. 37, linn. 3, 24, 29-32). Ubicumque invenitur, delendus est voluntarismus.

Textum emendatum secretario trado.

Textus modificatus, pro pag. 5, cap. V.

« In unoquoque actu morali ponendo homo observare debet duas sequentes exigentias:

1) Unica datur Veritas quae est ipse Deus. *Iudicia Dei sunt vera non solummodo de esse rerum seu de earum veritate existentiali sed etiam de recta agendi ratione, morali scil. seu obligatoria, creaturarum intellectu praeditarum.*

2) Deus qui hominem ad imaginem suam liberum creavit, ab *ipso petit submissionem liberam divini iudicii normis de actionibus moralibus, etiam individualibus, in quantum tales normae divinae cognoscuntur vel sincere cognosci creduntur ab unoquoque homine.*

In omni actu morali ponendo personae humanae problema aliquod obicitur. Ipse personaliter sub Dei lumine et adiutorio, adhibitis omnibus mediis informationis (pro homine christiano hoc est i. a. doctrina Ecclesia) et ratione habita iurium aliorum videre debet quid *norma prudentiae* a sua libertate exigat. *Haec norma prudentiae obligationem suam ultimam formalem sumit ex hoc quod est vel saltem huic homini individuali videtur esse reflexio iusta et valida, quamvis fallibilis, normae iudicii Dei.* Ex natura rei in hoc problemate solvendo nec ullus alius homo, nec ulla humana potestas sese *conscientiae unicuique homini propriae* substituere valet.

Quae cum ita sint, si non obstantibus omnibus suis conatibus ad recte videndum quid Deus in concreto problemate ab ipso petat, persona humana erroneam solutionem admittit, nec ullus homo, nec ulla humana potestas ius habet sese huic conscientiae erranti substituendi, *licet Ecclesia vel status tenetur quandoque externam conformationem requirere propter aliquod magnum communitatis bonum.*

N. B. Nova pars textus indicatur linea supposita.

7

EXC.MUS P. D. VITUS CHANG TSO-HUAN
Episcopus tit. Cyanitanus

Pag. 3. Propositio 2, ubi legitur: « Ecclesia catholica omnes et singulos homines, *qui in adoptionem filiorum Dei praedestinati sunt,* instanter hortatur » etc. Omittatur propositio ista relativa. *Ratio*: ne credatur, Ecclesiam tantum a Deo praedestinatos hortari. Nemo reiiciendus ab Ecclesia, quae nec limitationem facere inter homines videatur.

Forte false intellexi, sed sine ista propositione non datur occasio false intelligendi.

8

EXC.MUS P. D. UBALDUS EVARISTUS CIBRIÁN FERNANDEZ
Episcopus tit. Bidensis, prael. null. Corocorensis

Solemnis proclamatio iuris ad libertatem conscientiae in re religiosa externe exercendam, prout in capite V *de Oecumenismo* videtur proponi, absolute reiici debet.

Quae in cap. V, *de libertate religiosa,* a secretariatu unionis exarato, nobis proponuntur, praesertim ea quae de iure ad libertatem conscientiae in re religiosa externe exercendam ibi proferuntur, mihi absolute non placent, et prorsus reicienda esse debere puto. Et hoc quinque de causis.

1. Quia non veris, aut saltem non adaequate et recte propositis principiis doctrinalibus nititur.

2. Quia falsam illationem supponit inter libertatem internam conscientiae et ius ad eius externam vel publicam manifestationem. Ex nudo facto non oritur per se ius.

3. Quia nimis philosophice, et, ut ita dicam, rationalistico modo videtur procedere, cum detrimento christianae veritatis, de qua ante omnia Concilium curare debet, ex *articulis fidei* arguendo.

4. Quia totaliter ignorat vel parvipendit documenta Magisterii Ecclesiastici, praesertim Romanorum Pontificum qui, *data opera,* hoc argumentum tractaverunt. Et sic ansam praebetur contemptui ipsius magisterii et damnum infertur toti theologiae. Si in re tanti momenti sic ignorare liceat magisterium supremum, cur non et in ceteris quaestionibus?

5. Quia magnam confusionem generat inter veritatem absolutam vel necessariam principiorum ordinis moralis, quae semper sustinetur quamvis in praxim deduci nequeat, et eius practicam applicationem, quae utique contingens est et diversimode evenire potest.

En uniuscuiusque asserti rationes. 1. *Nititur principiis falsis aut inadaequate propositis.* Revera tanquam fundamentum et principium normativum totius huius quaestionis *de libertate religiosa* ponit libertatem ipsam et personam humanam. Iamvero hoc nequaquam admittendum esse debere puto, cum primatum hac in re non libertas nec persona humana teneant, sed veritas et Deus, quibus illae subiciantur oportet et a quibus normari et gubernari debent. Iudicium de usu vel abusu libertatis non ab ipsa libertate desumitur, sed aliunde, scil., ex confor-

mitate vel disconformitate cum regula obiectiva morum. Libertas per se nullum ius fundat, nisi et ipsa in hoc quod est iustum et verum fundetur. Aliter unusquisque, ex sua efformata conscientia, posset pro lubitu agere et a nemine coerceri posset, cum iura et officia sint correlativa. Et sic ad pessima consectaria pervenire possemus, nam ductus bona fide quis sacrificia humana offerre Deo posset quin liceret, vi iuris ad libertatem conscientiam in re religiosa externe exercendam, eum legitime coercere. Ergo non bene principium de libertate religiosa in schemate proponitur.

2. *Falsa aut non recta illatione procedit.* Ex nudo facto libertatis psychologicae in actu fidei et ex libertate interna conscientiae nullo modo sequitur ius ad libertatem iuridicam et publicam manifestationem religionis, tantum subiective verae. Libertas ab omni coactione in credendo et libertas privatim Deum colendi iuxta propriam conscientiam ab omnibus agnoscitur. Sed libertas iuridica et publica prout a schema oecumenico proclamatur falsa omnino est et contradicit solemni Magisterio Romanorum Pontificum. Veritas enim existimata, seu non obiective veritas, forsitan ius subiectivum fundare valeat; ius autem obiectivum, ius ad eius externam et publicam manifestationem, nullatenus admitti potest. Libertas conscientiae in re religiosa externe exercenda tamquam factum inevitabile et tolerandum ad vitanda maiora mala vel promovendum bonum commune sustineri potest; tamquam verum ius, sicut facit schema, nullimode. Qui auricalcum existimat aurum, aut falsam veram monetam reputat, pro sua domo faciat quidquid vult, sed ius ad suum errorem diffundendum ne invocet, cum et poenis plecti possit.

3. *Nimis philosophice seu rationalistico modo procedit.* Quia « iura personae, iura libertatis, homo, civis » verba sunt quae multum sonant in schemate. Principia autem fidei circa veritatem christianam declarandam et ordinem christianum instaurandum, tam individualiter quam socialiter, raro inveniuntur. Primatum in schemate conciliare nec homo nec ratio tenere debent, sed Christus et veritas christiana. Ex *articulis fidei* ante omnia, non ex rationibus vel sensibus humanis procedere oportet.

4. *Doctrina Magisterii ignoratur et infirmatur.* Nam, ubinam sunt documenta et testimonia gravissima Romanorum Pontificum docentes, data opera, hac in re? Quomodo quae dicuntur in schemate componuntur cum his v. g. quae e documentis recentiorum Pontificum promi possunt? Pius IX damnat ut erronea propositio haec: « Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem quam rationis lumine quis ductus veram putaverit » (DENZ. 2915). Leo XIII scripsit: « Divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere » (DENZ. 3174). Et etiam: « Ecclesia nihil quidem impertiens iuris nisi iis quae vera quaeque honesta sint... » (DENZ. 3251). In Encyclica *Libertas* clare ait malum et errorem nullum ius habere nec ad diffusionem nec ad propagationem. Quod et Pius XII alloquens iuristis anno 1953 rursus asserit, simul docendo: separationem Status ab Ecclesia atque laicitatem Status *in thesi* a catholicis sustineri non licere.

5 et ultimum. *Veritatem absolutam principiorum moralium cum eius contingente applicatione penitus confundit.* Veritas horum principiorum independens est ab eius practica applicatione. Sustinentur enim quamvis in praxim deduci nequeant vel non expediat. Ratio est, quia, ut ait S. Thomas, applicatio principiorum moralium non fit necessitate logica sed regulis prudentiae christianae,

quae contingenter procedunt, attentis subiectis et conditionibus temporum et locorum. Sed inde nihil inferre licet contra veritatem theoricam ipsorum principiorum. Instantia idealis est permanens quamvis in praxim deduci nequeat.

Conclusio ergo sit: Caput *de libertate religiosa* reiiciatur donec corrigatur, prae oculis habitis quae antea innuimus. Forsitan ad aliquam communem, concordem et practicam conclusionem devenire possemus, si principia hucusque in scholis catholicis tradita serventur incolumes. Principia maneant, dum applicationes immutantur. Ne videatur ab Ecclesia doceri nunc quod antea proscripsit tam solemni et saeculari magisterio.

De cetero autem disputare etiam potest utrum conveniat vel non indiscriminatim pro omnibus populis et nationibus libertatem religiosam externam et publicam proclamare. Bona profutura valde dubia sunt; mala autem et scandala, pro certis saltem regionibus catholicis, certissima. Sed de hoc Concilium viderit. Nos *contra thesim* hac in re a Secretariatu pro Unione propositam certamus, non contra hypothesim. Factum toleramus immo et, si opus sit, libenter agnoscimus; ius ad libertatem conscientiae in re religiosa externe exercendam prout in capite proponitur nullatenus admittimus.

9

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

Schema, praesertim in hoc cap. V, videtur optimum, respondens perantiquo, etsi quandoque minus conscio, desiderio, et urgenti necessitate.

Attamen, ob humanam infirmitatem, necesse videtur magis explicite et vehementer revocare has veritates:

firmo omnino arcano mysterio divinae liberrimae voluntatis in suis gratiis conferendis, ceteris paribus, qui extra Ecclesiam sunt carent pretiosissimis auxiliis ad aeternam salutem;

consilium divinum plenum est iam in terra omnes homines recipere in Ecclesia et visibili et invisibili;

unde, caritate erga Deum et proximos, homines catholici tenentur ad laborandum perassidue, unusquisque iuxta suam vocationem, ad hoc ut omnes Ecclesiam ingrediantur, ita ut omnes, per medium ordinarium a Deo statutum sine necessitate extraordinariae divinae actionis, quam maxime habeant omnia auxilia ad aeternam salutem.

Schema, in hoc capite, vult praesertim indicare quo efficacius hoc fieri potest, et arcere a mediis ineptis immo damnosis. Omnino inepta immo damnosa est violentia. Eo magis igitur catholici tenentur ad alia media adhibenda: quorum primum, et quidem omnibus possibile, est vera vita christiana: 1) ratione, uti dicitur, testimonii; nam cum religio catholica sit non tantum doctrina sed vera vita, non iniuria exigitur testimonium vitae; 2) et summum: ut per crucem vitae christianae, impetretur efficacior Gratiae fluxus in mystici Corporis membra mortua et separata.

Haec esse debet practica urgens consequentia huius cap. V: ne quis nimis quiescat in cogitatione: satis est si etiam acatholici vivant sua bona fide. Immo, ulterius considerandum: ipsa bona fides ad salutem est fructus gratiae, impetranda per nostram veram vitam christianam.

10

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Animadversiones generales. a) *Opportunitas argumenti.* Cum praeiudicium valde divulgetur Ecclesiam, ubi potest, exercere imperialismum spirituale, conscientias offendens, *omnino necessarium est de hoc argumento clare tractare,* ita ut pateat Ecclesiam esse custodem verae libertatis humanae.

At de loco huius tractationis disputatur. Forsan schema XVII esset locus magis idoneus. Nam oecumenismus problema restringit. Et si lector crediderit hoc argumentum esse prae primis et in se oecumenicum, male postea intelliget doctrinam et praxim Ecclesiae de matrimoniis mixtis, v. g., cum hic et illic agatur de libertate et de conscientia, aliter tamen et aliter.

b) Defectus huius textus est quod loquitur permixtim de duobus argumentis distinctis, qui sunt magni momenti et ideo tractationis digni. Prima quaestio est quaestio *de libertate actus fidei,* secunda *de libertate civili religionis.* Quia duae hae quaestiones non bene distinguuntur, prooemium claritate caret.

De libertate actus fidei. De hac re agitur praesertim in nn. 1-2. Argumentum versatur circa actionem diffundendi Evangelii, quae est propria Ecclesiae. Ad hoc suum munus rite adimplendum Ecclesia utitur mediis propriis et specificis. De die in diem magis apparet transcendentiam et libertatem Ecclesiae, quae *non est de hoc mundo* in tantum affirmari in quantum Ecclesia renuntiat auxilio coercitivo (et etiam aliquando pecuniae) a potestate civili adhibito. Ex suo modo proprio agendi, spirituali scilicet, Ecclesia testimonium fert *de vi veritatis.* In hoc sequitur exemplum Domini (*Mt.* 26, 51-54; *Io.* 18, 33-38). Veneratio erga veritatem exigit liberam adhaesionem mentis, ante omnia in actu fidei. Thema est pastorale, hunc « aggiornamento » conspicit qui est Concilii scopus, quia agitur de puritate supernaturali mediorum quibus Ecclesia in Evangelio diffundendo utitur et uti debet.

De libertate civili religionis. De argumento tractatur praesertim in nn. 3 sq. In textu cardo argumenti est conscientia etiam bona fide errans. Optimum est iura conscientiae, etiam erroneae, affirmare. At hoc non significat haec affirmatio *principium* argumenti constituere, quod textus insinuat.

Gravius, textus addit ius liberae conscientiae a bono communi limitari. Sed quis de vero communi bono iudicabit? Item quis de bona fide conscientiae iudicabit? Timeo ne in tali tractatione nimis subiectivistica, libertas personae magis in periculum ponatur quam salvetur.

Unde, dum de conclusionibus schematis valde gaudeamus, de argumentis valde dubitamus.

Si attente Encyclicam *Pacem in terris* legamus, principia sequentia ponere possumus:

Iura fundamentalia personae humanae sunt ontologice anteriora iuribus societatis. Unde omnis potestas civilis his iuribus personae subordinatur, his favere debet, de his nullo modo disponere potest. Nam finis auctoritatis civilis est promovere bonum commune quod omnibus bonis constituitur quae vocationi spirituali transcendenti personae inserviunt. A. v. iura obiectiva personae sunt normae pro bono communi et pro auctoritate civili.

Inter haec iura Encyclica enumerat ius libere inquirendi veritatem, ius expressionis, ius Deum colendi iuxta rectam normam conscientiae (nn. 12, 14). Quod significat libertatem ab omnimoda coactione physica, psychologica vel morali. Sic bonum commune normis obiectivis regulatur.

Ad hoc principium addendum est factum quod proprium est mundo hodierno scil. ex unitate mundi, habemus *pluralismum* etiam religiosum in fere omnibus societatibus. Hoc factum pluralismi hodie constituit elementum boni communis. Ut tale debet ab omni auctoritate civili agnosci.

Quare dicimus pluralismum esse valorem? Hoc venit ex democratia, scil. ex constitutione societatis, doctrinae Ecclesiae plene conformi, secundum quam unicuique individuo in vita politica possibilitas agnoscitur exercendi iura et responsabilitatem personae humanae propria.

Unde tria dantur fundamenta obiectiva libertatis civilis religionis in praesentibus conditionibus (hoc quoad pluralismum dico), nempe: *dignitas transcendens personae humanae, factum irreversibile pluralismi, democratia seu participatio omnium personarum vitae societatis politicae.*

Addendum est necessitatem tractandi argumentum in perspectivis universalibus, perspecta praesertim situatione Missionum.

Animadversiones particulares. Titulus: de libertate religiosa. Forsan melius esset duas partes habere cum duobus titulis: *de libertate actus fidei, de libertate civili religionis.*

Prooemium denuo scribatur, cum non sit clarum. Hoc speciatim valet de ultima phrasi. « Sed insimul... » melius: *in quibus consensus non datur,* quia nescimus si hic consensus habebitur ante finem temporum.

Oppositio inter sacra et absoluta Dei iura et iura personarum, non convenit, quia non datur. Agitur de summa omnium iurium naturalium, quae potestatem civilem et etiam ecclesiasticam obligant.

N. 1, in fine: sanguinis effusionem. Addere: *Ad instar Domini sui, scit Ecclesia veritatem divinam in se vim propriam habere, ita ut eius diffusio non mediis pure humanis sed testimonio evangelico et gratia Spiritus Sancti fulciatur.*

N. 3, pagg. 4-5, denuo scribantur. Principium potius sic habeatur: *Inter elementa boni communis cui inservire debet potestas temporalis, eminet dignitas personae humanae eiusque supernaturalis vocationis. Quae dignitas transcendens plura iura implicat inter quae ius libere inquirendi veritatem et ius libere colendi Deum iuxta rectam conscientiae normam. In hoc sacro conscientiae personae, ad imaginem Dei creatae sanctuario, nulla potestas humana sese immiscere neque eiusdem personae iurium publicam et socialem expressionem impedire potest.*

Analysis actus moralis est insufficiens, scholastica, et inutilis. Textus de « Unica Veritate » non est rectum neque ad rem, cum agatur de re morali.

N. 5. « dummodo, sicut bono communi exigitur, etc. », tales expressiones sine explanatione sunt periculi plenae, quoad usum possibilem. Idem dicendum pag. 6, de formula « salvo bono communi ».

Quae habentur pag. 6, excepta formula indicata, sunt laudanda et remanere possunt.

11

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Makarskensis

Peto veniam loquendi de cap. V schematis *de oecumenismo.*

Quidam exc.mi episcopi mihi dixerunt cap. V de libertate religiosa nobis, qui sub ditione sic dictae democratiae popularis vivimus, esse valde profuturum.

Meditando serie de ista amicabili assertione et attente legendo textum capitis ad contrariam conclusionem immo et ad anxietatem animi perveni his ob duabus rationibus:

1. quia in nostro capite libertas tribuitur tantummodo hominibus religiosis, non vera atheis quibuscum nos cotidie versamur.

2. Quia in toto schemate sicut et in hoc capite nihil dicitur de modo agendi catholicorum cum atheis.

Ad 1. *a*) Caput revera videtur excludere atheos a libertate eorum ideologiam profitendi, quia in titulo et in toto textu loquitur tantummodo de libertate « religiosa » non vero de libertate « humana ». Imo in art. 6 caput contra « materialismum » vehementer loquitur quibus verbis insinuare videtur pro materialistis nulla dari libertas profitendi saltem externe eorum ideologiam.

Ideo faciliter materialistae, e. g. marxistici, dicere nobis possunt: quod vos denegatis nobis tam sollemniter etiam nos vobis denegare cogimur.

Proinde caput nobis nullo modo prodesse, sed potius obesse videtur.

b) Si vero profundius examinamus rationes ob quas caput hoc materialistis et in genere hominibus sine religione libertatem hanc intimam externe profitendi et mediis licitis propagandi eorum ideologiam denegare videtur animus noster ad art. 5 sistitur. In hoc articulo dicitur: « Ideo in vita publica exercitium externum libertatis conscientiae impediri non potest nisi contradicat bono communi seu ordini obiectivo iurium Dei Creatoris et Salvatoris et inalienabilium iurium et libertatum personae humanae ».

Non est ergo dubium, quin caput nostrum atheismum considerare videatur uti systema ideologicum contradicentem bono communi seu ordini obiectivo iurium Dei Creatoris et Salvatoris et inalienabilium iurium et libertatum personae humanae.

Propterea tam amare conqueritur in art. 5 et sequenti contra materialismum.

c) Conclusio huius considerationis est petitio humillima, ut tandem aliquando « bonum commune » definiatur.

Sine etenim ista definitione quaestio de libertate religiosa minime solvitur. Nam unusquisque status vel coetus hominum limitare possit libertatem conscientiae in externo saltem exercitio vel etiam eam totaliter denegare propter « bonum commune » societatis.

Haec erat praecise ratio, cur quidam Iudaei Dominum nostrum crucifixerint, haec est ratio cur hodie Ecclesia crucifigatur et haec est ratio cur quidam status catholici vel protestantes vel orthodoxi externum exercitium libertatis conscientiae limitabant vel denegabant aliis religionibus christianis vel non christianis. Haec est ratio cur etiam hodie Ecclesia catholica eiusque hierarchia in quibusdam statibus magnis privilegiis gaudet.

Quia ergo caput libertatem conscientiae illimitatam haud proclamat sed eam

limitat « bono communi » non definito, ideo doctrina capitis essentialiter imperfecta remanet imo pro quibusdam conditionibus, sicut e. g. pro nostris conditionibus, nociva.

d) Abstrahendo ergo ab illis quaestionibus inter theologos et canonistas agitatis, utrum scil. potestas publica seu Status habeat ius et officium verum Deum publice colendi et veritatem tuendi, propter istas rationes practicas, quas adduxi, mihi videtur haec quaestio de libertate religiosa seu potius humana esse tractanda in hoc capite ubi de oecumenismo, tantummodo sub respectu practico, scil. tantummodo sub respectu boni communis quod hodie exigit, ut omnibus hominibus et religionibus concedatur exercitium externum libertatis conscientiae. In qua conclusione practica certe nos omnes concordes sumus.

e) Alioquin fateor mihi valde placere, praecise ob conditiones nostras concretas, ut Ecclesia confidatur populo fideli, non vero Statui, quicumque sit, ob amorem suae independentiae ecclesiasticae et ob instabilitatem hodierni Status, qui hodie catholicus cras atheus esse potest.

Sed istae rationes non sunt tales, ut nostram doctrinam theoreticam permutemus.

Ad 2. Quia athei videntur ab hac libertate religiosa positive excludi, ideo nec in capite nec in toto schemate quidquam de modo agendi et colloquendi cum atheis inveniri potest, praeter illas condemnationes quae in hoc capite inveniuntur.

Certe non sum contra illas condemnationes, sed illae non sufficiunt.

a) Si Iudaeis quasi totum caput consecravimus, etsi erga atheistas pauci sunt et insuper maior pars Iudaeorum hodie non videtur esse religiosa, quanto magis hoc arduum problema de atheismo moderno aggredi debemus.

b) Forsan aliquis nostrum possit dicere cum S. Scriptura: « Dixit insipiens in corde suo non est Deus ». Ergo de insipientibus nobis curandum non est, neque ipsis libertatem quampiam concedere, saltem si possumus eam non concedere et tamen eam ab ipsis petere volumus.

Sed econtra est, quod etiam athei filii Dei sunt neque ipsos convertere possumus talibus methodis aggressivis. Insuper non datur atheismus sed athei. In omni quasi atheo inveniuntur vestigia verae religionis, quae vestigia cognoscere oportet, si cum ipso fructuose pro eo et pro nobis colloqui velimus.

Annon videmus quotidie, quomodo e. g. marxistae sacrificentur pro eorum ideologia propaganda et quomodo pleni zelo sint, saepe magis quam nos. Ab ipsis quandoque, non vereor dicere, nos quoque episcopi discere possumus. Sed nemo sacrificatur pro errore, sed pro parte saltem veritatis, quae errori inest.

Ex altera vero parte quomodo dicere non cogimur materialismum esse contra bonum commune, i. e. contra iura Dei Creatoris et Salvatoris?

Ob istas rationes sane materialismus uti organisatio in quibusdam statibus, alioquin liberalibus, prohibitus est.

Omnes istae quaestiones de atheismo moderno, sive, ut aiunt « civili » — vulgo « borghese » — sive marxistico, tam magnae et summi momenti sunt, ut praeteriri non possint, quando de oecumenismo loquimur.

Ideo propono:

a) Ut titulus mutetur in: De libertate humana, sub quo titulo aggredi oporteret etiam problema atheismi.

b) Ut addatur speciale caput de modo se habendi Ecclesiae et catholicorum erga atheistas nostri temporis, in quo capite regulae pastorales delineari deberent pro colloquio oecumenico cum nostris fratribus atheis.

c) Ut instituatur specialis secretariatus, sicut iam proposueram, permanens pro quaestionibus atheismi, qui secretariatus nullo modo confundi deberet cum secretariatu forsan instituendo pro fidelibus non christianis, qui in unum Deum Creatorem et Remuneratorem credunt, quia isti homines fideles propinquiores sunt christianis non catholicis imo et catholicis, quam atheis.

Ita posset institui specialis congregatio oecumenica seu De propaganda fide cum tribus secretariatibus seu sectionibus, praesertim si novo iure canonico integratio ecclesiarum in missionibus et in oriente perficiatur, sicuti audivimus in hac aula esse desideria multorum episcoporum ex missionibus et ex oriente.

12

Exc.mus P. D. RAPHAEL GARCÍA Y GARCÍA DE CASTRO

Archiepiscopus Granatensis

In schematis *de Oecumenismo* cap. V, cui titulus « De libertate religiosa », tres animadversiones, et quidem gravissimas, Patrum conciliarium considerationi proponere velim:

I - *Cavenda est « unio » in communi ruina.* Quae enim in praefato cap. V proponuntur nonnisi apta ad confusionem esse mihi videntur. Miror sane quod, ex una parte, in re tanti momenti *textus integrus* tantummodo paucis abhinc diebus ad Patres pervenit, et, ex alia, a Concilio exspectetur prompta, triumphalis, liberatrix adprobatio. Nescio utrum cum festinatione huius capitis redactionem factam fuisse, necne. Inveniuntur *menda typographica* quamplurima, in aliis schematibus inaudita (cf. *divini* pro *divina*; *consicentiae* pro *conscientia,* etc.). Sed hic vel maxime spectat illud: *festina lente.*

Opus est, ante omnia, ad confusionem vel *aequivocationem* vitandam, inter *ordinem caritatis* et *ordinem veritatis* distinguere. *Caritas* enim ad omnes extendi debet. Et, sub hoc aspectu, laude digna est irrequieta sollicitudo pastoralis et « oecumenica »: *caritas Christi urget nos* (*2 Cor.* 5, 14), etiam ad inimicos (cf. *Mt.* 5, 44; *Lc.* 6, 27 et 35), « saltem in praeparatione animi » (cf. S. THOMAS, *Summa theol.,* II-II, 25, 8).

Sed *veritas* unquam cum errore amicitiam inire potest. Unde oportet ipsam praedicare ubique, omnibus, quia « veritas liberabit vos » (*Io.* 8, 32); « veritatem facientes in caritate » (*Eph.* 4, 15). *Caritas* quae non est in *veritate* non est revera *caritas,* sed vagus sentimentalismus, falsus mysticismus, pura philantropia (cf. PIUS XII, *Annus Sacer*: *A.A.S.,* 43 [1951], p. 33: « nec catholica appellari potest »). Inter praecipua igitur opera misericordiae haec *caritas veritatis* (*2 Thess.* 2, 10) recensetur. In Sacra enim Scriptura *misericordia* et *veritas* haud raro simul et intime foederatae inveniuntur (cf. *Tob.* 3, 2; *Prov.* 3, 3; 14, 22; 20, 28; *Ps.* 24, 10; 39, 12; 84, 11; 88, 15, etc.).

Cum enim Deus, qui Amor est et Veritas, velit omnes « ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4), ibi *caritas vera* non adest ubi *libertas erroris* indistincte asseritur. Ergo « humani generis in rebus religiosis ac moralibus discordia et aber-

ratio a veritate » *dolenda* est potius quam *compatienda* (PIUS XII, Litt. enc. *Humani generis*: *A.A.S.*, 42 [1950], p. 561). Si *duplicem ordinem, caritatis* nempe et *veritatis,* non accurate distinguimus in re oecumenica, « periculum, idque eo gravius quo virtutis est specie magis obtectum », gignitur: « omnia uniuntur quidem, sed solummodo in ruinam » (*ibid.,* pag. 564-565).

Iamvero: huiusmodi *unio,* semper cavenda, in capite « De libertate religiosa » non excluditur, immo etiam *superirenice* fovetur fovendaque auspicatur.

II - *Doctrina Concilii Vaticani II ullo modo magisterio Ecclesiae adversari debet.* Si igitur procedere « in caritate non ficta, in verbo veritatis (cf. 2 *Cor.* 6, 6-7) iuvat, dicendum est insuper quod doctrina in textu capituli allata ita *aequivoce* aut *incomplete* exponitur ut Ecclesiae Magisterio anteacto palam adversari videatur, aut saltem ansam praebet ad *relativismum* huius Magisterii. Ecclesia, Mater et Magistra, semper in principiis, quae ad fidem attinent, quaeque patrimonium indemne ipsius Ecclesiae constituunt, asserendis firma, clara fuit. Sunt veritates, principia sunt quae labentibus aevis non variantur; « id autem nullo modo ea, quae mutantur, tempora mutant » (*ibid.,* pag. 33).

Ingenue quis dicere audet quod *oppositio* inter doctrinam propositam et aliquos textus huius Magisterii tantum *materialis* est. Haud tantum *materialis,* verum etiam *formalis* dicenda, si intime perspiciatur, uti satis apparet illi qui *textus* in suo contextu obiectivo, historico et doctrinali pensare velit. Aliunde, *latronum* incursus, quos vitare arbitrantur, redactores huius capitis declinare non valuerunt, sed in manibus eorum incidunt. De *indifferentismo* religioso, de *agnosticismo,* de *relativismo,* de *laicismo,* etc. loquor. Sunt errores semel atque iterum ab Ecclesiae Magisterio damnati (cf. DENZ. 1716-1718, 1638, 1793-1794, 1615, 1688, 1754, 1867, 2092-2093, etc.). Sed praesertim textus propositus incidit in *liberalismum,* cuius principia libero pede hic ingrediuntur. Iam vero, nemini latet quod illa principia *formaliter* proscripta a doctrina catholica, per Magisterium Ecclesiae, exstant.

Opportunius esset illorum errorum catervam, quae in nostra aetate adhuc sub diversis formis grassatur, iterum proscribere. Attament, magna cum cura, tacentur.

Uno verbo: *a*) licet de « libertate religiosa agatur », non obstat quominus principia catholica aperte iterentur ac declarentur.

b) Licet conscientia erronea sit regula subiectiva ad agendum, ut Ecclesia saepe docuit et docet, hoc principium non ita extollatur ut revera *fundamentum* totius capitis constituat, ne contrarietur Ecclesiae doctrina,[1] neque in *extremas* liberalismi assertiones incidamus.

c) licet nonnumquam Ecclesia propugnaverit, in determinatis circumstantiis, *libertatem conscientiae,* hoc praesertim fecit ad iura Dei religionisque catholicae oppressa defendenda, ut patet ex textu et contextu Pii Pp. XI quando loquitur de « libertate conscientiarum »; i. e., non de qualibet *libertate conscientiarum,* sed de libertate filiorum Dei, de libertate Ecclesiae catholicae, de libertate hanc religionem profitentium.[2] Iura igitur *veritatis,* non *erroris.*

---

[1] « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione ». PIO XII: *A.A.S.,* 45 (1953), pp. 788-789.

[2] « Diciamo i sacrosanti ed inviolabili diritti delle anime e della Chiesa, ed è questa la riflessione e conclusione che più di ogni altra si impone, come è di ogni altra la più grave (...);

13

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE

Episcopus Flaviobrigensis

Agentes de libertate religiosa, caute credimus esse procedendum. Principia clare exponenda sunt, ne mentes obscurentur et fides in non paucis labefactetur. Magna responsabilitas commissionis conciliaris.

In primis notandum est intrinsecum aequivocum, quod in conceptu « libertas religiosa » latet, si maiori praecisione non proponatur. Nam etiam omissione facta quatenus significet *libertatem eligendi religionem,* quod in doctrina catholica evidenter excluditur, sensus ipse generalis in quo assumi solet, scil. libertas profitendi et exercendi religionem est aequivocus, in quantum aequivocum est verbum ipsum *religio,* ad quam applicatur.

Recordemur tantum aliquos principaliores sensus, qui ad nostrum finem attinent.

Religio *obiective* considerata est complexus veritatum, officiorum et rituum, quibus homo ligatur cum Deo et practice agnoscit eius supremam excellentiam et dominium.

Religio *subiective* considerata seu prout est in subiecto, comprehendit actus intellectus et voluntatis aliosque quibus homo agnoscit theorice et practice suam dependentiam ab ente supremo.

Ut *virtus moralis particularis,* religio (subiective considerata) est habitus inclinans hominem ad debitum *cultum* Deo exhibendum tamquam supremum rerum principio et fini.

Religio ratione originis, potest esse *naturalis* et *positiva.*

Religio naturalis est complexus veritatum, officiorum et relationum ad Deum, quae deduci possunt ex consideratione solius facti creationis et inde ex relatione essentiali naturae hominis ad Deum.

Religio positiva (divina) est illa quae positiva et libera dispositione atque interventu Dei superadditur religioni naturali.

In actuali religione positivo-divina addita est ad relationem et fundamentum creationis, qua sumus *servi* relate ad Deum, nova relatio *filii adoptivi* ad Patrem, cuius fundamentum reale est gratia sanctificans. Religio autem quae ad hanc gra-

---

si tratta del diritto delle anime di procurarsi il maggior bene spirituale sotto il magistero e l'opera formatrice della Chiesa, di tale magistero e di tale opera, unica mandataria, divinamente costituita in quest'ordine soprannaturale fondato nel sangue di Dio Redentore, necessario et obbligatorio a tutti per partecipare alla divina Redenzione. Si tratta del diritto delle anime così formate di partecipare i tesori della Redenzione ad altre anime collaborando alla attività dell'Apostolato Gerarchico.

È in considerazione di questo duplice diritto delle anime, che Ci dicevamo testé lieti e fieri di combattere la buona battaglia per la libertà delle coscienze, non già (come qualcuno forse inavvertitamente Ci ha fatto dire) per la libertà di coscienza, maniera di dire equivoca e troppo spesso abusata a significare la assoluta indipendenza della coscienza, cosa assurda in anima da Dio creata e redenta.

Si tratta inoltre del diritto non meno inviolabile della Chiesa di adempiere l'imperativo divino mandato di cui l'à investita il divino Fondatore di portare alle anime, a tutte le anime, tutti i tesori di verità e di bene dottrinali e pratici, ch'Egli stesso aveva recato al mondo ». PIO XI, lett. enc. *Non abbiamo bisogno*: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 301-302. Cf. *Relatio super Schemate decreti De Oecumenismo,* p. 34.

tiam supernaturalem ordinatur est et vocatur *supernaturalis*. Praeterea addita est religioni naturali *revelatio divina*, quae de facto ordinatur ad hunc finem supernaturalem hominis. Atque haec est etiam alia ratio cur religio actualis positivo-divina, in hac revelatione fundata, dicatur *supernaturalis*.

Religio *vera* et *falsa*. Ratione habita facti religiosi fundamentalis, religio dividitur in *veram* et *falsam*, prout recte in ea vel non recte sentiatur circa fundamentalem et essentialem relationem dependentiae hominis ad Deum personalem.

Sed illa religio fundamentaliter, seu quoad substantiam, vera, potest esse minus recta vel falsa quatenus errores contineat circa alias quaestiones religiosas (v. g. religio protestantica errans circa auctoritatem religiosam et usum sacramentorum); et quoniam « malum ex quocumque defectu », religio talis dicetur falsa.

Unde clare videtur libertatem religiosam habere diversum sensum prout verae religioni aut falsis religionibus, naturali vel revelatae, quae in actuali ordine divinae Providentiae est unice vera, applicetur.

Proinde incipimus iam aliqua claudicatione. Iam relator ipse agnoscit tractari de « re difficillima ac simul magni momenti ». Si ex parte nostra conceptus et expressiones claritate et praecisione carent, rem difficiliorem et obscuriorem faciemus.

Unde concludimus:

1. Proponatur conceptus clarissimus verbi « Religio ».
2. Notus fiat sensus verbi « libertas religiosa ».
3. Expresse dicatur de qua libertate agatur.
4. Exponatur sine ambagibus extensio et campus huius libertatis.

Quantum ad me attinet, ne hoc votum nimis longum fiat, remittam cetera ad alium votum.

* * *

In anteriori voto locutus sum de conceptu « religionis » et de conceptu « libertatis », quatenus haec duo verba optime sint determinanda et quoad suam significationem et quoad realitatem.

In hoc secundo voto magis immorari volo in conceptu « libertatis religiosae », quod in schemate clare non apparet et necessarium censemus ut ita appareat.

Verbum « libertas religiosa » relationem dicit ad ipsam personam qua talem et ad personam ut socialem. Res et eius extensio maxime differunt, prout in uno vel in altero sensu sumantur.

Unde problema « libertatis religiosae » in persona qua talis aliud est ac problema libertatis religiosae in persona ut sociali. Libertas religiosa personalis prout continetur in ipsa persona et non ad alios refertur, nihil ante ius habet; *solum ante Deum* persona sub hac libertate religiosa operans respondet. Sub hoc aspectu et ius et Status personam defendere debent, quia in ambitu pure personali unusquisque per se ipsum suas decisiones assumit.

At contra libertas religiosa personae ut socialis, utpote essentialiter *ad alios* relationem dicens et proinde et in primis considerationem et attentionem ceterorum implicans, in se ipsa sub ordinem et iustitiam socialem cadit. Quapropter et in ambitu Status includitur, cuius proprium munus est bonum commune promovere.

Aliunde relator affirmat capitulum « De libertate religiosa » esse pastorale,

ad finem practicum. Sed tamen videtur considerare libertatem religiosam etiam in aspectu doctrinali, quoniam continuo et affirmat et exponit rationes doctrinales, eius extensionem, consequentias... quod demonstrare videtur problema non tantum esse pastorale sed etiam doctrinale.

Ex alia parte caput quintum agitat problema sub aspectu « libertatis religiosae » personae *qua talis* et non *qua socialis* et nihil considerat directe de « libertate religiosa » personae *qua socialis* cum relatione ad Statum in suo sensu positivo.

Unde concludimus:

1. Necesse est ut clare affirmetur in quo aspectu hoc problema tractatur, an in aspectu tantum pastorali, vel etiam in doctrinali.

2. Si agitur de aspectu doctrinali, tunc comprehendere debet et personam qua talem et personam qua socialem et investigare libertatem religiosam personae qua talis et libertatem religiosam personae qua socialis.

3. Si studium versatur sub aspectu *pure pastorali,* res consideretur sub figura libertatis religiosae personae qua talis, quae ut apparet, in regiminibus huius saeculi oppressionem exercentibus magis periclitatur. Sed res non est clara in textu, imo videtur attingere et alium aspectum socialem.

4. Sed tunc ad errorem vitandum, oportet ut in prooemio quaedam animadversio ponatur.

5. Sunt verba ambigua v. g. *proclamare* quae relationem dicunt vel possunt dicere ad ordinem socialem.

6. Proinde nobis optimum videtur quod Concilium opus assumat exponendi rectae et sanae libertatis conscientiae principia, quae semper et in omnibus locis sustineri debent adversus eos qui ea non existere mallent, ideoque in recto usu libertatis conscientiae obstacula opponere non desistunt.

7. His prae oculis habitis et aliis quae commissionem non latent, humiliter petere auderem ut maior lux in capite fiat ratione boni communis et naturalis et supernaturalis.

* * *

In duobus prioribus votis affirmavimus inter alia doctrinam in schemate propositam non videri perfectam ideoque esse perficiendam, propter nostros fideles, qui in his rebus adeo complexis, difficillimis et ingratae disputationis non sunt neque multo minus periti et doctores.

Manca manet Ecclesiae doctrina circa hoc thema de libertate religiosa. Non tota sed eius pars tantum exponitur. Partialis proinde est schematis positio. Ecclesia prout tempora et circumstantiae sese offerebant, alio et alio modo, de hac vel illa libertate locuta est.

Varia enim est Ecclesiae doctrina circa libertatem religiosam prout ad personam refertur vel ad Statum attingit, nempe relationes Status cum religione et Ecclesia.

Revera Romani Pontifices et aliter et aliter locuti sunt, prout de una vel alia re agebatur. Et quidem a Pio IX ad Paulum VI Romani Pontifices locuti sunt de libertate religiosa in primo sensu, sed quoad personam et quidem qua talis in plano omnino inferiori et intimo.

Sed etiam a Pio IX ad Pium XII Romani Pontifices exposuerunt sufficienti claritate doctrinam relationum Status cum Religione et Ecclesia et consequenter doctrinam de *tolerantia.*

Romani Pontifices etiam de hoc aspectu doctrinae et aliquando quidem modo principaliori et solum secundario de primo aspectu, nempe: de personae libertate. Non possumus proinde loqui de duplici doctrina Romanorum Pontificum sed de una eademque, quae invicem complentur et perficiuntur.

Proinde si schema, ut videtur, velit exponere doctrinam pontificiam completam de libertate religiosa, tantum enim aspectum exponit, qui ad personam refertur et praecipue qua talis. Eodem modo, quod logicum est et naturale videtur, exponere posset alium aspectum, qui relationem ad Statum dicit.

Secus capitis et relationis expositio unilateralis apparet, eo quod unum rei aspectum solummodo pertractat et unam tantum partem doctrinae pontificiae offert. Et periculum erit ut quod partiale est ut totale sumatur, et quod est tantummodo pars doctrinae pontificiae, ut tota et completa Romanorum Pontificum sententia erronee iudicetur.

Consulere possumus praecipua documenta Leonis XIII *Immortale Dei, Libertas* et *Sapientiae christianae* et multiplices allocutiones Pii XII et praecipue orationem ad Iuristas Italiae, ubi specifice *tolerantiae* problema proponitur.

Forsan Encyclica Ioannis XXIII *Pacem in terris* consideretur ut documentum primarium de libertate religiosa quoad personam. Tamen scripta Leonis XIII et praesertim Allocutio Pii XII supra memorata semper iudicabuntur ut praecipua documenta circa alterum aspectum « de libertate religiosa » ratione habita Status.

Immo textus Ioannis XXIII in *Pacem in terris* vere difficilis est et variae interpretationis; si bona voluntas fuerit, bene conciliari potest cum traditionali doctrina, praesertim si prae oculis habeatur textus Leonis XIII qui immediate inseritur.

Concludimus:

1. Si de facto opportunum iudicatur quod Ecclesia solemniter proclamet libertatem religiosam, videatur formula clara et praecisa, ne credatur Ecclesiam recognoscere iurium aequalitatem pro omnibus religionibus.

2. Exponatur tota doctrina Romanorum Pontificum de libertate religiosa et quoad personam sub duplici respectu iam explicato et quoad Statum.

3. Si schema tantum unum aspectum et quidem personalem libertatis religiosae velit considerare, ut pastorale omnino appareat, rationes exhibere debebit quare hac via progrediatur, ne confusiones gignentur.

* * *

In hoc quarto voto quaestionem de libertate religiosa sub alio aspectu examinare intendimus.

Distinguamus duplicem ordinem, et naturalem et supernaturalem. Inde duplex lex oritur et naturalis et positiva-divina et pariter duplex ius, et naturale et positivum-divinum.

Ex his principiis magni momenti conclusiones effluunt.

Si lex naturalis tantum perpenditur, Status libertatem praebere debebit omnibus religionibus, Ecclesia non excepta, quae legi naturali in suis normis et practicis exercitiis non contradicant.

Tamen, si aliquod principium legis positivae-divinae exstiterit et viguerit, Status non potest non illud in considerationem sumere, quando de concedenda

aliis religionibus libertate sociali pro ipsarum diffusione et propagatione sit quaestio et momentum reale.

Tunc simpliciter non sufficeret religiones illas legem naturalem observare et contra ipsam non peccare.

Nunc quaeritur: In actuali Dei Providentia, estne aliquod praeceptum positivum-divinum? Abs dubio, existit et quidem est Christi Ecclesia.

Unde principia sunt statuenda: Quando aliqua societas Ecclesiae conscientiam adquisiverit, tenetur:

a) Ipsam ut societatem perfectam recognoscere.

b) Ipsius libertatem defendere et tueri, impediendo ceterarum religionum diffusionem.

Haec omnia Romani Pontifices nos docuerunt.

Leo XIII in Encyclica *Immortale Dei* ait: « Homines enim communi societate coniuncti, nihilo sunt minus in potestate Dei, quam singuli, neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservantur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit copiam accepit... Qua propter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere... eodem modo civitates non possunt, citra scelus: 1. gerere se tamquam si Deus non esset; 2. aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere; 3. aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat; 4. omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle ».

Et in alio loco eiusdem Encyclicae affirmat et sequentia principia statuit: « 1. sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen, 2. ponendumque, in praecipuis illorum officiis *religionem* gratia complecti, *benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere,* 3. nec quippiam instituere aut decernere, quod sit incolumitati contrarium ».

Unde quaerimus: Status qui conscientiam socialem verae religionis temporis decursu obtinuerit, impedire aut reprimere debet illas religiones, quae etiamsi legem naturalem observent, tamen falsae sunt?

Responsionem nobis praebuit R. P. Pius XII in sua Oratione ad Iuristas Italiae, iam in alio voto citata. Romanus Pontifex *de tolerantia* loquitur et eam in concreto applicat iuxta doctrinam traditionalem de bono maiori promovendo.

Pius XII asserit iudicium concretum *tolerantiae* « in primis ab ipso nationis conductore catholico faciendum esse ». Et deinde ait: Quoad campum religiosum et moralem attinet, populi conductor (estadista) petere debebit etiam Ecclesiae iudicium. Quae in his quaestionibus decisivis, quae internationalem vitam attingunt, competens est; et in ultima instantia tantum ille est, cui Christus credidit curam et directionem totius Ecclesiae, scl. *Romanus Pontifex.*

Unde *concluditur,* modum agendi Status in eo quod relationem dicit ad libertatem ceterarum religionum, aliquid amplius quam solam naturalem religionem implicare; implicat enim Christi legem et proinde Ecclesiae iudicium et sanctionem in *tolerantiae* applicatione.

Unde etiam distinguendum videtur quod Relator in pag. 31, IV, affirmat, in materia libertatis religiosae documentum princeps esse Encyclicam *Pacem in terris* Ioannis XXIII.

a) Certe quidem *princeps* documentum erit, si personarum libertas in individuo consideretur.

b) Sed *princeps* documentum non habebitur, si inspicitur libertas religiosa relate ad Statum, nam in hoc casu praeter alia pontificia documenta, princeps iudicabitur Oratio Pii XII ad Iuristas Italiae mense decembris 1953.

Concludimus:

1. In schemate de libertate religiosa, aliquo modo et determinato exprimenda sunt iura et officia Status ad lucem documentorum pontificiorum.
2. Schema loquitur de iuribus personae; loquatur etiam de iuribus Dei.
3. Schema verba facit de iure naturali; verba etiam faciat de iure supernaturali, de iure positivo-divino.
4. Hodie nimis locutio fit de persona humana, de eius dignitate et de eius iuribus, quod non damnamus; at non in oblivionem remittamus et Deum et eius dignitatem eiusque iura super individuum et societatem.
5. Si proponere opportunum sit, proponantur clare et praecise omnia et singula principia libertatis religiosae et non minus clare sermo fiat de *exercitio* libertatis religiosae, in loco quod aptius aestimabitur, ne faveamus haeresi, errori, immoralitati et graviter obveniamus verae Ecclesiae bono materiali et spirituali.

14

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Votum. Perficiatur in genere cap. V *de libertate religiosa.*

Gaudeamus quia in Concilio de libertate religiosa agitur.

Caveamus sollicite ut Concilium recte apte et integre de vera libertate religiosa loquatur, ne locum demus falsis interpretationibus.

Ad talem finem, haec requiruntur media: *exemplar*: sapiens gubernatio Dei; *modus*: sicut in Encyclica *Pacem in terris*; *complementa*: deducenda principaliter ex relatione Secretariatus pro Unione Christianorum.

Sensus huius voti. a) Positiva collaboratio cum Secretariatu pro Unione, agnoscens laborem et merita schematis propositi, *b*) notatio defectuum et indicatio earum quae perficienda sunt.

I. In cap. V deest, in quibusdam assertis, *mensura* propria Decreti Conciliaris.

Media quae in cap. V proponuntur, debent esse proportionata ad finem qui intenditur. E contrario, Ecclesia videretur mater alienorum et noverca filiorum.

Nullo modo Ecclesia exhiberi potest quasi, hac prima vice, libertatem religiosam vindicaret.

Veritas evangelica proponenda est eo modo, ut non desit substantia sapientiae christianae.

Decreta Concilii nunquam ita exaranda sunt, ut potius documentum politicum quam doctrina Ecclesiae videantur.

II. Deest *numerus,* i. e., expositio integra et completa veritatis circa libertatem religiosam.

Exponantur clare iura personae humanae; sed non taceantur officia et limites illorum iurium (cf. *Pacem in terris,* pars I).

Agnoscatur et vindicetur libertas uniuscuiusque ad sequendum testimonium

propriae conscientiae; sed simul affirmetur hanc libertatem apte componendam esse cum legitimo iure aliorum.

Proclamentur iura civica singulorum et iura societatum religiosarum; sed eadem claritate et perspicuitate appareat expositio iurium et officiorum quae *auctoritati civili* (Statui) competunt in omni societate politica bene constituta.

III. Deest tandem in cap. V *pondus* proprium Decreti Conciliaris.

Doctrina imprimis debet esse indolis pastoralis, sed id non obstat quod sit completa et solido fundamento innixa.

Consequenter, definiendae sunt exacte notiones sequentes: libertas personae humanae, iura societatis, ordo naturalis a Deo positus, iura Ecclesiae Christi, ordo civicus, munus Status civilis in societate bene constituta.

Proclametur *lex progressus* (quae iam antiquis temporibus proclamata est a S. Vincentio Lyrinensi), sed non obscuretur *lex continuitatis,* ita ut Cap. V potius revolutio quam evolutio et progressus videretur.

Suaviter quidem, sed *fortiter* procedamus. Ecclesia enim est simul Mater et Magistra.

Doctrina de libertate religiosa ita perficienda est, ut efficiatur quasi *corpus perfectum,* per varia saecula contextum. Corpus autem firmitatem habet *ex ossibus* quibus sustinetur: uno verbo, doctrina sit pastoralis, sed non deficiat, ne quidem in minimis, *sana theologia.*

15

EXC.MUS P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia, sup. gen. Congr. S. Sp.

Tota argumentatio huius cap. V *de libertate religiosa* innititur in affirmatione « dignitatis personae humanae ». Dicitur enim in pag. 4 in par. 3: « Ideo homo qui conscientiae suae sincere obedit, ipsi Deo, etsi quandoque confuse et inscie, obedire intendit et honore dignus aestimandus est ».

Haec affirmatio ut sit acceptabilis sic debet distingui: « Honore dignus aestimandus est »: distinguo: simpliciter, nego; sub aliquo respectu subdistinguo: sub respectu intentionis obediendi Deo, concedo; sub respectu suae erroris, nego: sub respectu erroris non est et non potest esse honore dignus.

Unde enim persona dignitatem suam sumit? Persona suam dignitatem sumit ex sua perfectione. Perfectio autem personae humanae consistit, in cognitione Veritatis et in adeptione Boni. Est initium vitae aeternae quae « est ut cognoscant Te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum » (*Io.* 17, 4). Ergo persona humana in quantum adhaeret errori decidit a dignitate sua.

Dignitas personae humanae non consistit in libertate, praescindendo a veritate. Etenim libertas bona est et vera in quantum regulatur a veritate. « Veritas liberabit vos » scil. Veritas dabit vobis libertatem, dicit Dominus. Error est de se mendacium obiectivum, etsi non subiectivum. Et a Domino etiam scimus quis est qui « cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur » (*Io.* 8, 44). Quomodo tunc potest dici de aliqua persona humana quod sit honore digna cum male utitur de suo intellectu et de sua libertate, etiamsi inculpabiliter?

Dignitas personae venit etiam ex recta voluntate ordinata ad verum bonum.

Sed error gignit peccatum. « Serpens decepit me » dicit ea quae fuit prima peccatrix. Haec veritas est omnibus evidentissima.

Sufficit cogitare de consequentiis erroris in sanctitate matrimonii quod est maximi momenti in genere humano. Error in religione paulatim duxit ad polygamiam, ad divortium, ad nativitatum regulationem i. e. ad detrimentum humanae personae dignitatis, praesertim feminei sexus.

Consequenter, certe non concordat cum doctrina catholica quae dicuntur in pagina quinta quando affirmatur « ab Ecclesia catholica vindicatur, ut ius personae, ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua publica et privata erga Deum et erga homines... prout conscientia manifestantur » etsi erronea.

E contra ordo universalis a Deo creatus sive naturalis sive supernaturalis essentialiter opponitur huic affirmationi. Deus enim condidit familiam, societatem civilem et praesertim Ecclesiam ut omnes homines Veritatem agnoscant, ut ab erroribus praecaveantur, ut bonum faciant et a scandalis praeserventur et sic ad felicitatem temporalem et aeternam perveniant.

Vere opportunum est in memoriam revocare quod tam clare dicit Pius IX in sua Encyclica *Quanta cura*: « Contra Sacrarum Litterarum Ecclesiae sanctorumque Patrum doctrinam asserere non dubitant: optimam esse conditionem civitatis, in qua imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet » (DENZ. 1689, 1690).

16

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Hoc cap. V multa laudanda continet; ergo *placet.* Pag. 3, lin. 10: verba « reiecto vetere discordiae fermento, in novis azymis sinceritatis et veritatis » minus placent.

Pag. 4, lin. 2: post verbum *defendendi* forte addendum « *atque a periculis deficiendi a vera fide sese praeservandi* »...

Proh dolor! Narratur non paucos catholicos, quibusdam in territoriis, non cautis cum acatholicis institutis relationibus, ad protestantismi aut rationalismi partes transiisse.

Pag. 5, lin. 29: et *proclamet.* Si hoc verbum significet « ius personae ne ab aliis impediatur quominus *propaget* officia sua publica et privata erga Deum et erga homines », tunc putamus falsam continere doctrinam; nam homo, qui etiam bona fide errores religiosos profiteatur, ius ad illos propagandos habet nullum. Praeterea errorum divulgatio bono communi damna infert.

Ideo, verbum *proclamet* supprimendum videtur, aut per aliud substituendum. V. g. *manifestet.*

Pag. 5, lin. 36: « *activitate externa et publica implicari* ». De hac sententia valent eadem quae supra sunt notata de verbo « *proclamet* ».

Nec verbi *implicari* significatio facile capitur.

Pag. 5, lin. 37: verba *nemo externo exercitio suae libertatis privari potest* ob easdem rationes mutanda videntur. V. g. dicatur: « *nemo professione libera suae fidei* » privari potest.

Pag. 6, lin. 24: verba « *exercitii eorum iurium fundamentalium quae concorditer a nationibus agnoscuntur* » supprimenda videntur.

Primo, generalem et confusam doctrinam continent.

Secundo, attenta multorum hominum hodierna mentalitate, forte maior nationum pars conveniat in hanc sententiam: « Omnis homo possidet ius propagandi suam religionem »; quod principium naturali et divino iuri adversatur. Et sic de aliis.

Pag. 6, art. 6: « Ecclesia catholica *nuncupata* ». Ut innecessarium supprimatur « *nuncupata* ».

Idem dicendum videtur de verbis « *sive credentes sive nullam religionem profitentes* ».

Pag. 7, lin. 7: post verbum « *praecepto* » optamus ut addatur *fidei et,* vel forte melius « *lumine fidei* et praecepto... ».

17

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN

Episcopus Canariensis

Duo in primis distinguenda: libertas religiosa in foro interno et libertas religiosa in foro externo.

In foro interno:

A) Ecclesia catholica proclamat plenam libertatem religiosam a coactione omnium hominum, etiam quando agitur de fide catholica amplexanda.

B) Item, proclamat plenam libertatem moralem omnium hominum, seu ius omnium procedendi in foro interno iuxta dictamina propriae conscientiae, sive haec sit vera, sive sit erronea de bona fide, hoc est, invincibili errore seu ignorantia laborans.

In foro externo:

Antequam proclamentur libertatis religiosae iura, in activitate externa et publica, peto ut in schemate, ante numerum 4, inserantur sequentia principia doctrinae catholicae:

1. Christus Dominus nonnisi unicam fundavit Ecclesiam.
2. Haec unica Ecclesia a Christo fundata est Ecclesia catholica.
3. Christus contulit huic suae Ecclesiae ius docendi unicam veram religionem, et proclamandi hanc unicam veram religionem non esse nisi religionem catholicam.
4. Omnia iura hominum, sive naturalia, sive supernaturalia procedunt a Deo.
5. Deus nequit concedere iura contradictoria seu incompatibilia.
6. Ergo nemo hominum ius habet proclamandi, neque explicite neque implicite, aliam religionem quae non sit catholica, esse veram: aut veram esse aliam Ecclesiam, quae non sit catholica.
7. Omnia quae praecedunt fundantur in iure Dei, iura autem Dei Creatoris et Salvatoris, sunt absoluta et inalienabilia.

Consequenter ad haec principia, corrigantur quae in schemate enuntiantur de libertate religiosa sub nn. 4 et 5.

Agnoscatur, simul, dari posse circumstantias, in quibus permitti possit et

debeat libertas religiosa, etiam in foro externo, ad maiora mala vitanda, seu ad maiora bona obtinenda.

Nota ultima: Invenimur in gravissimo momento historico, in quo quamplures, et quidem eximias mentes, inconscienter pervasit modernismus ille moralis, iuridicus et socialis a Pio XI impense reprobatus.

18

EXC.MUS P. D. PETRUS PARENTE

Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

Schema, prout iacet, adprobari nequit. Nam:

1. iura hominis eiusque libertatis et conscientiae anteponit iuribus Dei; immo perperam loquitur de iure hominis coram Deo;

2. non clare distinguit inter adspectum *obiectivum* et adspectum *subiectivum* veritatis et erroris ita ut caritatem ac tolerantiam, quae personae erranti debentur, ipsi errori tribuere videatur;

3. non clare agnoscitur missio divina Ecclesiae, quae grave munus habet reducendi homines ad Evangelium, quod unica veritas et unica est religio;

4. sermo est de tutela ac reverentia erga asseclas cuiuscumque religionis, in nomine libertatis conscientiae; dum e contra Ecclesia his qui in errore versantur officium habet veritatem praedicandi, utique cum prudentia et caritate;

5. male suggeritur ut Ecclesia, immo eius Magisterium extraordinarium, proclamet absolutam libertatem religiosam pro omnibus. Libertas religiosa defendi potest contra Statum, qui ius non habet diiudicandi de quaestione religiosa; sed talis libertas non consistit coram Deo eiusque Ecclesia, cum Deus unicam religionem statuerit, cui omnes homines adhaerere tenentur. *Physice* homo potest negare assensum veritati a Deo revelatae, non autem moraliter (« qui vero non crediderit condemnabitur »).

Quapropter schema est emendandum ita ut principia exposita sarta maneant.

19

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS FRANCISCUS POCOCK

Archiepiscopus tit. Isauropolitanus, coad. c.i.s. Torontinus

Nomine episcoporum Canadensium.

Antequam tres additiones huius capitis textui commendo, liceat mihi nova ratione breviter confirmare necessitatem urgentem schema (caput) « de libertate religiosa » approbandi, et quidem, Deo volente, voce unanimi.

Mundus hodiernus, ratione materialismi atheistici, in duobus campis acute dividitur. Ex una parte stant fautores statismi qui vindicant ius auctoritatis publicae coercendi ac dominandi mentes civium in rebus spiritualibus, scil. in arte, in re scientifica et praesertim in religiosis. Ex altera autem parte stant fautores libertatis qui dignitatem personae humanae et ius liberi arbitrii sustinent.

Ubique in terris exspectatur decisio huius sacri Concilii quoad schema (caput) de quo tractamus. In quonam campo stat Ecclesia Catholica Romana? Nisi mens Ecclesiae hac in aula clarissime statuatur, influxus Ecclesiae in societate humana retrogressum centum annorum est subiturus.

Quamvis declaratio libertatis valde expediat, tamen schematis (capitis) approbatio exoptanda est non mere ratione expedientiae sed speciatim ratione ipsius veritatis doctrinae quae, tum in ipso schemate (ipso capite), tum in relatione ab exc.mo D. De Smedt facta, irrefragabilibus argumentis exponitur. Quibus dictis, sequentes additiones textui nostro commendo.

1. Ut aperte dicatur quod auctoritas publica nequit restringere praerogativum civium amplectandi illam religionem quam libera electione praeferunt.

Optime in textu (n. 2, pag. 4) indicatur quod « immunitas ab externa coactione natura actus fidei postulatur ». Concedendum quod Deus, fons luminis et veritatis potuisset suum Verbum ita revelare ut assensus intellectus coactus fuisset. Nam intellectus hominis liber non remanet in praesentia obiecti sui proprii sufficienter propositi. Ita S. Thomas loquitur de « fulgure veritatis assensum rapiente ». Sed Deus, qui voluit suos filios dilectos Ipsum etiam diligere, actum fidei non solummodo actum intellectus fecit sed volens Seipsum praebere in obscuritate fidei (« substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium ») hominem liberum reliquit, praecise ut assensus eius secumferat et consensum, qui est actus voluntatis liberae, et proinde amoris.

Amor autem cogi nullomodo potest. Sequitur quod nisi actus fidei liber sit, non est actus fidei sed quaedam eiusdem simulatio. Proinde oportet homo liberrime ad Deum accedat. Fidei actus stricte personalis est atque omnino evadit publicae auctoritatis iurisdictione, etiamsi homo in obscuritate quaerens, miserrime errat circa veritatem obiectivam.

2. Ut aperte dicatur quod non licet auctoritati publicae negare coetibus hominum, ratione religionis coadunatis, praerogativum efformandi corporationes civiles cum iure ad proprietatem possidendam et ad gubernium internum libere determinandum.

Nam quis non videt quod contradictio est dicere hominem liberum esse ad suam religionem electam profitendam, simul ei negando ius ad media ad hunc finem necessaria vel valde utilia prosequenda? Praeterea alicui coetui civium negare iura civilia ad religionis praxim spectantia, idem est ac eis negare plenum ius civitatis et eosdem ad statum inferiorem reducere ob eorum desiderium conscientiam sequendi et proinde, pro illis, Dei voluntati obediendi.

3. Ut aperte dicatur quod auctoritas civilis nequit huiusmodi societatibus religiosis prohibere ius publice profitendi religionem, dummodo iura aliorum salva maneant et bonum commune tueatur.

Sed notandum: « bonum commune » ne identificetur cum cultura nationali vel alia re transitoria et accidentali. Bonum commune respicit potius iura fundamentalia humanae vitae et dignitatis, de quorum amplitudine auctoritatis publicae est decernere secundum sensum moralem et spiritualem in communitatibus humanis existentem.

Huiusmodi tres additiones ex praemissis in textu deduci possunt. Tamen ne claritas obfuscatur, ne dubia oriantur, nunc sine haesitatione fortiter declarentur in nova paragrapho paenultima, sub numero sexto.

Tandem gaudemus ex eo quod his proximis hebdomadis luce Spiritus Sancti clare patet doctrinam de libertate religiosa a schemate (capite) propositam non denegare propositiones saeculis elapsis ab eminentissimis viris factas, sed potius in continuitate esse cum traditionali ecclesiae doctrina semper dignitatem humanae personae eiusque libertatem strenue propugnante.

20

EXC.MUS P. D. IOANNES POHLSCHNEIDER

Episcopus Aquisgranensis

Quoad cap. V schematis *de Oecumenismo* (*de libertate religiosa*) unam emendationem vel potius unum supplementum commendare mihi liceat.

Cap. V *de libertate religiosa* forsitan temporibus posterioribus tamquam documentum vere historicum carum habebitur. Post tot persecutiones, iniurias et dolores, quos decursu temporis gens humana propter intolerantiam passa est, enuntiatur nunc solemniter principium generale, non licere unquam quod persona humana obiectum coercitionis seu intolerantiae sit. E contra, hominis dignitas personalis requirit ex iure naturae, ut voluntati Dei iuxta dictamina conscientiae suae libere oboediat. Praesertim libertas religiosa vehementer urgetur, quae concedi debet omnibus non tantum catholicis sed etiam bona fide errantibus.

Haec principia servient verae paci hominum in terris.

In schemate autem unum omissum esse mihi videtur quod in mundo moderno est signum characteristicum probationis, utrum vera libertas in aliqua communitate humana habeatur, nempe libertas quoad educationem iuventutis.

Certe dici potest hanc quaestionem pertinere ad schema « De scholis catholicis », et revera ibi ex professo tractatur. Sed putamus permitti non posse, ut in hoc schemate de conscientiae postulatione tam gravi et tam fundamentali omnino taceatur. Etiam Unitas Nationum, sic dicta « UNO », hanc quaestionem pro re tanti momenti habet, ut ius educationis ex parte genitorum inter iura fundamentalia hominum expresse enumeret.

In cap. 5 schematis nostri in n. 4 dicitur, quod libertas non vindicatur tantum ut mera « libertas opinionis » nec ut mera « libertas adimplendi ritus propriae religionis », sed ut verum ius personae ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua publica et privata erga Deum et erga homines, prout conscientia manifestantur.

Sed quaero: Qualia officia parentum coram eorum conscientia sunt graviora quam officium educandi prolem pro Deo et pro vita aeterna? Haec parentum obligatio est gravissima et eorum ius ad educandam prolem est inviolabile. Hoc ius autem debet esse non tantum theoreticum sed etiam practice realizandum, i. e. in societate hodierna, ubi generatim educatio sufficiens sine scholis fieri non potest, parentibus ius competit, ut filii in scholis secundum eorum conscientiam educentur.

Ideo scholae monopolium ex parte status reprobandum est. Potius publicae auctoritatis officium est res ita disponere, ut parentes et cives in eligenda schola vera libertate gaudeant (cf. schema *de scholis catholicis*), et quidem non licet, ut parentibus propter hanc libertatem electionis onera specialia imponantur.

Sine iure reali parentum educandi prolem secundum eorum conscientiam vera libertas religiosa non datur. Nec sine sincera agnitione talis iuris in societate hodierna, quae pluralitate persuasionum religiosarum signata est, iustitia et pax inter homines haberi non possunt.

His de causis nunquam desinamus a libertate parentum quoad educationem prolis postulanda et arguenda opportune, importune. Verbum « libertas » nostris

temporibus vim specialem habet et experientia docet, e. g. in Hollandia, quod perseverantia indeficiens hac in re non manet sine effectu.

Conclusio. Secundum meum iudicium bonum quidem est, si in hoc capite in pag. 6 dicitur: Libertas religiosa offenditur damnatione mortis propter rationes religiosas, spoliatione bonorum religionis causa, discriminatione hominum propter originem, colorem et sanguinem etc. Haec omnia vera sunt et tales iniustitias in multis regionibus deplorare debemus et a pluribus hominibus deplorantur. Iura autem quoad educationem prolis fere in universo orbe violantur, sed haec violatio a paucis solummodo cognoscitur respective qua talis agnoscitur. Ideo valde utile esset si Concilium Vaticanum II in capite *de libertate religiosa* expresse et vehementer mundum appellare vellet de tolerantia quoad scholas et educationem iuventutis.

Preces ergo mea est, ut cap. V in hoc sensu suppleatur.

21

Exc.mus P. D. IOSEPH VAIRO

Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii

Cum in animo habeam, ad schema de Oecumenismo quod attinet, verba de cap. V, quod de libertate religiosa inscribitur, in aula facere, isti secretariae generali hanc rerum, quae dicturus sim, summam — ad normam praescripti Ordinis Concilii celebrandi — remittere curo:

Caput quaestionem satis gravem, difficilem et implexam, aggreditur, ex cuius solutione, prout proponitur, gravia certe improbanda consectaria profluere possunt.

Ad quaestionem solvendam in capite duo afferuntur principia, quae non recte appellari exigentiae mihi videntur:

1. Iura veritatis — Dei nempe — sunt absoluta.
2. Conscientia ad ea quae religionem spectent nulla externa coactione cogi potest.

Quae principia omnino vera et optima sunt. In capite tamen desideratur concreta et cohaerens doctrina, quae harmonicam horum duorum principiorum synthesim constituat. Quinimmo, nedum haec duo principia congruenter componantur, haec gravia continentur pericula: 1. quaedam iustificatio ethicae situationis, quae dicitur; 2. negatio, ad veram religionem quod attinet, cuiuscumque momenti in ordine Civitatis iuridico.

22

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA

Episcopus tit. Ombitanus

1. In capite sermo est de libertate religiosa in sensu ethico respectu fratrum separatorum et in sensu politico respectu iurium cuiuslibet credentis in civitate. Oportet magis distincte proponere hos duos sensus.

2. Principium de conscientia invincibiliter erronea est principium tolerantiae tantum, oportet praeter hoc principium libertatis exponere etiam momentum

ipsius veritatis, cuius ope homo liber evadit secundum verba Domini « veritas liberavit vos ».

3. Oportet etiam aliter exponere relationem inter ordinem moralem naturae, ex quo iura personae in civitate promanant, et ordinem praecepti caritatis (in fine capituli).

23

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ZAK

Episcopus S. Hippolyti

Cf. pag. 808-809.

24

QUIDAM EXC.MI PATRES CONCILIARES

I. *Quoad schema in genere.* Asseritur evolutio organica et logica *in textibus magisterii ecclesiastici Pontificum* ac si asserta schematis confirment.

Revera haec evolutio omnino abest, quia loci in schemate invocati et citati, ex textu et contextu interpretationem talem non admittunt.

Argumenta.

1. Pius XII nunquam loquitur *de libertate religiosa,* sed theoriam evolvit « tolerantiae » iis qui interfuerunt Conventui quinto nationali Italico Unionis Iureconsultorum catholicorum, die 6 decembris mensis a. 1953 (*A.A.S.,* 45 [1953], pp. 798 ss.). En praecipua capita:

a) *Sic dicta « auctorizatio » erroris vel mali nunquam concedi potest*: Ait Pius XII: « Nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna Comunità di Stati, *qualunque sia il suo carattere religioso,* possono dare un mandato positivo o *una positiva autorizzazione* d'insegnare o *di fare* ciò che sarebbe *contrario alla verità religiosa o al bene morale...* Nessuna autorità potrebbe darli, perché è contro natura di obbligare lo spirito e la volontà dell'uomo all'errore e al male, o *a considerare l'uno e l'altro come indifferenti.* Neppure Dio potrebbe dare un tale positivo mandato o una tale positiva autorizzazione, perché sarebbe in contraddizione con la Sua assoluta veridicità e santità ».

b) *Tolerantia « prudentialis » admittenda est.* Ait Pius XII: « Un'altra questione essenzialmente diversa è: se in una comunità di Stati possa, almeno *in determinate circostanze,* essere stabilita la norma che il libero esercizio di una credenza e di una prassi religiosa o morale, le quali hanno valore in uno degli Stati-membri, non sia impedito nell'intero territorio della Comunità per mezzo di leggi o provvedimenti coercitivi statali.

In altri termini, *si chiede se il " non impedire, ossia il tollerare,* sia in quelle circostanze permesso, e perciò la positiva repressione non sia sempre un dovere " ».

Bene notandum quod, ad mentem Pii XII, « *non impedire* », idem sonat ac « *tolerare* ».

Sub hoc respectu quaeritur: « Può Dio, sebbene sarebbe a Lui possibile e facile di reprimere l'errore e la deviazione morale, *in alcuni casi* scegliere il *" non impedire ",* senza venire in contraddizione con la Sua infinita perfezione? Può darsi che *in determinate circostanze* Egli non dia agli uomini nessun mandato, non imponga nessun dovere, non dia perfino nessun diritto d'impedire e di reprimere ciò che è erroneo e falso? ».

Ad quod affirmative respondet Summus Pontifex. Tolerantiam « prudentialem » admittendam et in praxim deducendam esse, rationes sequentes suadent:

1. « L'errore e il peccato si trovano nel mondo in ampia misura. Iddio li riprova; eppure li lascia esistere. Quindi l'affermazione: Il traviamento religioso e morale deve essere sempre impedito, quanto è possibile, perché la sua intolleranza è per se stessa immorale, non può valere nella sua *incondizionata assolutezza* ».

2. « Dio non ha dato nemmeno all'autorità umana un siffatto precetto assoluto e universale, né nel campo della fede né in quello della morale. Non conoscono un tale precetto né la comune convinzione degli uomini, né la coscienza cristiana, né le fonti della rivelazione, né la prassi della Chiesa... ».

3. « Il dovere di reprimere le deviazioni morali e religiose non può quindi essere un'ultima norma di azione. Esso deve essere subordinato a *più alte* e *più generali* norme, le quali in alcune circostanze permettono, ed anzi fanno forse apparire come il partito migliore *il non impedire l'errore,* per promuovere *un bene maggiore* ».

Quae ultima verba perfecte concordant cum doctrina litt. encycl. *Immortale Dei,* Leonis XIII (1-11-1885): « Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere; non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt » (*C.I.C. Fontes,* III, p. 245).

c) *Formulae.* Proponuntur a Pio XII formulae « di *tolleranza religiosa e morale...,* da prendersi in considerazione per la Comunità degli Stati », qui societatibus acatholicis etiam constant. En praecipuae:

1. « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, *non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione* ».

Sedulo notandum est quod sive existentia, sive sic dictus *proselytismus,* sive actio quaecumque, a Pio XII omnino reprobatur.

2. « *Il non impedirlo* per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno essere giustificato nell'interesse di *un bene superiore e più vasto* ».

3. « Se poi questa condizione si verifichi nel caso concreto — è la « quaestio facti » —, deve giudicare innanzitutto lo stesso Statista cattolico. Egli nella sua decisione si lascerà guidare dalle conseguenze dannose che sorgono dalla tolleranza, paragonate con quelle che mediante l'accettazione della formula di tolleranza verranno risparmiate alla Comunità degli Stati... ».

4. Quod vero attinet ad quaestionem: An ius saltem seu libertas, concedi possit bona fide errantibus, haec habet allocutio Pii XII: « La Chiesa — già per riguardo a coloro che *in buona* coscienza (sebbene erronea, ma invincibile) sono di diversa opinione — si è vista indotta ad agire ed ha agito *secondo quella tolleranza,* dopo che sotto Costantino il Grande e gli altri Imperatori cristiani divenne Chiesa di Stato, sempre per più alti e prevalenti motivi; *così fa oggi e anche nel futuro si troverà di fronte alla stessa necessità* ».

2. *Consectaria doctrinae Pii XII:*

a) *Verba schematis,* pag. 6: « Sacra Synodus solemniter affirmat ius *ad libertatem conscientiae* in re religiosa *externe exercendam,* salvo bono communi, sem-

per et ubique valere et ab omnibus agnoscendum esse », componi non possunt cum doctrina Pii XII.

1. Libertas externe exercendi doctrinam non veram, idem est ac sic dicta « auctorizatio » (« una positiva autorizzazione... *di fare* ciò che sarebbe contrario alla verità religiosa o al bene morale »), quam quidem — ait Pius XII — « neppure Dio potrebbe dare ».

2. Quod dicitur « semper et ubique valere et ab omnibus agnoscendum esse », contra tolerantiam *prudentialem* Pii Pp. XII aperte dimicat. Iterum atque iterum asserit R. Pontifex hanc tolerantiam concedi posse « in determinate circostanze », « in alcuni casi », « in alcune circostanze ».

3. Propugnatur « *ius* ad libertatem conscientiae » etiam pro errantibus. E contra Pius XII *ius* denegat: « *Ciò che non risponde alla verità* e alla norma morale, *non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda...* ».

4. Etiam Pius XI in litteris encyclicis *Non abbiamo bisogno* (29-6-1931, *A.A.S.,* 23, pp. 301-302) a verbis « Libertas conscientiae » clare abhorret: « Ci dicevamo testé lieti e fieri di combattere la buona battaglia per la libertà delle coscienze, non già (come qualcuno forse inavvertitamente Ci ha fatto dire) per la libertà di coscienza, maniera di dire equivoca e troppo spesso abusata a significare la assoluta indipendenza della coscienza, cosa assurda in anima da Dio creata e redenta ».

b) Praeterea admitti non potest conclusio quae in Relatione super schema decreti de Oecumenismo habetur: « Hic maxime recolenda est doctrina Pii XII de limitatione Status, quod spectat ad errores in societate reprimendos », ita ut in verbis allocutionis modo citatae inveniri queat *regula quaedam progressus* « praesertim si prae oculis habentur quae olim de missione Status prolata sunt » (pp. 35-36).

A cl. auctore *Relationis* affertur textus truncus dictae allocutionis, scil. pars negativa et incompleta sane (« Dio non ha dato nemmeno all'autorità umana un siffatto precetto assoluto e universale " l'impedire sempre il traviamento religioso, ecc." »). Praetermittuntur cetera omnia (de « auctorizatione », de tolerantia « prudentiali » et de formulis), quae doctrinam Pii Pp. XII plane consentaneam esse cum litteris encyclicis Leonis XIII, *Immortale Dei,* et cum doctrina et usu R.R. Pontificum demonstrant.

c) Ad aliam conclusionem pervenit schema, pag. 5: « Ecclesia catholica *intolerantiam religiosam summo gradu odiosam atque offensivam erga personam humanam esse declarat* ». Haec conclusio doctrinam Pii XII aperte offendit. Si enim « in determinate circostanze » tantummodo admittatur tolerantia, iis circumstantiis deficientibus *intolerantiam* locum habere plane liquet.

d) Sed et alia habes in schemate, pag. 4: « Attamen, quamdiu in errore invincibili versatur, haec persona humana aestimatione digna est atque eius *libertas religiosa* ab Ecclesia agnoscitur et vindicatur ». Quae roborantur in ipso *schemate,* allocutione Pii XII *Vous avez voulu,* 7-9-1955 (*A.A.S.,* 37 [1955], p. 679).

Animadvertendum tamen est in textu huius allocutionis non esse sermonem *de libertate religiosa* sed de *tolerantia* tantum. In verba Pii XII: « Aux non catholiques l'Eglise applique le principe repris dans le Code de Droit Canonique, " Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur " (can. 1351), et estime que leurs convictions constituent un motif, mais non toutefois le principal, de *tolérance* ».

e) Obiicit Relatio, p. 27: « Multi non-catholici adversus Ecclesiam aversionem[1] nutriunt vel saltem ipsam de quodam machiavelismo suspicantur, quia eis videmus liberum religionis exercitium exigere quando catholici in determinata natione numero pauciores sunt, spreta ac denegata hac eadem religiosa libertate quando catholici numero maiores inveniuntur ».

Quod verum est, neque aliter fieri potest, ex eo quod veritas omnia iura habet nullumque error. Neque potest pari gressu tractari error et veritas. Verba Pii XII opportunius denuo citantur: « La Chiesa... ha agito secondo quella tolleranza, *dopo che sotto Costantino il Grande e gli altri Imperatori cristiani divenne Chiesa di stato* ».

Tempore, tamen, persecutionum non tolerantiam sed *libertatem religiosam* (hic sensus genuinus) sibi iure meritoque vindicavit; atque hodie Summus Pontifex Paulus VI, in sua allocutione ad Patres Concilii Vaticani II 29 sept. 1963, denuo in lucem posuit: « Quam vehementer dolemus, cum cernimus in quibusdam territoriis *religiosam libertatem,* sicut alia praecipua hominis iura, opprimi »...

f) Sub hac luce totius doctrinae Pii XII legendus est textus ipsius Pontificis in Nuntio radiophonico 24 dec. 1942 (*A.A.S.,* 35 [1943], p. 19): « sui seguenti fondamentali diritti della persona: ... *il diritto al culto di Dio privato e pubblico,* compresa l'azione caritativa religiosa ». Neque hoc principium contradicere potest verbis supra allatis ipsius Pontificis: « *Ciò che non risponde alla verità... non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione* ».

g) Doctrina proinde Pii Pp. XII nullam ansam praebet ad astruendam libertatem religiosam in *schemate* propositam; immo eam contradicit ex toto.

3. *Ioannes XXIII.* Doctrina litt. encycl. *Pacem in terris* (11-4-1963) toto caelo distat a *libertate religiosa* quae vel in textibus allatis vel in ceteris oblivione praetermissis, proponitur.

a) Dignitas personae humanae in veritate obiectiva sistet (*A.A.S.,* 55 [1963], pp. 265 ss.): Ait Ioannes XXIII: « Quam ob rem civium coniunctio bene composita, fructuosa, *humanaeque dignitati conveniens* est existimanda, *si veritate continetur* ». Etiam « ordo qui in hominum consortione viget... *in veritate idem nititur* ». Fundamentum huius ordinis, in consortione humana vigentis, est Deus *verus, personalis,* idest *Veritas obiectiva.* Quae his verbis a Ioanne XXIII enucleantur: « Ad huius generis ordo — cuius principia cum ad omnes attinent, tum absoluta atque immutabilia sunt — *a Deo vero, et eo quidem personali atque humanam naturam transcendente, initium omnino repetit* ».

« Deus enim, cum sit veritas omnium prima summumque bonum, tum vero fons est praealtus, *unde vitam vere haurire hominum coniunctio potest, quae nimirum recte constituta sit et frugifera, ad hominumque dignitatem apta* ».

b) *Religionis verae professio, obiective sumptae, vindicabitur* (*A.A.S.,* ibid., pp. 260 ss.). « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est — ait Pontifex —, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et *religionem privatim publice profiteri* ».

Quod agatur de professione verae religionis necnon de recta conscientia obiective sumpta patet ex ea quae sequuntur in ipso documento: « Etenim », quemadmodum praeclare docet Lactantius, « hac condicione gignimur, ut generanti nos Deus *iusta et debita obsequia praebeamus, hunc solum noverimus, hunc sequa-*

---

[1] Nisi fallimur hoc verbum significat odium in textu.

mur... ». Qua de eadem re Decessor Noster imm. mem. Leo XIII haec asseverat: « Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior: *eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara.* Huius generis libertatem sibi constanter *vindicavere Apostoli, sanxere scriptis* Apologetae, Martyres ingenti numero sanguine suo consacravere » (Enc. *Libertas,* a. 1888).

Neque Apostoli, neque Martyres, neque Apologetae nisi pro *vera* fide, et cultu et doctrina, totis viribus decertaverunt. Non recte proinde allegatur in *schemate* (pag. 4) hic textus Ioannis XXIII, quasi « eadem libertas religiosa non tantum a christianis, sed *ab omnibus et singulis hominibus* et a communi hominum conviventia observanda est ». Quod negandum omnino, ex ipsis verbis Ioannis XXIII quae allegantur.

c) *Obiicit Relatio,* pag. 31: « In materia libertatis religiosae documentum princeps est encyclica *Pacem in terris* in quo P. Ioannes XXIII praecipue haec duo capita doctrinae evolvit: Primo, iure naturae persona humana *ius habet ad liberum in societate exercitium religionis iuxta dictamina conscientiae rectae, sive vera sit conscientia, sive sit errore veritatis aut impari rerum sacrarum cognitione capta* » (citatur *A.A.S., 55* [1963], p. 299).

Schema eamdem quoque conclusionem proponit (pag. 8): « Doctrinam traditionalem novo modo, nostris temporibus accommodato, aptaverunt recentiores R.R. Pontifices. Collocant enim inter iura hominis praecipua *ius ad liberum exercitium religionis in societate, iuxta dictamina conscientiae rectae, sive vera sit conscientia sive errore veritatis aut impari rerum sacrarum cognitione bona fide capta* » (citatur *A.A.S., 55* [1963], p. 299).

Sequitur textum litt. encycl. *Pacem in terris* tam a *Relatione* quam a *schemate* allegari ad probandum inesse etiam pro bona fide errantibus, ius liberi exercitii religionis. Verumtamen confitendum est de hac re *neque hic neque in toto documento* nullam haberi mentionem. En verba Ioannis XXIII ad quam sese appellant tam *relatio* quam *schema* (*A.A.S., 55* [1963], pp. 299-300):

1. *Error ab errante distinguitur*: « Omnino errores ab iis qui opinione labuntur semper distinguere aequum est, quamvis de hominibus agatur, qui aut errore veritatis, aut impari rerum cognitione capti sint, vel ad sacram vel ad optimam vitae actionem attinentium ». Agitur proinde *de quaestione facti.*

2. *Errans non amittit dignitatem personae*: « Nam homo ad errorem lapsus iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam umquam personae dignitatem amittit, cuius nempe ratio est semper habenda ». Quod iam S. Augustinus commemorat: « *Diligite homines, interficite errores* » (MIGNE, *PL* 43, c. 259).

3. *Errans invenire potest viam veritatis*: « Praeterea in hominis natura numquam facultas perit et refragandi erroribus, et viam ad veritatem quaerendi. Neque umquam hac in re providentissimi Dei auxilia hominem deficiunt. Ex quo fieri potest, ut, si quis hodie vel fidei perspicuitate egeat, vel in falsas discesserit sententias, possit postmodum, Dei collustratus lumine, veritatem amplecti ».

4. *Errantes ducendi sunt ad veritatem.* « Etenim si catholici homines, rerum externarum causa, cum hominibus consuetudinem iungant, qui vel nullo modo vel non recte in Christum credant, quia in errore versantur, tum vero illi sive occasionem sive incitamentum his dare possunt, ut ad veritatem traducantur ».

Concludendum est in litteris encyclicis *Pacem in terris* libertatem religiosam in sensu *schematis* non solum abesse sed positive excludi, adeo ut omnes textus qui afferuntur vel ad rem non pertineant vel positive eam contradicant.

II. *Quoad schema in specie.* Responsum dare praestat ad assertiones aliquas singulares quae passim ab auctore schematis producuntur.

1. « Ideo in vita publica *exercitium externum* libertatis conscientiae *impediri non potest* nisi contradicat bono communi seu ordini obiectivo iurium Dei Creatoris et Salvatoris et inalienabilium iurium et libertatum personae humanae » (schema, pag. 6).

Respondetur Pii XII verbis: « Nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna Comunità di Stati, qualunque sia il suo carattere religioso, possono dare... una positiva autorizzazione d'insegnare o *di fare* ciò che sarebbe *contrario alla verità religiosa o al bene morale.* Soltanto " *in determinate circostanze... il non impedire,* ossia il tollerare ", è lecito » (*A.A.S.,* 45 [1953], pp. 798 ss.; cf. supra).

2. « Hac de causa haec Sacra Synodus sollemniter declarat et inculcat *conatus ad religionem ipsam* sive in toto genere humano, sive in determinato coetu religioso *penitus extinguendum* manifestissime et gravissime laedere iura Creatoris et Salvatoris hominum, iura quoque sacratissima conscientiae humanae et familiae gentium » (schema, pag. 6). Respondetur:

1) Conatus ad religionem penitus extinguendam qui ducunt ad atheismum, utique iura Creatoris laedunt.

2) Conatus ad religionem non veram extinguendam qui ducunt ad veritatem, laudabiliter ineuntur.

« Etenim — ait Ioannes XXIII — si catholici homines, rerum externorum causa, cum hominibus consuetudinem iungant, *qui vel nullo modo vel non recte in Christo credant, quia in errore versantur,* tum vero illi sive occasionem sive incitamentum his dare possunt, *ut ad veritatem traducantur* » (*Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 [1963], p. 300).

« Quod cum evenit, ii qui catholicum profitentur nomen, maximopere prospiciant, ut sibimetipsis semper constent, *neve ad ea media consilia descendant, e quibus aut religionis aut morum integritas detrimenti capiat* » (*Mater et Magistra*: *A.A.S.,* 53 [1961], p. 456).

Ne verbum quidem invenies in doctrina Ioannis XXIII circa libertatem acatholicis, etiam bona fide errantibus, donandam; utique — ut in exemplo allato — circa consuetudinem cum illis iungendam *ut ad veritatem traducantur.*

3. « Haec *libertas religiosa* pariter offenditur praeprimis damnatione mortis propter rationes religiosas, sed praeterea religionis causa peractis spoliatione bonorum, privatione eorum quae ad vitam decentem requiruntur, abnegatione aequalitatis socialis et civilis, nationalitatis, competentiae ad actus civiles, exercitii eorum iurium fundamentalium quae concorditer a nationibus agnoscuntur » (schema, pag. 6). *Respondetur*:

Si — ut ait Pius XII — « ciò che non risponde alla verità... non ha oggettivamente alcun diritto », libertas religiosa, id est ius ad errorem, absurde proponitur.

Unde in his omnibus casibus peccari potest in humanitatem, in iustitiam, in caritatem, et tandem aliquando in libertatem sic et simpliciter; numquam *in libertatem religiosam* quae nec datur nec dari potest sensu *schematis.*

Ordo qui in hominum consortione viget non in libertate religiosa, sed — ut

ait Ioannes XXIII — « in veritate nititur; secundum *iustitiae* praecepta ad effectum perducendus est, *mutuo amore* animari perficique poscit, postremo, *libertate integra,* ad aequalitatem cotidie humaniorem est componendus » (*Pacem in terris*: *A.A.S.*, cit. p. 266).

4. « *Nostris autem temporibus* ubique terrarum *libertas religiosa* speciali modo *urgenda est,* quia in dies frequentiores fiunt relationes quibus homines disparis cultus et diversae religionis inter se connectuntur » (schema, pag. 6). *Respondetur*:

Auctor schematis, ad hanc assertionem roborandam, in nota 11, citat Allocutionem Pii XII ad Praelatos auditores ceterosque officiales administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946 (*A.A.S.,* 38 [1946], p. 393), in qua tamen sermo est de *tolerantia,* non de libertate religiosa.

En verba Pii XII: « I sempre più frequenti contatti e la promiscuità delle diverse confessioni religiose entro i confini di un medesimo popolo hanno condotto i tribunali civili a seguire il principio della " tolleranza " e della " libertà di coscienza ". Anzi vi è una *tolleranza politica, civile e sociale* verso i seguaci delle *altre confessioni, che in tali circostanze è anche per i cattolici un dovere morale* ».

Pensanda sunt etiam verba schematis: *a*) Nostris autem temporibus; *b*) ubique terrarum; *c*) libertas religiosa; *d*) urgenda est.

a) « Nostris autem temporibus ». Attamen Pius XII, quod ad tolerantiam prudentialem ex parte Ecclesiae attinet, haec edicit: « Così *fa oggi,* e *anche nel futuro* si troverà di fronte alla stessa necessità ».

b) « Ubique terrarum ». Peccat in verba Pii XII: « *in determinate circostanze* », « *in alcuni casi* », de quibus iam disseruimus.

c) « Libertas religiosa », quae dari non potest.

d) « Urgenda est ». Quod negat Pius XII: « Fare ciò che sarebbe contrario alla verità religiosa o al bene morale » numquam concedi potest: « Neppure Dio potrebbe dare un tale positivo mandato o *una tale positiva autorizzazione,* perché sarebbe in contraddizione con la sua assoluta veridicità e santità ». A fortiori talem libertatem dare non possunt « nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna Comunità di Stati, *qualunque sia il suo carattere religioso* » (*A.A.S.,* 45 [1953], pp. 788 ss.).

Proinde, neque concedenda, *neque urgenda* — quod peius est — haec libertas.

5. « Quum grassante materialismo hodierno fundamenta omnis religionis et societatis corrodantur, Ecclesia catholica nuncupata (sic?) vota facit ut quicumque christiano nomine honorantur quantum fieri potest secundum exigentias sanae rationis, ordinem naturalem et depositum vitae christianae corsertis precibus et viribus tueantur et promoveant, immo ut omnes homines bonae voluntatis, sive credentes sive nullam religionem profitentes, simul operam dent *ad ordinandam societatem secundum normas morales ex ipsa dignitate personae humanae profluentes* » (schema, pag. 6-7). *Respondetur*:

Fons proinde ad ordinandam societatem — ad mentem auctoris *schematis* — *in dignitate personae humanae* sistit.

Contrarium tamen sentit Ioannes XXIII, ad cuius doctrinam societas hominum « *in veritate nititur* », atque in « *Deo vero,* et eo quidem *personali* atque *humanam naturam transcendente*... Deus enim, cum sit veritas omnium prima, summumque bonum, tum vero *fons est praealtus*, unde vitam vere haurire homi-

num coniunctio potest, quae nimirum recte constituta sit et frugifera, *ad hominumque dignitatem apta* » (*Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], pp. 266-267).

Quibus expositis, mirandum sane est quod in *Relatione* super schema decreti de Oecumenismo sequentia verba (ut silentio alia praetereamus) edicantur:

« Mundus universus hoc decretum exspectat. In Universitatibus, in organizationibus nationalibus et internationalibus christianis et non-christianis, in diariis et in opinione publica vox Ecclesiae de libertate religiosa exspectatur, exspectatur urgenter » (!).

His non obstantibus, et omnibus rite perpensis, patet *schema ex toto non placere.*

Hae animadversiones, appositis subsignationibus episcoporum, qui in hac re consenserunt, ad officium secretarii generalis huius Concilii missae sunt.

[*Subscripserunt*] J. Borgatti, ep. Viedmensis; David Swamidoss Pillai, ep. Vellore; Ladislaus Paz, ep. de Corumbà; Ioannes Marchesi, coad. prael. Rio Negro; José Pintado, vic. ap. Méndez; Camilo Faresin, prael. Registrensis; Gennaro Prata, aux. Pacensis; Miguel Raspanti, ob. de Moròn; Michele Arduino, vesc. di Gerace-Locri; M. E. Magliano, ob. Rio Gallegos; V. Bonamin, aux. Buenos Aires; Miguel D'Aversa, prael. de Humaità.

25

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE SEPTEMTRIONALIS

Episcopis subscriptis Africae Septemtrionalis visum est textum *de libertate religiosa* propositum (*De Oecumenismo,* cap. V), inter ceteros defectus, continere plures graves aequivocationes; aliquae enim affirmationes favent subiectivismo dum aliae in periculo ponunt veram libertatem personae humanae.

Igitur volentes inservire doctrinae catholicae circa dignitatem personae humanae hunc sequentem proponunt textum (ad cap. V schematis emendandum):

1. Deus, cum creavit hominem, ad imaginem et similitudinem suam fecit eum (cf. *Gen.,* 1, 26) et « reliquit eum in manu consilii sui » (*Eccli.,* 15, 14).

Conditor omnium Deus, cuius Spiritus in omnibus bonus et suavis est (cf. *Sap.,* 12, 1) « cum magna reverentia disponit » hominem (*Sap.* 12, 18), intellectu et libertate praeditum. Ideoque sancivit ut homo liberrimo consilio suam salutem operaretur, accedens ad ipsum per fidem et caritatem, « rationabile obsequium » (*Rom.* 12, 1) ei praestans. Ipsa gratia divina, sine qua nihil facere possumus in ordine supernaturali, nedum libertatem humanam destruat, ipsam integram servat. His de causis Ecclesia catholica praecipit et mandat: « Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur » (*C.I.C.,* can. 1351).

2. Cum in omnibus oporteat ut iustus sit etiam humanus (*Sap.* 12, 19), discipuli Christi cum officio veritatem annuntiandi et defendendi semper habeant coniunctam obligationem amanter, prudenter et patienter agendi cum hominibus, cogitantes bonitatem Dei (*Sap.* 12, 22), imitantes mansuetudinem et longanimitatem eius, orantes pro omnibus, in sapientia ambulantes ad eos qui foris sunt (cf. *Col.* 4, 5), « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7), testimonium perhibentes Christo qui animam suam pro hominibus posuit. Nunquam errori consentire licet, sed personae humanae, vel errantes circa fidem, semper aestimatione et amore dignae sunt.

3. Libertatem religiosam, qua homo « ad rectam conscientiae suae normam, Deum venerari possit et religionem privatim et publice profiteri » (*Pacem in terris*: *A.A.S.*, 1963, pp. 260-261), cum versetur circa altissima vitae spiritualis, scil. relationes hominis ad ipsum Deum, « humanae dignitatem personae honestissime tuetur » (*Pacem in terris, l. c.*, et LEO XIII, *Libertas*) et est aliarum libertatum custos. Cum homo ex natura sua, socialis sit, et nonnisi in communi vitam possit gerere humanam, haec libertas competit ipsis quoque coetibus seu communitatibus, cum sine ipsis homines vitam religiosam ducere non possint.

4. Cum publicae potestatis tota ratio in communi omnium bono posita sit, et cum bonum commune non possit definiri nisi in relatione ad personam humanam — complectitur enim « summam earum vitae socialis condicionum, quibus homines suam ipsorum perfectionem possent plenius atque expeditius consequi » (*Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 1961, p. 417; *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 1963, p. 273) — ipsius publicae potestatis munus est legitimam libertatem religiosam tueri. Si qui perversi modi (gallice « déviations ») inveniantur in manifestationibus sensus religiosi, ipsis obstare nequeunt populorum rectores nisi in quantum graviter et manifeste repugnent dignitati personae humanae vel bono communi.

5. Hac de causa haec Sacra Synodus solemniter declarat conatus ad ipsam religionem sive in toto genere humano, sive in determinato coetu religioso penitus exstinguendam manifestissime laedere iura personae humanae et gravissime offendere bonum commune generis humani.

Potestas publica nequit imponere civibus professionem determinatae religionis tanquam conditionem ut pleno et integro iure vitae nationali et civili participare valeant.

Haec libertas religiosa pariter offenditur praeprimis damnatione mortis propter rationes religiosas, sed praeterea religionis causa peractis spoliatione bonorum, privatione eorum quae ad vitam decentem requiruntur, abnegatione aequalitatis socialis vel civilis, nationalitatis, competentiae ad actus civiles, exercitii eorum iurium fundamentalium quae concorditer a nationibus agnoscuntur.

6. Quae exigentiae maxime urgendae sunt in nostra aetate, quia conscientia responsabilitatis personalis, Deo favente, magis affirmatur, et quia frequentiores fiunt relationes quibus homines disparis cultus et disparis religionis inter se connectuntur. Quo fit ut quaelibet discriminatio, quavis de causa facta, sive propter originem aut stirpem, sive propter religionem, communi totius generis humani bono graviter adversetur.

7. Quum grassante materialismo hodierno fundamenta societatis corrodantur, Ecclesia catholica vota facit ut quicumque christiano nomine honorantur, consertis precibus et viribus tueantur et promoveant in societate, quantum fieri potest, ordinem naturalem et depositum vitae christianae, immo ut omnes homines in Deum credentes vel saltem legem moralem agnoscentes simul operam dent ad tuendam societatem secundum normas ex ipsa dignitate personae humanae profluentes.

8. Caritas Christi urget omnes filios Ecclesiae ut, in praesenti discrimine mundi, omni qua par est animi acie ac fortitudine, constanter laborent ad instaurandum inter omnes homines amorem fraternum, mutuam fiduciam. Quidquid favet sincerae communioni humanae et paci maxime confert ad aedificationem Corporis Christi et ad manifestandum mysterium Amoris Dei.

[*Subscripserunt*] Leo-Stephanus Duval, arch. Algerien., Vedastus Jacquier, ep. aux. Algerien., Bertrandus Lacaste, ep. Auranensis, Paulus Pinier, ep. Constantinian., Georgius Mercier, ep. Laghouat., Amedeus Lefèvre, arch. Rabat., Mauritius Perrin, arch. Carthag.

26

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

Helvetiae episcoporum, mihi liceat aliquas animadversiones super cap. V *de libertate religiosa*: quae maximi momenti sunt.

1. Non datur oecumenismus sine libertate conscientiarum et hoc in qualibet societate, tam ecclesiastica quam civili, quia etiam in Ecclesia necessaria est aliqua opinio publica, ut Pius XII dixit. Nec confusio timenda est, nec indifferentismus, si recte libertatis notio percipitur.

A) Nunquam et nullo modo nec minima oppositio concipienda est inter iura absoluta Dei et iura humanae personae. Quinimmo, iura Dei absoluta sunt fundamentum ultimum et firmissimum iurium personae humanae et quidem fundamentum proprium libertatis conscientiarum. Quapropter quae dicta sunt pag. 3, linn. 11-17 alio modo redigenda sunt. Novam redactionem scripto secretariatui tradam. Eadem ratione, pag. 5 tota paragraphus « *In omni* actu... » omittatur.

B) Libertas conscientiarum non est ius ad errorem, ut quidem putant, sed est ius personae humanae ad attingendam plenam veritatem mediante actu humano tam exteriori quam interiori. Libertas conscientiarum non nisi relate ad veritatem definiri potest. Ideo quae dicuntur pag. 4, lin. 18, et pag. 5, n. 4, lin. 27, aliter dicenda sunt.

C) Distinctio quae fit inter hypothesim et thesim ita ut libertas conscientiarum solum valeret in casu hypothesis, scil. quando catholici sunt in condicione inferiori, omnino reiicienda videtur. Etenim libertas conscientiarum deducitur ex essentia actus humani deliberati ut a S. Thoma describitur. Nulla est acceptatio erroris ut ita dicam, theologica, speculativa, sed acceptatio practica (une tolérance civique et non une tolérance dogmatique ou théologique).

2. Libertas religiosa maiorem comprehensionem et extensionem habet quam ea de qua loquitur nostrum caput. In nostro capite, libertas religionis concipitur ac si esset ius mere individuale ad instar sic dictorum « iura hominis ». Si nostrum caput acceptaretur ut nunc iacet, ansam praeberet illis regiminibus quae sub nomine boni communis Evangelium praedicare impediunt, v. g. ut si esset contrarium eorum traditionibus.

Non pertinet ad Statum, ratione boni communis, iura religionis temperare et ordinare. Ideo non sufficiunt quae dicuntur: libertas religiosa ut ius personae est solummodo elementum libertatis religiosae. Etenim non est solum libertas individualis profitendi fidem, nec solum libertas debita coetibus et communitatibus religiosis activitatem propriam exercendi, sed est libertas debita ipsi religioni qua talis. Determinare veritatem religiosam nullo modo pertinet ad Statum sub praetextu boni communis. Utique hic habentur mysterium gratiae et naturae, sed nullo potest admitti nec subiectio Ecclesiae ad Statum, nec subiectio Status ad Ecclesiam. Habetur differentia ordinis quae secundum principium harmoniae concipienda est.

3. In capite nostro, non bene videtur quomodo e iuribus sub solo aspectu

individualis personae definitis, oriuntur iura essentialia ut sunt ius parentum in materia religiosa erga prolem cum omnibus consequentiis relate ad educationem, ius religionis ad educandam et efformandam iuventutem, ius communicationis, ius associationis... Etiam videtur difficile in tali conceptione fundamentum iacere ad solvendas relationes inter religionem et Statum, salva utique libertate civium et aequitate erga omnes et unumquemque illorum.

De his omnibus scripta secretariatui tradam.

Emendationes super cap. V de Oecumenismo: de libertate religiosa.

In prooemio lin. 10 loco « valores » dicatur « *principia* ».

Linn. 12-14 deleantur « non tantummodo ... adhaerendum est » et dicatur: « *attendunt Sacra et absoluta Dei iura nec non veritates seu obiecta quae semper observanda sunt, esse solidum fundamentum libertatis conscientiarum, iurium officiorumque hominum* ».

N. 2, pag. 4, lin. 11, sic mutentur: « *Praeterea ab ipsis grato animo agnoscendus est modus paternus et suavis quo Deus homines ad suam veritatem et suum amorem allicit. Unusquisque ergo qui bonum semen seminat, recordetur se inutilem servum esse, cum solus Deus incrementum dat, et ab omni specie coactionis semper abstineat* ».

N. 2, pag. 4, linn. 18-20, deleantur et dicatur: « *Etsi aliquamdiu homo in errore invincibili circa fidem versatur, et absit ut perscrutari velimus arcana consilia et iudicia Dei* (*Pius IX*), *tamen ut est persona, iura propria ei non subtrahuntur et libertatem eius in campo adhaesionis fidei nulli coactioni obnoxiam remanere Ecclesia semper contendit et agnoscit* ».

N. 3, pag. 4, lin. 34, post « prudenter » addatur « *et recte* ».

N. 3, pag. 5, tota paragraphus incipiens « In omni actu... valet » omittatur.

N. 3, pag. 5, lin. 16, loco « in concreto problemate » dicatur: « *hic et nunc* ».

N. 4, pag. 5, linn. 27-34, post « sed ... promoveant » dicatur: « *sed ut elementum verae " libertatis religiosae " iuxta quod providetur ne persona ab aliis impediatur coactione externa physica vel morali quominus in campo religioso publice et privatim excolendo iuribus et dignitate suae libertati competentibus plene fruatur. Dum Sanctus Synodus asserit tale ius non soli individuo sed etiam coetibus et communitatibus religiosis competere, tamen solemniter affirmat per agnitionem talis iuris ambitum plenum libertatis religiosae nullo modo exhauriri vel compleri cum talis libertas multa alia complectatur et insuper non solis individuis vel coetibus et communitatibus religiosis, sed religioni ipsi competat* ».

Pag. 6, lin. 25, post « agnoscuntur » dicatur: « *Insuper non minus laeditur libertas religiosa cum non agnoscatur iura quae in materia religiosa parentibus erga prolem educendam competunt cum omnibus consectariis talis iuris in praxim deducendis, cum denegetur exercitium illorum munerum religioni essentialiter connexorum ut sunt fidelitas praeceptis moralibus, actio caritativa, influxus in vitam culturalem, etc. cum vita societatis religiosae quasi impossibilis fiat omnimodis vexationibus et impedimentis interpositis, v. g. contra exercitium auctoritatis legitimae, contra libertatem communicationum, contra formationem cleri, etc.* ».

Pag. 6, n. 6, tres ultimae paragraphi omittantur.

N. 7, pag. 7, omittatur.

III
ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE QUOAD SCHEMA DE OECUMENISMO

POST DIEM 21 MAII, ANTE DIEM 13 SEPT. 1964

A - In genere.

1

Em.mus P. D. PETRUS TATSUO card. DOI

Archiepiscopus Tokiensis

In pag. 31, linn. 38-39: loco « perversi » dicatur « *depravati* ». *Ratio*: expressio « perversi » fratres seiunctos offendere potest quia in multis regionibus — specialiter illis linguae anglicae — sumi solet in sensu perversionis moralis, sexualis.

In declaratione altera *De Iudaeis et de non-christianis,* titulus emendetur ita: *De Iudaeis et de ceteris non-christianis.*

Nomine omnium episcoporum Iaponiae.

2

Em.mus P. D. IOSEPH card. SIRI

Archiepiscopus Ianuensis

1. Prudentius est auferre integrum cap. III. Etenim materia pertractata implicat iudicia difficilia et de quibus melius est ut Concilium non agat. E. g.:

a) Pag. 20, linn. 36-38, ita textus se habet: « Ecclesiae seiunctae vera sacramenta habent, praecipue vero, vi successionis apostolicae, sacerdotium et Eucharistiam... ». Hoc est falsum, nam sacerdotium et Eucharistiam habent vi validitatis sacramentorum, nullo modo vi successionis apostolicae. Etenim successio apostolica sequitur legitimitatem, quae hic abest.

b) Pag. 21, art. 17. Quod hoc articulo dicitur est valde periculosum, nam quod in Ecclesia catholica hucusque fuit certum, debet et hodie et cras esse certum et in materia veritatis non fiunt compensationes ex aequo.

Facile est intelligere bonam voluntatem rerum componendarum, sed hoc fieri nequit utcumque.

2. Pag. 29 declaratio *de libertate religiosa.* Haec pars optandum est ut reducatur simpliciter ad ea quae dixerunt Ioannes XXIII et Paulus VI sicut dicitur in initio « Notarum ». Cetera sunt sat periculosa et forsan aequivoca.

Etenim aliud est asserere ius libertatis religiosae in genere, aliud est *defendere* libertatem cultus, qui potest esse contra legem Dei. In hoc casu sermo erit de tolerantia; quae tamen limites habet saltem in bono communi societatis humanae; non autem de positiva defensione. Aliud est defendere, aliud est tolerare.

3

EXC.MUS P. D. GARABED AMADOUNI

Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Ch. I, art. 2, p. 6. Au numéro marginal n. 21, au lieu de la formule « *divisionem* gratiarum » ne serait-ce pas mieux à propos « *distributionem* gratiarum »? Le mot *divisio* peut signifier aussi la *separatio.*

Art. 3, p. 8. Aux nn. marginaux 3-5: Pour clarté, ce serait opportun d'ajouter à la fin de la phrase, au n. 5, « quae Ecclesiae *conditae a Christo* concredita est ». Car la diction simple « Ecclesiae » laisse dans le vague l'appropriation des biens à l'unique Eglise du Christ. Et pourtant c'est celà qu'on veut dire ici.

Au n. marginal 7: Pourquoi ne pas répéter l'adjectif si propre « *plena* » afin de mieux préciser l'idée de l'unité voulue par le Fondateur, en disant: « unitate illa *plena* non fruuntur, quam... »?

Art. 4, p. 9. Au n. marginal 9: Afin de renforcer la nécéssité ineluctable de la parfaite *Communion ecclésiastique,* il serait souhaitable d'ajouter: « ... quam Christus *enixe commendavit* et ab initio Ecclesiae suae largitus est... ».

Au n. 19: J'ajouterais l'adjectif *humiliter*: « ... primos gressus *humiliter* ad illos movendo ».

Ch. II, art. 5, p. 14. Au n. marginal 3: Nous croyons que l'énumération faite ici par la formule « sive in vita christiana quotidiana sive in theologicis et historicis investigationibus » est incomplète. Le passage de la *vita quotidiana* aux investigationes est brusque. Pourquoi ne pas inclure surtout *les activités apostoliques* où se présente quasi continuellement l'occasion pour la sollicitude œcuménique? Donc je proposerais l'ajout « *sive in labore apostolico* ».

Ch. III, art. 15, p. 20. Au n. marginal 29: Nous avons certaine reserve au sujet de l'expression du texte: « Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis, Ecclesia Dei aedificatur et crescit ».

Ici, sans doute « Ecclesia Dei » est l'Eglise catholique. Au contraire, si nous ne nous trompons pas, les *Eglises particulières* contemplées dans la formule « in his singulis Ecclesiis », sont les Eglises Orientales séparées de l'unité. Si c'est celà, je me demande s'il ne soit pas le cas de dire qu'une telle formule donne lieu à l'équivoque. Si l'Eglise catholique *aedificatur et crescit* par les Liturgies des Eglises séparées, en quoi consisterait le mal de séparation? Tout en admettant la valeur liturgique de ces célébrations, est-ce qu'il serait sans danger de dire que l'Eglise du Christ en soit édifiée?

Page 29, art. 26. Au n. marginal 14: Au lieu de « *vocationi divinae* libere et integre respondere possint », ne serait-ce pas préférable de dire: « *voluntati divinae* » ou bien « dictamini conscientiae ».

Art. 29, p. 30. Au n. 38: Après « vocatio enim divina » ajouter « *per dictamen conscientiae apprehensa* ».

4

Exc.mus P. D. VITALIS BONIFATIUS BERTOLI

Episcopus tit. Attaeatanus, vic. ap. Tripolitanus

Oecumenismus: *a*) in genere: est motus quidam tendens ad complectendum omnes homines in *unum.*

Christi oratio in ultima Coena, in supremis horis vitae suae terrenae, sine coloris — religionis — nationis distinctione. Nonne...? Omnes homines sunt an non filii Dei...?

Quaeritur: Si omnes, cur per Baptismum, filios Dei adoptivos nominamur...? Utique... per lavacrum Christi.

Alteri homines, sunt filii irae...? Israelitae, sunt filii prodigi...? Si filii irae et filii prodigi, sunt semper filii Dei.

Ergo omnes homines ad unitatem vocati sunt. Ita: res respondet verbo: Oecumenismus scil. universalis motus ad...

b) In particulari: est motus tendens ad complectendum in *unum catholicos* et fratres separatos. Summus Pontifex Ioannes XXIII *Ad Petri Cathedram*: « Eos igitur omnes, qui a nobis seiuncti sunt tamquam fratres alloquimur S. Augustini dicentis: Velint, nolint, fratres nostri sunt. Tunc esse desinent fratres nostri, si desierint dicere: *Pater Noster!* ».

Nunc *de Oecumenismo* veteris schematis. Forsan inutiliter, tamen meam ideam modo simplici hic expono: *Petrus est cui praecipue* et principaliter, magister divinus dixit: pasce oves meas - pasce agnos meos... - Do tibi claves regni caelorum - Confirma fratres tuos... Et sic *ipse solus* directe oves et agnos... etc. pascere...

Attamen et ad duodecim insimul dixit: Ite in mundum universum...

Petrus proinde est *a*) *super Collegium apostolorum* constitutus a Christo Domino; et *b*) est *cum Collegio,* quia ad duodecim locutus est Iesus: « Ite in mundum etc. ... ».

Ergo *Petrus,* eo ipso, quod sit *super* — scil. *superior* absolute non potest pendere ab *inferiori* scil. a *Collegio,* sed adiuvatur a *Collegio,* quamvis *Collegium* cum *Petro* potestatem habeat gubernandi Ecclesiam Universalem.

Sic paucis pauperibusque verbis, modestoque modo exposui quaestionem implicatam: *de collegialitate.*

5

Exc.mus P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER

Episcopus Chimscienensis

Ultimam partem schematis nondum accepi. In priore parte placet proponere duo ultima capita « De libertate religiosa » et « De Iudaismo » in forma declarationis et tamquam Appendix; placet, porro, passus de Communicatione in Sacris, pag. 20, lin. 39: « Cum autem illae Ecclesiae quamvis seiunctae vera Sacramenta habeant... sacerdotium et Eucharistiam, quaedam communicatio in sacris... non tantum possibilis est sed etiam suadetur ».

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Iudicium generale. Altera editio schematis multo melior est ac prima, quare gratiae sunt habendae secretariatui pro laboribus exantlatis. Quaedam tamen adhuc perfectibilia videntur.

Titulus generalis. Melius videtur dicendum « De Oecumenismo *catholico* » aut saltem « De Oecumenismo *iuxta doctrinam catholicam* »: quia historice constat non unam esse Oecumenismi hodie rationem.

1. *Prooemium.*

Pag. 5, lin. 18. Dicatur « confitentur *Deum* ac Dominum et Salvatorem ». *Ratio*: qui negant divinitatem Christi non possunt oecumenismum participare.
Lin. 27. Legitur « huic divinae vocationi ». Quae est? Clarius dicatur.

Caput I.

Non placet quod in titulo sermo fiat de « principiis *catholicis* oecumenismi » et non potius de « principiis oecumenismi *catholici* ». *Rationes*:

a) Principia alicuius rei, puta oecumenismi, non possunt dici neque « catholica », neque « protestantica », neque « orthodoxa ». Principia sunt simpliciter « *vera* ». Si principia mutantur, i. e. si non sunt vera, mutatur ipsa res.

b) Oecumenismus est « motus »: motus autem potius quam a principio specificatur a fine. Finis autem oecumenismi pro catholicis est unio separatorum ad Ecclesiam catholicam; pro separatis vero est unio catholicorum ad ipsos vel ad quid tertium. Ergo non agitur de eodem substantialiter motu pro nobis ac pro ipsis.

Inter principia necessaria pro oecumenismo desunt: principium de necessitate Ecclesiae, principium de cognoscibilitate verae Ecclesiae Christi, principium de bona fide in errantibus.

Pag. 6, lin. 19, dicatur: « credentes *amantesque* inhabitat », nam per solam fidem non datur, saltem in adultis, inhabitatio Spiritus Sancti.

Pag. 6, lin. 27. Loco « Collegio Duodecim concredidit » dicatur simpliciter: « *Apostolis concredidit* ». *Rationes*: *a*) tria munera non probantur collata Collegio qua tali, sed Apostolis simul; *b*) in hoc capite nondum factus est sermo de Apostolis: ergo non loquamur de *Duodecim,* quin addamur « Apostolis »; *c*) in locis citatis in notula 5 Apostoli de facto erant undecim vel decem.

Pag. 6, lin. 28, loco « Petrum elegit » dicatur « Petrum *elegerat* », quia ista electio historice praecessit collationem munerum.

Pag. 6, linn. 29-30. Sic legatur: « post dilectionis professionem, universum suum gregem in fide confirmandum etc. ». *Rationes*: a) Petrus professus est dilectionem, non autem *maiorem* dilectionem: Christus enim interrogavit: diligis me *plus his,* Petrus vero respondit: « Tu scis quia amo te »; *b*) non solum oves sed *et agnos* Christus pascendos commendavit Petro.

Pag. 7, linn. 2-3. Sic legendum propono: « in confessione unius fidei, *in apta cohaerentia unici ecclesiastici regiminis,* nec non *in participatione eorumdem Sacramentorum* ». *Rationes*: *a*) minus apte in textu ponitur elementum unitatis directe in fraterna concordia pastorum (= aliquid subiectivum) potius quam in

ipsius regiminis unitate (= aliquid obiectivum); *b*) item « communis celebratio » divini cultus est locutio ambigua: certe non potest significare neque celebrationem in communi, neque usum eiusdem ritus; *c*) melius adhibentur verba sublineata, quae sunt Pauli VI in allocut. 29 sept. 1963.

In notula 11 citatur textus Leonis XIII, qui nullimode est ad rem. Citentur potius: Ioannes XXIII, enc. *Ad Petri cathedram* (*A.A.S.*, 1959, p. 512), et Paulus VI, alloc. 29 sept. 1963 (*A.A.S.*, 1963, p. 852) qui de unitate Ecclesiae expresse loquuntur.

Pag. 7, lin. 8. Sic legatur: « Hoc est *unicitatis et* unitatis Ecclesiae... ».

Pag. 7, lin. 10. Sic legatur: « exemplar et principium est in Trinitate *divinae essentiae unicitas* atque personarum unitas Dei Patris et Filii *et* Spiritu*s* Sanct*i* ».

Pag. 7, lin. 13. Sic legatur: « scissurae quaedam *quoad fidem* exortae sunt ». Et in notula 15 auferatur citatio *1 Cor.* 11, 18-19, in qua sermo est de scissura quoad caritatem.

Pag. 7, lin. 14. In notula 16 auferantur citationes *1 Cor.* 1, 11 et 11, 22 quia respiciunt scissuras quoad caritatem. Quoad fidem citari possunt potius: *Gal.* 1, 8-9; *1 Io.* 4, 1-6; *2 Io.* 7-11.

Pag. 7, lin. 18. Post verba « in talibus Communitatibus nascuntur » addantur: « *in eisque ad rectam suae conscientiae normam vivunt* ». Elementum bonae fidei non est tacendum a Concilio: secus omnis separatio legitimaretur eo quod quis in separatione simpliciter *natus sit.*

Pag. 7, lin. 24. Verba « tum circa structuram Ecclesiae » videntur pleonastica, et proinde auferenda, nam aut agitur de structura Ecclesiae ad essentiam pertinente, et tunc sumus in re doctrinali; aut ad essentiam non pertinente, et tunc sumus in re disciplinari.

Pag. 7, lin. 27. Loco « iustificati per fidem in baptismate » dicerem: « iustificati *per baptisma* », generaliori modo qui valet pro pueris et pro adultis. Ita dicitur in citato *DB* 696; si loquimur de fide, deberemus ponere explicationem da qua cf. *DB* 801.

Pag. 7, lin. 32. Dicerem: « *Sacramenta saltem quaedam,* verbum Dei scriptum etc. ». Secus Sacramenta non commemorarentur.

Pag. 8, lin. 2. Clarius dicendum esset quid sibi velint illa verba « nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt »!

Pag. 8, linn. 3-5. Tota propositio, uti iacet, non videtur theologice admittenda. Communitates separatae, uti tales, sunt fructus formalis separationis: ergo in se non possunt vocari « media salutis », sicut nec peccata vocari possint « media salutis », licet Deus potens sit etiam ex malis derivare bona!

Propono igitur ut sic dicatur: « Spiritus enim Christi salutis mediis, quae apud illas inveniuntur, uti non renuit, cum eorum virtus derivetur ab ipsa plenitudine gratiae et veritatis quae Ecclesiae concredita est ».

In notula 21 citantur quattuor documenta. At *Ad Petri Cathedram* (*A.A.S.*, 1959, p. 511) nullo modo evincit quod « Iis enim Spiritus Christi uti non renuit etc. ». Textus citatus ex *Grata recordatio* (*A.A.S.*, 1959, pp. 677-678) agit de re toto caelo diversa. Non potui conferre citationes ex *L'Osservatore Romano* 7 iunii 1959 et 10-11 aug. 1959, quia folia illa diaria prae manibus non habui: certe citationes conferendae sunt.

Pag. 8, lin. 12. Loco « Uni nempe Collegio apostolico cui Petrus praeest », legatur: « *Uni nempe catholicae Ecclesiae* credimus Dominum etc. ». *Ratio*: *a*) vi-

detur illogicus transitus a « catholica Christi Ecclesia » lin. 10, ad « Collegium apostolicum » lin. 12; Ecclesia non identificatur cum Collegio; *b*) sunt quaedam quae *uni Petro* collata sunt, non autem collegio; *c*) in extrema hypothesi, non collegio *uti tali* collata sunt.

Lectio a me proposita vitat omnes difficultates.

Pag. 8, lin. 16. Loco « quamvis peccato obnoxius », dicatur: « quamvis *concupiscentiae* obnoxius » (cf. *DB* 792).

Pag. 8, linn. 33, 35, 37. Sermo est de « Communione ». Ad uniformitatem et claritatem servandam, dicatur semper « Communitas ».

Pag. 9, lin. 30. Melius videtur dicendum: « de die in diem *magis* mundetur et renovetur, *ut* eam Christus *semper inveniat* gloriosam, non habentem maculam aut rugam ». *Ratio*: verba usurpata a S. Paulo non habent sensum eschatologicum (ut in textu nostro, « donec... »), sed sensum historicum.

Pag. 10, lin. 7. Citatio notulae 28 hic est extra locum suum. Melius illa citatio ponenda videtur in pag. 9, lin. 40 post verbum « inveniuntur ».

Caput II.

Titulus. Iuxta superius dicta, melius videtur dicendum: « De oecumenismi *catholici* exercitio ».

Pag. 14, lin. 2. Sic legendum proponitur: « tam ad pastores quam ad fideles ».

Pag. 14, lin. 14. Proponitur: « qui ab ipso deposito fidei *et ab eiusdem sensu sententiaque* sedulo distingui debet ». *Ratio*: Verba quae adduntur sunt in citato textu Ioannis XXIII et sunt essentialia.

Pag. 15, linn. 4-8. Haec pericopes omittatur. *Rationes*: *a*) idea iam satis expressa est in pag. 7, lin. 17; *b*) citatio *1 Io.* 1, 10 est abusiva; *c*) Quemadmodum in pag. 7, lin. 19 dicitur fratres seiuncti « de separationis peccato argui nequeunt », quare nos catholici debemus nosmetipsos arguere de culpis adversus unitatem? Relinquamus haec omnia iudicio Dei et... historiae!

Pag. 15, lin. 19. Loco « pro Ecclesiae unitate » dicatur « pro *christianorum* unitate ».

Pag. 15, lin. 20. Dubitare liceat de exegesi textus citati *Io.* 17, 21, agatne de unitate in fide, vel potius de unitate in caritate?

Pag. 15, linn. 26-28. Textus citatus *Mt.* 18, 20 non videtur ad rem: supponit enim identitatem in fide.

Pag. 15, lin. 29. De communicatione in sacris brevissima forsan esset hic danda notio.

Pag. 15, lin. 35. Loco « decernat auctoritas episcopalis » dicerem « decernat *competens* auctoritas *ecclesiastica* »: quaenam in concreto sit, in Directorio pro diversis casibus est definiendum. *Ratio*: si semper et in omnibus casibus esset auctoritas uniuscuiusque episcopi, darentur diversi modi agendi qui nedum unitatem foverent, potius admirationem gignerent in ipsis fratribus separatis.

Pag. 16, lin. 3. Legatur « fratribus *seiunctis* »: claritatis causa.

Pag. 16, lin. 20. Dicerem: « quaestiones et fructus, *nec non difficultates et pericula,* quae ex *oecumenismi exercitio* in eorum apostolatu *oriri possunt* ».

Pag. 16, lin. 24. Legatur: « Nil ab oecumenismo *catholico* tam alienum est... ».

Pag. 16, lin. 27. Legatur: « et profundius et *aptius* ». Nam: doctrina catholica semper et ubique recte, immo rectissime, explicanda est.

Pag. 17, lin. 10. Addatur: « ... *sive in principiis iuris naturalis et libertate religiosa defendendis et applicandis* ».

Caput III.

Pag. 19, lin. 7. Loco « Aliae » dicatur « *Alterae* ».

Pag. 19, linn. 9, 11. Loco « Communio » dicatur « Communitas ».

Pag. 19, lin. 15. Dicatur « ad fidem et *disciplinam* (loco: structuram) eccl. ». *Ratio* iam allata: si structura est essentialis, pertinet ad fidem.

Pag. 20, lin. 37. Auferenda censeo verba « vi successionis apostolicae ». *Ratio*: validitas sacerdotii et Eucharistiae non pendet formaliter a successione apostolica (quae successio apud ipsos orthodoxos est mere materialis), sed pendet ab existentia veri ac validi sacramenti episcopatus.

Pag. 20, lin. 39. Dicerem: « *in determinatis* circumstantiis *et sub* opportunis *conditionibus* ».

Pag. 21, lin. 23. Dicerem: « bono anim*a*rum ».

Pag. 21, lin. 24. Auferenda censeo verba « non semper quidem servata », utpote inutiliter polemica.

Pag. 21, lin. 37. Legitur « viva apostolica traditione ». Estne hoc verum? Si verum esset, valere deberet etiam pro traditionibus theologicis occidentalibus: etenim viva apostolica traditio non potest non esse patrimonium commune pro tota Ecclesia. Ergo diversae traditiones theologicae orientis et occidentis ab alio elemento pendent, nempe a diversitate indolis gentium, et a diversitate Patrum.

Pag. 22, linn. 15-17. Verba « omnes conatus... » sunt subobscura: indigent clariore forma.

Pag. 22, lin. 33 etc. Tota pericopes ista II praebet primam personam pluralem « Nos... nobis... » (« Wirstück »!) loco « Sacrosancta Synodus » vel « Ecclesia catholica ».

Pag. 23, linn. 3-4. Legendum puto: « sed imprimis *integritatis et* interpretationis revelatae veritatis ». Differentiae non sunt tantummodo in interpretatione S. Scripturae, sed in existentia Traditionis et in integritate Canonis.

Pag. 23, lin. 9. Dicerem: « Iesum Christum *Deum ac* Dominum et unicum etc. ».

Pag. 23, lin. 21. Textus citatus *Rom.* 1, 16 non videtur ad rem, quia « evangelium » de quo illic S. Paulus non est Pagina Sacra, sed potius kerigma traditum oretenus per praedicationem.

Pag. 23, lin. 29. Legendum puto: « de habitudine Scripturas inter *et S. Traditionem* et Ecclesiam ». *Ratio*: differentia est etiam circa S. Traditionem.

Pag. 23, lin. 32. Dicerem: « scripto *interpretando* et praedicando ». Nam expositio includitur in praedicatione, sed interpretatio est alia res.

Pag. 24, lin. 9. Post verba « in salutis institutum » adderem, claritatis gratia, « *catholicam nempe Christi Ecclesiam* ».

Pag. 24, lin. 12. Adverbium « praesertim » mihi videtur auferendum: nam fratrum Protestantium Eucharistia non est vera *unice* ob defectum Sacerdotii.

Pag. 24, lin. 13. Loco « plenam realitatem Eucharistiae non servaverint » dicatur: « veram realitatem Eucharistiae etc. », aut simpliciter « realitate Eucharistiae etc. ». *Ratio*: Non datur realitas « minus plena ». Ubi deest vera realis et substantialis praesentia Eucharistica, nihil realitatis manet.

Pag. 25, lin. 8. Legatur « Corpus suum *mysticum* », claritatis causa.

Appendix « de libertate religiosa ».

N. 26. Non satis clare distinguitur notio libertatis conscientiae a notione libertatis religiosae. Item inter ius subiectivum ad libertatem religiosam et ius obiectivum: quod ius obiectivum unice competit verae religioni, aiente Pio XII: « Ciò che non corrisponde alla verità e alla norma morale non ha oggettivamente alcun diritto, né all'esistenza né alla propaganda né all'azione... il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno essere giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto » (Alloc. 6 dic. 1953).

Totus n. 26 et reliqui affirmant, et recte quidem, iura subiectiva personae sed fere nihil habent de iuribus obiectivis Veritatis et Ecclesiae Christi.

Pag. 29, lin. 7. Auferantur verba « secundum dictamen conscientiae », quia haec limitatio respicit casus — qui semper supponendi sunt accidentales — conscientiae invincibiliter erroneae. At libertas religiosa definienda est ex hoc quod est *per se.* Saltem dicatur cum Ioanne XXIII « ad *rectam* suae conscientiae *normam* ».

Pag. 29, lin. 9. Addatur: « *maxime* in re religiosa sequantur ». Nam voluntas Creatoris sequenda est etiam in aliis rebus.

Pag. 29, lin. 10. Claritatis causa addatur « in societate *exercendum* ».

Pag. 29, lin. 14. Legitur « vocationi divinae »: at estne vocatio divina in religionibus falsis?

Pag. 29, lin. 18. Addatur: « erga Summum Numen *et erga societatem religiosam cui adhaeret* ». *Ratio*: secus quis posset invocare libertatem religiosam etiam erga auctoritatem societatis religiosae in qua vivit, et sic actum esset de ipsa societate religiosa!

N. 27. Officia Ecclesiae describuntur; at siletur de iure proprio ac nativo, quod habet Ecclesia, tamquam a Deo instituta et omnis veritatis religiosae praedita, fruendi plena libertate religiosa erga omnes. Concilium non potest silere de hac re.

N. 28. Pag. 30, lin. 12. Legatur: « veritatem annuntiandi, *propagandi* et defendendi ».

Pag. 30, linn. 17-20. Sunt verba nimis obscura. Quid v. g. significat « respiciendum enim est »?

Pag. 30, lin. 24. Quid sibi vult illud « sine animi reprehensione »? Clarius dicatur.

N. 29. Pag. 30, lin. 35. Dicerem: « non tantum *a Catholicis et pro Catholicis,* sed... ». *Ratio*: Ecclesia in Concilio, primo ac per se, curam agit de catholicis.

Pag. 31, lin. 5. Loco « ius erga eos », nonne rectius diceretur: « *officium* erga eos »?

Pag. 31, linn. 16-20. Principium hic statutum, ita absolute dictum, non potest sustineri. Numquid non possit immo non debeat impediri conscientia erronea agens contra legem naturalem? vel contra iura tertii? aut se subducens ab observantia iustarum legum auctoritatis civilis et auctoritatis religiosae?

Ne ergo principium illud perperam intelligatur, statim coniungendum est cum pericope lin. 29, dicendo: « Exercitium *tamen* iurium in re religiosa etc. ».

Pericopes pag. 31, linn. 21-28, cum pertineat ad descriptionem libertatis religiosae, non hic, sed in n. 26 videretur collocanda.

Pag. 31, lin. 10. Loco « ut se libere ei conformare valeat » dicatur: « ut se

iuxta veritatem ei conformare valeat ». Non agitur enim hic de libertate actus sed potius de rectitudine eiusdem.

N. 30. In hoc numero Ecclesia catholica sese ponit eodem plano cum ceteris religionibus, aut communitatibus christianis. Hoc non est iustum: etiamsi libertatem religiosam pro omnibus recognoscendam edicat, tamen Ecclesia catholica non potest eam non sibi vindicare *alio titulo* quam ceterae. Id clare dicendum est, quia exinde consequitur diversus titulus relationum Status erga religionem veram et ceteras religiones.

Pag. 32, linn. 16-17. Quae ibi dicuntur non valent de Ecclesia catholica, quae non constituitur libera personarum voluntate, imperante conscientia, sed voluntate Dei.

Pag. 23, lin. 19. Claritatis causa dicatur: « Ipsis igitur *religiosis coetibus* ».

Pag. 32, lin. 34. Sic legatur: « ad religionem ipsam delendam *vel impediendam* ».

Pag. 32, lin. 39. Sic legatur: « vitata tamen *omni* proselytismi *forma,* quae mediis impropriis et inhonestis utatur ». Ex textu videretur omnem proselytismum esse per se inhonestum: quod minime est verum!

N. 31. Deest in hoc numero quaelibet, vel brevissima, recordatio gravissimarum offensarum quas hodie in pluribus mundi nationibus patitur libertas religiosa in genere, et libertas religiosa Ecclesiae catholicae in specie. Quare de hac dolorosa realitate Concilium silere deberet?

Pag. 33, lin. 12, legatur: « personae humanae et Ecclesiae *catholicae.*

[*Cf. etiam pag. 878*].

7

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Schema in genere maxime placet. Circa minuta, quaedam videntur notanda.

Pag. 5, *prooemium,* lin. 27. « Divinae » deleatur: vocatio enim de qua agitur in christiana vocatione inscribitur sed a variis historicis contingentibus circumstantiis divisionis pendet.

Pag. 6, lin. 19. Loco « credentes » ponatur « fideles » vel « iustos » cum Spiritus Sanctus omnibus qui in statu gratiae sunt inhabitet.

Pag. 7, lin. 27. « Iustificati per fidem in baptismate »... formula, in se iusta cum pauliniano sapore, periculum quoddam inducit Protestantium erroris. Florentini concilii textus (DENZ. 696) allusus hanc non habet formulam.

Pag. 15, lin. 29. Loco « pro Ecclesiae unitate » dicatur: pro christianorum unitate.

Pag. 17, n. 12. Optimismo plus aequo favet textus cum collaborationi permulta concreta sint obvia obstacula. Et christiana doctrina moralis hic et illic non eodem modo, sicut in n. 23 exponitur, intelligitur.

Pag. 23, lin. 21. « Evangelium »... in textu D. Pauli evangelium praedicatum intenditur.

Linn. 23-32 denuo scribantur. Textus approbare videtur Reformatorum doctrinam iuxta quam a credente quolibet lumen recipi quod idem ac assistentia quam nos magisterio donatam credimus. Aliud ac « peculiaris locus » (lin. 31)

hic intenditur: charisma enim assistentiae magisterio tributum non eiusdem ordinis est ac particulares gratiae concessae fidelibus.

Pag. 24, lin. 4. Emittatur votum ut protestanticae « communiones » *semper* vigilent ad baptismum ita conferendum ut *nunquam* de eiusdem validitate a catholico non dubitetur.

Lin. 13. Non tantum deest « plena realitas » cum a plerisque veri *sacrificii* natura in Coena negetur.

Lin. 20. « Verbo Dei » num minutiori littera scribendum cum de inspirato verbo solum agatur, non de Secunda SS. Trinitatis Persona?

Pag. 24, lin. 33. « Nihilominus nos... ». Formula non optima cum « sinceritatis » criterium adhibere videatur.

« Ut nos »... Utrum de Ecclesia an de catholicorum coetu agatur?

8

Exc.mus P. D. ALOISIUS FAVERI

Episcopus Tiburtinus

Non ho, per grazia di Dio, a presentare alcuna osservazione alle varie e variissime *emendationes!* Chiedo soltanto: Il nostro popolo, che difficilmente capirà cosa sta facendo questo Concilio, vorrebbe però capire di che si tratta quando si parla di « Fratelli separati ». Chi sono? Come la pensano diversamente da noi cattolici apostolici romani?

Io mi permisi chiedere alla Sacra Congregazione del Concilio che con l'ausilio della Congregazione della Chiesa Orientale, avesse approntato un libriccino di pochi baiocchi e popolarissimo per dire chi sono e che cosa credono e che cosa li tengono da noi separati. Una paginetta o due appena per ogni chiesa ortodossa o eterodossa, una paginetta o due sulle diverse chiese protestanti (magari le principali), ed ecco che opportunamente i Vescovi potranno ordinare ai loro parroci delle lezioni speciali sull'argomento.

Io penso che *pochi* parroci (e *non tutti* i Vescovi) e *nessun* fedele cristiano sapranno bene quanto affanna il Sacrosanto Concilio Ecumenico Vaticano II per raggiungere il tanto decantato ed implorato « Perché si faccia un solo ovile sotto un solo Pastore », non conoscendo bene il contenuto dommatico, liturgico e rituale delle Chiese dissidenti, siano orientali che occidentali, ortodosse o protestanti. Un designato della Chiesa orientale (Congregazione) avrebbe tutti gli elementi pronti. Ho sbagliato? Ho dato fastidio? Chiedo scusa.

9

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

1. Ad pag. 7, lin. 17: verba: « ... quandoque non sine hominum utriusque partis culpa » valde ambigua sunt. Nam culpa theologica unice ad separatos refertur, dum de culpis historicis a Concilio melius esset abstineri. Ideoque ista verba sunt expungenda.

2. Ad pag. 7, lin. 19: « ... de separationis peccato argui nequeunt... ». Ista verba sonant tamquam quaedam regula generalis. Sed potest etiam hodie dari apud quosdam separatos culpa theologica schismatis vel haeresis. Ideo etiam ista verba expungenda esse puto.

3. Ad pag. 8, lin. 12: « Uni nempe Collegio apostolico cui Petrus praeest credimus Dominum commisisse omnia bona Foederis Novi... ».

Haec propositio falsa esse videtur etiam secundum propositiones factas a Commissione doctrinali in schemate *de Ecclesia.*

De collegialitate episcoporum utique disserendum est in hoc schemate, quia habet magnum valorem oecumenicum. Sed de hac re deberemus loqui sicut schema loquitur de SS. Eucharistia disputans cum protestantibus in pag. 24, lin. 11 ad 18, scil. debemus explicare fidelibus nostris Papam esse Vicarium Christi in terra et habere plenam et supremam potestatem supra omnem ecclesiam sed existere quoque collegium episcoporum quod succederat collegio apostolorum cui collegio quoque Christus supremam commiserat potestatem supra omnem ecclesiam sed *dependenter* a Petro eiusque successoribus et in fine addendum est hanc doctrinam de collegialitate obiectum dialogi constituere debere, praesertim cum orthodoxis, qui collegialitatem episcoporum plene servaverunt.

Ergo dandae sunt regulae de modo loquendi de collegialitate et suprema potestate in ecclesia, sed non debemus in errorem inducere et nostros fideles et ipsos separatos fratres qui scire volunt quid nos revera de collegialitate episcoporum sentiamus. In praxi revera cum orthodoxis semper procedendum est a collegialitate episcoporum et non a primatu Pontificis, et tunc explicandum est quomodo collegialitas episcoporum sine suo Capite impossibilis evadat et tunc aliquo modo, psychologice adaptato, loquendum est etiam de Papa. Sed in textu enuntiari videntur veritates ipsae et non modus proponendi ipsas. Attamen oecumenismus nihil aliud esse videtur nisi viae ac modi quibus christiani possint desiderio unitatis respondere (cf. pag. 1, lin. 25 ad finem).

4. Ad pag. 21, linn. 31-35: ista propositio valde ambigua esse videtur unde proposuerim hanc formulationem: « Unde mirum non est quosdam aspectus mysterii revelati quandoque congruenter percipi et in pulchram lucem poni etiam a fratribus seiunctis ita ut quaedam eorum theologicae formulae nostris non opponuntur immo eas aliquomodo complent ».

5. Ad pag. 24, lin. 13, propono, ut expungatur verbum: « plenam... », nam videntur protestantes sat magnam realitatem eucharistiae servare, dum revera tantummodo umbram quamdam eius servant.

De libertate religiosa. In multis hoc capitulum correctum est, certe secundum observationes Patrum. Nunc magis elucet libertas etiam aliarum ideologiarum non christianarum, immo aliquomodo ideologiarum mere humanarum. Nunc limitatur libertas exercendi et propagandi religionem propriam, forsan etiam aliquam ideologiam atheistico-humanisticam duobus limitibus: *a*) contradictione gravi fini societatis; *b*) observantia iurium inalienabilium a Deo hominibus in communi tributorum.

Proinde revera etiam quaedam ideologia, ut dixi, atheistico-humanistica istas conditiones explere forsan possit et libertate frui etiam in statu aliquo catholico.

Sed pro mea humili parte adhuc remanent duae fundamentales difficultates pro acceptanda thesi huius declarationis de libertate religiosa:

1. Nihil loquitur de iuribus ipsius Dei qui iura quoque sua propria habet et

mihi videtur quoddam minimum iurium Dei nos servare debere. E. g. si aliqua ideologia atheistico-humanistica, uti nuncupatur, *vi et metu* utitur in societate humana contra iura Dei, nescio quomodo possimus tali ideologiae libertatem propagandae agnoscere.

2. Quaeritur, et haec quaestio pro me est summi momenti, a qua auctoritate decidendum sit utrum aliqua religio vel ideologia *graviter fini societatis contradicat* et utrum ista religio *observet inalienabilia iura a Deo hominibus in communi tributo.*

Haec est quaestio practice decisiva. Si talem auctoritatem Ecclesia catholica sibimet vindicat quid eveniet ibi ubi alii e. g. status illam ecclesiae negat?

E. g. secundum doctrinam marxisticam omnis religio, praesertim catholica, revera graviter contradicit fini societatis (per illam triplicem alienationem marxisticam!) et iura personae humanae graviter laedit!

Quid ergo in tali situatione nos facere debemus? Nam marxistae nobis certo ius, auctoritatem iudicandi de utilitate vel nocivitate alicuius ideologiae non agnoscent. Praeterea hodierni marxistae aliquam tolerantiam erga homines religioni deditos ostendere volunt et quandam libertatem religiosam, etsi valde limitatam, concedunt.

Si vero, ut ulterius procedamus, musulmani in Sudan putant christianismum fini societatis graviter contradicere etc., quomodo possumus probare illos non habere rationes suas etiam, ex eorum modo res considerandi, rectas. Secundum eamdem logicam catholici prohibebant libertatem religiosam in variis terris atque diversis temporibus. Et talis prohibitio videtur omnino cohaerere cum declaratione nostra de libertate religiosa.

Ideo post longam meditationem non perspicio quomodo declaratio nostra probare possit id quod summa cum magnanimitate declarare intendit.

Propterea mihi videtur principium *tolerantiae religiosae* etiam hodie esse et largius et magis adaptatum conditioni temporis nostri. Nos ergo declarare possumus omnem religionem et ideologiam in societate humana, praeter illas quae utuntur vi et metu et in quantum utuntur, libertate frui debere.

Quod pertinet autem ad illas duas limitationes libertatis religiosae in nostro textu adductas, censeo illas de facto non salvare libertatem religiosam iuxta intentum ipsius declarationis. Nam pro omnibus nequaquam valere possunt ob magnas gravesque necnon contradictorias differentias existentes apud diversas religiones et ideologias in conceptione de essentiali fine societatis et de inalienabilibus iuribus humanae personae a Deo vel a natura homini tributis.

Adderem etiam hoc, quod declaratio mihi videtur laborare quodam nimio personalismo. Singulae personae humanae tribui videtur maior dignitas et valor quam ipsi societati humanae constanti pluribus quidem personis humanis. Puto hoc esse adhuc influxum revolutionis Gallicae, quae iura personae nimis inculcavit prae iuribus ipsius societatis constantis pluribus personis, atque nimiam reactionem contra collectivismum marxisticum.

Concedimus tamen ope huius doctrinae de dignitate personae humanae nos multum facere posse in colloquio cum marxistis, scil. in quantum ipsis possumus ostendere doctrinam nostram posse salvare et libertatem et dignitatem personae humanae. Attamen confiteri debemus ope istius doctrinae non omnes quaestiones solvi posse in colloquio cum marxistis. Marxistae enim statim nobis obiicient nostrum personalismum esse nimis individualisticum, capitalisticum etc. Proinde mihi

videtur in colloquio cum marxistis nobis maximi esse ut ostendatur eis nos doctrinam possidere qua optime salvari potest et personae humanae dignitas et ipsum bonum commune societatis, scil. ope splendidae doctrinae de Corpore Christi mystico. Ex qua vero doctrina deberemus eruere etiam nostra principia de *tolerantia religiosa* erga omnes alias religiones seu ideologias. Humiliter puto nostram tolerantiam nihil aliud esse nisi caritatem Corporis mystici erga omnes homines quos caritate salvare vult et libenter in caritate et patienter cum omnibus, etiam errantibus, pacifice convivere volens.

Non perspicio quomodo extra limites caritatis Corporis Christi mystici agnoscere possimus doctrinae erroneae eadem iura naturalia ac doctrinae verae. Errantibus possumus agnoscere eadem iura ac illis qui non errant, sed tantummodo ex caritate quae omnes errantes amat tolerando at eorum errores amat condemnando.

Haec est doctrina traditionalis Ecclesiae et omnino sufficiens, immo largior pro hominibus quoque nostrae aetatis quam doctrina, ex mea humili opinione, quae in nostro textu exponitur.

10

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ

Magister generalis O. P.

In cap. I. Schema, universe loquendo, dignum est eximia laude, quippe quod latam viam aperiat unitati redintegrandae eorum omnium, qui Christum unicum Servatorem credunt et invocant. Desiderio ductus expeditiorem faciendi assecutionem finis, cui schema subservit, aliquas propono emandationes respicientes caput primum. Caput hoc indiget emendationibus, tum ratione intrinseca doctrinae, tum praeterea ut aptetur schemati *de Ecclesia,* a quo in pluribus recedit, ut ostendetur.

1. *Emendationes in n. 2. a*) In pag. 6, lin. 26, pro vocabulo *stabiliendam* adhibendum est *dilatandam,* aliudve simile (cf. schema *de Ecclesia,* cap. I, n. 8, pag. 15, lin. 16; cap. II, n. 9, pag. 30, lin. 1, et alibi pluries in eodem schemate).

b) Ea quae dicuntur de successoribus apostolorum coniunctim (pag. 6, linn. 33-34 et pag. 7, linn. 1-4), disiungenda sunt, ita ut singillatim describatur munus pontificatus supremi et episcopatus subordinati.

Schema videtur vitare distinctionem utriusque gradus hierarchiae, a Christo institutae, intentione placendi orientalibus seiunctis, in quibus praevalet « cura servandi fraternas illas in fidei caritatisque communione necessitudines, quae inter Ecclesias locales, ut inter sorores, vigere debent » (cap. III, n. 14, pag. 19, linn. 27-30).

Fatemur plane conatus accedendi ad fratres seiunctos laudari oportere. Attamen via electa deerrat a recto.

Si propter votum placendi orientalibus seiunctis nominatur tantum unicus hierarchiae gradus, loquendo universe de successione apostolica, alii, pari iure, possent postulare ut omittatur quidquid ad hanc rem pertinet, cum Ecclesiae multae, a sic dicta Reformatione originem habentes, episcopatum reiiciant atque apostolicam successionem. Dici ergo non potest recensionem, quae nunc legitur, retinendam esse propter rationes oecumenicas.

In schemate agitur speciatim de munere Petri (pag. 6, linn. 27-33). Deinde a persona Petri fit transitus ad successores Apostolorum universe, nullo facto discrimine inter eosdem successores. Tunc ergo quaeritur: Petrus habet succes-

sores, ut est primus apostolorum, vel solum ut est apostolus communiter cum ceteris? En gravis quaestio, cuius solutionem fratres seiuncti iure postulare possent a documento eos directo respiciente.

Numerus inscribitur *De Ecclesiae unitate et unicitate*; et sub eius finem legitur insuper: *hoc est unitatis Ecclesiae sacrum mysterium* (pag. 7, lin. 8). Schema ergo intendit unitatem Ecclesiae explanare, prout est, non prout huic illive placeat. Et id est maxime laudandum in re tam gravi. Sed explanatio est obiective incompleta, quia noverunt omnes mysterium unitatis Ecclesiae minime explicari posse, prout *est,* abstrahendo a Pontificatu supremo, quem ideo instituit Christus « ut episcopatus ipse *unus atque indivisus* esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fide et communionis unitate conservaretur » (Concilium Vat. I: DENZ. 3051; cf. item 3060).

Si ergo in numero promittitur Ecclesiae catholicae universae et fratribus seiunctis mysterium unitatis Ecclesiae describere, prout *est,* oportet promissis stare. Promissi huius redditionem minime obstare unitati redintegrandae edixit novissime Paulus VI, cuius verba confirmant insuper omnia, quae hucusque sunt dicta. « Dolor haeret animo Nostro, quod multi fratres ab Apostolicae Sedis communione seiuncti opinantur, Nos ipsos, qui reconciliationi favemus, huic esse impedimento propter primatum honoris et iurisdictionis, quem Christus Petro Apostolo tribuit et Nos per successionem ab eo accepimus. Nonne sunt qui dicunt, ablato Romani Pontificis primatu, Ecclesias seiunctas posse cum Ecclesia catholica in unum corpus facilius coniungi? Obsecramus igitur fratres a Nostra communione segregatos, ut considerent quomodo eiusmodi opinatio vero careat fundamento, non solum propterea quod sine Pontifice Maximo religio catholica non esset talis, sed etiam quod, si in Christi Ecclesia Petri munus pastorale summum, efficax, decretorium deesset, unitas dissolveretur. Hanc enim in cassum aliquis conaretur restituere, rationes secutus, quae pro vera norma a Christo tradita essent substitutae » (*Ecclesiam suam,* III p. sub finem. *L'Osservatore Romano,* 10-11 augusti, pag. 5, col. 2).

2. *Emendationes in n. 3. a*) Verba *quandoque non sine hominum utriusque partis culpa* (pag. 7, lin. 17) revidenda sunt. Aequum est agnoscere et palam deplorare culpas catholicorum in scissionibus et secessionibus ab unitate. Verba tamen, prout iacent, non satis habent rationem omnium, quae ad rem pertinent. Mens schematis videtur esse ut de culpis non fiat sermo, nisi cum eaedem communes sunt seiunctis ab unitate et manentibus in ea. Aliunde dicitur communionem illam in culpa evenisse tantum *quandoque,* et hoc vocabulum *quandoque* respicit promiscue et ex aequo homines *utriusque partis.*

Tunc ergo quaeritur: seiunctio ipsa est peccatum e propria natura, aut solum cum catholici, culpis suis, eidem praebuerunt occasionem? Non deerit qui — utique contra mentem schematis — alteram interrogationis partem eligat, eo innixus quod schema culpam non videt, nisi cum eadem communis est omnibus. Id vero quantum dissideat a genuina Patrum doctrina non est necesse verbis efferre.

Speciminis causa sequentem propono recensionem: *Sancti Patres seiunctiones quaslibet vehementer deplorarunt nosque cum eis deploramus similiter. Attamen eorumdem Patrum nostrorum monita venerantes fatemur atque dolemus calamitates illas contigisse quandoque non sine hominum catholicorum culpa*; quae tamen etiamsi fuisset multo gravior, non excusat recedentes ab unitate.

b) In eadem pag. 7, lin. 19, vocabulum *fraterna* mutandum est in *materna*. Vocabulum electum fuit indubie propter ea quae dicuntur paulo post, lin. 29 atque cap. 3, n. 14, pag. 19, linn. 27-30. Allegatur insuper Ioannes XXIII in nota 18 capitis primi (pag. 11).

His non obstantibus, postulo enuntiatam mutationem propter sequentes rationes. Primo, inconsuetum est in universa traditione Ecclesiam uti talem appellare *sororem* alicuius communitatis localis; vocatur semper *Mater*: Mater Ecclesia. Ioannes XXIII non loquitur de Ecclesia uti tali, sed de fidelibus aut de ipso Romano Pontifice, qui utique seiunctos omnes appellant *fratres*. Orientalibus utique placet consideratio *fraternitatis* inter Ecclesias singulas et propterea congruum est ut, cum agitur *de exercitio oecumenismi,* omnes catholici id prae mente habeant. Sed caput primum est *de principiis,* quibus attentis, unitas efficietur, quam Christus vult. In unitate autem illa Ecclesia est Mater, minime soror, communitatum localium. Mutatio demum est necessaria, ut hic locus aptetur schemati *de Ecclesia,* ubi, loquendo de habitudine inter Ecclesiam et fratres seiunctos, eadem Ecclesia appellatur Mater (cf. schema *de Ecclesia,* cap. II, n. 15, pag. 37, lin. 14).

c) In pag. 7, lin. 32, verba *extra visibilia Ecclesiae catholicae saepta* mutanda sunt in haec alia *extra Ecclesiam catholicam.*

Mutatio est necessaria, primo, ad concordandum hunc locum cum schemate *de Ecclesia,* cap. I, n. 8, pag. 15, linn. 22-26 (maxime si intelligatur sub lumine *Relationis* de eodem numero, pag. 25); item cum cap. II, n. 15, pagg. 36-37.

Huic necessitati concordanti textus adduntur aliae rationes. Dicendo fratres seiunctos inveniri extra Ecclesiam *visibilem,* praesupponitur aut saltem insinuatur valide eos pertinere ad Ecclesiam *invisibilem,* i. e., ad eam Ecclesiam quae invisibiliter *a Christo proveniat et ad ipsum conducat* (pag. 7, linn. 34-35). Et ita Concilium incongrue assumeret atque suo usu comprobaret distinctionem, quam ecclesiologi merito dereliquerunt omnesque improbant, scil. inter *corpus* et *animam* Ecclesiae ut inter res non aeque extensas. Nam illa Ecclesia *visibilis* nihil aliud esse potest nisi quod antea appellabatur *corpus*; atque Ecclesia *invisibilis* idem est re cum *anima.* Concilium proinde non inveheret progressionem, sed regressionem in Ecclesiologiam.

Textus, prout iacet, non est sibi cohaerens. Postquam dictum est seiunctos fratres esse extra saepta *visibilia,* recensentur ea, quae habent cum Ecclesia catholica communia, uti sunt: verbum Dei *scriptum* (lin. 32), atque elementa *visibilia* plura (lin. 34), quorum praecipuum est baptismus, ut patet ex universo schemate. Patet igitur non posse dici simpliciter quod fratres seiuncti sunt *extra visibilia Ecclesiae catholicae saepta.* Nullus homo, habens bonum aliquod supernaturale, potest censeri totaliter disiunctus ab elementis visibilibus Ecclesiae, siquidem illud bonum non habet nisi in ordine ad eadem visibilia elementa. Aliis verbis: Ecclesia, prout est, scil. visibilis et invisibilis, gaudet universali mediatione in deferendis animabus quibuslibet redemptionis fructibus, ut optime declaratur in schemate, pag. 8, linn. 4-5 et linn. 10-14, quibus concordandus est locus de quo nunc agimus.

Cum autem dicitur seiunctos fratres esse *extra Ecclesiam catholicam,* nulla fit distinctio systematica, sed tantum asseritur cum schemate Ecclesiam aedificari multis elementis visibilibus et invisibilibus *simul sumptis* (pag. 7, lin. 30), quae tamen omnia *non inveniuntur simul sumpta* in fratribus seiunctis (pag. 8, linn. 6-15).

Distinctio illa inter Ecclesiam visibilem et invisibilem, quippe quae difficultates plures videatur solvere, si res in superficie tantum spectentur, fuit, est eritque semper gravis « tentatio » in ecclesiologia. Theologus tamen, maxime Concilium, debet semper prae oculis habere synthesim plenam mysterii, qua evanescunt sic dictae « antinomiae » ecclesiologicae. Synthesis proponitur optime in schemate *de Ecclesia,* cap. I, n. 8, pag. 14, linn. 33 ad pag. 15, lin. 10 (vide insuper *Relationem* de eodem numero, pag. 23 *a* et *b*). De hac eadem re agit etiam Paulus VI in *Ecclesiam suam*: sub finem primae partis (*L'Osservatore Romano,* 10-11 augusti 1964, pag. 2, col. 6).

d) Eisdem rationibus allegatis sub *c*) necesse est emendare verba scripta in pag. 7, linn. 39-40: *Aptae dicendae...,* ita ut pro vocabulo *ingressum* scribatur *accessum.*

Communio enim salutis a Christo instituta non est nisi Ecclesia catholica, in quam quis ingreditur, cum media salutis accipit prout in ea plene servantur. Media quae ministrantur in communitatibus seiunctis et prout ibi ministrantur, *non pandunt ingressum in salutis communionem* (lin. 40), quia ingressus ille ab ingressu in Ecclesiam disiungi nequit; pandunt *accessum,* vi cuius participes fiunt bonorum salutis propter *plenitudinem gratiae et veritatis quae Ecclesiae concredita est* (pag. 8, linn. 4-5). Efficientia mediorum salutis, quibus utuntur fratres seiuncti, connectenda est semper cum Ecclesia, quia, resecta connexione illa, media eiusmodi ipso facto evanescunt. Oportet ergo vitare verba quaelibet, unde fundamentum sumi posset cogitandi quamdam esse communionem salutis *invisibilem,* cui conserentur incorporati fratres seiuncti, distinctam a communione *visibili,* Ecclesiae catholicae propria.

3. *Emendationes in n. 4. a*) Verba *conatus fiant accedendi ad illam plenitudinem unitatis* mutanda erunt in haec alia: conatus fiant *instaurandi inter omnes qui nomine christiano decorantur* illam plenitudinem unitatis... (pag. 8, linn. 21-22). Verba enim quae praecedunt nullum praeferunt indicium, quo intelligenda sint tantum de fratribus seiunctis: dicitur tantum res illas evenire *in pluribus orbis partibus.* Aliunde unitas quam Christus vult, est iam plene et perfecte in Ecclesia catholica (cf. n. 3, pag. 8, linn. 6-15). Et si iam est, non oportet ad illam accedere aut instaurare in ipsa Ecclesia; sed sufficit instaurare illam inter Ecclesiam et ceteras communitates christianas, nam hae communitates venient ut incorporentur unitati *Ecclesiae* (pag. 9, linn. 8-11).

b) Oporteret demum delere vocabulum *ecclesiasticam* (pag. 9, linn. 6-7), ne quis sumat illud pro sola communione *visibili*: et sic fiat reditus ad ea quae pluries improbata sunt.

11

Exc.mus P. D. EDUARDUS HOWARD

Archiepiscopus Portlandensis in Oregon

De Oecumenismo, cap. III, n. 19: « *Ecclesiae et Communitates ecclesiales* ». Mi sembra che sarebbe opportuno di cambiare *Communitates ecclesiales* in *ecclesiae* con *e* minuscola, per le seguenti ragioni:

1. Il titolo " World Council of Churches " è generalmente accettato anche, se non sbaglio, dalla Santa Sede.

2. Nei nostri giornali, ogni sabato, appare una lista di " Church services tomorrow ".

3. Nelle bacheche dei nostri alberghi, per l'informazione degli ospiti, c'è sempre una lista di " Church services in this city ".

4. Avendo parlato con diversi « Osservatori » al Concilio, sono persuaso che l'uso della parola " churches " sarebbe loro assai gradito.

12

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JAEGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Totum schema valde laudandum est et forsitan minoribus quibusdam additamentis augeri potest, et quidem:

N. 8, pag. 15, lin. 36. In quadam nota vel in quodam appendice huius capitis indicationes assumi possent, quae de communicatione in sacris habentur in capite XI prioris schematis *de Ecclesia* a commissione theologica praeparatoria elaborati. *Ratio*: quamvis iam optimae regulae exhibentur in n. 15 (pag. 20, linn. 36-40) huius schematis *de Oecumenismo,* tamen in praefato cap. XI prioris schematis *de Ecclesia* inveniuntur aliquae indicationes bonae et aptae, quae non in oblivionem cadere debent.

N. 15, pag. 21, lin. 8. Hoc in contextu adiungi potest: « Omnia enim illa spiritualia dona sub nomine rituum orientalium intelliguntur, qui ritus non solummodo sacras liturgias et disciplinares consuetudines, sed omnes harum Ecclesiarum proprias traditiones complectuntur ». *Ratio*: certe iam in textu ut iacet hoc implicite asseritur, attamen idem etiam expressis verbis potest declarari, ut illa opinio falsa penitus reiiciatur, quae sub nomine ritus solummodo liturgicas rubricas et quasdam exteriores formas intelligere videtur.

N. 22, pag. 23, lin. 37. Ad verbum « rite confertur » nota quaedam possit adiungi inter huius capitis notas, qua v. g. dicatur: « Constans et perpetua est Ecclesiae catholicae traditio baptismum, qui etiam a non catholicis datur per aquae ablutionem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, verum esse baptismum. Multis autem catholicis cordi est, ut fratres a nobis separati sedulo attendant ad baptismum tali modo conferendum, ut dubitationes circa validitatem omnino non possint oriri ». *Ratio*: a pluribus Concilii Patribus iam postulabatur quaedam admonitio ad protestantes, ut animos suos ad hoc advertant, ut ritum baptismalem tali modo adhibeant, ne ullae anxietates vel dubitationes de validitate oriantur. Revera controversiae de baptismate conditionato in casu dubii de validitate collato saepe moventur et haud raro contentionibus ansam dederunt. Attamen cum hoc schema *de Oecumenismo* ad solos catholicos loquatur, non potest talem adhortationem dirigere ad protestantes. Ideo melius videtur, si aliquid simpliciter de catholicorum in hac materia sincero desiderio dicatur, non quidem in ipso textu, sed tantummodo in notula.

N. 30, pag. 32, lin. 18. Adiungi potest nota quaedam, qua brevis haec allusio ad naturam socialem hominis magis evolvitur, et quidem: *a*) ipsa persona hominis iam complectitur relationes ad alias personas; *b*) ipsa religio essentialiter est socialis, nam in ordine ad Deum subintelligitur etiam ordo ad alios Dei adoratores, immo ad omnem creaturam uti a Deo creatam, conservatam et amatam. *Ratio*: cum haec doctrina in textu brevissime solummodo indicetur, aliquid magis explicite dicatur, et quidem potius in nota, ne textus ipse nimis longus fiat.

13

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S. I.

Pag. 15, lin. 33. Nimium videtur dicere « Significatio unitatis *plerumque* vetat communicationem ». Hoc secundum traditionem moralistarum Latinorum dicitur; dubito num qui degunt in regionibus mixti ritus id dixerint. Suggesserim: Significatio unitatis *nonnumquam* vetat communicationem. Gratia procuranda quandoque illam commendat ».

Pag. 21, n. 16, linn. 23-26. « *Perfecta* huius traditionalis principii observantia... tamquam praevia conditio *omnino* requiritur ». Nimium videtur.

Pag. 29, n. 25. Omittendum videtur; est monitum ad Patres Concilii, non pars decreti conciliaris.

Pag. 32, linn. 39-40. Omiserim verba « quippe qui ». Videntur enim dicere quemlibet proselytismum uti talibus mediis; vox autem « proselytismus » etiam sensu « zeli convertendi » usurpatur. Si dicitur « proselytismum qui mediis impropriis... utatur », eo ipso excluditur tantum malus proselytismus.

14

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Réflexions sur le schéma de Oecumenismo.

1. Je ne peux que louer ce nouveau Schema « de Oecumenismo » pour la profondeur de ses perspectives, la précision de sa formulation théologique, le courage humblement chrétien des positions catholiques qu'il adopte.

2. S'il reconnaît, dans l'histoire, les fautes des catholiques, il le reconnaît avec franchise et humilité, sans pour autant adopter vis-à-vis des Eglises et des Communautés ecclésiales séparées la même franchise et le même courage. Il me semble uniformément positif et élogieux à leur égard. S'il est nécessaire de se connaître, il est non moins nécessaire de connaître les autres tels qu'ils sont, objectivement, en faisant au moins allusion, avec discrétion, à leurs propres fautes.

3. Les dénominations données aux Frères séparés, dans la distinction voulue des Orientaux et des Protestants, me semblent valoir: Eglises et Communautés ecclésiales ou Communions.

4. Le *Prooemium* est assez ferme et indique la volonté décidée de l'Eglise de s'engager dans ce travail œcuménique qui est suscité par Dieu à notre époque.

Chapitre I.

5. Je suis pour le nouveau titre du chapitre premier: « de catholicis oecumenismi principiis ». Il n'y a, en effet, qu'un seul et unique œcuménisme. Il s'agit simplement du point de vue catholique sur ce grand mouvement de rencontre de frères séparés au sein de la véritable Eglise du Christ. Les catholiques y coopéreront, fidèles à leurs principes.

6. Je suis aussi pour les transformations qu'a subies l'ancien numéro 1 devenu n. 2: « de Ecclesiae unitate et unicitate », surtout pour ce qui a été ajouté sur le rôle du Saint Esprit, principe de son unité et de l'activité des ministères en Elle.

7. Il était nécessaire de distinguer, dans l'ancien n. 2 devenu n. 3, entre les schismatiques « matériels » et les schismatiques « formels ».

En insistant sur les liens qu'ont avec l'Eglise nos Frères séparés, il ne faut pas manquer de leur dire combien le schisme et l'éloignement de l'unique vraie Eglise du Christ sont dommageables pour eux. Pour cela, il faudrait, me semble-t-il, affirmer avec force l'union du Collège avec Pierre pour Chef, cette union qui caractérise la véritable Eglise de Jésus-Christ.

8. L'Œcuménisme, qui n'avait pas trouvé sa définition dans l'ancien Schema, la trouve ici dans le n. 4 (ancien n. 3 de Oecumenismo). C'est cette définition qui peut être la base d'une discussion où l'on s'entend sur l'objet de la rencontre. Par ailleurs, l'insistance sur la nécessité pour l'Eglise de se rénover toujours et de reconnaître le positif chez nos Frères séparés, qui est dévelopée dans ce même n. 4 ne peut qu'être pour l'avenir des discussions œcuméniques pleine de promesses.

Chapitre II.

9. Cette dernière idée est reprise dans le n. 6 (ancien n. 4: de Ecclesiae renovatione): Il s'agit, en effet, d'une rénovation dogmatique où les formules-expressions seraient une chose distincte du dépôt de la foi (Discours d'ouverture du Concile Vatican II, le 29 septembre 1962).

10. Il serait souhaitable d'unifier ce qui est dit de la « Communicatio in sacris » dans le Schema « de Ecclesiis Orientalibus » et dans le n. 8 (ancien n. 7: de oratione unanimi) de ce présent Schema.

Cette « Communicatio in sacris » ne peut qu'avoir de très bons effets. Il s'agit, en effet, d'une rencontre avec les Frères séparés dans la charité, en son signe efficace, l'Eucharistie.

11. Les nn. 9 (ancien n. 8: de fraterna mutua cognitione), 10 (ancien n. 9: de oecumenica institutione), 11 (ancien n. 10: de modo exprimendi et exponendi doctrinam fidei) insistent, sous une forme ou sous une autre, sur la charité mutuelle, la connaissance mutuelle, la recherche commune. Et cela ne peut qu'être bénéfique dans le travail œcuménique.

12. Tout en insistant sur cela, il faut être objectif et ne pas se laisser aller à un vague optimisme. Plus de nuances sur l'accord sur les principes chrétiens en matière d'ordre moral et social entre les chrétiens des différentes Eglises ou Communautés ecclésiales seraient les bienvenues.

Chapitre III.

13. Dès le début de ce chapitre on est avantageusement impressionné par l'insistance du Schema sur les Groupements et les Eglises en tant que telles, séparés de l'Eglise catholique. Ce ne sont pas seulement les individus qui sont considérés.

14. Le n. 15 me semble important. Il parle de nouveau de la « Communicatio in sacris » comme actualisation efficace du mouvement œcuménique et de la rencontre fraternelle. C'est, je crois, dans des agapes fraternelles eucharistiques que l'on peut se retrouver frères et vivre la même foi, plus que dans des

discussions, très utiles et nécessaires, par ailleurs. Mais ajoutons qu'aussi loin qu'on puisse aller dans l'expression authentique de la charité, il reste que la vérité gardera ses droits et que l'on doive en venir un jour à préciser les sujets de discussions.

15. Toujours à propos du n. 15: il eût été profitable à ceux qui ne connaissent pas les vénérables Eglises Orientales que du dehors, de définir *le rite,* qui, pour beaucoup, ne correspond qu'à des habits liturgiques différents, à des mélodies particulières, à des gestes spéciaux. Le rite, en pratique, est l'expression d'une âme, d'une psychologie, de besoins spirituels profonds, d'une mystique originale et vécue dans la charité communautaire.

16. Au n. 16, le Schema demande que les Eglises Orientales vivent selon leur propre discipline, « conforme au génie de leurs fidèles et appropriée au bien des âmes ». Il y a là un heureux progrès dans la conception du patrimoine propre des Eglises d'Orient sur les différents plans spirituels, liturgiques, disciplinaire et théologique. Cela sera dit au n. 17.

Sans cette reconnaissance du patrimoine oriental, un dialogue fraternel ne peut être établi (n. 18).

17. Le n. 20 fait bien d'insister sur les points de divergence qui nous séparent de nos frères séparés d'Occident: la façon de concevoir l'Incarnation, la Rédemption, le ministère ecclésiastique et la place de Marie dans l'œuvre du salut.

18. Le n. 21 aussi qui traite de l'étude de la Sainte Ecriture, tout en insistant sur la valeur de la *Sacra Pagina,* note les divergences qui existent entre les catholiques et les Frères séparés d'Occident et entre ces derniers eux-mêmes sur l'interprétation de l'Ecriture et sur son rapport avec l'Eglise. En cela, je pense que le Schema fait bien pour dégager la place du magistère et son intervention dans l'interprétation de l'Ecriture.

19. Le changement de titre: « *de sacramento baptismi* » en « *de vita sacramentali* » est le bienvenu. Il serait souhaitable, étant donnée la difficulté de distinguer dans quelles Communions protestantes le baptême est valide, que ces différentes Communions veillent à donner ce sacrement d'une manière qui ne soulève pas les doutes. Par ailleurs, l'on demanderait la même chose pour la doctrine dogmatique et morale du mariage. Enfin, le souhait du Schema qu'un dialogue soit établi avec les Eglises et Communions protestantes sur la Sainte Cène est du plus haut intérêt (n. 22).

20. Le Schema se termine sur une conclusion (n. 24) dans laquelle sont réaffirmés: *a*) le devoir des catholiques de participer au mouvement œcuménique, *b*) dans la fidélité à la tradition catholique.

Réflexions sur le Chapitre « De libertate religiosa ».

1. Le texte est amélioré. On en a supprimé tout ce qui faisait difficulté dans le précédent texte de 1963.

2. Le Schema, se mettant du côté de l'homme, affirme le droit qu'a la conscience de ne pas être contrainte par le pouvoir *social.* La société n'a aucun droit, par contre, de forcer la conscience et de l'obliger en matière religieuse. L'Eglise, en effet, a le devoir imprescriptible (et le droit) d'annoncer la Vérité qu'elle tient de Dieu, sans recourir, en aucune façon, à la contrainte, non plus.

Ici encore, la personne humaine est le centre autour duquel se développe

la pensée du Schema. C'est, me semble-t-il, un fondement plus universel que tout autre. Le bien commun, en effet, aurait pu servir aussi de fondement. Mais lui-même a besoin d'un appui ultérieur, la personne humaine elle-même. Par ailleurs, le bien commun peut, parfois servir de *prétexte* à limiter la liberté religieuse, comme cela s'est vu dans certains pays d'Europe et d'Afrique.

3. Il serait souhaitable, me semble-t-il, d'insister sur le caractère *essentiellement social* de la Religion, de toute religion (cf. Catholicisme du P. de Lubac et l'Eglise du P. Sertillanges).

4. Ce caractère social découle de la nature de la personne humaine: relation à d'autres personnes.

5. On a bien fait de ne plus insister sur le bien commun pour affirmer la limitation de l'exercice libre de la religion, mais la fin de la société. Celle-ci, en effet, est en rapport direct avec la personne humaine sur laquelle on s'est appuyé pour fonder la liberté de la conscience, et de la religion.

6. En guise de conclusion, le Schema aurait pu dénoncer tout nationalisme qui est, actuellement, la cause principale de toute atteinte portée à la liberté de la conscience.

7. On aurait pu insister aussi sur le sens de la responsabilité personnelle.

8. Il eût été souhaitable de rappeler que l'Etat, en tant que tel, n'a pas le droit de négliger, dans sa politique, les vérités religieuses.

9. Enfin, un dernier point qui me semble capital: le Schema s'adresse à des chrétiens. Pourquoi les auteurs de ce Schema n'ont pas, au moins dans la conclusion, dépassé le stade du droit naturel pour jeter la lumière de l'Evangile sur tout ce problème de la liberté religieuse? Le Christ est venu parfaire, non abroger.

15

Exc.mus P. D. PAULUS PHILIPPE

Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Novum schema, die 27 aprilis 1964 editum, mihi placet, equidem magis quam prius schema. Nonnullas tamen emendationes censeo adhuc desiderari, quas nunc propono.

N. 3, pag. 7, linn. 15-16: loco « ... et Communitates haud exiguae a plena communione Ecclesiae catholicae seiunctae sunt... » propono: « ... *ex quo factum est ut postea* (vel: *ita ut deinceps*) Communitates haud exiguae a plena communione Ecclesiae catholicae seiunctae *sint*... ». *Ratio*: textus videtur excludere quod *in ipso momento* scissurae existere possunt communitates, quae propter peccatum schismatis, non solum a plena communione, sed simpliciter a communione Ecclesiae seiunguntur, etsi *deinceps,* ob elementa patrimonii christiani servata et quia alia earum membra schisma non peregerunt, illae communitates in quadam communione cum Ecclesia constituantur.

Optime scribit D. C. Journet: « De telles Eglises *commencent toujours par se séparer* de l'Eglise du Christ. Elles emportent toujours avec elles une part, plus ou moins considérable, de ses trésors... Nous avons dit qu'une telle Eglise (i. e. tout hérétique ou schismatique) *est possible.* Et cependant, en raison et dans la mesure de ce qu'elle emporte avec elle des richesses de l'Eglise du Christ, et supérieurement encore, en raison des libres invitations de l'Esprit-Saint... *nous*

voyons qu'une telle Eglise tend à se modifier. C'est comme si le concept d'Eglise hérétique ou schismatique éclatait sous la pression intérieure des valeurs chrétiennes, pourtant altérées, qu'il renferme encore, afin de donner naissance à un concept nouveau et original... » (*L'Eglise du Verbe Incarné,* II, p. 719 et 722).

N. 4, pag. 9, linn. 30-31, loco: « ... de die in diem mundetur et renovetur, donec Christus eam sibi exhibeat gloriosam, non habentem maculam aut rugam », propono: « ... de die in diem *in suis membris* mundetur et renovetur, *cum Christus voluerit exhibere ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam* ». *Ratio*: 1. Non ipsa Ecclesia, sed eius membra mundari et renovari debent.

2. Textus interpretatur *Eph.* 5, 27 in sensu eschatologico, non de Ecclesia in terris. Sed utraque interpretatio invenitur apud Patres et Doctores et Theologos (cf. JOURNET, *L'Eglise du Verbe Incarné,* II, 1115 e suiv., Sur l'Eglise sans tache ni ride).

De hac re scribit P. Congar (*Sainte Eglise,* Paris 1963, p. 622): « On trouve, chez les Pères et au moyen-âge, *deux séries d'énoncés,* les uns parlant comme Mgr Journet, les autres parlant de l'Eglise comme n'étant pas encore sans tache ni ride ».

Quae cum ita sint, Decretum non deberet eligere unam sententiam potiusquam alteram.

N. 6, pag. 14, linn. 13-14, « qui ab ipso deposito fidei sedulo distingui debet ». Hoc quidem verum est, sed oportet etiam dicere doctrinam proponendam esse semper eodem sensu eademque sententia, uti docebat Ioannes Pp. XXIII in textu allato in nota 3. Propono: « qui, *etsi depositum fidei semper eodem sensu eademque sententia proponi oporteat, sedulo tamen ab ipso distinguendum est* ».

N. 20, pag. 23, lin. 17, « Desiderio tacti unionis cum Christo compelluntur... etiam ad testimonium fidei suae ubique apud gentes reddendum ». Mihi videtur repetendam esse emendationem, quam in prioribus animadversionibus in hoc loco petivi: inter bona quae Concilium apud Protestantes agnoscit, includi videtur activitas eorum missionaria, quae, etsi zelo mirabili peragatur, errores etiam propagat. Ideo peto ut supprimantur verba: « atque etiam ad testimonium fidei suae ubique apud gentes reddantur ».

N. 22, pag. 24, linn. 11-18. Textus ille est sedulo retractandus, praesertim quoad verba « plenam realitatem Eucharistiae non servaverint », quae quidem valde sunt ambigua et apud fideles gravem confusionem generare possunt. Etenim recte intellegi possent de fructu Eucharistiae (scil. de « re » sacramenti = de unione Corporis mystici), quem fratres seiuncti Coenam bona fide celebrantes consequi possunt, quamvis non plene. At possunt etiam falso intelligi ac si haberent ipsum sacramentum Eucharistiae, saltem partialiter.[1]

Modo igitur non probroso clare dicendum est eos non habere sacramentum Eucharistiae.

Insuper, non convenit Concilium loqui de « Sancta Coena » Protestantium, perinde ac si Coenam Domini revera celebrarent.

---

[1] Scribit recte uti mihi videtur R. P. SCHILLEBEECKX (*Le Christ sacrement de la rencontre de Dieu,* Paris 1960, p. 234): La cène « évangélique », bien que n'étant pas un sacrement valide, *même partiellement, est une expression quasi-sacramentelle d'un désir eucharistique explicite,* qui, en outre, *aspire implicitement aux fruits véritables de l'eucharistie catholique.*

Sed haec, sane, non clare apparent in textu schematis.

Textus igitur sic confici posset: « Communitates ecclesiales a nobis seiunctae, quamvis deficiat earum plena nobiscum unitas ex baptismate profluens, et quamvis, praesertim propter Sacramenti Ordinis defectum, *Eucharistiam catholicam* (vel: *sacramentum Eucharistiae prout inest Ecclesiae catholicae,* vel: *sacramentum Eucharistiae in sensu catholico*) non servaverint, tamen, dum *intendunt facere quod Christus in Ultima Coena fecit, mortem et resurrectionem Domini commemorantes,* vitam in Christi communione (etc.) ».

16

Exc.mus P. D. ALEXANDER PONCET

Episcopus tit. Basilinopolitanus

Ego infrascriptus, Alexander Poncet, episcopus titularis Basilinopolitanus, quamvis, aetate provectus, adesse non potero tertiae sessioni Oecumenici Concilii Vaticani II, nec proinde suffragium ferre de schemate decreti *de Oecumenismo,* mentem tamen meam cupio patefacere de quibusdam magni, ut opinor, momenti, quae, si sessioni adesse potuissem, in suffragio *placet iuxta modum* sic explicarem: *placet iuxta modum*: nempe cum subsequentibus emendationibus.

Pag. 7, linn. 21-22: loco verbi « quadam » scribatur verbum « vera »; et addatur verbum « exterius » inter « etsi » et « non perfecta »: sic: « in *vera* cum Ecclesia catholica communione, etsi *exterius* non perfecta ». *Rationes*: cum baptismus ianua est Ecclesiae, omnes valide baptizati, sive adhuc infantes, sive, bona fide supposita, adulti, vera membra sunt Ecclesiae catholicae. Unde non satis est dicere: « in quadam cum Ecclesia catholica communione constituuntur »: quod non tantum non est satis clarum, sed facile intelligitur de tenui tantum communione. Si dicitur « in vera communione » nulla adest ambiguitas. Verbo insuper « exterius » ad qualificanda verba « non perfecta », non negatur perfecta invisibilis communio inter omnes qui ad Ecclesiam catholicam vere, si non omnes eodem prorsus modo, pertinent: ea scilicet communio quae in Symbolo Apostolorum « sanctorum communio » vocatur, et quae est obiectum fidei.

Pag. 7, linn. 22, 23, 24: sic corrigendum: « Profecto ob discrepantias variis modis exterius vigentes inter eos, non obstante eorum bona fide, et illos Ecclesiae catholicae fideles, sese aperte et explicite ut tales profitentes, huius facti plene conscii, tum in re doctrinali, etc.

Pag. 7, lin. 28: sic mutandum: « Christo incorporantur, ideoque christiano nomine iure decorantur et ab *illis* Ecclesiae catholicae filiis *aperte et explicite ut tales habitis,* ut fratres in Domino merito agnoscuntur ».

Pag. 8, lin. 7: duo verba sic addenda: « unitate illa, *saltem visibili,* non fruuntur quam Iesus Christus, etc. ».

Pag. 9, lin. 25: addendum verbum « externe », sic: « ita ut vultus Ecclesiae fratribus a nobis *externe* seiunctis et universo mundo, etc. ».

Pag. 10, lin. 8: item addendum verbum « externae », sic: « Attamen *externae* divisiones christianorum, etc. ».

Pag. 10, lin. 10: item, duo verba sic addenda: « sed a sua plena, *etiam externa,* communione seiuncti sunt ».

Rationes pro omnibus illis mutationibus: eaedem ac pro illis supra refertis de his in pag. 7, linn. 21-22.

Pag. 14, lin. 14: haec verba sic addenda: « ita ut si quae, pro rerum temporumque adiunctis, sive in moribus, sive in ecclesiastica disciplina, sive etiam *quandoque forsan* in doctrinae enuntiandae modo — qui ab ipso deposito fidei sedulo distingui debet — *salva tamen plena sensus veritate, saltem in infallibilibus pronuntiatis* — minus accurate servata fuerint, etc. ». *Rationes*: Haec, opinor, aut similia, necessario addenda sunt, ad vitanda erronea commentaria. Si enim asseritur in modo doctrinae enuntiandae minus accurate servata quaedam forsan esse, ex hoc facile deducetur in hoc modo doctrinae enuntiandae quosdam errores inveniri posse. Ad haec commentaria praevenienda non sufficiunt verba « qui ab ipso deposito fidei sedulo distingui debet ». Dici enim posset hoc depositum fidei in Ecclesia utique manere, eam vero in hoc explicandum errare posse. Re vera S.S. Ioannes XXIII, de cuius sermone haec deprompta sunt, curavit ad haec addere « eodem tamen sensu eademque sententia ». Quibus non obstantibus, si famae credendum est, quaedam erronea commentaria a protestantibus facta sunt. Unde clarissima et explicita pronuntiatio hac de re maximi momenti faciendum est. Propono etiam verba « quandoque » et « forsan » adhibenda, ne obscuretur natura Ecclesiae, quae semper est « columna et firmamentum veritatis ».

17

EXC.MUS P. D. ARTURUS VÉLEZ MARTÍNEZ

Episcopus Tolucensis

De communicatione in divinis (n. 8, cap. I). Normae huius communicationis *non ab unoquoque episcopo,* pro sua dioecesi, sed *a conferentia episcopali* pro tota natione, quia:

a) Criterium diversum cuiusque episcopi diversa opinantes de hac re, scandalum et dubia in mentes fidelium potest inferre.

b) Haec communicatio, si non est *sub conferentia episcopali,* non *adipiscetur unionem quam Concilium desiderat,* sed potius, propter ignorantiam fidelium, desertionem catholicorum obtinebit. De facto, quidam christifideles mei ad quandam vicinam dioecesim degentes, propter « conventiones oecumenicas » ab episcopo illius dioecesis peractas scandala et dubia in fide passi sunt.

De dialogo cum fratribus separatis (n. 9, cap. I). Iterum ad hoc ut dialogus re vera habeatur in nostris dioecesibus mexicanis *conferentia episcopalis, ut iudex unicus,* rem debet considerare. Quia in nostra ditione mexicana *protestantes, theologi qui vere sint, carent*; sed tantum homines sunt, fanatismo inficiati cum quibus *non est possibile dialogum,* qui in bonum omnium veniat, *habere.*

De mutua cooperatione in operibus beneficentiae (n. 11, cap. I). Haec mutua cooperatio, in omni ditione mexicana *non prodesse,* quia sectae protestantes hac cooperatione utuntur *ut fideles ad suos errores trahant.*

Haec omnia humiliter subiiciens se decisioni Concilii, proponit.

18

QUIDAM PATRES CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

I. *In genere*:

1. Tria capita huius schematis Patribus subscriptis omnino placent et quoad doctrinam et quoad formam.

2. Circa « declarationes » additas et quoad eorum locum, quem habent, et quoad modum dicendi maiores difficultates extant.

II. *In specie*:

1. Quoad capita.

a) Cap. I, n. 2, pag. 6, linn. 8-9: « Eucharistiae ... sacramentum ... quo unitas Ecclesiae et significatur et *efficitur* ». Si haec effectio unitatis Ecclesiae vi S. Eucharistiae absolute et exclusive intelligeretur, falsum esset. Accedunt enim alia vincula unitatis, quae pag. 6 et 7 nominantur. Dicatur ergo v. g.: « primario efficitur ».

b) Cap. I, n. 2, pag. 6, lin. 33 - pag. 7, lin. 4. Doctrina proposita de unitate populi Dei diversa elementa enumerat, primo quod pastores attinet, secundo totum populum Dei. Duplex habetur enumeratio principiorum, quibus crescit et unitur Ecclesia:

aa) ex parte pastorum: 1) praedicatio, 2) sacramentorum administratio, 3) gubernatio in dilectione;

bb) ex parte populi Dei: 1) confessio (vel melius *pro*fessio) unius fidei, 2) in regiminis pastorum fraterna concordia, 3) in divini cultus communione.

Principium divisionis huius duplicis seriei non satis patet. Si in secunda serie fideles *includuntur,* simul cum pastoribus, uti conceptui « populi Dei » correspondet, tunc melius diceretur: 1) in praedicatione et professione unius fidei, 2) in et sub regiminis pastorum fraterna concordia, 3) in divini cultus communi celebratione et fidelium activa participatione.

Si vero in secunda serie fideles tantum intenduntur, melius est dicere: « *gregem fidelium suorum* crescere vult eiusque communionem perficit: 1) in professione unius fidei, 2) sub regiminis pastorum fraterna concordia, 3) necnon in divini cultus communi et activa participatione.

c) Cap. I, n. 3, pag. 7, lin. 27: « Nihilominus, iustificati... »: clarius assignetur subiectum huius sententiae. Cf. lin. 20: « Hi ».

d) Cap. I, n. 4, pag. 9, lin. 27: loco « perfectionem » melius dicatur « ad *sanctitatem* christianam ».

Ratio: terminologia ita magis consonat cum illa schematis *de Ecclesia.*

2. Quoad *declarationes*:

a) *De libertate religiosa*:

aa) N. 28, pag. 30, linn. 29-34: Argumentum adductum ex « libertate assensus fidei » hominis erga *Deum* ad fundandam libertatem religiosam in societate *humana* non quadrat. Ceteroquin Deus in toto campo actionis et naturalis et supernaturalis hominis libertatem servat, non tantum quoad assensum fidei.

bb) N. 29, pag. 31, lin. 34: « fini societatis »: melius: « contradicit

fini societatis legitimo a Deo conditore naturae humanae intento ». *Ratio*: ut abusus termini « finis societatis » excludatur.

cc) Pag. 33, linn. 4-7: textus falsae interpretationi adhuc obnoxius est. Excludatur praesertim expressio « ideoque ».

dd) Pag. 33, linn. 20-22: loco « ineptam esse » dicatur: « Non competentem esse ». Tota phrasis meliori redactione et ulteriori explicatione indiget.

b) *De Iudaeis et de non-christianis*:

aa) Diversae rationes suadent, ut intentioni huius declarationis alio modo et loco provideatur quam hic praestito:

1) Insertio in schema *de Oecumenismo,* in quo de christianis et Ecclesiis non catholicis agitur, characterem huius schematis immutat.

2) Unio Iudaeorum et non-christianorum in hac declaratione nulli parti placebit. Insuper inter ipsas Religiones non-christianas adhuc maior existit distinctio quam hic supponitur.

bb) Propositio positiva:

1) Forte quoad Iudaeos pars dogmatica inseri potest in schemate *de Revelatione* (c. IV) et fusius in schemate *de Ecclesia,* uti practice partim iam factum est.

2) Quoad iura et Iudaeorum et aliarum religionum vindicanda et habitudinem christianorum moralem et practicam erga illos efformandam, necessaria dici possunt in schemate XIII: *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis, Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis, Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis, Marcellus Daubechies, ep. Kasamaensis, Joseph Fady, ep. Lilongweensis, Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson, Adolphus Fuerstenberg, ep. Abercornensis, Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery, J. L. Jobidon, ep. Mzuzuensis, Iacobus Corboy, ep. Monzeensis, Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus, Clemens Chabukasansha, ep. tit. Cibiraensis, Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

19

CONFERENTIA EPISCOPORUM COLUMBIAE

Conclusiones de oecumenismo a generali episcoporum coetu, praevia commendatione commissionis fidem et mores tutantis, probatae.

1. Schema in genere placet.

2. In cap. II, n. 8, linn. 33 et 34 ubi dicitur « auctoritas episcopalis » potius dicatur « Conferentia Episcopalis ».

3. Desiderat necnon et postulat conferentia episcoporum Columbiae ut, in fine cap. II, ea quae sequuntur addantur: « quum singulis in Nationibus frequenter circumstantiae omnino diversae sint, oecumenismus exerceatur secundum normas ab episcopalibus coetibus in sic dictis " Directorios Episcopales " prolatas et ab Apostolica Sede probatas ».

4. Haec desiderata, nomine conferentiae episcopalis Columbianae scripto ad competentem Commissionem Conciliarem, mittantur.

20

EPISCOPI REGIONIS APOSTOLICAE OCCIDENTALIS GALLIAE

1. Episcopis Regionis apostolicae occidentalis Galliae valde placet schema *de Oecumenismo* nuper editum.

Nempe maxime perpendit emendationes a Patribus in Concilio emissas.

Insuper solertius diligentiusque loquitur de Ecclesiis, Communionibus Communitatibusque acatholicis, quamvis dissensiones non attenuet impedientes quominus Unicam Ecclesiam, in communione cum Ecclesia Romana, visibiliter efficiant.

Laudabiliter animadvertunt has dissensiones in schemate scriptas haberi tamquam « principium a quo » ad colloquium cum fratribus acatholicis agendum.

2. Exoptant ut explicite declaretur doctrina hic tradita praesertim et essentialiter catholicis proponi.

3. In hoc sensu postulant in pag. 25, lin. 3, post phrasim « Haec Sacrosancta Synodus hortatur fideles », addit verba: « Ecclesiae catholicae ».

4. In par. 20, pag. 23, decet tolli, ut videtur, priorem phrasim, utpote quae, ex textu congressus v. New-Delhi assumpta (ut patet ex nota 9), declaret « Confessionem Fidei » Reformatis saec. XVI propriam id quod tantum est « fundamentum pactionis » commune omnibus membris Consilii Ecclesiarum, non exceptis orthodoxis.

5. Denique conquerentur quod neque hoc schema, neque schema « de matrimonio » aggrediatur quaestionem de matrimoniis mixtis, qua prae oculis christianorum acatholicorum probetur sinceritas efficaciaque Oecumenismi catholici.

Proponunt ergo alterutrum sequentium: sive: post matrimonium coram ministro catholico celebratum, liceat parti catholicae, ob caritatem erga coniunctum acatholicum, assistentia ceremoniae coram ministro acatholico (quae solutio omnibus episcopis, praeter tres, placet); sive: matrimonio mixto iam coram ministro acatholico contracto, dispensatio formae canonicae a iure tribuatur, sicut vigebat in anteriore Iure.

6. Postulant ut in matrimoniis mixtis (ut iam quibusdam in circumstantiis dicitur in schemate decreti *de Ecclesiis orientalibus*, pag. 8, linn. 33-34) cautiones tantum exigantur a parte catholica, cuius erit Ecclesiam certiorem facere de dispositionibus coniuncti acatholici (quod omnibus episcopis, praeter unum, placet).

21

PATRES CONCILIARES LINGUAE GERMANICAE ET SCANDIAE

Schema *de Oecumenismo* una cum appendice deliberatum est in Conferentia Patrum conciliarium linguae germanicae et Scandinaviae diebus 19-22 maii Oeniponte Austriae habita.

Laudabant Conferentiae Patres omnia capita huius schematis quantum ad doctrinam propositam et quantum ad modum eam proponendi. Laudabant etiam appendicem cum declaratione « De libertate religiosa » quantum ad sententiarum substantiam. Aliqui Patres tamen has *emendationes* deliberandas esse censuerunt:

Pag. 30, lin. 38: verbum « vocatio enim divina... » forsitan in aliam terminologiam videtur mutandum. *Ratio*: unus Pater timebat ne hoc verbo « vocatio »

insinuaretur ipsa revelatio divina supernaturalis, de quo hoc in contextu non specialiter esset loquendum. Ideo aliud verbum proponebat, quo haec interpretatio non significatur. Forsitan loco verbi « vocatio divina » dici posset: « Conditio a Deo condita » vel « Conditio a Deo statuta ».

Pag. 31, lin. 38: loco verborum « usus... perversi » forsan potius dicatur: « consuetudines... depravatae » vel « usus... pravi » vel alia verba similia. *Ratio*: quia in variis linguis modernis vox « usus perversi » saepius significat perversitatem sexualem, cum hoc in contextu omnis usus pravus a naturali dignitate hominis abhorrens significandus videatur.

Pag. 31, linn. 39-40: vox « populorum rectores » fortasse videtur eliminanda vel in aliam vocem mutanda. *Ratio*: unus Pater timebat, ne hac voce oppositio et reclamatio et defensio contra tales usus pravos limitetur ad populorum rectores, qui etiam tali potestate abuti possent. Ideo proponebat ut verba « populorum rectores » eliminentur et simpliciter dicatur « iis obstent oportet » vel « iis obstare oportet » vel « iis obstare et resistere oportet ».

Alius tamen pater dicebat, hunc locum specialiter agere de gubernio civili et de eius obligatione resistendi pravis consuetudinibus. Et ideo schema dicit « populorum rectores ». Deinde ab uno quoque Patre proponebatur locutio: « communitates sociales » loco verborum « populorum rectores ». Res ergo commissioni competenti relinquitur deliberanda. De cetero totum schema *de Oecumenismo* cum Appendice huius Conferentiae Patribus magnis laudibus visum est dignum.

Supplementum.

Pag. 32, lin. 1: Quaerebatur, utrum post verbum « religionis » convenienter addi possent alia verba: « vel ideologiae ». *Ratio*: unus Pater hac via potestatibus civilibus sic dictis totalitaribus interdicere intendebat, ne ideologiam religioni contrariam civibus vi imponerent.

Duo tamen videntur consideranda:

1. Verbis schematis iam implicite indicatur, ideologiam religioni contrariam per nefas solummodo imponi.

Ex alia parte auctoritates civiles quasdam ideologias v. g. anarchicas iuste reprobant et ut a civibus reiiciantur expostulant.

Nota. Declaratio altera *De Iudaeis et de non christianis* Patribus in conventu Oenipontano nondum praeiacebat.

B - De Iudaeis et de non-christianis.

1

Exc.mus P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO

Episcopus Pisaurensis

1. In pag. 47, n. 32, in lin. 8, propono ut verbis: « se continuationem esse populi illius » sufficiantur verba « se successisse populo illi ». Non agitur enim de simplici continuatione sed de vera successione. Inter figuram et realitatem non datur continuatio sed successio.

2. In pag. 48, n. 33, in linn. 18-19, verba « *a nostris in multis discrepent* » non placent: referuntur enim ad praecedentia verba « opiniones et doctrinas ». At, ad nos quod attinet, non de opinionibus et doctrinis res est, sed de divina revelatione et de fide in Deum revelantem. Propono ergo ut dicatur: « *quamvis ab iis quae nos fide tenemus in multis discrepent* », ne fidem nostram nimis deprimere videamur ad captandam benevolentiam.

2

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

Pag. 47, lin. 16. Adderem haec verba, ut mens S. Pauli plenius exponatur: « promissa, *licet, cum eodem apostolo, tristitia magna et continuo afficiatur dolore eo quod Israelitae in Iesum Christum, Dei Filium ac hominum redemptorem olim per prophetas promissum, nondum crediderint* ». Sic innuitur quoque quaenam sit discrepantia inter christianos et Iudaeos.

Pag. 47, lin. 18. Loco « utriusque » videtur dicendum « *utrorumque* », in plurali.

Totus n. 33 redactus est in prima persona plurali. « Nequimus... nos renuimus etc. ». Nonne melius esset in tertia plurali, v. g. dicendo « christiani »?

N. B. Quoniam relatio de schemate super Oecumenismo nobis missa est post ipsum schema, nunc tantum potui legere in pag. 56 rationem ob quam secretariatus censuit non necessariam mentionem « bonae fidei » in schemate.

Liceat mihi affirmare rationem allatam rem non evincere. Siquidem quidam Patres, inter quos et ego, nullimode voluerunt in dubium ponere existentiam bonae fidei in fratribus separatis, sed solummodo statuere — tamquam *principium dogmaticum* (de hac re enim agebatur!) — media salutis ipsis prodesse ratione suae bonae fidei.

Comparatio allata in pag. 57 de catholicis, minime tenet. Etenim: Catholici possident, Deo favente, *obiective plenam* ac *rectam* fidem, qua stante iure meritoque praesumitur in ipsis etiam *bona* fides subiectiva. In fratribus vero separatis non adest plena ac recta fides obiectiva; eorum ergo *bona* fides praesumitur quidem, at est fundata in honestate et sinceritate humana, minime vero in rectitudine et plenitudine fidei obiectivae.

3

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Nn. 33-34, pag. (8) 48. Tota paragraphus « Sic amplectamur imprimis etiam Musulmanos ... proprius ad nos accesserunt » supprimenda videtur.

Rationes: *a*) Non clare apparet nexus cum praecedenti paragrapho, neque cur in textu ubi agitur in genere de universali ac fraterna caritate erga omnes homines Deum ut Patrem habentes, mentio fieri debeat unius particularis religionis, nempe religionis musulmanae.

b) Textus videtur supponere omnes alias religiones non-christianas, v. g.

magnas religiones orientales, longius a nobis distare quam religio musulmana, quod etsi historice et theologice verum esset, tamen de facto et spectata hodierna activitate missionali Ecclesiae disputari potest.

c) Mentio musulmanorum, omissa mentione illarum magnarum religionum orientalium, Ecclesiae difficultates praebere potest in illis mundi partibus ubi maior pars generis humani degit, illae non christianae religiones coluntur, et Evangelii praecones libere et cum fructu per longum tempus laborarunt et hodie adhuc laborant.

4

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. On peut toujours discuter de l'opportunité de trouver ce chapitre dans le Schema « de Oecumenismo », même en appendice. On aurait pu faire un Schema propre aux Juifs et aux non-Chrétiens, et plus développé, en montrant, dans l'introduction, la différence entre *Juifs* (dont la parenté avec les Chrétiens est réelle et qui s'exprime, spirituellement, à travers les Livres Saints, la foi des Patriarches, l'origine du Christ, etc.), *musulmans* (dont le livre « sacré » est bourré d'emprunts, parfois erronés, à l'A. T. et aux Evangiles apocryphes, et dont la croyance en Dieu rejoint, par delà le N. T. la croyance juive en Yahvé), et *les autres non-chrétiens,* ou ce qui les rapprocherait.

2. Il semble, en effet, que le changement du titre (dont l'ajoute: *et de non-christianis*) n'est qu'un trompe-l'œil. Le chapitre traite surtout des Juifs. Le petit paragraphe (de trois lignes) qui parle des Musulmans n'est là que pour répondre aux objections qui furent faites à la seconde session contre le chapitre dans son ensemble. L'ajoute dont je parle ne répond pas au contenu de cette déclaration.

3. Il faudrait, me semble-t-il, au moins ajouter dans ces trois lignes sur l'Islam que les emprunts du Coran sont fréquents à l'A. T. et que la parenté entre le Dieu des Musulmans et celui des Juifs est réelle. Autrement ce paragraphe vient à sa place, ici, comme une pièce erratique qui étonne.

4. Dans ces trois lignes sur l'Islam, on parle du « sensu religioso » (p. (8) 48, lignes 21-23). Veut-on désigner par là la « mystique » et les soufis musulmans. Qu'on y prenne garde. Les soufis sont considérés comme des hérétiques par l'Islam orthodoxe ou sunnite.

5. Enfin, pour justifier le titre de ce chapitre, il faudrait, me semble-t-il, avertir pourquoi on n'y a traité que des Juifs et des Musulmans.

6. Le paragraphe 33 sur l'exercice de la charité universelle est le bienvenu. On aurait pu le mettre dans n'importe quel Schema. Ici il prend, d'après le contexte, un sens vraiment catholique. Charité non point *erga domesticos fidei* seulement, mais aussi *erga illos qui foris sunt.*

7. Le paragraphe 34 sur la discrimination est bon. Je ne vois, cependant, pas pourquoi, à la fin de ce même paragraphe (lignes 33-36) on a, de nouveau, parlé de charité. Ces dernières lignes sont comprises déjà dans le long par. 33. Si la nuance de l'amour des ennemis qui y est contenue est à noter, qu'on la mette dans le même par. 33.

Par ailleurs, l'amour des ennemis dans ce par. 34 est quasi une surajoute. Il ne vient pas logiquement dans le développement des idées qui précèdent. Ce

par. 34, en effet, parle de ceux qui ne sont pas de la même origine, de la même ethnie, etc. Cela ne suppose pas nécessairement qu'ils sont des ennemis. Le texte du par. 34 pourrait se terminer à la ligne 33, aux mots « pacem habeant ».

8. Il faudrait, me semble-t-il, bien que le contexte en soit clair, dire *Christi Domini Matrem,* à la place de *Christi Matrem,* pour éviter toute allusion nestorienne (par. 32, ligne 13, p. (7) 47), comme l'a dit S.S. Paul VI, dans son discours à Nazareth: « Elle (La Sainte Vierge) est ... la Mère du Christ, et, par le fait, la Mère de Dieu et notre Mère ».

9. Pag. (8) 48, par. 33, ligne 21, le mot *etiam* supposerait qu'on a parlé nommément des Juifs dans les lignes précédentes. Il n'en est rien. Tout le développement précédent est général. Il faudrait au moins un rappel des Juifs dans les lignes 16-20.

10. A part ces quelques remarques, je voudrais dire la beauté du paragraphe 32 qui montre le lien de parenté spirituelle entre les Juifs et les Chrétiens. Ce texte est plein de théologie scripturaire et d'onction religieuse et rappelle avantageusement la relation faite par Son Em. le Cardinal Bea lors de la présentation, à la seconde session, de la première déclaration sur les Juifs.

5

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN

Archiepiscopus Baltimorensis

In genere textus novus declarationis alterae de Iudaeis et de non-christianis mihi perplacet.

Ea quae scripta sunt sub nn. 33 et 34 schematis *de Oecumenismo* optime respondere videntur votis nonnullorum Patrum conciliarium qui in emendationibus scriptis et interventionibus in aula habitis intra sessionem II voluerint ut non solum de Iudaeis verum etiam de aliis non christianis tractetur in schemate.

Quae scripta sunt in n. 32 schematis *de Oecumenismo* circa Iudaeos maxima ex parte mihi etiam placent. In lin. 6 autem huius numeri (32) velim proponere emendationes paucas at, ut mihi videtur, non minoris momenti.

1. In lin. 30 post vocabulum « *exhibeant* » restaurari debet clausula « *vel deicidii arguant* ». *Rationes*: *a*) Haec calumnia, sc. gentem iudaicam ream esse criminis deicidii, a Iudaeis ipsis huius temporis habetur ut fons primaria et primordia anti-semitismi plurium christianorum. Nisi ipsissima adhiberentur verba quorum specificam reprobationem in prima redactione multi Iudaei, et quidem ipsi Ecclesiae optime dispositi, libenti animo iam sciscitavissent, apud Iudaeos aliosque homines non modo tristitia verum etiam dubitatio (ne dicam offensio) de benevolentia et motivis Patrum Concilii Oecumenici oriturae essent.

b) Additur etiam quod reprobationem huius calumniae de crimine deicidii tollere e declaratione vel de eo tacere imprudens vel saltem valde inopportunum esse videtur cum Ecclesia ipsa tam inique et aperte calumniis affligitur quoad partes suas in persecutionibus Iudaeorum tempore belli mundialis 1939-1945.

2. In lin. 31 restaurari debet clausula « *in odium aut contemptum erga Iudaeos parere* », loco clausulae « animos a Iudaeis alienare ». *Ratio*: certissime clausula debilis « animos a Iudaeis alienare » inadaequate exprimit pravitatem

mentis ac voluntatis hominum qui per saecula et praesertim in hoc saeculo criminaque immania contra Iudaeos patraverint.

3. Denique ad aptiorem ordinem alineae ipsius propono ut sententia ultima sc. « Caveant praeterea ne Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur » transferatur ut sit pars primae sententiae et e clausula « neve aliud quid dicant aut faciant » fiat sententia summaria et finalis ipsius alineae. *Ratio*: Revera ideae in clausulis logice sic se habere videntur in tota alinea.

Summarie: alinea ita emendari debet ut sic legatur: Ideo curent omnes ne, sive in catechesi impertienda et Verbi Dei praedicatione sive in quotidianis colloquiis populum Iudaicum ut gentem reprobatam exhibeant *vel deicidii arguant neque* Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur. *Denique* caveant *omnes fideles* ne aliud quid dicant aut faciant quod *in animis odium aut contemptum erga Iudaeos parere possit.*

C - De libertate religiosa.

1

Em.mus P. D. PAULUS M. card. RICHAUD

Archiepiscopus Burdigalensis

Appendix *de libertate religiosa* meliorem locum haberet ut tota introductio huius schematis de Oecumenismo. Sic enim manifesteretur mens sub qua Concilium haec problemata intendit pertractare.

Circa propositiones bene prolatas in hac parte, vellem plures animadversiones praebere:

1. Si officium adhaerendi veritati clare exponitur, nihil sufficiens de iuribus ipsius veritatis.

2. Quaestio de erga errorem reverentia non videtur satis aggredi.

3. In n. 27, Ecclesiae munus ut magistra veritatis in mundo fortius ac latius deberet ostendi.

4. Generaliter textus locutiones abstractas assumit. Valde optandum est ut ista explanatio ad Christum et ad Scripturam Sacram sese referat, in coniunctione cum Salvatoris proposito ad restituendam hominis dignitatem.

5. Mihi videtur denique necesse esse aliquam relationem ostendere inter dictamina conscientiae rectae ac prudentis et praescriptiones legis ecclesiasticae pro christianis atque ostendere ius et officium Ecclesiae defendendi sua membra contra errores.

2

Exc.mus P. D. ALFREDUS CAVAGNA

Episcopus tit. Tianus

1. Circa hanc quaestionem *de libertate,* uti mihi videtur, aliquid vere perspicuum ubique desideratur. Declarationes conciliares possent partim in ipso textu decreti inseri, partim forsan inter normas seu instructiones practicas remitti.

Generatim, ad libertatem religiosam provehendam omnes ad « bonum publicum » seu « communem » appellant. Ad faciles dissensiones praecavendas, perutile esset claris verbis statuere quid sibi velit « bonum publicum ».

2. Ecclesia libertatem religiosam clare affirmat; adversarii tamen saepe conclamant quod haec libertas de facto violatur sacramentum baptismi infantibus conferendo, ante usum rationis. Conveniens esset illis clare respondere.

3. Etiam sic dicti « obiectores conscientiae » appellant ad libertatem religiosam; hoc clare apparet quando delectui militari obtemperare vel ius iurandum praestare renuunt... Haec omnia etiam in vita christiana sequelas habere possunt: quidam enim Ecclesiae praeceptis subesse recusant, affirmantes se ex conscientia eidem non parere teneri.

4. Huiusmodi consectaria etiam apud sacerdotes ac religiosos habentur, qui eodem modo suam erga superiores inoboedientiam iustificare conantur. Declarant enim se sincere ad Deum orasse et ex ipsorum conscientia constare quod voluntas superiorum, immo ipsius episcopi, non potest anteponi voluntati Dei, quae ipsis in oratione et per orationem innotuit. Quaedam declaratio, etiam quoad hanc quaestionem, forsan utilis esset.

3

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Quoad essentialia plene hanc declarationem adprobo ac laudo.

Attamen ad omnem aequivocationem delendam aliquas emendationes propono; sic maior numerus Patrum ad textum approbandum invenietur.

N. 25, pag. 29. Per se quaestio de libertate religiosa non pertinet specifice ad oecumenismum, quamquam magni momenti pro ipso sit.

Unde textus sic mutetur:

A) 1° loco veniant linn. 17-25, pag. 33: « Manifestum est genus ... observentur ». Cum hac tamen mutatione, pag. 33, linn. 20-22: « rem publicam in societate hodierna intantum suae religiosae obligationi satisfacere, in quantum ipsis personis in hac re libertatem agnoscit, dum sibi nullam directam competentiam ad iudicandum de vera religione vindicare possit ». *Ratio*: indirecte aliquis status veram religionem cognoscere potest, si, v. g., maior pars civium eam profitetur.

B) 2° loco, remaneat: *Insuper huius declarationis*... linn. 1-5.

N. 26, pag. 29. Melius affirmare oporteret, homini, *qua est persona,* ius ad libertatem religiosam competere. Unde addere, lin. 6: « Persona humana directe ad Deum Creatorem et Salvatorem suum ordinatur eique soli de sua intima religiosa vita rationem reddere tenetur, ita ut sua spirituali indole et dignitate omnem humanam auctoritatem transcendat. Unde homines ad imaginem... ».

Pag. 29, lin. 8: Ut voluntatem..., deleantur verba: « secundum dictamen conscientiae », sed lin. 9, post: sequantur, addere: « Hanc voluntatem sequendam, multis viis sed eminentiori modo per divinam Revelationem manifestatam, ultimatim per dictamen conscientiae homines percipiunt ». Cf. n. 29, pag. 31, linn. 11-20.

Pag. 29, lin. 9 pro: « inde », melius: *Ex his* exoritur...

Pag. 29, lin. 10, deleatur: « suam ».

Pag. 29, lin. 14, pro « et integre » melius: « Et sine ullo impedimento ». *Ratio*: integritate male sumi posset pro integritate obiectiva religionis quae non datur nisi in Ecclesia.

N. 27, pag. 30, lin. 9. Post: exemplo vitae, addere: *secundum spiritum Beatitudinum...*

N. 28, pag. 30, lin. 14. Addere: qui *in ignorantia vel* in erroribus...

Pag. 30, linn. 25-26. Deleantur verba: « directa vel indirecta »; sufficit: ab omni coactione. *Ratio*: ne, v. g., in regione aliqua ubi christiani maiorem partem constituunt, praetextu horum verborum, argumentum contra doctrinam christianam in scholis publicis sumatur, quasi esset coactio *indirecta.*

Pag. 30, lin. 32. Addere « ... traxerit eum et ex altera parte, *audito verbo salutis,* rationabile...

N. 29, pag. 31, lin. 16. Deleantur verba « et honore dignus aestimandus est ». *Ratio*: non sat radicaliter *ius personae* sic affirmatur. Nam nulla auctoritas humana competentiam habet discernendi utrum quis sincere vel non conscientiae suae oboediat. Ius illud non restringitur ad eos qui sunt bona fide. Persona, qua talis, honore digna est. Agitur aliis verbis de iure personae, non de iure conscientiae in bona fide.

Pag. 31, linn. 16-18. Post: oboedit, textus sic mutetur: « Quia in hoc sanctuario conscientiae directe coram Deo sese voluntarie determinat, persona in hoc supra ordinem societatis existit. Ideoque nullus homo... ». *Ratio*: fundamentum iuris non est « sinceritas » conscientiae, sed *natura personae* quae ordinem socialem et temporalem transcendit.

Pag. 31, lin. 27. Deleatur: « suae ». *Ratio*: agitur de iure sequendi obligationem in re religiosa, quae de facto a conscientia percipitur; obligatio non oritur ex hoc quod est *sua* religio.

Pag. 31, lin. 38. Pro « sensus religiosi » dicere: « in religionis manifestationibus ». *Ratio*: sensus ex se rectitudinem importare videtur.

N. 30, pag. 32, lin. 19. Addere: « a fine societatis, ad normam iurium naturalium determinato, imponendos... ». *Ratio*: ad interpretandum « sua principia religiosa » lin. 23, v. g. aliqua lex « religiosa » polygamiam admittit.

Pag. 32, linn. 28-32, textus sic mutetur: « Ipsi enim, sicut omnes homines, ius habent vivendi in societate religiosa, nempe Ecclesia, quam libera voluntate elegerunt. Quamquam Ecclesia sit a Deo volita et a Christo fundata tamquam arca salutis et institutio sine qua integra vita christiana, ad quam omnes homines vocantur, dari non potest, ad instar sui Domini humilis qui servire, non serviri venit, nullum sibi privilegium vindicare intendit. Tantum integra iura suorum membrorum, in quantum sunt personae, agnoscit deposcit, ita ut libere Deum colere Evangeliumque pacis diffundere possit, adiutorio Dei semper innita, cui melius est quam hominibus oboedire ». *Ratio*: in societate moderna, Ecclesia satisfit de agnitione iurium personarum. Inter haec iura pollet ius personarum sese in coetibus adunandi. Haec agnitio plene sufficit ad suam missionem quam optime adimplendam. Textus subiectivismo aliqualiter sapit.

Pag. 32, linn. 38-40. Textus sic mutetur: « Ius pariter personis, etiam in coetibus adunatis, competit ut cogitatum suum de re religiosa publice exprimant atque propagentur, dummodo mediis honestis utantur. Unde coetus personarum... ».

Ratio: quia ius competit coetibus mediantibus personis. Melius non uti verbo « proselytismus » in hoc nimis recenti sensu.

N. 31, pag. 33. Cf. adnotatio ad n. 25. Remaneant tantum linn. 11-16 et linn. 25-29.

Linn. 12 et 13, textus mutetur: « Ecclesiae, personae humanae, communitatumque religiosarum ». *Ratio*: Ecclesiae soli ius competit ex mandato divino; aliis autem communitatibus (praesertim non-christianis), mediantibus personis quibus ut membris constant.

Lin. 15. Post: libertas religiosa, addere: « ut fundamentum dignitatis personae humanae ».

4

EXC.MUS P. D. MARCELLUS M. DUBOIS

Archiepiscopus Bisuntinus

I. N. 29, pag. 31, lin. 1: « *personae humanae dignitatem* »; lin. 30: « dignitas essentialis personae humanae »; lin. 39: « personae dignitati ».

Haec dignitas, seu in una persona, sive in personarum societate, considerata, a S. Augustino in memoriam saepius revocatur. E. g.:

1) in *Ep.* 23 « Domino dilectissimo et honorabili fratri Maximino », episcopo donatistae, ante annum 396 scripta (*PL* 33, 95): « Honorabilem ex ea regula te libenter appello, qua novi te esse *hominem,* et novi hominem *ad imaginem Dei et similitudinem factum,* et *in honore positum ipso ordine et iure naturae* ... Cur ergo te honorabilem *in quantum homo*[1] *es* non appellem »?

2) in *Ep.* 33 « Domino *honorabili* et *dilectissimo* Proculeiano » anno 396 scripta (*PL* 33, 129-130): « Quid autem in te *honorare* non dubitem, facile intelligis. Non enim errorem schismatis, unde omnes homines, quantum ad me attinet, cupio sanari, dignum honore aliquo existimo: sed te *ante omnia, quod ipsius nobis humanae societatis vinculo* astringeris ».

II. Attamen, S. Augustinus hanc rationem simpliciter naturalem feliciter exsuperat, scribens: « *Dilectionis* autem tantum tibi *debeo,* quantum nobis *imperat Ipse qui nos dilexit usque ad crucis opprobrium* ». Itaque, cum Proculeiano gaudens quaeret « quae causa, quae origo, quae ratio in Ecclesia Christi, cui dixit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Io.* 14, 27), tam *lugendae atque plangendae discissionis* extiterit ».

Cum textus schematis « ad contactus et relationes instaurandos inter christianos » proponatur, *referentiae igitur ad verba Sanctae Scripturae, praesertim Christi, optime conveniunt*; et *augendae sunt.*

Christus enim, non tantum dilectionem et pacem Ecclesiae Suae *commendavit,* sed Ipse *libertatem religiosam,* secundum sensus huius vocabuli diversos.

A) Duo textus praecipui videntur « similitudines, et *de zizaniis* usque ad tempus messis in unitate agri per mundum (*Mt.* 13, 24-43) et *de malis piscibus* usque ad tempus littoris intra eadem retia tolerandis (*ibid.* 47-50) » (*PL* 33, 411).

S. Augustinus his similitudinibus saepe utitur ad suam tolerantiam explicandam.

---

[1] Cf. *Ep.* 153 § 3 et § 15 (*PL* 33, 654. 660).

Sane has saepe accommodat *peccatoribus* (qui sunt *in Ecclesia*), sed etiam *iis qui* « *Ecclesiae deserunt unitatem* », et qui ipsi sunt zizania, palea (*PL* 33, 412).

Pius XII etiam primam similitudinem ad errorem et peccatum simul accommodat, in allocutione « iis qui interfuerunt Conventui V nationali Italico Unionis Iureconsultorum catholicorum ». « L'*errore* e *il peccato* si trovano nel mondo in ampia misura. Iddio li riprova; eppure li lascia esistere... Per omettere qui altri testi della Sacra Scrittura che si riferiscono a questo argomento, Cristo nella parabola della zizzania diede il seguente ammonimento: *Lasciate che nel campo del mondo la zizzania cresca insieme al buon seme a causa del frumento* » (*Acta* 1953, 799).

[Nota 13 pag. 37, hanc allocutionem commemorat, sed *exemplum divinae providentiae* a Pio XII allatum non affert, et textum Pontificis immediate rumpit *ante* mentionem *Scripturae!* Unde nota 13 est praesertim iuridica].

B) Apostolis sed etiam omnibus qui Eum audiunt Magister dixit: « Vos estis *sal terrae*... Vos estis *lux mundi* » (*Mt.* 5, 13-14; cf. *Mc* 4, 21-22; 9, 50; *Lc.* 8, 16-17; 14, 34). Omnes igitur, in suis relationibus cum aliis et socialibus officiis, cum Christo et in Christo ipso, qui est *Lux* mundi, debent esse animabus ut sunt sal et lux corporibus. Uterque sane « activi » sunt, immo « penetrantes ». Sed homo hunc salem longe a se ponere potest et ante hanc lucem obducere vela. Modus Christi est suavis (cf. pag. 30, lin. 15), non cogens. Modi apostolorum et christianorum iidem esse debent (cf. schema pag. 30, lin. 7).

C) Iesus tandem angelo Laodiciae ecclesiae dixit: « *Ecce sto ad ostium* et pulso; *si* quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum » (*Apoc.* 3, 20).

Aliis verbis, declaratio « de libertate religiosa », debet esse... multo *magis religiosa!* Et propterea, multo magis niti debet in argumentis:

a) de *exemplo Dei Patris,* « qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos » (*Mt.* 5, 45);[2]

b) de pluribus *Sanctae Scripturae textibus.*

Inter hos textus fulgent *a*) duae similitudines commemoratae, specialiter parabola messis: in hac enim servi zizaniam colligere vellent. Sed paterfamilias ait: « *Sinite utraque crescere usque ad messem* » (*Mt.* 13, 28-30); *b*) alia verba Iesus Luminis allata.

Sed multi alii textus Sanctae Scripturae afferre possunt. E. g.:

1 Cor. 5, 10-13: « Eos qui foris [paganos] sunt, *Deus* iudicabit ». « Deus », et non alii.

Io. 14, 6 et *Ps.* 24, 10. Magister de se dixit: « Ego sum Via »; sed « *Universae viae Domini misericordia et veritas* ». (S. Augustinus, *Ep.* 104; *PL* 33, 395 — utroque textu appositis, erga paganos qui in quodam casu erga christianos duri fuerunt, concludit: « Nec nocentes volumus ad dignum supplicium pervenire; prohibente nos illa misericordia quam in Christo cum veritate diligimus »).

Isaias 66, 5 (secundum LXX): « *Dicite*: " *Fratres nostri estis* ", *his qui vos oderunt* et qui vos detestantur, ut nomen Domini honorificetur, et appareat illis in iucunditate ». (S. Augustinus aliquoties Macrobium, episcopum *donatistam,* et

---

[2] Cf. S. Augustini *Ep.* 153 § 4, § 7; *PL* 33, 654-655.

alios, sic appellat « dilectum fratrem », « dilectissimum fratrem », vel « fratrem », quia « audimus Sanctum Spiritum, per prophetam praecipientem... ». [Sequitur Isaiae textus]. *Ep.* 108 § 3; *PL* 33, 406; in hac epistola, § 15 et 20 renovant memoriam conversationum Ioannis XXIII et Pauli VI cum Observatoribus).

Unde ipsi magistri civiles uti misericordia erga haereticos debent (cf. S. Augustini: *a*) mirabilem *Ep.* 133 § 3; *PL* 33, 510: « ... refracta iudiciaria severitate, et vestram fidem, quia *filii estis Ecclesiae,* et *ipsius matris mansuetudinem* commendare minime negligatis »; *b*) *Ep.* 134 § 2; *PL* 33, 511: Hoc [poena] ne fiat et *christianos* iudicem rogo, et christianum *episcopus* moneo »; cf. mirabiles § 3 et 4; *c*) *Ep.* 139 § 2; *PL* 33, 535, 536).

Aliqua verba *de potestate iudicandi et puniendi* in Ecclesia addenda sunt. Haec enim potestas est de iure divino et iam in Ecclesia nascente ab apostolis Petro et Paulo[3] exercita est, etiam a Christo (*Apoc.* 3, 16. 19; etc. ...). Magistri est, primum, docere; si utile vel necesse est, corrigere.

Parva animadversio. Pag. 29, lin. 11: « nec ulla *coactione* »; pag. 30, lin. 26: « ab omni *coactione* »; lin. 27: « ne *cogatur* »; pag. 31, lin. 2: « sine *coactione* ». Haec est obsessio! Semel sufficit.

Pag. 36, lin. 5. De S. Augustino, tantum commemoratur opus *Contra litteras Petiliani* (*PL* 43, 315), scriptum 401-403, sed eamdem sententiam illustris doctor exprimit:

1. In *Ep.* 23, missa ad Maximinum, episcopum donatistam, *ante annum 396* (*PL* 33, 98). Ei proponit discussiones contradictorias, sed pacificas, militibus absentibus, « ut omnes qui nos audiant intelligant *non* hoc esse propositi mei ut *inviti* homines ad cuiusquam communionem *cogantur,* sed ut quietissime quaerentibus veritas innotescat... *Re* agamus, *ratione* agamus, *divinarum Scripturarum auctoritatibus* agamus ». Mirabile iter ad veritatem![4]

2. In *Ep.* 34 (*PL* 33, 132), scripta anno *396* ad Eusebium: « Scit Deus... *neque* me id agere ut ad communionem catholicam *quisquam cogatur invitus,* sed ut omnibus errantibus aperta veritas declaretur, et per nostrum ministerium, Deo iuvante, manifestata se amplectendam atque sectandam satis ipsa persuadeat ».

3. Idem, quoad sensum, in *Ep.* 35 (*PL* 33, 135). Donatistae filiam catechumenam catholicam, « invitis parentibus », baptizaverant. Pater eius eam revocare severitate ad communionem catholicam volebat. « Ego [Augustinus] feminam... *nisi volentem,* et *libero arbitrio* meliora deligentem suscipi noluissem; ille rusticus [pater] etiam plagis instare coepit, ut sibi filia consentiret; quod statim omnimodo fieri prohibui ».

5

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

1. Declaratio *de libertate religiosa* praesertim aspectus sociales et iuridicos considerat et argumenta pro libertate religiosa tuenda ex iure naturali desumit. Tamen oporteret ut initio declarationis clarius ostenderetur quomodo tota quae-

---

[3] *1 Cor.* 5; cf. *Col.* 4, 5.

[4] Quisque scit variationes auctoris in hac re (v. g. *Ep.* 93 § 17) sed, semper amori oboediens, plus minusve in spiritu nostri schematis est! (pag. 30, lin. 13: « amanter »).

stio de libertate religiosa in societate cum quaestione de libertate humana in genere et de libertate sic dicta theologica connectatur. Uti in fine declarationis iam innuitur (pag. 33, linn. 25-29), libertate religiosa in societate tandem aliquando medium est ad illam theologicam libertatem « qua Christus nos liberavit » assequendam. Si libertas religiosa in societate intra ambitum amplioris conceptionis christianae libertatis praesentaretur, praesens textus magis iuridicus et socialis, melius conciliaretur cum opinione illorum qui libertatem religiosam modo magis theologice concipiunt.

2. N. 29 agit de libertate religiosa coetuum quatenus coetus ex individuis personis constituuntur. Parum dicitur de iuribus coetuum religiosorum qua talium. Horum iurium (anglice "corporate freedoms") implicita mentio fit in textu, e. g. n. 29, pag. 31, linn. 21-28, et in n. 30, pag. 32, linn. 14-24. Ex his iuribus quaedam in textu etiam explicite vindicantur, e. g. ius coetuum religiosorum se regendi secundum proprias leges seu ius autonomiae (n. 30, pag. 32, linn. 19-20); ius religionem annuntiandi seu propagandi (n. 30, pag. 32, linn. 38-40). Tamen de pluribus iuribus coetuum religiosorum qua talium quae hodie magni momenti sunt et in aliquibus mundi partibus in discrimen vocantur, nihil dicitur: e. g. ius formandi ministros ad cultum et ad alia munera religiosa obeunda necessarios, ius duces seu rectores religiosae communitatis nominandi eorumque munus et auctoritatem definiendi, ius relationes ineundi seu commercium stabiliendi cum auctoritatibus et coetibus religiosis aliarum nationum, et cetera. Omnia haec iura de quibus hic mentionem facimus et alia quidem, in quattuordecim Articulis de Religiosa libertate ab Institutione Internationali Nationum Unitarum (O.N.U.) exaratis includuntur. Oporteret igitur ut post mentionem iuris religionem propagandi (pag. 32, linn. 38-40 et pag. 33, linn. 1-3) in aliqua brevi paragrapho declaratio conciliaris de praecipuis iuribus coetibus propriis et quorum in textu nulla fit mentio, etiam ageret.

6

Exc.mus P. D. ALEXANDER PONCET

Episcopus tit. Basilinopolitanus

Pag. 29-33. In hac *declaratione de libertate religiosa* omnia dicuntur relative ad cultum Dei, utique veri Dei, quamvis aliter et aliter fit in variis religionibus, sive apud Christianos, sive apud Iudaeos aut Mahometanos.

Sed et sunt aliae religiones, sic appellatae, quamvis in his aut nullo modo de Deo agitur, ut in Buddhismo, aut falsi dii coluntur. Quid de his religionibus?

Utrum de his agatur, pag. 31, in lin. 38, ubi loquitur de usibus perversis in sensus religiosi manifestationibus? Sed hoc deberet clare asseri.

Insuper in hoc casu quomodo quaestio esse possit de *iure,* cuius exercitium tantum limitandum esset, non quidem, ut in textu apparet, quia Dei iuribus obstaret, sed tantum quia contrarium esset hominis naturae aut humanae societati, talium religionum saepissime in Veteris et Novi Testamenti paginis reprobatarum? Nonne potestatis civilis christiani officium esset, non quidem vi, ob animi imbecillitate eorum qui illis adhaerent, sed prudenter et gradatim, forti tamen animo, conari, in quantum possibile est, has religiones tollendi? Nonne adhuc maius eius officium impediendi ne tales religiones in regionem introducantur, ubi non adsunt?

Opinor claram distinctionem faciendam inter varios veri Dei cultus, et alios de quibus clare etiam exponenda essent peculiaria principia circa liberatem quae eis concedi posset, an non, iuxta circumstantias, ad vitandas falsas de hac declaratione interpretationes.

Pag. 31, linn. 30-40. In casu regionis quasi omnino, aut, ut fit v. g. in Insulis Wallis et Futuna, in Oceania, omnino catholicae, nonne officium esset eorum qui in civili gubernio partem habent prudenter conari, per quasdam etiam sapientes regulas, si casus fert, impediendi ne falsa religio, et etiam haeresis in talem regionem introducatur? et sic nonne ius etiam fratrum christianorum, saltem externe seiunctorum, in hoc casu limitari deberet ob grave periculum ne numerosi forsan talis regionis catholici ad haeresim amplectendam attrahentur?

Utrum quae dicuntur in hac parte schematis (pag. 31, linn. 30-40) hunc casum satis clare includant, ita ut etiam ius christianorum seiunctorum ad eorum fidem, obiective haereticam, propagandam, non obstante eorum bona fide, in hoc casu supra dicto considerari deberet ut limitandum esse?

7

Rev.mus P. D. ALFONSUS SALVINI

Abbas generalis Congr. Vallis Umbrosae O.S.B.

Schema decreti *de Oecumenismo* una cum appendice *de libertate religiosa,* quod laude prosequamur dignum est, tum quoad principia et Oecumenismi exercitium, cum praesertim agit de Ecclesiarum Orientalium consideratione.

Attamen apertior desideratur damnatio illius libertatis sive conscientiae, sive cultus, quae ex radice rationalismi et relativismi doctrinalis deducta, uti principium defendit absolutum indifferentismum religiosum. Non omnes — proh dolor! et inter fideles — distinguere valent inter sanam libertatem religiosam secundum sacra naturae iura et effrenatam licentiam qua et ipsum naturae ius pessumdatur.

Item cavendum est ne ex hac Ecclesiae positione quoad libertatem religiosam ius et officium Evangelium debitis modis studiosissime praedicandi ipsi Ecclesiae concreditum minori zelo prosequantur fideles; immo ita sese in veritate et caritate magis magisque perficiant, ut quidquid veri et boni in aliis invenitur et promptius agnoscere et efficaci attentione valeant complere.

8

Exc.mus P. D. CONSTANTINUS TRAPANI

Episcopus Nicosiensis

Liceat nonnullas animadversiones proponere circa cap. V *de libertate religiosa* respicientes: 1. acceptionem nominalem formulae « libertas religiosa »; 2. eiusdem realem significationem; 3. rationes utriusque; 4. particulares expressiones textus.

1. In primis, igitur, formula ipsa « libertas religiosa » videtur esse aequivoca et periculosa.

a) Aequivoca, quia non explicatur in textu quonam sensu accipienda sit; quod certe erit occasio, non tantum Patribus, ut recte timet Relator, sed prae-

sertim aliis minus edoctis, ne magna confusio oriatur. Iustitia timoris confirmatur ex necessitate, quam advertit Relator, determinandi quid cum illa formula intelligendus sit et quid non.

Revera apud plurimos formula accipitur sensu acatholico et saepius applicatur contra religionem catholicam, sed etiam contra quamlibet religionem, ut factum est in Gallia prima vice exeunte saec. XVIII et iterum in tertia Republica [1] et hactenus fit in democratiis, ut aiunt, popularibus.[2]

Sed etiam in documentis Magisterii ecclesiastici, usque ad praesens Concilium, formula accipitur malo sensu, ut infra ostendetur, sicut etiam in multis aliis scriptis.[3]

b) Periculosa, praeterea, et nociva videtur illa formula praesertim propter solemnem proclamationem, quae proponitur facienda ab Ecclesia in Concilio oecumenico: nam promovet et confirmat indifferentiam religiosam, quatenus ingerit opinionem omnem religionem, vel nullam, licitam esse et aequalis vel nullius valoris.

2. Sed, quod maioris momenti est, ipsa res, nempe libertas religiosa, etiam ut in textu subintelligitur et in Relatione explicatur, non videtur veritati satis consona.

Verum est Relatorem afferre rationem veritatis, ut primam ex quatuor, propter quam proclamatio libertatis religiosae proponitur, affirmando Ecclesiam illam doctrinam a Christo recepisse; sed non dicitur in quibusnam fontibus Revelationis veritas illa contineatur.

a) Revera, infra, n. IV, enuntians regulam continuitatis Relator insinuat doctrinam illam inveniri in S. Scriptura, ubi docetur hominem esse ad imaginem Dei factum ideoque dignitate et libertate pollere. Iamvero arguere ex hoc ad indiscriminatam libertatem religiosam, ideoque etiam ad falsam religionem vel nullam, nimis alienum videtur a littera et a sensu Sacrae Scripturae. Rectius, ex similitudine hominis ad Deum, a Deo donata, deducitur debitum gratitudinis hominis erga Deum, sive in affectu, sive in effectu ut pulchre insinuat S. Leo Magnus.[4]

b) Nec Traditio catholica magis favet huic sententiae.

Nonnulli pro libertate religiosa afferunt quandam dispositionem Imperatoris

---

[1] Cf. J. MARX, *Manuale di storia ecclesiastica,* Firenze 1912, pp. 592-598 et 641-642; B. EMONET, *Laicisme* in « Dictionnaire d'Apologétique de la Foi », t. II (Paris 1911), coll. 1786-1795.

[2] Ita art. 124 Constitutionis sovieticae anni 1936 statuit: « Allo scopo di assicurare ai cittadini la libertà di coscienza, la Chiesa nell'URSS è separata dallo Stato e la scuola dalla Chiesa. La libertà di praticare i culti religiosi e la libertà di propaganda antireligiosa sono assicurati a tutti i cittadini ». Commentans haec verba R. SCLAFI, *La campagna antireligiosa nell'Unione Sovietica,* in « Aggiornamenti sociali » marzo 1958, p. 175 (rubr. 903, 2) scribit: « Può destare meraviglia l'osservare che tutte le disposizioni restrittive della religione e i privileggi concessi all'ateismo, non siano considerati mai come limitazione alla libertà di coscienza, *ma come la più alta espressione della libertà religiosa;* come la " pienezza della libertà ", mai raggiunta nel passato e attuata oggi soltanto negli Stati a regime socialista ».

[3] Ita etiam C. FABRO, *Libertà* in « Enciclopedia Cattolica », t. VII (Città del Vat. 1951), col. 1283; cf. in particulari notam 13.

[4] S. LEO MAGNUS, *Sermo I de Nativitate* (*PL* 54, 192): « Agnosce christiane dignitatem tuam: et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire ».

Costantini,[5] sed praeter quam non probatur existentia nec valor ulterior huiusmodi edicti, non ageretur de documento Magisterii ecclesiastici sed potestatis civilis. Facilius enim toleratur talis proclamatio ab auctoritate civili facta, quae proprium habet curare bonum temporale civium, quam si fieret ex parte auctoritatis ecclesiasticae cuius munus directum est bonum divinum, christianum et catholicum promovere.

Certe Ecclesia numquam coactione vel intolerantia voluit religionem veram propagari. Ita expresse testatur Athanasius adversus Arianos,[6] Augustinus adversus Donatistas,[7] Concilium Toletanum IV adversus Iudaeos [8] et pulcherrime explicatur a S. Thoma [9] ut tolerantia erga alias religiones, quae doctrina semper viguit in Ecclesia usque ad documenta Pii Papae XII, ut infra ostendetur.

Non tamen Ecclesia praedicavit libertatem religiosam, quinimmo eius proclamationem, ab aliis factam, expresse et saepe reprobavit usque ad praesens Concilium.

Relator conatur explicare huiusmodi documenta cum regula continuitatis et progressus, quae tamen non videntur esse cogentes.

In particulari relate ad documenta Gregorii Papae XVI et Pii IX [10] explicat libertatem cultus damnatam fuisse, quia principium habebat in indifferentismo

---

[5] Ita L. Rosa, *Libertà di coscienza e libertà religiosa,* in « Iustitia », 16 (1963), 125.

[6] S. Athanasius, *Historia Arianorum ad monachos,* 67 (*PG* 25, 773 A): « Religionis quippe proprium est, non cogere, sed persuadere ».

[7] S. Augustinus, *Contra litteras Petiliani* II, n. 182 (*PL* 43, 315): « Nec persequimur vos, nisi quemadmodum veritas falsitatem... nec vos cogimus inquinari sed suademus sanari... ad fidem quidem nullus est cogendus invitus ».

[8] *Concilium Toletanum* IV, can. 57 (*PL* 84, 3790): « De Iudaeis autem hoc praecepit sancta Synodus neminem deinceps ad credendum vim inferre... non enim tales inviti salvandi sunt sed volentes, ut integra sit forma iustitiae. Similiter legitur in *Decretum Gratiani,* dist. 45, c. 3, *Qui sincera* (Ed. Aem. Friedberg, vol. I, Graz 1955, coll. 160-161): « Qui sincera intentione extraneos a Christiana religione ad fidem cupiunt rectam adducere, blandimentis debent non asperitatibus studere... Itaque fraternitas tua... de suis illos (Iudaeos Neapoli) solemnitatibus inquietari non permittat, sed omnes festivitates feriasque suas, sicut hactenus tam ipsi quam parentes eorum per longum colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant observandi celebrandique licentiam ».

[9] S. Thomas, *Summa Theologica* II, II, q. 10, a. 8 et praesertim 11, ubi legitur: « Utrum infidelium ritus sint tolerandi... Respondeo dicendum quod humanum regimen a divino regimine derivatur, et ipsum debet imitari... Deus autem, quamvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quae prohibere posset, ne, eis sublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequantur. Sic igitur et in regimine humano illi qui praesunt recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur... Sic igitur, quamvis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt vel propter aliquod bonum quod eis provenit, vel propter aliquod malum quod vitatur ».

[10] Gregorius Papa XVI, *Mirari vos,* encycl. 15 aug. 1883 (Denz. 1613-1614): « Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in praesens comploramus Ecclesiam, indifferentismum scilicet, ... atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem conscientiae. Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa atque immoderata libertas opinionum, quae in sacrae et civilis rei labem male grassatur dictitantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare ». Pius Papa IX, *Quanta cura,* encycl. 8 dec. 1864 (Denz. 1689-1690): « ... hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque naturalismi, uti vocant, principii applicantes audent docere, " optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine ". Atque

et in iuridica omnipotentia status. Iamvero indifferentismus est adhuc hodie connexus cum proclamatione libertatis religiosae, si non ut causa, certe ut effectus, in quantum libertatis huius proclamatio ab Ecclesia praesertim facta, alios conformat, ut iam dicebamus, et catholicos inducit in persuasionem omnes religiones, vel nullam, esse aequalis vel nullius valoris. Connexio adest etiam cum omnipotentia status, sicut heri, in republicis liberalibus, ita etiam hodie in statibus communisticis, ubi ex una parte proclamatur libertas religiosa et ex altera parte religio catholica vel omnis religio conculcatur (cf. nota 2).

Leo XIII pariter reiecta sententia de libertate religiosa, doctrinam in Ecclesia traditionalem de tolerantia recolit.[11]

Pariter Pius XI, qui non tantum reicit formulam « libertas conscientiae » sed etiam illam « libertatis conscientiarum » non indiscriminatim acceptavit, ut Relator insinuare videtur, sed quatenus refertur ad iura animarum participandi sibi et aliis beneficia Redemptionis.[12]

---

contra sacrarum litterarum, Ecclesiae sacrorumque Patrum doctrinam asserere non dubitant optimam esse conditionem societatis, in qua imperior non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet. Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae, animarumque saluti maxime exitialem, a rec. mem. Gregorio XVI praedecessore Nostro deliramentum appellatam, nimirum libertatem conscientiae et cultum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla ecclesiastica vel civili auctoritate coartandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce sive typis, sive alia ratione palam, publiceque manifestare ac declarare valeant ». Idem, Syllabus, 15 et 16 (*ibid.* 1715, 1716): « Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt ». Cf. etiam 3 et 39 (*ibid.* 1703 et 1739).

[11] Leo Papa XIII, *Immortale Dei,* Encycl. 1 nov. 1885 (Denz. 1874-1877) ubi, postquam recolit doctrinam Gregorii XVI et Pii IX haec addit: « Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicuius adipiscendi boni aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum. Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet, ut ad amplectendam fidem catholicam nemo invitus cogatur... Simili ratione nec potest Ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat sanctissimarum Dei legum debitamque potestati legitimae oboedientiam exuat. Est enim licentia verius quam libertas ... Contra, illa germana est atque expetenda libertas, quae, si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sinit: si publice, civibus sapienter praeest, facultatem augendorum commodorum large ministrat remque publicam ab alieno arbitrio defendit. Atqui honestatem hanc et homine dignam libertatem Ecclesia probat omnium maxime, eamque ut tueretur in populis firmam atque integram eniti et contendere numquam destitit ». Idem, *Libertas,* Encycl. 20 iun. 1888 (*ibid.* 1932): « Itaque ex dictis consequitur, nequaquam licere petere, defendere, largiri concitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti iura totidem, quae homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari ius esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset. Similiter consequitur, ista genera libertatis posse quidem, si iustae causae sint, tolerari, definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent ».

[12] Pius Papa XI, *Non abbiamo bisogno,* in *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 301-302: « Si tratta del diritto delle anime di procurarsi il maggiore bene spirituale sotto il magistero e l'opera formatrice della Chiesa, di tale magistero e di tale opera in quest'ordine soprannaturale fondato nel sangue di Dio Redentore, necessario ed obbligatorio a tutti per partecipare alla divina redenzione. Si tratta del diritto delle anime così formate di partecipare i tesori della redenzione ad altre anime collaborando con l'attività dell'apostolica gerarchia. È in considerazione di questo duplice diritto delle anime che ci dicevamo testé lieti e fieri di combattere

Pariter Pius XII recolit doctrinam traditionalem tolerantiae. Non propugnat *ius cultus* sed ius *ad cultum* Dei. Iuxta ipsum, enim, nulla humana auctoritas mandare potest vel positive permittere (autorizzare) doctrinam vel actionem contrariam veritati, honestati, quia est contra rerum naturam, etiam illa considerare ut indifferentia; auctoritas humana solum potest tolerare, seu non impedire, determinatam religionem in determinatis circumstantiis.[13]

Sed etiam huius Concilii *decretum de Instrumentis communicationis socialis* nuper promulgatum in n. 6 optime vult « obiectivi ordinis moralis primatum absolute omnibus tenendum ». Quinimmo etiam textus schematis nostri aliquando hoc bene docet, v. g. in n. 5 ubi limitem libertatis religiosae, seu conscientiae, invenit in bono communi seu ordine obiectivo iurium Dei Creatoris et Salvatoris. Ad haec certe est libertas et hic terminat, non enim dari potest libertas ad ea quae iuribus Dei et Salvatoris vel ordini obiectivo opponuntur, ad haec, ut dictum est, dari potest tolerantia. Sed hoc agnoscitur aliquando etiam in ipsa Relatione, v. g. n. 11, ubi optime dicitur enuntiari principium generale: « nulla persona humana obiectum coercitionis seu intolerantiae esse potest ». Nam contrarium,

---

la buona battaglia per la libertà delle coscienze, non già (come qualcuno forse inavvertitamente ci ha fatto dire) per la libertà di coscienza, maniera di dire equivoca e troppo spesso abusata a significare l'assoluta indipendenza della coscienza, cosa assurda in anime da Dio create e redente ».

13 Pius Papa XII, Nuntius radiophonicus 24 dic. 1942, in *A.A.S.* (1943), p. 19: « Il diritto a mantenere e sviluppare la vita corporale, intellettuale e morale, e particolarmente il diritto ad una formazione ed educazione religiosa; il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa ». Idem, *Ci riesce,* allocutio iis qui interfuerunt conventui V nationali italico Unionis Iureconsultorum Catholicorum, 6 dec. 1953, in *A.A.S.,* 35 (1953), quae est magni momenti, praesertim ubi dicit, pp. 798, 799: « Ora relativamente agli interessi religiosi e morali si pone una duplice questione: la prima concerne la verità oggettiva e l'obbligo della coscienza verso ciò che è oggettivamente vero e buono; la seconda riguarda l'effettivo contegno della comunità dei popoli verso il singolo Stato e di questo verso la comunità dei popoli nelle cose della religione e della moralità. La prima può difficilmente essere l'oggetto di una discussione e di un regolamento... La seconda invece può essere della massima importanza ed urgenza... Occorre, però, affermare chiaramente: che nessuna autorità umana, nessuno Stato, nessuna comunità di Stati, qualunque sia il loro carattere religioso, possono dare un mandato positivo o una positiva autorizzazione di insegnare o di fare ciò che sarebbe contrario alla verità religiosa e al bene morale. Un mandato o una autorizzazione di questo genere non avrebbero forza obbligatoria e resterebbero inefficaci. Nessuna autorità potrebbe darli, perché è contro natura di obbligare lo spirito e la volontà dell'uomo all'errore ed al male o a considerare l'uno e l'altro come indifferenti... Un'altra questione essenzialmente diversa è: se in una comunità di Stati possa, almeno in determinate circostanze, essere stabilita la norma che il libero esercizio di una credenza e di una prassi religiosa o morale ... non sia impedito... In altri termini si chiede se il " non impedire ", il tollerare, sia in quella circostanza permessa, e perciò la positiva repressione non sia sempre un dovere... Può darsi che in determinate circostanze egli (Dio) non dia agli uomini nessun mandato, non imponga nessun dovere, non dia perfino nessun diritto di impedire e di reprimere ciò che è erroneo e falso? Uno sguardo alla realtà dà una risposta affermativa. Essa mostra che l'errore e il peccato si trovano nel mondo in ampia misura. Iddio li riprova; eppure li lascia esistere. Quindi l'affermazione: il traviamento religioso e morale deve essere sempre impedito, quanto è possibile, perché la sua tolleranza è in se stessa immorale non può valere nella sua *incondizionata assolutezza...* Con questo sono chiariti i due principi... Primo: ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto né all'esistenza, né alla propaganda, né all'azione. Secondo: il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno essere giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto ».

vel melius contradictorium, coercitionis et intolerantiae est tolerantia non vero libertas.

c) Praefatis documentis S. Scripturae et Traditionis Magisterii Ecclesiae etiam ratio concordat. Nam libertas non est valor absolutus, sed relativus ad aliquid; non habet valorem boni propter se, seu finis, sed valorem medii ad aliud, et hoc non potest esse nisi bonum et verum: nemo, enim, dicitur habere ius seu libertas ad malum vel ad falsum.

Nec valet obiicere libertatem esse ius subiectivum, ius personae etc. quia omne ius, ut omnis libertas, non potest esse solum subiectivum, non enim solum subiectum cui inhaeret supponit, sed etiam obiectum ad quod refertur, sine quo vacuum esset.

Obiectum ergo ad quod datur libertas est verum et bonum, ad eius contraria tolerantia concedi potest ad alia mala vitanda vel ad alia bona magni momenti tuenda.

3. Neque cogentes videntur aliae rationes in Relatione allatae pro libertatis religiosae proclamatione ex parte Ecclesiae.

a) Non ratio defensionis contra atheismum. Hoc potius postularet proclamationem claram erroris atheismi et libertatis *ad religionem,* non libertatis religiosae, in qua, ut iam diximus, includitur etiam libertas atheismi (cf. nota 1-2).

b) Non ratio pacificae cohabitationis inter cives diversae religionis. Hoc certe postulat ut Ecclesia multa taceat et toleret, et praesertim ut hoc faciat status, non ut proclamet quemlibet liberum esse ad quamlibet religionem profitendam. Non hoc est munus Ecclesiae sed praedicandi Evangelium, docendi omnes gentes servare omnia quae Christus mandavit (cf. *Mt.* 28, 20). Pacifica cohabitatio est certe magnum bonum propter quod multa tolerari debeant, sed non est supremum bonum cui omnia alia et ipsa propagatio Evangelii perpetuo postponenda sunt. Christus declaravit non venisse mittere hanc pacem cum detrimento vitae aeternae, sed si est necessarium, bellum (cf. *Mt.* 10, 34 s.).

c) Nec convincit ratio oecumenica ad vitandas suspicationes acatholicorum. Hoc certe evitandum est quantum possibile est, sed non absolute cum detrimento veritatis.

4. In particulari non placent nonnullae expressiones quae leguntur in textu.

a) Ita non placet invitatio quae legitur initio capitis, ut « omnes... homines reiecto vetere discordiae fermento... aestiment et promoveant veritates et valores inter ipsos communes ». Cum enim hodie veritates et valores inter homines communes sint plerumque veritates et valores temporales vel materiales, quae saepe praedicantur promovenda absque, ut aiunt, differentia religionis, sequitur tacenda esse veritates et valores religiosa, vel christiana et catholica, si non etiam reicienda velut motivum discordiae.

b) Non placet quod dicitur n. 2: « quamdiu in errore invincibili versatur haec persona humana aestimatione digna est atque eius libertas religiosa ab Ecclesia agnoscitur et vindicatur ». In primis, quia non determinatur utrum persona digna sit aestimatione *quia* an potius *quamvis* in errore versatur. Secundo, quia nullus potest concedere et vindicare libertatem religiosam quae obiective non datur, sed solum tolerantiam, ut dictum est. Tertio, quia tolerantia in casu non ab Ecclesia concedi potest, eo quod non habet physicam possibilitatem exercendi coactionem ab extra, ideoque etiam sine tali concessione homines habere pos-

sunt libertatem seu immunitatem a coactione externa, sed ab auctoritate civili, quae instrumentis coercitivis instructa est et potest in eorum usu excedere.

c) Non placet quod dicitur n. 3: « In hoc problemate solvendo nec ullus alius homo, nec ulla humana potestas sese ipsi substituere valet », quia hoc ansam dare potest opinandi nullam auctoritatem humanam, nec Ecclesiae vel magistrorum vel parentum, posse influere in efformatione conscientiae rectae, quod sapit existentialismi ethici, seu moralis novae situationis a Pio Papa XII denuntiatae.[14] Insuper exaltando hoc modo libertatem exaltatur etiam individualismum et solitudo spiritualis, quae sunt malum et causa aliorum malorum societatis et praesertim iuventutis modernae et non minus est contra caritatem quam ipsa coactio.

d) Non placet quod dicitur saepe nn. 4 et 5, nempe libertatem religiosam limitatam esse a (solo) bono communi, quia ingerit opinionem religionem, etiam veram, posse nocere bono communi quod ceterum n. 5 bene connectitur cum ordine obiectivo Dei et Salvatoris.

e) Non placet tandem quod n. 6 appellantur homines bonae voluntatis etiam illi qui nullam religionem profitentur, quod est contra doctrinam de cognoscibilitate Dei a S. Scriptura clare proclamatam et in Concilio Vaticano I solemniter definitam.[15]

5. Concludendo, igitur, proponitur aut omitti proclamatio libertatis religiosae, aut distinguendo praedicetur libertas *ad religionem,* eamque veram, et tolerantia ad alia, v. g. caput inscribendo *de libertate et tolerantia religiosa,* vel aliquid simile et textus aptetur principiis et animadversionibus factis.

---

[14] PIUS PAPA XII, *La famiglia,* Nuntius radiophonicus de conscientia christiana in iuvenibus recte efformanda, 23 mart. 1952, in *A.A.S.,* 34 (1952), p. 273: « Come della dottrina dommatica, così anche dell'ordinamento morale cattolico si vorrebbero istituire quasi una radicale revisione per dedurne una nuova valutazione. Il primo passo... dovrebbe essere quello di svincolarle... dalla sorveglianza angusta e opprimente dell'autorità della Chiesa, cosicché liberata... la morale sia ricondotta alla sua forma originaria e rimessa semplicemente alla intelligenza e alla determinazione della coscienza individuale. IDEM, *Soyez les bienvenues,* allocutio 18 apr. 1952, *Ibid.* 414-416 passim: « Le signe distinctif de cette morale est qu'elle ne se base point en effet sur les lois de morale universelle... mais sur les conditions ou circonstances réelles individuelles à juger et à choisir... Si la conscience sérieusement formée décidait que l'abandon de la foi catholique et l'adhésion à une autre confession qualifiée de " défection dans la foi "... Dans la détermination de conscience l'homme singulier se décide devant Lui (Dieu), sans l'intervention d'aucune loi, d'aucune autorité, d'aucune communauté... Sous cette forme expresse l'éthique nouvelle est tellement en dehors de la foi et des principes catholiques, que même un enfant, s'il sait son catéchisme, s'en rendra compte et le sentira ».

[15] *Sap.* 13, 1-2: « Vani autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei; et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex ». *Rom.* 1, 19-21: « quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt ». *Concilium Vaticanum I,* Sessio III, *De revelatione* can. 1 (DENZ. 1806): « Si quis dixerit, Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse: anathema sit ».

9

CONFERENTIA EPISCOPORUM COLUMBIAE

Commissio episcopalis Fidei et Morum hoc sentit:

1. Declaratio de libertate religiosa, quamvis iam independens, magis adhuc separetur a decreto de Oecumenismo, ita ut propria enumeratione appareat.

2. Prologus (hodiernus n. 25), aut deleatur aut conservetur introducto motivo defensionis omnis religionis et societatis humanae adversus hodiernum materialismum atheum, sicut exprimebatur in n. 6 schematis 1963.

3. In descriptione de natura libertatis religiosae (n. 26), debita fundamenta ordinis naturalis pro omnibus hominibus exponantur et fusius principia revelationis positivae divinae pro christianis explicentur.

4. Expressio « vocatio divina hominis » quae saepe saepius apparet (pag. 24, lin. 14; pag. 30, lin. 31; pag. 31, linn. 2 et 7; pag. 33, linn. 10 et 24), ut impervia non christianis simpliciter mutetur, posita alia expressione aequivalenti vel meliore, v. g. « integra necessitudo hominis ad Deum » (pag. 31, lin. 7).

5. Iusta et fundamentalis affirmatio (initio n. 29) qua « Ecclesia catholica asserit libertatem religiosam non tantum a christianis et pro christianis, sed ab omnibus et pro omnibus hominibus et coetibus religiosis in societate humana observandum esse », inniti debet non solum « vocatione » sic dicta « divina » hominis (pag. 30, lin. 38), sed argumentis quae valida sint et aperta omnibus hominibus. Assumi potest expressio Ioannis XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris* (*A.A.S.,* 55, pp. 260-261): « in hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri ».

6. Quod in n. 29 (pag. 31, lin. 33) formula « fini societatis » pro « bono communi societatis » mutetur, enixe rogamus, et ibidem cum agatur de perfectione hominum, non tantum de temporali sed etiam de aeterna dicatur.

His positis, nostrum votum datur: *placet iuxta modum.*

Votum paratum erat pro coetu episcoporum, tempus autem defuit ad deliberationem.

IV

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE QUOAD SCHEMA DE OECUMENISMO CAP. I-III

POST DIEM 14 SEPTEMBRIS 1964

1

EM.MUS P. D. NORMANNUS THOMAS CARD. GILROY
Archiepiscopus Sydneyensis

Ad paragraphum 4, n. 8, cap. II. Cum paragraphus, quae incipit a verbis « Attamen communicationem in sacris... » et concluditur verbis « attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum et personarum » cap. II, n. 8 decreti *de Oecumenismo* (pag. 15, linn. 29-36), sententia episcoporum Australiae, Novae Zelandiae et Oceaniae, obnoxia sit interpretationi periculis plenae fidei populi nobis commissi — quae pericula quoad sacramenta augentur eo quod fratres seiuncti qui nobiscum habitant communitatibus religiosis adscribuntur quae sacramenta praeter baptismum et sic dictam « Coenam Domini » non admittunt, nec eorumdem fratrum seiunctorum coetibus religiosis praeest minister valide ordinatus;

Nomine episcoporum Australiae, Novae Zelandiae et Oceaniae, submittere velim ut in definitiva textus redactione clare exprimatur necessitas vitandi quodvis fidei periculum in quacumque cum fratribus seiunctis communicatione in sacris.

Ideoque peto ut comma ultimum, quod incipit cum verbis « De modo concreto agendi », sic vel simili modo modificetur ita ut legatur: « De modo concreto agendi prudenter decernat auctoritas Conferentiae episcopalis, salva semper lege divina de formali adhaesione errori vitanda necnon de periculo perversionis in fide, scandali et indifferentismi non includendo, attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum et personarum ».

2

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA
Episcopus Veliternus

De vera Ecclesiae catholicae natura. In decreto sermo fit de variis communitatibus religiosis, quae ostenduntur tamquam a Christo conditae atque in unum congregandae ad unicam veramque Ecclesiam efformandam, neque satis clare inde ab initio Ecclesia catholica unica atque vera Christi Ecclesia a Christo fundata dicitur et tales esse ceterae ecclesiae negantur (cf., v. g., pag. 5, praesertim linn. 4-5 in prooemio).

Adde quod cum Ecclesiae catholicae tamquam unicae Christi Ecclesiae testimonium redditur, verbum iteratur « credimus » (par. 3, pag. 8, linn. 2, 13). Quod est ambiguum atque erroneam pati potest interpretationem quasi scil. possit aliquis sibi subiective persuaderi vel per fidem moveri ad hanc veritatem accipiendam, minime fretus illis certissimis signis, pro quolibet bonae voluntatis homine validis ad discernendum, divina gratia auxiliante, catholicam Ecclesiam tamquam veram Christi Ecclesiam (Conc. Vat. I, cap. 3, DENZ. 1794).

Talis loquendi modus per quem Ecclesia tamquam « par cum pari » (par. 9, pag. 16, lin. 5) ceteris communitatibus christianis aequatur, prodesse quidem potest si catholici et acatholici, quasi in dialogo colloquentes, ita se *externe* gerant, at non congruit Oecumenico Concilio, quod, muneris sui conscium, cum auctoritate profitetur se unicam atque veram Christi Ecclesiam repraesentare. Concilium enim, si aequivoce loquatur, videtur opinioni illi adstipulari, inter acatholicos, nunc vero inter quosdam etiam catholicos diffusae, iuxta quam Ecclesia catholica aliaeque christianae ecclesiae sunt eiusdem christianae religionis formae variae, ad quas pertinet unitatem pariter requirere cum Ecclesia catholica unitate illa careat quae inalienabilis proprietas est verae Christi Ecclesiae.

Oecumenismum catholicum et fidei propagandae praeservandaeque munus. Digna est quae animadvertatur affirmatio discrimen excludens inter verum oecumenismum catholicum et sedulitatem promovendi conversiones etiam individuales (par. 4, pag. 9, linn. 12-16). Nonnulli enim catholici, theologi quoque, non verentur operam hanc, quam contemnentes « proselytismo » appellant, palam etiam reprobare. In comperto est hanc agendi ac loquendi rationem postremis hisce annis nonnihil contulisse ad imminuendi conversiones ad unicam atque veram Christi Ecclesiam.

Ad haec inconvenientia propulsanda iuvat adiici in citato loco per oecumenismum catholicum minime vetari quominus protestantium inter catholicos opera oppugnetur simulque catholici doceantur ut fidem suam, motivis instructam, acatholicis proponere et errores ab Ecclesia damnatos refutare valeant.

Expedit praeterea ut illud (par. 24, pag. 25, lin. 3) per quod a Concilio reprobatur « levitas et imprudens zelus », explicite negetur, contra nonnullos ita asseverantes, ad fidem catholicam propagandam ac praeservandam pertinere.

Fidei praeservandae studium vitari etiam requirit expressiones atque affirmationes, in rebus protestantium pertractandis, quae catholicae religionis conditiones in saec. XVI ita videantur exhibere ut inferri possit unitatem iure meritoque infractam esse.

Illud etiam vitetur oportet ne opinio invalescat quae teneat catholicos saepe verbo Dei infideles, acatholicos econtra omnes in bona fide versari deque ipsis semper vel plerumque dici posse: « quantumvis conatus sit recte videre quid Deus in concreto ab ipso petat, in erroneam interpretationem incidat » (*De Oecumenismo, appendix de libertate religiosa,* n. 29, pag. 31, linn. 16-17).

Nam si acatholici dicuntur plerumque catholicis meliores, difficulter contendi potest catholicam Ecclesiam mediis sanctificationis plene pollere et aliqua extra ipsam subsidia sanctificationis desiderari (par. 3, pag. 8, linn. 1-2; 10-12) minusque adhuc acatholicos moneri licet verbis istis Encyclicae *Mystici Corporis*: « ut ab eo statu se eripere studeant, in quo de sempiterna cuiusque propria salute securi esse non possunt » (*A.A.S., 35* [1943], pp. 242-243).

3

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Circa cap. II: *De Oecumenismi exercitio.* In pag. 15, sub n. 8, ad confusionem evitandam emendationem propono. Textus propositus: De modo concreto agendi prudenter decernat conferentia episcopalis, attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum et personarum.

4

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA

Archiepiscopus de Lourenço Marques

Observationibus adhaereo em.morum cardd. Ruffini et Ottaviani, necnon exc.mi Parente et aliorum multorum Patrum, de necessitate scil. aptandi schema, ne confusio magna oriatur, cum de Oecumenismo agitur et specialiter de libertate religiosa.

En casum. Iuvenis catholicus matrimonium contraxit cum puella protestante apud ministrum acatholicum. Cum autem aliqua ex familia mulier ipsum monuisset (ante matrimonium) de errore commissurum, respondit ille: « nonne sumus oecumenismi tempore? quid refert? ipsum Concilium loquitur de mutua comprehensione ».

Haec quidem est ignorantia, sed adest in multis ex nostris.

Ergo, ante omnia et super omnia affirmanda est veritas catholica.

Possumus, certe, et debemus caritatem habere, amicitiam colere, sed semper *theoretice et practice* salvare veritatem nostram.

Timeo valde ne nos Patres conciliares cum « propaganda moderna » futili, iter faciamus.

Dicamus quidem verbum, etiam de « libertate religiosa » sed *firmiter, caute,* et *in Domino.*

Homo dici non potest liber in Deo colendo.

5

EXC.MUS P. D. ROMANUS ARRIETA VILLALOBOS

Episcopus Tilaranensis

1. El Ecumenismo no puede aplicarse de idéntico modo en las diversas regiones de la tierra. Ello podría resultar sumamente peligroso.

2. El Ecumenismo en América Latina presenta problemas especiales que exigen soluciones especiales. América Latina es de gran importancia para la Iglesia. Hoy habitan en ella al 33% de todos los católicos del mundo y para fin del siglo sarán el 50%. Un error pastoral en esas circumstancias per mal manejo, digamos del movimiento ecuménico, puede ser de fatales consecuencias.

Los problemas que para el Ecumenismo en América Latina se presentan son, primordialmente

a) Ignorancia religiosa, motivada per la falta de Clero, población dispersa y grandes distancias.

b) Un protestantismo muy diferente del de Europa, empeñado vivamente en destruir allí la Iglesia Católica. 400.000 adultos latinoamericanos pasan anualmente al protestantismo.

3. Para que pueda pensarse en un fructuoso movimiento ecuménico en America Latina y prevenir indudables peligros, urgen antes dos cosas:

a) dedicarse intensamente a la formación religiosa del pueblo latinoamericano para que sepa distinguir perfectamente entre verdad y error, y

b) un cambio de actitud de nuestros hermanos separados que se manifieste sobre todo

aa) en un trato caritativo para las personas e instituciónes catolicas, y

bb) en la suspención de campañas abiertamente proselitistas las que, en conciencia, no podrían mirar con indiferencia los sagrados pastores.

6

Exc.mus P. D. MICHAEL BALAGUER

Episcopus tit. Castellominoritanus, aux. Montisvidei

Sobre el esquema *del Ecumenismo.*

Creo necesario para completar les observaciones sobre el proselitismo protestante en la América Latina, hechas por numerosos Obispos, entre cuyos firmantes estoy incluido, señalar lo siguiente:

1. Ese proselitismo es de los grupos llamados « sectas » por los mismos protestantes, por ejemplo: « Los Testigos de Jehová », Adventistas, Pentecostales, Ciencia Cristiana, Mormones, etc. Los demás protestantes, como los luteranos, anglicanos, calvinistas, metodistas etc. que son los más religiosos, no hacen propiamente proselitismo.

2. Es de origen *exclusivamente* norteamericano. De Estados Unidos vienen los primeros propagandistas y los recursos económicos para la construcción de templos, sueldos de pastores, y pago de la propaganda radial y escrita, etc.

3. Cuenta con medios económicos que no pueden ser neutralizados, al menos en la mayoría de los paises, por ejemplo en el Uruguay, con los que la Iglesia pueda disponer para ello.

4. El contenido de su propaganda, como dirigido a gente tradicionalmente católica, a la cual se quiere atraer para esas sectas, essencialmente anticatólico. Más que enseñar a amar a Cristo se busca predisponer a la gente contra la Iglesia. Por ejemplo, en las visitas domiciliarias, uno de los medios más comunes de ese proselitismo, se pregunta a la gente de qual religión son, y, como la respuesta, en casi todos los casos es: de la católica, en seguida se les dice: pero esto o aquello que les enseña la Iglesia está contra la Biblia, o no está en la Biblia.

El mismo es el tono y el enfoque de mucha propaganda escrita, no siendo raro que publiquen declaraciones contra la Iglesia Católica de sacerdotes apóstatas, que se han hecho protestantes para tener medios de subsistencia.

5. El resultado de esto más que hacer protestantes es hacer irreligiosos. Los adherentes que consiguen son gente que no conocía la doctrina de su Iglesia, y a los cuales se les halaga con la perspectiva de convertirse fácilmente en maestros con la sola lectura de la Biblia entendida a su manera. Es cierto que ciertas sectas satisfacen el deseo de oración que experimenta toda alma, y que nosotros desgraciadamente no supimos, o no pudimos cultivar.

6. Esa propaganda se ve facilitada por la facilidad con que pueden contar con pastores o predicadores, frente a la dificultad que tenemos nosotros para formar sacerdotes. Poco se necesita para ser pastor protestante, ya sea en estudios, ya sea en otras exigencias, en cambio, es muy otro el panorama de la Iglesia con respecto a sus sacerdotes. Por eso no puede extrañar que un solo grupo, por ejemplo, los mormones, tengan en el Uruguay más propagandistas que sacerdotes la Iglesia Católica.

Por eso el Directorio que se pide a la Comisión de Ecumenismo debe tener presente estas realidades.

Finalmente no son medidas de coacción estatal lo que se necesita para combatir esto, pues ellas naturalmente enardecen al hecho víctima de las mismas, y, por lo tanto aumenta su celo, y además predisponen a la gente con sentido de justicia a ponerse de parte del perseguido, lo que se requiere son obras por parte de la Iglesia para neutralizar esa acción proselitista. Estas serán ciertamente eficaces ya que contarán con la gracia de Dios. Pero la gracia no puede hacer eficaz lo que no existe.

Pero ¿pueden los Obispos de Latino América hacer las obras de apostolado necesarias para contrarrestar la obra realizada por esas sectas, gracias a la lluvia de dóllares que viene de Norte América para esas obras de proselitismo, con medios que no pueden conseguir en sus diócesis, en la mayoría de los casos?

De ninguna manera.

Algunos Obispos, entre los que me incluyo, han procurado interesar el Episcopado de Norte América en las obras para contrarrestar esa realidad que cualquiera puede conocer; pero ni siquiera se responde a esas propuestas, aunque sea con una negativa. Un despectivo silencio es toda la contestación que se consigue. Como se puede comprender esto es sumamente doloroso y revela que en las Curias Episcopales de Norte América debe ser muy generalizada la opinión de los empleados subalternos que impiden que esos petitorios lleguen a sus destinatarios, de que los Obispos Latinoamericanos somos el pariente pobre, que se pone fastidioso y es mejor no atender para que se calle.

Sin embargo el daño que padecemos vine de esa nación, que lo puede hacer porque es rica, y porque los protestantes ricos piensan de otra forma que ciertos católicos de allí, y entienden que es bien gastado el dinero que se invierte en « misiones » en la América Latina.

Con la implantación del Diaconado se puede contrarrestar en parte el aluvión de pastores o propagandistas protestantes, pero siempre que se tengan los recursos que poseen ellos para poder hacer las obras tendientes a descatolizar nuestros paises.

Nada se conseguirá con condenar con palabras enérgicas este proselitismo, si no realizamos las obras necesarias para neutralizarlo.

7

EXC.MUS P. D. ANTONIUS BARANIAK
Archiepiscopus Posnaniensis

Quoad schema decreti *de Oecumenismo,* cap. I: *de catholicis Oecumenismi principiis* dicendum est: *placet iuxta modum.* Modus autem est, ut in descriptione Oecumenismi, quae continetur in art. 4 (pagg. 8 ad 10), ratio habeatur etiam difficultatum externarum, in quibus versantur diversi christiani; apud illos enim optima etiam voluntas in opere oecumenico participandi inefficax evadit propter modum agendi praepotentis rationis status, quae absolute excludit omnem actionem omnemque motum liberum, ad unionem cum aliis christianis tendentem.

In invitationibus dandis et consiliis proponendis aliquo modo has difficultates considerare oportet et illas diversas communitates christianas praemunire contra talem statum rerum. Praeterea schema decreti debet solemni modo contra illas oppressiones insurgere potius, quam eas timido modo praeterire et difficultates oecumenismi animadvertere tantum in oppositione spirituali et interna apud varias communitates christianas existente.

Antequam Oecumenismi definitio in hoc capite exaretur, prae oculis habeantur litterae pastorales Fratrum separatorum, quas ipsi contra praxim oecumenismi cum catholicis fovendi scripserunt — certe non sine influxu hominum christianae unioni vehementer adversantium.

*Cf. Allegatum.**

8

EXC.MUS P. D. GEORGIUS ANDREAS BECK
Archiepiscopus Liverpolitanus

In cap. III schematis agitur de communitatibus ecclesiasticis a Sede Romana seiunctis decursu saec. XVI. Dicitur sub n. 13, pag. 18, linn. 9 ss.: « Exinde a Sede Romana plures communiones sive nationales sive confessionales se seiunxerunt. Inter eas, in quibus traditiones et structurae catholicae ex parte subsistere pergunt praeeminet communio anglicana ».

Hic punctum tangimus magni momenti in relationibus nostris cum communione anglicana — punctum interpretationis historicae eventuum qui locum habuerunt in Anglia in praedicto saec. XVI. Nam generatim apud membra Ecclesiae Anglicanae persuasio viget quod in decursu horum annorum Ecclesia Anglicana (uti nomen habuit saltem inde a saec. XIII) seipsam seiunxit a Sede Romana, et quod hoc factum est consulto per actum reformativum ab ipsa Ecclesia prolatum.

Catholici vero in Anglia hanc verum interpretationem numquam admiserunt. Haec enim duo iugiter sustinuerunt — primo, nempe, quod scissura a Sede Romana opus fuit civilis potestatis, et secundo quod id factum est modo plane dictatoriali contra votum unanimem omnium episcoporum in camera vulgo dicto

---

* [*Addidit — etiam in versione gallica — textum epistolae pastoralis, mensis martii 1964, exc.mi Basilii, ep. orthodoxi de Wroclaw et Szczecin*].

" House of Lords " expressum, itemque contra voluntatem expressam eorum qui canonice organum constitutionale Ecclesiae in Anglia constituebant, nempe Convocationem.

Haec opinio, quae fulcitur auctoritate multorum peritorum non-catholicorum magni nominis (exemplum adiungitur in appendice) inter historicos generatim latius comprehenditur, et ut arbitror, recipitur.

Prostant quaedam facta notabilia. E. g. nova legislatio saec. XVI in Anglia obligans catholicis accipere primatum potestatis civilis in rebus ecclesiasticis, ab ipsa potestate civili condita est. Idem dicendum est de lege qua catholici tenebantur publice assistere actibus cultus novae religionis in libro liturgico " Book of Common Prayer " statutis. Tota haec legislatio a gubernio civili lata est, sanctiones omnes civiles erant. Ac proinde qui renuerunt peccatum apostasiae committere damnati sunt non ut heretici sed ut malefactores, et in extremum, ut traditores patriae suae, rei criminis laesae maiestatis.

Hoc punctum interpretationis historicae non est parvi momenti. Si versio Anglicana eventuum vera est, Ecclesia hodierna Anglicana nexum continuitatis habet cum Ecclesia Anglicana medii aevi — continuitatis non mere externae, nominibus et formis debitae, sed vere constitutionalis et quodammodo essentialis. Archiepiscopus Cantuariensis dicendus esset verus successor Sancti Augustini qui primus a Sancto Gregorio Magno ad hoc officium nominatus est. Nova illa hierarchia a Pio IX a. 1850 restaurata intrusio quaedam supplantrix reputanda esset, ut multi acatholici saec. XIX de facto illam incriminaverunt.

Verumtamen, si, e contra, interpretatio catholica illorum eventuum recipitur, cum eximio historico iuris Anglici, Sir William Holdsworth dicere compellimur Ecclesiam Anglicanam nonobstantibus formis quibus vestitur revera novam esse creationem potestatis civilis, ut dicitur Tudoris.

Haec omnia invite proferor, sine animo offendendi contra ullum ex fratribus nostris seiunctis quorum praesentia in hac aula observatorum more laeto corde recipimus.

Attamen meo humili iudicio textus schematis in duobus verbis « se seiunxerunt » (pag. 19, lin. 10) in hac re iudicium emisit — iudicium quod favet interpretationi Anglicanae in hac quaestione. Quando schema loquitur de communionibus sive nationalibus sive confessionalibus quae a Sede Romana *se* seiunxerunt quamdam conclusionem infert, scil. quod tales communiones auctores fuerunt suae propriae seiunctionis; quod nempe de facto vera extitit continuitas inter praeteritum et praesens. Sed hoc praecise respectu Anglicanismi est punctum discordiae. Sane non rogo, ut Concilium sententiam pronuntiet in re historica. Ideoque ad omnem contentionem evitandam proponerem parvam mutationem in verbis citatis scil. loco « *se seiunxerunt* » legendum est « seiunctae sunt ». Hac parva mutatione quaestio aperta manebit pro disceptationibus in dialogo futuro cum fratribus nostris seiunctis.

Concordes sumus cum iis quae scripsit exc.mus ac rev.mus D. Georgius Andreas Beck, arch. Liverpolitanus, relate ad verba « se seiunxerunt » in pag. 19 lin. 10, et nos quoque proponimus ut loco verborum « se seiunxerunt » legatur « seiunctae sunt ».

[*Subscripserunt*] N. T. card. Gilroy, arch. Sydneyensis; Jacobus Gleeson, arch. tit. Aurusulianensis; Matthaeus Beovich, arch. Adelaidensis; James P. O'Collins, ep. Ballaratensis; Th. McCabe, ep. Vollongongensis; E. M. O'Brien, arch. Canberra et Goulburn; Thomas Cahill, ep. Cairnensis; Patricius M. O'Donnell, ep. tit. Pelusiotanus; Patrick Farrelly, ep. Lismore; J. Rodgers, ep. tit. Sbidensis; George H. Pearce, vic, ap. Samoa et Tokelau; Dan.

Stuyvenberg, vic. ap. Solomon Merid.; William Brennan, ep. Toowoomba; Hugh Ryan, ep. Townsvillensis; Albert Thomas, ep. Bathurst; F. Henschke, ep. Wagga-Wagga; F. Rush, ep. Rockhampton; Bernardus Stewart, ep. Sandhurst; Myles McKeon, ep. tit. Antipyrgos; Leo Arkfeld, vic. ap. Wewak N. G.; Leo L. Lemay, No. Solomon Islands; Paschal Sweeney, praef. ap. Vanimo N. G.; John E. Crawford, ep. tit. Caffensis; Ad. Noser, vic. ap. Alexishafen; L. Goodey, ep. Bunbury; Bryan Gallagher, ep. Port Pirie; John Toohey, ep. Maitland; John O'Loughlin, ep. Darwin.

Appendix. Excerptus ex opere Sir William Holdsworth: *A History of English Law,* vol. I, pp. 590-1.

But the preamble in this Statute of Appeals (of 1533) is remarkable, partly because it manufactures history upon an unprecedented scale but chiefly because it has operated from that day to this as a powerful incentive to the manufacture by others upon similar lines. The Tudor settlement of the relations of Church and State was a characteristically skilful instance of the Tudor genius for creating a modern institution with a medieval form. But in order to create the illusion that the new Anglican Church was indeed the same institution as the medieval Church it was necessary to prove the historical continuity of these two very different institutions; and obviously this could only be done by an historical argument. When this argument had been put forward in a statutory form it became a good statutory root of title for the continuity and catholicity of this essentially modern institution. But a merely statutory root of title gave an obvious handle to its opponents and could hardly be expected to satisfy its supporters. It is not therefore surprising that lawyers, theologians and ecclesiastical historians soon began from their different points of view, to amplify and illustrate this historical argument, in order to prove that it rested upon a solid basis of historic truth. Two great professions thus have had and still have a direct professional interest in maintaining this thesis. The lawyers are tied to it by their statutes and cases; the ecclesiastics by the traditions and authoritative declarations of their Church. Naturally therefore its truth is still believed and maintained by a long array of imposing names. It was not until a historian arose who, besides being the greatest historian of the century, was both a consummate lawyer and a dissenter from the Anglican as well as other Churches, that the historical worthlessness of Henry's theory was finally demonstrated.

9

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

Cum satis superque, de doctrina contenta in textu proposito, multi sint iam loquuti, liceat et mihi nunc breviter quaedam attingere de stylo, seu modo dicendi, et de — ut ita dicam — mentalitate et spiritu, quo textus redactus esse videtur.

De libertate enim religiosa in genere, ac de relationibus Ecclesiae et Status in specie, notissima sunt principia catholica semper vigentia a Gregorio XVI, ad Ioannem XXIII. At nostra etiam tempora alias rerum circumstantias invexerunt ex quibus orta est necessitas, non quidem ut nova proponerentur principia, sed ut noviter ad novas insurgentium rerum conditiones, apte ipsa semper eadem principia accommodarentur.

Hae autem novae novi temporis conditiones in sequentibus rerum adiunctis manifestantur:

1. *Ex philosophia.* Hodierna libertatis religiosae proclamatio non amplius iam fit sub influxu liberalismi individualistici, aut collectivismi statalis. Neque, generatim loquendo, contra Ecclesiam catholicam.

At non minus fit sub influxu personalismi humanistici « existentialis », atheistici, aut laicismi redivivi naturalistici. Qui omnes simul errores illam creaverunt

atmosphaeram quae dicta est « *ethica situationis* » subiectivistica, damnata pluries a Pio XII, eo quod rerum ordo obiectivus in ea non tenetur.

Iam vero, textus propositus ingenue sese confidit huic atmosphaerae subiectivisticae, negligens quasi omnino errores quae ipsam sustentant.

Hinc, sit mea quasi *prima conclusio*: vera scil. necessitas ut iterum germana dignitas humana, verusque *humanismus christianus*, luce revelationis catholicae, illustretur.

2. *Ex internationalismo.* In instrumentis iuridicis Organizationum internationalium (ONU, CEE, WCC), vel quae iam parata prostrant, vel quae proxime parantur, libertas religiosa statuitur, et quam maxime commendatur.

Textus autem propositus optime quidem procedit, cum documentum proferre intendit quod omnibus qualitatibus humanis excellat.

At haec non sufficiunt pro documento vere « catholico ». In illis enim instrumentis iuridicis Organizationum Internationalium non sufficienter apparet libertas religiosa in sua specifica ratione, sive personali sive etiam sociali.

Hinc, *secunda nostra conclusio*, exstat vera necessitas ut haec omnia ab Ecclesia catholica illustrentur lumine revelationis. Hoc autem non sufficienter a textu proposito praestatur.

3. *Ex Oecumenismo.* Consilium, quod dicitur, Ecclesiarum (WCC) plurima iam edidit documenta de libertate religiosa (Oxford, 1937; Madras, 1938; Amsterdam, 1948; Nova Delhi, 1961). Harum autem declarationum fautores aperte dixerunt non semel sese expectare ab Ecclesia catholica documentum aliquod de libertate religiosa.

Hinc, sit *tertia nostra conclusio*, magna exstat convenientia ut Concilium ita de libertate religiosa loquatur, non quasi « libertas » nunc primo ab hodiernis fuerit adinventa, a quibus deinde Ecclesia catholica mutuarit. Sed ita loquatur, uti revera res se habet, scil.: ut doctrina catholica, semper in traditione agnita, nunc hodie iuxta novas necessitudines temporum exponatur.

Unde non satis recte procederetur si, modernitati consulens, Ecclesiae catholicae venerabilis traditio in hac re omnino deseritur.

4. *Ex nova evangelizandi methodo inducenda.* Ecclesiae catholicae ius confessionale, nunc hodie non amplius agnoscitur apud nationes evangelizandas.

Hinc, sit *quarta nostra conclusio*, existit vera necessitas fundandi libertatem religiosam, etiam in iure naturae, quae ab omnibus agnosci debet.

Attamen, vigilanti cura nitendum est ut Ecclesia catholica semetipsam non manifestet ut purum puri humanismi fautorem, quasi si « Evangelii sese erubesceret ».

Inde necessitas textum exhibendi in quo verus atque integralis Humanismus describatur secundum catholica principia, quae nonnisi revelata esse possunt.

5. *Ex indole pastorali.* Fideles catholici, ii praesertim qui, in nationibus sic dictis « catholicis », vitam degunt, instanter egent ut instruantur circa temporum instantem necessitatem atque gravitatem, ut fidem roborent atque firmiter teneant.

Hinc, sit *nostra quinta conclusio*, vera et urgens necessitas ut proclamatio libertatis religiosae a Concilio facienda, ita fiat absque gravibus incommodis et periculis, quae certo certius imminent.

Textus autem propositus nihil fere curat de hac urgente necessitate pastorali.

Qua ergo ratione procedendum ut textus declarationis *de libertate religiosa* consonet Concilio Ecclesiae catholicae, lumini gentium?

Non alio modo quam exponendo « Historiam salutis », talem qualem exhibent praesertim Paulus et Ioannes Evangelista: « Homo enim, ad imaginem Dei factus, servus peccati effectus, veram libertatem iam non consequitur nisi " in Christo et per Christum ", una Ecclesia catholica mediante, seu ministrante ».

Haec enim sola textum efficerent, vel redderent vere « catholicum »; et non mera et pedisequa imitatio aliarum declarationum Organizationum internationalium.

Haec sequendo criteria, specimen textus tradimus Secretariae, non utique ut textum propositum omnino substituat; sed uti exemplum ad quod forse erit corrigendum.

10

EXC.MUS P. D. MARION FRANCISCUS FORST

Episcopus Dodgepolitanus

Directory for Ecumenism. Divide the Directory into three sections:

1. *Dialog*

A) Limit encounter to "experts" only — meaning not self appointed, but rather officially appointed and qualified persons from the churches concerned.

B) Establish rules, procedures and extent of dialog.

2. *Clergy.* — Bishops, priests, ministers, etc.

A) *Social.* — Encourage purely social opportunities for local clergy and others to become better acquainted (no limitations).

B) *Community.* — Urge participation by clergy in civic functions—particularly those of a charitable and social justice nature—etc. Limitations would simply restrict to non-political activities.

C) *Communicatio in Sacris.* — Limit participation to such activities as are formally endorsed by the Holy Father and the College of Bishops... Avoid things that savor of " exchange of pulpits " where official worship services are concerned... Encourage joint prayers in public places.

3. *Laity*

A) *Social.* — Encourage more purely social opportunities for local and neighborhood groups to meet and know each other—aiming at removal of the use of derogatory terms for various religious, racial groups, etc.

B) *Community.* — Encourage cooperation in joint civic and charitable programs. Urge uniting of special "aid" program of a national or international nature so that Christians and Jews work together in one joint effort rather than through 2 or 3 or more... Allow financial support of one another's local building programs, etc.

C) *Communicatio in Sacris.* — Broaden the basis upon which such communicatio may be used; but define it well, so that everyone is aware of the limitation and the reasons for them.

11

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

1. Laudanda voluntas Concilii dialogum proponendi etiam cum acatholicis.

2. Tamen, quaerendum est: oecumenismus debet res uti sunt servare vel ad Christi Ecclesiam omnes attrahere et veluti manu ducere?... Nam, uti proponitur in omnibus suis capitibus et in declaratione de Iudaeis non apparet cur debeant in Ecclesiam catholicam ingredi. Immo, si ultima declaratio consideratur (de libertate religiosa) omnibus conceditur libertas manendi ubi sunt, in suo errore scil.!

3. Quando tandem Ecclesia catholica praesentatur Iudaeis, tali modo praesentatur ut a nobis catholicis fere non agnoscatur! Nam de illa loquitur hisce verbis: « est continuatio populi illius (lin. 8)... cui revelationem in libris V. T. contentam (Deus) concredere voluit (linn. 9-10)... et cum tantum patrimonium christiani ex Iudaeis acceperint (lin. 17) ... ». Ecclesia catholica, e contra, non est haeres unius eiusdemque veritatis Iudaeis et christianis communis, sed, iuxta Aeterni Patris consilium, est quid conicum et verticale (non quid horizontale!), scil. ad perfectiorem in dies formam a Divina Voluntate et caritate, gradatim, adductum; in cuius coni seu pyramidis vertice, nempe doctrinae et mediorum ad salutem plenitudine, a Deo perducta et locata est Ecclesiae novissima et definitiva forma, quae catholica nuncupatur.

Iudaismus ergo fuit initium et initium tantum; unde et ipsi Iudaei non modo sunt caritative tractandi sed et ipsi ad pleniorem formam tum veritatis et mediorum salutis sunt vocandi.

4. Quae de oecumenismo, in triplici capite et in duplici declaratione dicuntur, fortasse, meliori modo, sub hac luce essent exponenda:

a) Homo, a Deo creatus, ad Deum dirigitur, unde sub ratione finis definiri posset « animal religiosum » et sub hac luce homo non est liber (contra atheismum!) quia libertas est mediorum et non finis!

b) Quatenus religiosus, etsi homo veram religionem non profiteatur, est omni respectu dignus quia Deum sincere quaerit (recta intentio); et quaevis religio, ut conamen ad unionem cum Deo fovendam, est pariter respectu digna; insuper, cum in ipso errore aliquid veri semper inveniatur, etiam religio falsa, sub hac luce, est digna respectu.

c) Tamen, si homo vult ad plenitudinem vitae, veritatis et mediorum pervenire, debet ingredi in Ecclesiam catholicam.

5. Oecumenismus et libertas religiosa alio in modo proposita:

a) nec fundamentum missionalis actionis Ecclesiae illustrat

b) nec ipsum opus missionale explicant, sed potius videntur negare.

12

Exc.mus P. D. HANNIBAL MUÑOZ DUQUE

Archiepiscopus Neo-Pampilonensis

Antequam commissio ad declarationem *de libertate religiosa* redigendam designata textum declarationis Patribus conciliaribus exhibendum definitive reelaboret, Pastores multarum animarum enixe petimus ut attenta ratio habeatur eorum quae sequuntur:

1. America Latina gaudet unitate religiosa catholica. In omnibus fere nationibus Continentis, haec unitas religiosa constituit elementum boni communis et ordinis socialis, quod ut essentiale considerari potest.

2. Haec fere perfecta unitas religiosa creat situationem socialem, psychologicam et pastoralem longe diversam ab illa propria regionum ubi viget pluralismus religiosus. Id quod in his regionibus pluralisticis potest esse sub respectu pastorali et oecumenico valde opportunum et forte necessarium, in regionibus unitatis religiosae catholicae potest esse valde inopportunum immo et maxime nocivum.

3. « Declaratio de libertate religiosa », quae potius fines pastorales et oecumenicos quam doctrinales persequitur, non debet respicere solummodo illas orbis regiones ubi viget pluralismus religiosus, sed illas quoque (ne dicamus praesertim) ubi unitas catholica adhuc Deo favente conservatur. Sensus aequilibrii, caritatis, iustitiae et aequitatis hoc exigit.

4. Unitas religiosa catholica Continentis Latini Americani gravissime nostris diebus periclitatur ob actionem proselytisticam sectarum protestantium, quae insidiose conantur seminare apud gentes simplices et rudes diffidentiam erga Hierarchiam et magnam idearum confusionem, ut tandem fideles, allecti quoque spe auxilii ordinis oeconomici, ad apostasiam a fide catholica adducantur.

5. Ex hac insidiosa actione proselytistica, sequitur desertio a fide catholica 400.000 circiter fidelium adultorum singulis annis, quod ut per se patet, grave damnum commune Ecclesiae constituit.

6. Notitiae summariae quae in ephemeridibus pervulgatae sunt circa decretum *de Oecumenismo* et circa declarationem *de libertate religiosa,* iam creaverunt in multis regionibus atmosphaeram quamdam confusionis, quae indifferentismo practico atque desertionem a fide catholica quam maxime favet. Huiusmodi notitiae, dum triumphaliter receptae sunt ab illis sectoribus opinionis publicae qui habitualiter Ecclesiae adversantur, magnas animi anxietates et haesitationes in sinceris christifidelibus produxerunt. In Colombia, e. g. ipsum Concordatum cum Sancta Sede coeptum est minus aestimari atque aperte subverti.

7. Certo hi effectus perniciosi minus persentirentur si populus psychologice, socialiter, culturaliter ac religiose esset praeparatus ac praemunitus, vel si episcopi possent remedia opportuna tempestive et efficaciter opponere. At proh dolor! realitas est longe diversa. Status populi sub respectibus indicatis non potest repente mutari. Episcopi ob penuriam mediorum oeconomicorum et praesertim sacerdotum, impares prorsus sunt ad problemata pastoralia, quae praeter ordinarium curae animarum laborem, ex actione proselytistica sectarum protestantium oriuntur.

8. Quae cum ita sint, audemus postulare a commissione ad declarationem *de libertate religiosa* redigendam designata ut textus declarationis reelaboretur attentis principiis solidarietatis et verae collegialitatis episcopalis, iuxta quae omnes episcopi « sollicitudinem omnium ecclesiarum » persentire debent. Esset maxime dolendum si declaratio *de libertate religiosa,* quae apud populos regiminis atheistici vix procul dubio audietur, tali modo redigeretur ut quamvis magna forte commoda afferret pro populis religiose pluralisticis, vulnus irreparabile iniiceret patrimonio unitatis catholicae in illis haud quidem paucis nec parvis populis ubi Deo favente haec unitas magna cum utilitate et spe Ecclesiae adhuc viget.

9. Haec nostra petitio, ut patet, non solum non intendit obstaculum ullum providentiali motui oecumenico opponere, sed positive inspirata est principiis sani et veri oecumenismi, quae in schemate de hac re perspicue et profunde enuntiantur. In nostris populis, utpote non satis praeparatis necnon acriter et insidiose nunc ex parte sectarum protestantium oppugnatis, pericula quae insunt oecumenismo, nisi prudenter et efficaciter dirigatur, possunt producere damna irreparabilia pro fide catholica. Textus declarationis de libertate religiosa debet in quantum fieri possit haec pericula vitare. Hoc exigit bonum commune totius Ecclesiae.

10. Ne ingens labor commissionis augeatur, consulto non adiungimus documenta quae nostras affirmationes confirmant. Attamen si opportunum visum fuerit, possunt a nobis huiusmodi documenta quaeri. Libenter ad commissionem quocumque momento mittemus.

[*Subscripserunt etiam*] Bernardo Arango, ob. de Barranca Bermeja; José Pimiento, ob. de Garzon-Nieva; Angel Ocampo Berrío, arz. de Tunja; Eloy Tato, ep. tit. de Cardicio; Eusebio Septimio Mari, vic. ap. Riohachaensis; Hector Rueda H., ob. Bucaramanga; Argimiro García R.; M. A. Medina, Montería, Colombia; Alfonso Uribe, aux. Cartagena; Jesús Coronado, praef. ap. Ariarí, Colombia; Alfredus Rubio Diaz, ob. Sansón; R. Zambrano Camader, ob. de Facatativá; José Joaquin Flórez, ob. Ibagué, Colombia; Heriberto Correa Yepes, prael. null. de Mitu, Colombia; Enrique Vallejo, praef. ap. de Tierradentro; Iulius Franco, ob. Duitama; Augustus Trujillo Arango, ob. Jerico; Jorge A. Giraldo, ob. de Pasto; Armando Cirio, bispo de Toledo, Brasil; Gregorio Garavito, aux. ap. Villavicencio, Colombia; Felipe Santiago Benitez, aux. Asunción, Paraguay; J. Valle G., ob. aux. Iquique, Chile; Leonidas Proaño, ep. Rivibambensis, Aequatore; Arturo Duque Villegas, arz. Manizales; Tulio Botero Salazar, arz. Medellin; Carlos Borge; José Luis Castro; Miguel Angel García A., ob. Jalapa, Guatemala; Germán Villa Gavíria, ob. de Barranquilla; Alonso Arteaga Yepes, ob. tit. Auzegera; Iulius Laschi González, adm. ap. Conceptionis in Paraguay; Bonaventura Jauregui, ob. de Zipaquirá; Guillermo Escobar V., ob. de Antioquia; Gerardo Valenzia C.; Eduardus Boza Masvidal, ep. tit. Vindensis; Pablo Correa León, ob de Cúcuta; José de J. Arango, praef. ap. Colombia; Juan Campuzano, praef. ap. Galapagos; Albertus Zambrano Palacios, vic. ap. Canelos; Antonio de Hornedo, praef. ap. S. Francisci Xaverii; Vincentius Alexander, arch. Managua; Ianuarius Artazcor, adm. ap. El Petén; Wenceslaus Gomez Frande, praef. ap.; Nicola D'Antonio, prael. null. Oloncho, Honduras; Martin Legarra, prael. null. Bocas del Toro; Damiano Nicolau, prael. null. Huamachuco; Redento Gauci, prael. null. Chuquibamba; Giocondo M. Grotti, prael. null. Brasile; Martin Michler, abb. null. Brasil; Mario Roberto Anglim, Brasil; Adriano Veigle, Brasil.

13

Exc.mus P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ

Episcopus Parentinus et Polensis

Ad nn. 33-34. Placet quod in Concilio declaratio edatur de nostris relationibus non solum ad alias confessiones christianas et ad populum iudaicum sed etiam ad alias omnes gentes in universo mundo, sive ad omnes omnino homines.

Attamen textum ipsum quod attinet qui in n. 33 proponitur, animadversiones quasdam proferendas puto. Bona sunt quae textus continet, sed plura desiderantur. Etenim:

1. Textus per supervenientes litt. enc. *Ecclesiam suam,* quae dialogum instituere volunt cum omnibus coetibus hominum, iam superatus est. Nihil agitur de dialogo Ecclesiae cum istis coetibus hominum, sed agitur solummodo de quadam exhortatione ad christianos, ut caritatem etiam erga istos homines exercere non omittant.

2. Deficiente sermone de dialogo, haec declaratio non plene cohaeret cum schemate *de Oecumenismo* in genere.

3. Textus refertur quasi exclusive ad homines singulares (excepto inciso de Musulmanis), non autem respicit coetus religiosos et religioso-culturales. Quae dicuntur approbanda sunt, at omnino necessarium est, ut in declaratione describatur habitudo nostra ad magnos coetus religiosos qua tales. Haec sunt hodie maximi momenti!

4. Paternitas divina describitur sensu *pure morali,* optandum esset ut aliquo saltem modo indigitata sit paternitas divina per gratiam, ad quam — adoptionem filiorum — omnes homines vocati sunt.

Procedatur igitur ordine fere sequenti:

a) Declaretur imprimis nos plura cum omnibus coetibus hominum communia habere: unde initialiter minime adversarii aut inimici inter se haberi debemus, sed tamquam amicos se consideremus oportet, quorum vocatio et destinatio est communis. Hic aperte intexatur id quod de paternitate divina dicitur in textu.

b) Fide scimus initium historiae nostrae communem fuisse: omnes vocati sumus ad filiationem divinam.

c) Variae sunt rationes quae effecerunt, ut genus humanum in vias diversas abierit.

d) Obliviscendum tamen non est, quod Deus populos penitus non reliquerit. Per benignam Providentiam suam « semina Verbi sui » varie in varios coetus humanos inseruit, quae veram « praeparationem evangelicam » et actionem paedagogicam divinae Providentiae in istis populis repraesentat, ut Christum Salvatorem facilius et laetius accipiant.

e) Quapropter nullum ex his coetibus despicere aut hostiliter tractare licet homini christiano. Sed Ecclesia in fraterno cum iis colloquio omnia bona quae possident parata est agnoscere, eos autem invitat, ut cum eodem spiritu fraternae amicitiae ea quae bona in Ecclesia invenient agnoscant et suscipiant. Ecclesia filios suos vocat et monet, ut in coetibus religiosis non christianis bene discernere discant varia elementa doctrinalia, moralia, cultualia, nullumque aspec-

tum spernant nec omittant, quia in quibusdam coetibus haec maiorem elevationem susceperunt, in quibusdam autem haec.

f) In omnibus autem caritas et mutua aestimatio vigeat oportet, a malo proselytismo aut mediis quae dignitatem humanae personae laedere possent prorsus abstinendo. Finis ultimus omnium relationum nostrarum in campo religioso est adimpletio gentium in Regno Dei, quam futuram credimus et quam suspiramus, sed quam opus gratiae Dei esse apprime scimus.

14

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK

Episcopus Ianuariensis

Duae animadversiones quod ad latinitatem attinet. Intentione pro posse cooperandi, ut textus conciliaris perfectior evadat, motus, non quidem modos propono, sed preces, ut nempe stylus potius examinetur adhibitus cuius mutatio non quidem sensum transferat, sed clariorem reddat.

1. Pag. 9, linn. 10 s. legitur: « ... credimus et usque ad consummationem saeculi in dies crescere speramus ». Estne vera latinitas? Ipsum schema in pag. 22, lin. 22 et lin. 37, latinitate meliori utitur. Proponerem textum istum: « ... credimus et speramus fore, ut usque ad consummationem saeculi in dies crescat ».

2. Pag. 15, linn. 37 s. habetur: « Fratrum seiunctorum animum cognoscere oportet ». Huius propositionis sensus esse videtur: Necesse est, ut nos catholici animum fratrum seiunctorum cognoscamus. Vel, gallice: Il faut connaître la mentalité des frères séparés. Vel, germanice: Man muss die Geisteshaltung der getrennten Brüder kennen (lernen).

At, ratione habita latinitatis, textum, ut iacet, istum prae se ferre sensum mihi persuasum non est. E contra, ambiguitas saltem habetur, nisi quis constructionem latinitatis adhibitae erroris arguere malit. Unde proponerem textum: « Fratrum seiunctorum animus et indoles oportet cognoscantur ». Vel: « Fratrum seiunctorum animum cognosci oportet ».

Tandem, appendicis instar, addo hanc animadversionem:

Pag. 16, linn. 18-20 legitur: « Etiam catholici missionalia opera in iisdem terris ac alii christiani incumbentes hodie praesertim cognoscant oportet quaestiones et fructus, quae ex oecumenismo in eorum apostolatu oriuntur ».

Plures Patres sensum propositionis ex me quaesierunt. Nonne iste est sensus: « Etiam catholici qui missionalibus operibus incumbunt in terris in quibus quoque alii christiani adlaborant, hodie praesertim cognoscant oportet quaestiones et fructus, quae ex oecumenismo in eorum apostolatu oriuntur ».

Si his verbis aliisve similibus clarius dici possit quod intenditur, cur ita non dicatur. Modus dicendi clare, distincte, simpliciter hominibus nostri temporis valde placet.

15

EXC.MUS P. D. IOANNES B. SCAPINELLI DI LÉGUIGNO
Archiepiscopus tit. Laodicensis ad Libanum

Cap. I: *De catholicis Oecumenismi principiis*: n. 4, pag. 9, lin. 16, *placet iuxta modum.* Modus autem est sequens: *Addatur*: « Praeterea, Ecclesia catholica stricte tenetur ad mandatum Domini (*Mc.* 16, 15) adimplendum, praedicandi scil. Evangelium omni creaturae seu omnibus hominibus ». *Ratio modi*: Ecclesia non solum tenetur ad apostolatum reconciliationis ac praeparationis eorum singulorum qui in Ecclesiam catholicam ingredi desiderant, sed ad activam diffusionem Evangelii (opportune et importune) non solum inter eos qui illud prorsus ignorant, verum etiam inter eos qui illud partialiter tantum cognoscunt. Si cum fratribus separatis sincere agere volumus, non possumus hanc obligationem Ecclesiae tacere. Sequamur etiam in hac re principium optime a schemate propositum in cap. 2, n. 11: « Integra doctrina lucide exponatur omnino oportet. Nil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum capitur et eius sensus genuinus et certus obscuratur » (pag. 16, linn. 23-26). Ex alia vero parte, positio nimis passiva in apostolatu cum aliis christianis peragendo solum ducit ad descensum conversionum ad Ecclesiam catholicam (id quod est contra voluntatem Domini, qui vult unum gregem fieri), ut iam non paucis in nationibus experimur.

Cap. II: *De Oecumenismi exercitio,* n. 6, pag. 14, linn. 11-15, *placet iuxta modum.* Modus autem est sequens:

Loco: « ita ut si quae, pro rerum temporumque adiunctis, sive in moribus, sive in ecclesiastica disciplina, sive etiam in doctrinae enuntiandae modo — qui ab ipso deposito fidei sedulo distingui debet — minus accurate servata fuerint, opportuno tempore recte debiteque instaurentur ».

Dicatur: « ita ut si quae, pro rerum temporumque adiunctis, sive in moribus, sive in ecclesiastica disciplina, minus accurate servata fuerint, opportuno tempore recte debiteque instaurentur. Modus autem doctrinae enuntiandae — qui ab ipso deposito fidei sedulo distingui debet — semper aptior atque hominibus nostri temporis ipsisque fratribus separatis intelligibilior quaeri potest, eodem tamen sensu eademque sententia ».

Ratio modi: Problema valde diversum est quando agitur de accommodandis moribus et disciplina et quando agitur de accommodando modo doctrinae enuntiandae (tunc enim doctrina mutari non potest). Res ergo ita heterogeneae non possunt unica clausula includi, si ambiguitates vitandae sunt. Ex alia vero parte, verba Ioannis XXIII, quae in nota allegantur a schemate, non debent privari suis ultimis verbis, quibus ille Romanus Pontifex insistebat in necessitate continuitatis traditionis theologicae et in eo quod, mutato modo proponendi, sensum mutare non licet.

Cap. II: *De Oecumenismi exercitio,* n. 6, pag. 14, linn. 18-19, *placet iuxta modum.* Modus autem est sequens: *Omittantur verba*: « praedicatio Verbi Dei

et catechesis ». *Ratio modi*: Praedicatio verbi Dei et catechesis vix possunt considerari tamquam elementa renovationis nostris temporibus in Ecclesia peractae. Non credimus Ecclesiam tantopere defecisse in suo peragendo officio, ut hae functiones non semper in complexu Ecclesiae sufficienter habitae sint. Tendentia extollendi hodiernam quamdam renovationem in Ecclesia exsistentem videtur suggerere nihil hucusque in Ecclesia factum esse aut saltem nihil factum esse bene.

Cap. II: *De Oecumenismi exercitio,* n. 7, pag. 15, linn. 4-8, *placet iuxta modum*. Modus autem est sequens: *Omittantur verba*: « De culpis etiam adversus unitatem valet testimonium S. Ioannis: " Si dixerimus quoniam non peccavimus: mendacem facimus eum, et verbum eius non est in nobis " (*1 Io.* 1, 10). Humili igitur prece veniam petimus a Deo et a fratribus seiunctis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ». *Ratio modi*: Formula schematis facile potest inter fideles catholicos impressionem creare de aequivalentia peccati haereseos vel schismatis cum defectibus possibilibus, qui separationi ansam praebuerunt. Praescindendo a culpabilitate subiectiva personarum, culpae illae obiective consideratae sunt prorsus diversi ordinis quoad suam gravitatem. Propter rationes pastorales (periculum confusionis inter fideles catholicos, immo periculum indifferentismi si utraque pars consideratur aequo modo culpabilis in separatione) paragraphus debet supprimi.

Notetur Paulum VI non petivisse absolute veniam sed cum locutione conditionali in membro quod referebatur ad Ecclesiam catholicam.

Praeterea schema debet esse constans sibi. In declaratione altera de Iudaeis et de non-christianis, legitur: « Caveant praeterea ne Iudaeis nostrorum temporum quae in Passione Christi perpetrata sunt imputentur » (n. 32). Si Iudaeis nostri temporis non potest Passio Christi imputari, nec nobis potest imputari quod tempore Lutheri vel Photii evenerit. Et si separatio, quae plura saecula ante nos facta est, imputari non potest, non est cur de illa veniam petamus.

Modus, quo Novum Testamentum de haereticis loquitur, prorsus diversus est a modo loquendi schematis. Cum S. Ioannes illum modum loquendi habeat, non intelligitur quomodo potuerit citari in paragrapho expungenda, pro re tam aliena a sua mentalitate.

Cap. II: *De Oecumenismi exercitio,* n. 8, pag. 15, lin. 31, *placet iuxta modum*. Modus autem est sequens:

Loco: « Quae communicatio a duobus principiis praecipue pendet »	*Dicatur*: « Quae communicatio, vitatis semper periculis indifferentismi religiosi et scandali, a duobus principiis praecipue pendet ».

Ratio modi: Quaestio de communicatione in sacris non potest sic a Concilio proponi, ut taceatur condicio fundamentalis, quae iuxta theologos moralistas catholicos necessaria est, ut communicatio licite fieri possit. Hoc sensu, necessitas vitandi pericula, quae indicantur in emendatione proposita, est principium non minoris momenti, quam illa duo, de quibus schema loquitur.

Cap. II: *De Oecumenismi exercitio,* n. 10, pag. 16, linn. 11 s et 14 respective, *placet iuxta modum*. Modus autem est sequens: *Omittantur verba*: « sensu oecumenico » (linn. 11 s.) et « non polemica » (lin. 14). *Ratio modi*: 1) Expressio

schematis in linn. 11 s. est inintelligibilis pro theologo vel historico spiritu vere scientifico imbutis. Theologia vel historia sic debent tradi ut quam accuratissime veritati respondeant. Si veritas oecumenismo favebit, erit de hoc facto laetandum; si autem minus favebit, dolendum erit; in utroque casu vir vere scientificus solum de veritate curare debet. Vir vere scientificus non intelliget scientiam debere « sensu oecumenico » coli ut sic magis veritati respondeat. Scientia nunquam debet esse « tendentiosa ». 2) Expressio schematis in lin. 14 potest habere rectum sensum. Theologia non debet esse polemica, quatenus omnino deserendum est « odium theologicum ». Sed periculum est ne expressio schematis a pluribus intelligatur ac si non oporteret ulterius theologiam sic docere, ut alumni in punctis controversis probe cognoscant rationes, quibus veritas catholica fulcitur et propter quas doctrina aliarum confessionum admitti non potest.

Cap. III: *De Ecclesiis et communitatibus ecclesialibus a Sede Apostolica Romana seiunctis,* n. 15, pag. 20, lin. 37, *placet iuxta modum.* Modus autem est sequens: *Omittantur verba*: « vi successionis apostolicae ». *Ratio modi*: Non videtur posse dici orientales separatos habere successionem apostolicam, cum in schismate constituti sint. Successio apostolica *magis implicat quam meram consecrationem episcopalem validam*; et formaliter sumpta non habetur sine communione cum successore Petri!!!

Cap. III, De ecclesiis et de communitatibus ecclesialibus a Sede Apostolica Romana seiunctis, n. 19, pag. 22, lin. 38, *placet iuxta modum.*

Modus autem est sequens: *Addantur verba*: « Ad spiritum oecumenicum et pacem inter diversas confessiones religiosas admodum conferet, si " proselytismus " mediis pecuniis apud populum humilem aliisve minus consonis, si alicubi accidit, maxime ubi Christus iam praedicatus est, prorsus deseratur. Haec enim et confusionem apud simpliciores pariunt et indifferentismum religiosum fovent ».

Ratio modi: Huiusmodi clausula in aula petebatur. Praeterea dum talis « proselytismus » habeatur, spiritus oecumenicus est impossibilis.

16

EXC.MUS P. D. HENRICUS TENHUMBERG

Episcopus tit. Thuburnicensis, aux. Monasteriensis

Animadversio ad n. 9, pag. 16, lin. 2: loco « vitae spiritualis et culturalis » dicatur: « vitae spiritualis et liturgicae » (cf. n. 15, pag. 21, lin. 9: « patrimonium liturgicum et spirituale »). *Ratio*: Neologismus « cultualis » sapit scientiam religionum. Vox cultus ethymologice comprehendit tantum partem latreuticam liturgiae. Vitatur etiam in sensu venerationis vel pietatis christianae a S. Biblia Vulgatae editionis, a Patribus antiquis, a constitutione *de s. Liturgia.* In documentis Ecclesiae etiam saeculis recentibus raro adhibetur. Cf. articulos *Kult* et *Liturgie,* in: *Handbuch theologischer Grundbegriffe,* München 1962-1963, vol. I, pp. 865-880; II, pp. 75-79.

Animadversio n. 21, pag. 23, lin. 20: « S. Scripturarum amor et veneratio ac prope cultus »: deleantur verba « ac prope cultus », utpote superflua (veneratio

sufficit) ac prope offensiva: Sunt protestantes qui perhorrescent terminum « cultus » ut antibiblicum.

Animadversio n. 22, pag. 24, linn. 16-17: loco « doctrina circa Coenam Domini et cultum et Ecclesiae ministeria » dicatur: « doctrina circa Coenam Domini, cetera sacramenta et cultum ac Ecclesiae ministeria ». *Ratio*: Vox cultus ethymologice comprehendit tantum partem latreuticam liturgiae.

Animadversio n. 23, pag. 24, linn. 22-23: loco « in cultu communitatis... Ceteroquin cultus » dicatur: « in servitio communitatis... Ceteroquin officia » vel: « in liturgia communitatis... Ceteroquin liturgia ». *Ratio*: Terminus « cultus » praesertim sub influxu scientiae et philosophiae religionum vulgatus, iure negligitur a constitutione *de s. Liturgia*; terminus ethymologice complectitur tantum aspectum latreuticum liturgiae, sed etiam pro illo aspectu vitatur a Vulgata, a Patribus latinis. Scholastici utuntur quidem hoc termino, si considerant actus cultus (sive liturgicos vel minus) sub aspectu theologico-morali (exercitium virtutis religionis). Sed etiam saeculis recentibus in documentis Ecclesiae raro adhibetur. A non paucis fratribus separatis propter saporem non-christianum perhorrescitur. Cf. articulos *Kult* et *Liturgie*, in: *Handbuch theologischer Grundbegriffe,* München 1962-1963, vol. I, pp. 865-880, vol. II, pp. 75-97.

17

PLURES PATRES CONCILIARES

1. Antequam ad suffragationem declarationis *de libertate religiosa* progrediamur, nos episcopi subsignantes, gravi anxietate conscientiae nostrae pastoralis onerati circa praesentia et futura detrimenta nocentia Ecclesiae in America Latina degenti, enixe desideramus quod *haec Sacrosancta Synodus explicite consignet proficuum esse progressui veri oecumenismi clare exponere fidelibus doctrinam catholicam coram proselytismo inter catholicos permoto a quibusdam denominationibus fratrum separatorum.*

2. Breviter aliqua fundamenta:

a) circiter 400.000 fidelium catholicorum adultorum Americae Latinae *per annum* transeunt ad Protestantismum, i. e., ingens numerus qui superat forsan numerum omnium conversionum adultorum per annum ad Ecclesiam catholicam in tota eius activitate missionali. (Quod revera demonstrat agi de vero *bono communi* Ecclesiae);

b) plurimae « denominationes » fratrum separatorum (hispanice « sectas ») systematice et acriter impugnant ea omnia quae doctrinam, organizationem et vitam Ecclesiae catholicae constituunt, et « proselytismum » inter eius fideles movent;

c) ceteroquin prostant aliqua problemata practica, v. g., de modo agendi erga alumnos (eorumque parentes) in scholis *confessionalibus* protestantium studia comparantes.

3. Iam vero, etsi liqueat schema *de Oecumenismo* non habuisse propositum particularia tangendi et quaestiones movendi, v. g., circa illas « denominationes », certo tamen praevidemus maximum periculum — per longos quidem annos duraturum — Ecclesiae Americae Latinae imminere, nisi *habitudo oecumenica* hierar-

chiae et fidelium erga supradictas « denominationes » clare atque perspicue enucleetur. Nemini enim latet quod permagna confusio oritura tam in doctrinali quam in practico ordine — ut iam in aliquibus locis orta est — in detrimentum tantum fidei catholicae redderetur, quam nationes Americae Latinae profitentur. Quamvis Ecclesia indefectibilis et perennis sit, eius praesentia et activitas in quibusdam regionibus omnino vel fere omnino disparere possunt, ut de facto disparuisse historia monstrat.

Die 24 mensis octobris anni 1963, in sua allocutione episcopis Chile, Paraguay, Bolivia et Uruguay, Summus Pontifex Paulus VI f. r., postquam adnumeraret pericula Ecclesiae in America Latina, scil., protestantismum, communismum et spiritismum, asseruit: « Nisi efficiatis hodie supremum conamen, fides catholica disparere potest in vestris nationibus ». Exemplum deinde praebuit disparitionis olim florentissimae Ecclesiae in Africa septemtrionali. Proinde, nostrum officium est attentissime invigilare ne imprudentia vel error pastoralis in applicatione principiorum Oecumenismi coram « proselytismo » fratrum separatorum secumferat graves consequentias Ecclesiae in America Latina.

4. Immo autem, supposito quod schema *de Oecumenismo* pro scopo non habeat nec in eius spiritu sit pertractare de denominationibus cum quibus Oecumenismus forsitan difficilis autumetur ne motus veri Oecumenismi propter problemata particularia periclitetur, in hoc momento historico in quo conamina Actionis pastoralis Ecclesiae in America Latina peregrinantis in providentialem progressum diriguntur, *haec tertia pars totius Ecclesiae catholicae* digna est, si locus est, ut iuvetur ad suam plenam vitalitatem manifestandam potius quam impediatur confusione errorum eorum quoque bona fide in haeresi militantium.

5. Tandem, si reapse locus non sit in schemate *de Oecumenismo* ad habitudinem circa « denominationes » enucleandam, *saltem, consulendo fini pastorali Concilii, perutile vel necessarium erit includere criteria et normas circa illas in Directorio Oecumenico* quod Secretariatus ad Christianorum Unitatem Fovendam elaborare et publicare intendit, iuxta desiderium plurimorum episcoporum.

Conscii enim sumus quod verus Oecumenismus, rite promotus, innumerabilia bona elargiet Ecclesiae in America Latina militanti.

[*Subscripserunt*] *Ex Venezuela*: Ioseph Raphael Pulido M., arch. tit. Cyrrhensis; Ioannes Ioseph Bernal Ortiz, arch. Civitatis Bolivarensis; Ioseph Alí Lebrún, ep. Valentinus in Venezuela; Dominicus Roa Perez, ep. Maracaibensis; Feliciano Gonzáles, ep. Maracayensis; Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracensis; Angelus Perez C., ep. Barcinonensis in Venezuela. *Ex Aequatore*: Cesar Antonio Mosquera, arz. Guayaquil; Maximilianus Spiller, vic. ap. Napo; Nicanor C. Gavilanes, ob. Portoviejo; Victor Garaygordobil, prael. Los Rios; Luis Crespo Ch., ob. Loja; Alberto Zambrano Palacios, praef. ap.; Manuel Gomez Frande; Emmanuel a Jesu Serrano Abad, arch. Conchensis; Paulus Muñoz Vega, ep. coad. Quitensis; Candido Rada S., ob. Guaranda; Benigno Chiriboga, ob. Latacunga; José Pintado, vic. ap. Méndez; Silvio Luis Haro Alvear, ob. Ibarra; Leonidas E. Proaño, ob. Riobamba; Juan Campuzano, praef. ap. Galapagos. *Ex Centro-America*: Tomás A. Clavel M., arch. Panamensis; Hector Santos H., arch. Tegucigalpa; Nicolaus D'Antonio; Bernardino Mazzarella, Comayagua; Mario Casariego, arch. coad. Guatemala; José García Villas, ob. S. Pedro Sula; Carolus Borge C.; H. Lara M., ep. tit. Trajanopoli in Phrygia; Gennaro Artazcor, El Petén; Matthew Niedhammer, vic. ap. Bluefields; Laurentius M. Graziano, ep. aux. S. Annae El Salvador; Celestino M. Fernandez, ob. San Mar-

cos; Luis Manresa Formosa, ep. Quezaltenango; Jesús Serrano, ep. tit. Hypselensis; A. Rivera D., ep. tit. Legiensis; Miguel Angel García A., ob. Jalapa; Raphael González Estrada, ep. tit. Matrega; Daniel E. Nuñez, ob. David; Roman Arrieta V., ob. Tilarán; Martin Legarra, prael. Bocas del Toro; Hugo Gerbermann, prael. Huehuetenango; Arturo Quintanilla, ob. Kweiteh (Sinis); Gregorius Espiga, vic. ap. Palavanensis (Philippin.); Angelus Almárcegui, sup. gen. ORSA; Florentinus Armas, prael. Chota (Perù); Ioseph Carranza Chévez, ep. S. Rosae de Copán; Constantino Luna, ep. Zacapa; José M. Carrizo V., ep. Citrensis. *Ex Colombia*: Annibal Muñoz D., arz. N. Pamplona; Emilio de Brigard, arz. tit. Disti; Tulio Botero Salazar, arz. Medellín; Angel M. Ocampo Berrío, arz. Tunja; Pedro José Rivera Mejía, ob. Socorro y San Gil; Jorge A. Giraldo, ob. Pasto; Guillermo Escobar V., ob. Antioquia; Arturo Duque Villegas, arz. Manizales; José Pimiento, ob. Garzon Neiva; Placido Camilo Crous, vic. ap. Sidundoy; Vicente Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; Heriberto Correa Yepes, praef. ap. Mitu; Bernardo Arango, ob. Barranca Bermeja; Enrique Vallejo, praef. ap. Tierradentro; Jesús Coronado, praef. ap. Ariarí; Alonso Arteaga Yepes, ob. tit. Auzegera; José de J. Arango, praef. ap. Guapi; Pedro Grau y A., ob. tit. Pella; Buenaventura Jáuregui, ob. Zipaquirá; Alfonso Uribe, ob. aux. Cartagena; Gregorio Garavito, ob. aux. Villavicencio; Germán Villa Gaviria, ob. Barranquilla; Gerardo Valencia C., vic. ap. Totura; Augusto Trujillo Arango, ob. Jérico; R. Zambrano Camader, ob. Facatativá; Pablo Correa León, ob. Cúcuta; Eloy Tato, vic. ap. S. Jorge; Alfredo Rubio Diaz, ob. Sonsón; Raphael Sarmiento Peralta, ob. Ocaña; Julio Franco Arango, ob. Duitama; Jesús Martinez Vargas, ob. Armenia; Baltasar Alvarez, ob. Pereira; José Joaquin Flores, ob. Ibagué; Eusebio Septimio Mari, vic. ap. Riohacha; Hector Rueda H., ob. Bucaramanga; Miguel Antonio Medina, ob. Montería; Francisco J. Bruls, ob. Villavicencio; Luis Frizar S., vic. ap. Tumaco; Gonzalez Arbelaez, arz.; Angelus Cuniberti, vic. ap. Florentiae; José Calderón, ep. Carthadensis. *Ex Mexico*: Ioseph card. Garibi, arch. Guadalajara; Octavianus Marquez, arch. Angelorum; Antonius Lopez Aviña, arch. Durango; Emmanuel Lopez E., arch. Jalapa; Emmanuel Talamás Camandari, ep. Civitatis Juarezensis; Franc. Ferreira, ep. Texcocensis; J. Robles, ep. Tulancingo; Michael Darius Miranda, arch. prim. Mexicanus; Ioseph a V. D. Torres y Castañeda, ep. Civitatis Obregonensis; Aloisius Munive E., ep. Tlaxcala; Philippus a J. Cueto, ep. Tlalnepantla; Raphael Ayala, ep. Tehuacaniensis; Alfonsus Espino, arch. Monterrey; Ioannes Navarrete, arch. Hermosillo; Michael García, ep. Mazatlán; Fortinus Gomez, arch. Antequera; J. Guadelupe Padilla L., ob. Veracruz; Ignacio Arroyo, ep. Tux Pan; Carlos Quintero Arce, ep. Ciudad Valles, Aloisius M. Altamirano, arch. Morelia; José G. Anaya, ob. Zamora; Ernestus Corripio, ep. Tampicensis; Adalbertus, ep. Zacatecensis; Salvator Quezada, ep. Aguascalientes; Ludovicus Cabrera Cruz, ep. S. L. Potosiensis; J. G. Ayala, adm. ap.; Samuel Ruiz, ep. Chiapasensis; Fernando Romo G., ep. Torreón; Victorino Alvarez Tena, ep. Apatzingan; Aloisius Guizar B., ep. Saltillensis; Ignatius de Alba, ep. Colima; Emmanuel Romero, prael. Jesus Maria; Alonso Escalante, ep. tit. Soranus; Jesus Alba Palacios, ep. Tehuantepecensis; Arcturus Szymanski, adm. ap. S. Andreae de Tuxtla; Emmanuel Piña Torres, ep. tit. Milevitanus; Anselmus Zarza, ep. Linares; Emmanuel M. del Campo, ep. Leonensis; Miguel Gonzáles, ob. Autlán; Juan Giordani, praef. ap. La Paz. *Ex Cuba*: José M. Dominguez, ob. Matanzas; Adolfo Rodriguez Herrera, ob. Camagüey; Fernando Azcárate A., ob. aux. La

Habana; Manuel Rodriguez Rozas, ob. Pinar del Rio; Eduardo Boza Masvidal, ob. tit. Vinda. *Ex Santo Domingo*: Octavius Beras, arz. Santo Domingo. *Ex Paraguay*: Anibal Mena Porta, arz.; Anibal Maricevich F., ep. coad. Villarica; Ismael Rolón, prael. Caacupé; Angelus Muzzolón, vic. ap. Chaco Paraguayo; Sinforiano Lucas, vic. ap. Pilcomayo; Ramón Bogarín A., S. Juan Bautista de las Misiones; Julio Laschi Gonzalez, adm. ap. Concepción; Felipe Santiago Benitez, ob. aux. Asunción. *Ex Brasilia*: Jaime card. Câmara; Agnelo Rossi, arch. Rivi Nigri; Gerardus M. M. Penido, arch. Judiciforensis; Avelar Brandâo Vilela, arch. Theresinensis; José Gonçalves da Costa; ep. tit. Rhodopolis; Joâo Batista da Mota e Albuquerque, arch. Vitoria; Benedito Zorzi, ep. Caxias; Salomâo Ferraz; Candidus Padin, aux. Rio de Janeiro; Alberto Ramós, arch. Belem; Antonio Fragoso, ep. Crateús; Adelmo Cavalcanti Machado, arch. Macció; Paulus, ep.; Aloisius Lorscheider. ep. Angelopolitanus; Alfonso M. Ungarelli, prael. Pinheiro; José Nepote, prael. Roráima; José Vicente Tavora, arch. Aracajú; Daniel Tavares Baeta Neves, ep. Septemlacunensis; I. B. Przyklenk, ep. Ianuariensis; José Melhado Campos, ep. Lorena; Quirino A. Schmitz, ep. Teofilo Otoni; Chaves Orlando, arch. Cuiabá; Vicente Scherer, arch. Porto Alegre; Manuel Pereira da Costa, ep. Campina Grande; Ioannes J. da Mota e Albuquerque, arch. S. Luis do Maranhâo; Ioannes de Sousa Lima, arch. Manáus; José de Almeida B. Pereira, ep. Guaxupé; Othon Motta, ep. Campanha; Honorato Piazera, ep. Nova Iguaçú; José Costa Campos, ep. Valença; Tomás Vaquero, ep. Sâo Joâo de Bôa Vista; Diego Parodi, prael. S. Antonio de Balsas; Joâo Rezende Costa; Vicente de Araújo Matos; Oscar de Oliveira; Jaime Luis Coelho, ep. Maringaensis; Ioseph Terceiro de Souza, ep. Penedo; José Dalvit, ep. Sâo Matéus; Archangelus Cerqua, ep. tit. Olbia; Henrique G. Trindade; José Varani, ep. Jaboticabal; Augusto Carvalho, ep. Caruarú; Caietanus Antonius Lima dos Santos, Ilheús; Ladislaus, ep. Corumbá; Antonius Barbosa, ep. Campo Grande; Camillus Faresin, ep. tit. Bubasti; Candidus Bampi, aux. Caxias; Francis Zayek, aux. pro Maronitis; Manuel da Silveira d'Elboux, arch. Curitiba; Gabriel Bueno Couto, aux. Taubaté; David Picâo; Ioannes Marchesi, coad. Rio Nigro; Miguel D'Aversa, prael. Humaitá; Francisco, ep. Taubaté; Gregorio Warmeling, ep. Joinville; Joâo Hoffmann, ep. Frederico Westphalen; Ioseph A. Lopez de Castro Pinto, aux. Rio de Janeiro; José Adelmo Dantas, ep. Garanhuns; José Pedro, ep. Caetité; José Nicomedes Grossi, ep. Bom Jesús de Lapa; Tiago Ryan, prael. Santarém; Felipe Tiago Broers, ep. Caravelas; Adriano I. M. Veigle, prael. Borba; Raimundo Lui, ep. Paracatú; Benedetto Coscia, ep. Jataí; Cornelio Chizzini, prael. Tocantinopolis; Victor J. H. J. Tielbeek, prael. Formosa; Alb. Etges, ep. S. Cruz do Sul; José Alvares Mácua, prael. Lábrea; Florianus Loewenau, prael. Obidos; Joaquim de Lange, prael. Tefé; Vunibaldo Talleur, prael. Rondonopolis; Armando Cirio, ep. Toledo; Mario Roberto Anglim, prael. Coarí; Bernardo Nolker, ep. Paranaguá; Franciscus Xavier, ep. Floresta; Stanislaus van Melis, prael. Sâo Luis de Montes Belos; Antonio Zattera, ep. Pelotas; Acacio Alves, ep. Palmares; Joâo Gazza, prael. Abaeté de Tocantins; Antonio, ep. Petrolina; Walfrido T. Vieira, ep. tit. Laranda; Altivo Pachero Ribeiro, ep. Barra do Piraí; Edmundo Luis Kunz, ep. tit. Ptolemaide in Fenicia; Manuel Tavares de Araújo; ep. Caicó; Vicente Marchetti Zioni, ep. Bauru; Otavio, bispo Palmeiras dos Indios; Romeu Alberti, ep. tit. Belali; Pedro Paolo Koop, ep. Lins; José Alves Trindade, ep. Montes Claros; José Brandão De Castro, ep. Propriá; Antonius Ferreira de Macedo; Anselmus

Pietrulla, Tubarâo; Alfonso Niehues, ep. coad. Lajes; Ruy Serra, ep. Sâo Carlos; José de Aquino Pereira, ep. Presidente Prudente; Aniger F. M. Melillo, ep. Piracicaba; Franciscus Austregesilo de Mesquita, ep. Afogados da Ingázeira; José M. Pires, ep. Arassuaí; Milton Corrêa Pereira, aux. Belem; Giocondo M. Grotti, prael. Acre e Purus; Pedro Filipiak, ep. Jacarézinho; Geraldo de Proença Sigaud, arch. Diamantina; Mario, arz. Paraíba; Manuel P. C. Cintra, ep. Petrópolis; José D'Angelo Neto, arz. Pouso Alegre; Alexandro Gonçalves Amaral, arz. Uberaba; Zacarias Rolim; Belchior J. da Silva Neto, adm. ap. Luz; Eliseu M. Córoli, prael. Guama; Alonso Silveira de Mello, prael. Diamantino; José Thurler, coad. Sorocaba; Valdir Calheiros, aux. Rio de Janeiro; Ernesto de Paula, ep. tit. Gerocesarea; Luis, ep. Cachoeiro de Itapemirim; Paolo Rolim Loureiro, ep. Mogi das Cruzes. *Ex Portorico*: Aloisius Aponte Martinez, ep. Poncensis.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio generalis LXXXIII

Animadversiones scripto exhibitae quoad cap. VIII schematis de Ecclesia

Congregatio generalis LXXXIV

Congregatio generalis LXXXV

CONGREGATIO GENERALIS LXXXVI

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA

Congregatio generalis LXXXVII

Congregatio generalis LXXXVIII

CONGREGATIO GENERALIS LXXXIX

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema declarationis de libertate religiosa

APPENDIX

I - ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE QUOAD SCHEMA DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE IN ECCLESIA

Ante periodum III

II - Animadversiones scripto exhibitae
quoad schema de Oecumenismo

ante diem 21 maii 1964

PAG.

III - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de Oecumenismo

post diem 21 maii, ante diem 13 sept. 1964

IV - ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE OECUMENISMO CAP. I-III
post diem 14 septembris 1964